Digitized by Google

Digitized by Google

THEOLOGIA
CHRISTIANA
DOGMATICO-MORALIS

AUCTORE

F. DANIELE CONCINA

ORDINIS PRAEDICATORUM.

TOMUS TERTIUS

IN DECALOGUM.

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE FIRENZE



ROMAE, MDCCXLIX.

SUPERIORUM PERMISSU.

PROSTANT VENALES VENETIIS
APUD SIMONEM OCCHI.

Digitized by Google

INDEX

Librorum, diſſertationum, capitum, paragraphorum, & quæſtionum quæ in hoc Tomo continentur.

LIBER TERTIUS

IN DECALOGUM.

DISSERTATIO I.

De adoratione, & cultu quo Deus, & Sancti colendi ſunt.

PROOEMIUM. pag. 1.

CAPUT I.

Quid ſit adoratio, eiuſque partitio, atque præceptum exponitur. 2.
Quæſt. I. *Datur ne præceptum divinum, & naturale colendi Deum actibus tum internis, tum externis?* 3.
Quæſt. II. *Quandonam hoc præceptum per ſe obligat?* 4.
Quæſt. III. *Eſt ne locus determinatus in quo colendus Deus ſit?* ibid.

CAPUT II.

Cultus latriæ ſoli Deo uni trinoque, atque Chriſto Domino debetur. 5.
Quæſt. I. *Chriſtus Dominus, ut homo, adorari ne poteſt adoratione latriæ?* ibid.
Quæſt. I. *Humanitas Chriſti, ut a Verbo divino abſtracta, eſt ne cultu latriæ adoranda?* 6.
Quæſt. III. *Licet ne practice adorare humanitatem Chriſti adoratione duliæ propter creatas perfectiones quibus ſplendet?* ibid.
Quæſt. IV. *Corpus Chriſti in triduo mortis erat ne cultu latriæ adorandum?* ibid.
Quæſt. V. *Adoranda ne eſt hoſtia a Sacerdote in Miſſa elevata abſolute, aut conditione adiecta?* 7.
Quæſt. VI. *Adoranda ne eſt latriæ cultu caro, vel ſanguis, qui interdum in hoſtia conſecrata per miraculum apparet?* ibid.

CAPUT III.

De cultu quo Crux Chriſti, & cetera eiuſdem ſacratiſſimæ paſſionis inſtrumenta coli poſſunt, & debent. 8.
Quæſt. I. *Crux Chriſti adoranda ne eſt latriæ cultu?* ibid.
Quæſt. II. *Cetera ſacratiſſimæ paſſionis Chriſti inſtrumenta inanimata, ut clavi, lancea, funes, flagella, corona, arundo, ſpongia, ſunt ne latriæ cultu adoranda?* ibid.

CAPUT IV.

De adoratione debita B. Virgini Mariæ, Angelis, & Sanctis? 10.

CAPUT V.

De cultu quo colendæ ſunt imagines ſanctiſſimæ Trinitatis, Chriſti Domini, & Sanctorum. 16.
Quæſt. I. *Sint ne eiuſmodi imagines adorandæ?* 18.
Quæſt. II. *Adeſt ne præceptum aliquod præcipiens ſacrarum imaginum uſum?* 20.
Quæſt. III. *Adeſt ne præceptum eaſdem imagines adorandi?* ibid.

CAPUT VI.

De cultu Reliquiarum. 21.
Quæſt. I. *Quid nomine Reliquiarum intelligitur?* 22.
Quæſt. II. *Licitum ne eſt adorare vermes in quos Sanctorum corpora reſolvuntur?* ibid.
Quæſt. III. *Quæ certitudo requiritur, ut Reliquiæ colantur, tamquam particulæ alicuius Sancti?* 23.
Quæſt. IV. *Quas Reliquias approbare valet Epiſcopus, ut eædem publico cultui exponantur?* 24.
Quæſt. V. *Licitum ne eſt authenticas Reliquias collo ſuſpenſas ſecum deferre?* ibid.
Quæſt. VI. *Peccat ne qui ſacras Reliquias furatur devotionis cauſſa?* ibid.
Quæſt. VII. *Licitum ne eſt Principi in bello iuſto ex urbibus illis a ſe expugnatis Reliquias extrahere, & alio transferre?* 25.
Quæſt. VIII. *Licita ne eſt venditio, & emptio Reliquiarum?* ibid.
Quæſt. IX. *Eſt ne ſimoniæ peccatum exponere ſacras Reliquias videndas, ut inde largiores eleemoſynæ offerantur?* ibid.
Quæſt. X. *Eſt ne aliqua pœna conſtituta contra Reliquiarum fures?* 26.
Quæſt. XI. *Licitum ne eſt cereos agnos venerari?* 27.
Quæſt. XII. *Vetitum ne eſt præfatos agnos ſub excommunicationis pœna pingere, vendere, & tangere?* ibid.
Quæſt. XIII. *Quæ veneratio veſtibus ſacerdotalibus, vaſis ſacris, & templis debetur?* 28.
Quæſt. XIV. *Quomodo calices, corporalia, & aliæ res ſacræ tangi a laicis poſſunt?* ibid.
Quæſt. XV. *Res ſacræ converti ne licite poſſunt in uſus profanos?* 29.
Quæſt. XVI. *An vaſa ſacra, poſtquam fracta ſunt, vendi valeant?* 30.
Quæſt. XVII. *Res profanæ converti ne in uſum ſacrum poſſunt?* 31.

DISSERTATIO II.

De vitiis oppoſitis religioni, ſeu de ſuperſtitione, eiuſque ſpeciebus.

CAPUT I.

Definitio, ac diviſio ſuperſtitionis. 32.
Quæſt. I. *Quodnam peccatum ſit ſuperſtitio ex modo indebito colendi Deum?* 34.
Quæſt. II. *Eſt ne peccatum grave profana, & turpia divino officio immiſcere?* ibid.
Quæſt. III. *Qui falſas Reliquias adorandas proponit, qui miracula commentitia prædicat, peccat ne letaliter?* ibid.
Quæſt. IV. *Eſt ne mortale peccatum die dominico a carnibus abſtinere; atque ieiunare?* ibid.

CAPUT II.

Sub examen inducuntur plures caſus, in quibus latitet ne ſuperſtitio declaratur. 35.

CAPUT III.

De idololatria, cuius notio, & malitiæ gravitas exponitur. 38.

CAPUT IV.

Quid ſit divinatio, quotque illius ſpecies. 41.
Quæſt. I. *Quæ futura dæmones prædicere valeant?* ibid.
Quæſt. II. *Qua ratione dæmones divinos ſuos doceant?* 42.
Quæſt. III. *Divinatores invocant ne ſemper expreſſo pacto dæmonum opem?* ibid.
Quæſt. IV. *Sunt ne omnes relatæ divinationis ſpecies moraliter diverſæ, & in confeſſione explicandæ?* 44.
Quæſt. V. *Divinatio cum pacto expreſſo cum dæmone differt ne morali ſpecie ab ea quæ tacito pacto peragitur?* ibid.
Quæſt. VI. *Eſt ne mortale crimen divinatio cum pacto ſive expreſſo, ſive tacito?* 46.

CAPUT V.

De aſtrologia iudiciaria, ſeu de divinatione per aſtra. 47.
Quæſt. I. *Superſtitioſum ne eſt futura libera bariolari, non certo, ſed probabiliter?* 48.
Quæſt. II. *Prædictio tantum coniecturalis eſt ne a ſuperſtitione immunis?* ibid.
Quæſt. III. *Licite ne valent aſtrologi ex ſigno nativitatis temperamentum, inclinationem, corporiſque proprietates prædicere?* 50.
Quæſt. IV. *Licitum ne eſt petere ut occulti theſauri, aquæ ſubterraneæ, cadavera ſub ſarcophagis latentia manifeſtentur ab iis qui iſtorum cognitionem iactant?* 51.
Quæſt. V. *Divinatores tenentur ne reſtituere pretium pro divinatione acceptum?* ibid.

CAPUT VI.

De divinatione per ſomnia. 53.
Quæſt. I. *Licitum ne eſt per ſomnia divinare futura?* 54.
Quæſt. II. *Licita ne eſt naturalium ſomniorum obſervatio?* ibid.
Quæſt. III. *Licitum ne eſt ex ſomniis futura libera divinare?* ibid.
Quæſt. IV. *Peccat ne qui ſomniorum occaſione mores ſuos, & negotia moderatur?* 55.
Quæſt. V. *Quando ſomnia eventibus comprobantur, ſunt ne tunc obſervanda?* ibid.

CAPUT VII.

De divinatione quæ fit per auguria, & omina, & alias eiuſmodi obſervationes exteriorum rerum. 56.
Quæſt. I. *Licet ne ex cantu, volatu, motuque avium futura portendere?* ibid.
Quæſt. II. *Licitum ne eſt ex vocibus humanis caſu prolatis, aut ex aliis fortuitis eventis futura prædicere?* 57.
Quæſt. III. *Superſtitio ne eſt futura prædicere ex corporis humani membris?* ibid.
Quæſt. IV. *Peccant ne graviter qui Ægyptios, vulgo Cingaros, conſulunt, ut ex manuum oſtenſione bonam aut malam ſortem ſibi enuntient?* 58.

CAPUT VIII.

De divinatione quæ fit ſortium uſu. ibid.

Quæſt.

Quæſt. I. *Licitum ne eſt ſortibus uti diviſoriis in electione ad dignitates ſæculares?* 59.
Quæſt. II. *Licitus ne eſt ſortium uſus in electione ad eccleſiaſtica beneficia?* ibid.
Quæſt. III. *Electio ad beneficia eccleſiaſtica, ſortitione peracta, eſt ne nulla, nedum illicita?* 60.
Quæſt. IV. *Licita ne ſortitio eſt ad dirimendas lites ſuper rebus, & beneficiis eccleſiaſticis?* ibid.
Quæſt. V. *Licita ne eſt ſortitio conſultoria?* 62.
Quæſt. VI. *Cur dormientes præ vigilantibus divinent?* 63.
Quæſt. VII. *Cur fatui, & ſtupidi facilius divinant quam ſana præditi mente?* ibid.
Quæſt. VIII. *Cur homines morti proximi ſæpe futura divinant?* 64.

CAPUT IX.

De vana obſervantia. 65.
Quæſt. I. *Licita ne eſt ars notoria?* ibid.
Quæſt. II. *Licita ne eſt ſanitatum obſervantia?* 66.

CAPUT X.

De magia naturali, eiuſque effectibus. 68.
Quæſt. I. *Eſt ne licita magia naturalis?* ibid.
Quæſt. II. *Qua ratione & via magia naturalis a ſuperſtitioſa ſecerni valet?* 69.
Quæſt. III. *Quando dubium eſt, procedat ne effectus a cauſſa naturali, vel arte ſuperſtitioſa, quid præſumendum?* ibid.
Quæſt. IV. *Quid dicendum de iis qui ſalutatores nuncupantur?* 71.
Quæſt. V. *Licitus ne reputari enſalmus debet?* 75.
Quæſt. VI. *Datur ne virtus naturalis qua aliquis valeat ſolo aſpectu faſcinare?* 74.

CAPUT XI.

De magia ſuperſtitioſa, ſeu de maleficio. 76.
Quæſt. I. *Licet ne maleficium alio maleficio curare?* 77.
Quæſt. II. *Licitum ne eſt petere a malefico ut maleficium auferat, cum tibi conſtat, illum poſſe mediis licitis eiuſmodi maleficium tollere?* 78.
Quæſt. III. *Licet ne maleficii ſigna deſtruere?* 80.
Quæſt. IV. *Maleficus qui dæmoni chirographum proprio ſanguine ſubſcriptum tradidit, debet ne illud redimere, ut veram peragere pœnitentiam valeat?* 81.

CAPUT XII.

De lamiis, ſagis, & ſtrigibus. 82.
Quæſt. I. *Cur feminæ præ viris maleficiis ſint deditæ?* ibid.
Quæſt. II. *Cur vetulæ præ iunioribus feminis præſtigiis, maleficiiſque dent operam?* 83.
Quæſt. III. *Cur Deus permittat ut lamiæ, ſeu ſtriges infantibus & iuvenibus potius quam adultis noceant?* ibid.
Quæſt. IV. *Transferuntur ne reapſe ſtriges de loco ad locum; an vero phantaſtica tantum illuſione motus iſte contingit?* ibid.
Quæſt. V. *Poteſt ne dæmon mulieres ſagas, ſive viros in felem, muſtelam, leporem, aliaſve beſtias mutare?* 85.
Quæſt. VI. *Poſſunt ne dæmones ianuis clauſis introducere ſagas in domos, & cubicula dilectorum?* 86.
Quæſt. VII. *Quo in loco conventus ſagarum cum dæmonibus celebrentur; quidque in eiuſmodi conventiculis peragant?* 87.

CAPUT XIII.

De pœnis conſtitutis in ſagas, maleficos, eoſque omnes qui pactum aliquod expreſſum, aut tacitum cum dæmonibus ineunt. 89.

DISSERTATIO III.

De tentatione Dei, de ſacrilegio, & blaſphemia.

CAPUT I.

Quid ſit tentatio Dei? 91.
Quæſt. I. *Sit ne levis culpa tentare Deum, cum materia levis eſt?* 92.
Quæſt. II. *Utrum tentet Deum ille qui probatione ferri candentis, aut aquæ ferventis ſuam innocentiam manifeſtare contendit?* 93.
Quæſt. III. *Tentat ne Deum ille qui, ut hæreticum convertat, miraculum a Deo patrandum in confirmationem veritatis catholicæ offert?* 94.

CAPUT II.

De ſacrilegio, eiuſque ſpeciebus. 95.

CAPUT III.

De blaſphemia. Quid, & quotuplex ſit. 99.
Quæſt. unic. *Differt ne ſpecie blaſphemia in Deum ab ea quæ eſt in Sanctos?* 100.

CAPUT IV.

De gravitate blaſphemiæ, & de blaſphemiis ex habitu, & ira. 101.
Quæſt. I. *Eſt ne blaſphemia genere ſuo peccatum mortale?* ibid.
Quæſt. II. *Eſt ne blaſphemia peccatum omnium maximum?* 102.
Quæſt. III. *Peccat ne qui ex inveterata conſuetudine, & habitu pravo blaſphemat?* 103.
Quæſt. IV. *Peccat ne mortaliter qui inadvertenter blaſphemat, quique ita habitualiter diſpoſitus eſt, ut, etiam ſi adverteret, blaſphemaret?* ibid.
Quæſt. V. *Blaſphemia ioco prolata eſt ne peccatum mortiferum?* 104.

CAPUT V.

De variis blaſphemandi formulis in Deum, & Sanctos. 105.
Quæſt. I. *Sunt ne blaſphemiæ eiuſmodi locutiones:* Non credo Deum, Nego Deum, Crucem, Evangelia, ſacramenta, ſi ita non eſt? 106.
Quæſt. II. *Qui falſum iurat, eſt ne blaſphemus?* 107.
Quæſt. III. *Qui eodem impetu iracundiæ profert plures blaſphemias, unum ne, an multiplex peccatum committit?* ibid.

CAPUT VI.

De pœnis in blaſphemos conſtitutis, & de eorum iudicibus. ibid.
Quæſt. I. *Qui blaſphemos audit, aſtringitur ne eoſdem ad iudicem deferre?* 108.
Quæſt. II. *Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum blaſphemis?* ibid.
Quæſt. III. *Quam pœnam imponere Confeſſarius blaſphemis pœnitentibus debeat?* 109.
Quæſt. IV. *Qui conſuetudine blaſphemandi tenentur, debent ne abſolvi, antequam a conſuetudine prava receſſerint?* ibid.

Digitized by Google

LIBER QUARTUS

IN DECALOGUM.

DISSERTATIO I.

De voto.

PROOEMIUM. 111.

CAPUT I.

Hæreticorum errores adverſus vota. 112.

CAPUT II.

Recenſentur opiniones damnatæ, & laxiores nonnullorum recentiorum. 115.

CAPUT III.

Voti notio. Quæ illius conditiones, ut licitum, & validum ſit? 117.

Quæſt. I. *Quænam deliberatio requiratur ad votum?* 119.

Quæſt. II. *An vota repentina debeant impleri?* ibid.

Quæſt. III. *An quandoque mortale peccatum committat qui præcipitanter votum magni momenti edit; & an votum ſic cum peccato emiſſum validum ſit?* 120.

Quæſt. IV. *An, quando votum eſt de re levi, & obligat ſolum ſub veniali, ſufficiat ſemiplena deliberatio?* 121.

Quæſt. V. *An ad votum ſufficiat deliberatio ſeu libertas virtualis?* ibid.

Quæſt. VI. *An propoſitum firmum ſit votum, vel aliquam inducat obligationem?* 122.

Quæſt. VII. *An in promiſſione natura voti ſita ſit? & quomodo a propoſito promiſſio hæc differat?* 123.

Quæſt. VIII. *Quodnam propoſitum requiratur ut votum validum ſit?* ibid.

CAPUT IV.

Explicatur ultima definitionis voti particula, promiſſio facta Deo, *ut palam fiat; quo ſenſu dicatur, vota Sanctis fieri, & Prælatis,* 126.

CAPUT V.

De materia voto ſubjecta. Vera intelligentia illius particulæ, de bono meliori, *exponitur. Votum non nubendi validum declaratur. Opinio Leandri, & aliorum, docentium votum caſtitatis fieri nullum ob ſupervenientes tentationes, & lapſus, refutatur ut laxa, & improbabilis.* 129.

Quæſt. I. *An ea quæ ſunt lege ſive humana, ſive divina præſcripta, poſſint eſſe materia voti?* ibid.

Quæſt. II. *An promiſſio quæ fit in baptiſmatis ſuſceptione, renuntiandi diabolo, & pompis eius ſit votum?* 130.

Quæſt. III. *Quomodo intelligenda ſit illa particula*, de meliori bono? ibid.

Quæſt. IV. *An validum ſit votum de materia oppoſita conſiliis?* 131.

Quæſt. V. *An votum contrahendi matrimonium ſit validum?* 132.

Quæſt. VI. *An qui concupiſcentiæ ſtimulis exagitatus vovet matrimonium ſe contracturum, ut fornicationes, alioſque libidinis actus vitet, valide voveat?* ibid.

Quæſt. VII. *An coniugatus, impeditus a petitione debiti ob votum, aut inceſtum,*

aut

aut cognationem ſpiritualem, poſſit petere, quoties vehementibus carnis ſtimulis agitur, ne periculo exponatur in gravia luxuriæ peccata labendi? 135.
Quæſt. VIII. *An votum caſtitatis, religionis, vel non nubendi, cui ſalubrius eſt matrimonium ob incontinentiam, ſit validum, impediatque matrimonium licite iniri? Item an nulla evadant eiuſmodi vota ſemel emiſſa ob ſupervenientes libidinis vexationes?* 136.
Quæſt. IX. *An validum ſit votum de non vovendo?* 146.
Quæſt. X. *An votum non petendi diſpenſationem, commutationem, aut irritationem ſit validum?* ibid.
Quæſt. XI. *An qui votum edunt non petendi commutationem, poſſint petere diſpenſationem, aut irritationem?* 148.

CAPUT VI.

Res indifferentes, inutiles, vitioſæ, impoſſibiles, non ſunt voti materia. Variæ quæſtiunculæ explicantur. 149.
Quæſt. I. *An votum alicuius rei cuius executio peccatum eſt, validum ſit?* ibid.
Quæſt. II. *An votum agitandi tauros in honorem alicuius Sancti ſit validum?* 153.
Quæſt. III. *An validum ſit votum quo mulieres vovent non pectere capillos tali aut tali die?* 154.
Quæſt. IV. *An votum nocturnarum vigiliarum, & non ingrediendi mare, validum ſit?* ibid.
Quæſt. V. *An votum emiſſum de re bona ob finem pravum validum ſit?* ibid.
Quæſt. VI. *An votum offerendi Deo munus bonum ob effectum malum iam obtentum, vel obtinendum, validum ſit? V. g. Voveo me tot Miſſas celebraturum, tot eleemoſynas erogaturum, ſi ex lite, bello, aut ludo iniuſto victor evaſero; ſi beneficium ſimoniace obtinuero; ſi fratrem occidero, ut illius hereditatem acquiram; ſi in furto, aut homicidio non fuero comprehenſus; ſi filium ex adulterio, aut concubinatu ſuſcepero.* 158.
Quæſt. VII. *An votum rei bonæ ob finem indifferentem, & ob finem aſſequendi res temporales ſit validum?* 163.
Quæſt. VIII. *Quodnam peccatum committat qui quod malum eſt, Deo votis promittit?* 164.
Quæſt. IX. *An qui votum faceret peccandi mortaliter ſine animo implendi, peccaret mortaliter?* ibid.
Quæſt. X. *An res impoſſibilis ſit voti materia?* 165.
Quæſt. XI. *An votum partim de re impoſſibili, partim de poſſibili, ſeu de materia partim apta, & partim inepta, validum ſit?* ibid.
Quæſt. XII. *An qui vovit ædificare Eccleſiam, ſi nequeat totam, ad partem teneatur, aut in alia Eccleſia capellam conſtruere, vel quodpiam aliud Eccleſiæ offerre?* ibid.
Quæſt. XIII. *Quando votum eſt de materia mixta, partim bona, & partim mala, ad quid vovens teneatur?* 168.
Quæſt. XIV. *An votum disjunctive factum, cuius altera pars apta, altera inepta ſit; puta, dum voves aut Religionem, aut furtum, validum ſit?* ibid.
Quæſt. XV. *An votum eundi Romam nudum valeat?* 169.
Quæſt. XVI. *An votum non ludendi validum ſit?* ibid.
Quæſt. XVII. *An validum ſit votum numquam peccandi?* 171.
Quæſt. XVIII. *An validum ſit votum vitandi omnia peccata venialia?* 172.
Quæſt. XIX. *Quid dicendum de his duobus votis?* 174.

CAPUT VII.

De votorum diſtinctione, & multitudine. 175.

DISSERTATIO II.

Quanta ſit voti obligatio. De voto dubio, indeterminato, metu, vel errore extorto, conditionali, & pœnali.

CAPUT I.

Obligatio voti exponitur. Cuiuſnam virtutis ſit, religionis, an alterius? Detur ne materiæ parvitas; & an hæc obligatio ad alios tranſire valeat? 179.
Quæſt. I. *An voti obligatio pertineat ad virtutem fidelitatis, ſeu religionis; an etiam ad illam virtutem ad quam attinet materia promiſſa?* 180.
Quæſt. II. *Maioris ne meriti ſit opus aliquod voti lege ſibi exequendum ſumere, an ſine voto?* 182.
Quæſt. III. *An parvitas materiæ in voto detur?* 183.
Quæſt. IV. *An tranſgreſſio voti ſit mortalis, quando tota illius materia, licet abſolute parva, omittitur?* 184.
Quæſt. V. *An vovens poſſit graviter ſe obligare in materia levi, aut leviter in materia gravi?* 186.
Quæſt. VI. *An votum vitandi peccatum veniale obliget ſub mortali?* 190.
Quæſt. VII. *An qui violat plura vota in materia levi eodem die, peccet mortaliter?* ibid.
Quæſt. VIII. *An qui vovit recitare per plures annos quotidie unum* Pater, *&* Ave, *peccet mortaliter, ſi per plures annos quotidie omittat talem precem?* 193.

CAPUT II.

An voti obligatio impleri poſſit per alios, & tranſeat ad heredes? 195.
Quæſt. I. *An vota parentum filios obligent; & an vota facta per procuratorem teneant?* ibid.
Quæſt. II. *An vovens poſſit, vel teneatur per alium implere votum ſuum perſonale, quod per ſeipſum implere nequit?* 196.
Quæſt. III. *An vovens qui ſua culpa factus eſt impotens ad obſervandum votum perſonale, teneatur per alium implere?* ibid.
Quæſt. IV. *An vota realia impleri poſſint per alium, etiam inſcio, & invito vovente?* 197.
Quæſt. V. *An vovens factus pauper, ut impleat votum reale, teneatur ab amicis pecunias petere, aut artem ſuſcipere quæ ſuum dedeceat ſtatum, aut pecuniam ſibi dono oblatam acceptare, ut voto faciat ſatis?* 198.
Quæſt. VI. *An ſatisfaciat voto qui rem promiſſam alteri exhibet, ſi hic rem acceptam omittat offerre?* ibid.
Quæſt. VII. *An votum mixtum, conſtans ex perſonali & reali, per alium impleri valeat?* 199.
Quæſt. VIII. *An factus impotens ad votum ſolvendum teneatur adhibere compenſationem?* ibid.
Quæſt. IX. *An heredes teneantur ad vota perſonalia teſtatorum?* ibid.
Quæſt. X. *An heres teneatur ad ſolvenda vota perſonalia defuncti, poſito quod teſtator id ei præcipiat?* ibid.
Quæſt. XI. *An heres, ſive voluntarius, ſive neceſſarius, cogi poſſit ſub pœna privationis hereditatis, & excommunicationis ad ſolvenda vota realia teſtatoris?* 200.
Quæſt. XII. *An ſi teſtator non imponat heredi onus ſolvendi vota ſua realia, aut*

aut ſi expreſſe dicat, ſe nolle heredem ſuum ad eadem realia vota obligare, teneatur nihilominus heres ad illa ſolvenda? 201.

Quæſt. XIII. *An heres teneatur ſolvere vota realia ante aditam hereditatem, vel ultra vires hereditatis in caſu quo inventarium non fecerit, & per iudicis ſententiam declaratus ſit obnoxius ſolutioni, & ad eamdem condemnatus?* ibid.

Quæſt. XIV. *An heres cum detrimento ſuæ legitimæ ſolvere teneatur vota realia teſtatoris?* 203.

Quæſt. XV. *An heres poſſit, & debeat, ſi non poſſit per ſe, implere per alium vota realia teſtatoris; & an poſſit impetrare commutationem a Confeſſario?* 204.

Quæſt. XVI. *An Monaſterium, iure hereditario ſuccedens in bona Religioſi profeſſi, teneatur ſolvere vota realia quæ profeſſus in ſæculo emiſerat, & non ſolverat?* ibid.

Quæſt. XVII. *Quo ordine ſolvenda ſunt ab herede vota realia comparata ad debita, & legata?* 206.

Quæſt. XVIII. *Si teſtator pluribus votis ſit obſtrictus, & hereditas omnibus ſolvendis ſit impar, quænam heres ſolvere debeat?* 207.

Quæſt. XIX. *An, quando plures ſint heredes, quiſque in ſolidum teneatur vota defuncti ſolvere?* 208.

Quæſt. XX. *An donatarius teneatur vota donantis exequi?* ibid.

Quæſt. XXI. *An legatarius teneatur implere vota realia legantis?* 209.

Quæſt. XXII. *Quando Princeps ob perduellionis crimen mortis pœna plectit voventem, eiuſque bona fiſco addicit, tenetur ne Princeps, ſeu fiſcus vota realia voventis ſolvere?* 210.

CAPUT III.

De tempore quo votum implendum eſt. ibid.

Quæſt. I. *Quando vovens tempus non aſſignavit pro voti executione, quo tempore illud implere debeat?* ibid.

Quæſt. II. *An votum non impletum tempore deſignato, deſinat obligare?* 211.

Quæſt. III. *An vovens teneatur prævenire tempus deſignatum pro voti obligatione?* 213.

Quæſt. IV. *An qui vovit Deo, dare hoſpitali ſervum, ſi illum occiderit, teneatur alium ſubſtituere?* 214.

CAPUT IV.

De voto dubio. Quando vovens dubius de voto implere illud debeat. 215.

Quæſt. I. *An certus de voto, & dubius de executione, teneatur ad executionem?* 218.

Quæſt. II. *An dubitans de quantitate rei promiſſæ, ſcilicet centum ne, an quinquaginta voverit, teneatur reddere centum?* 219.

Quæſt. III. *An qui vovit dare Eccleſiæ calicem, dubitat vero, cuius materiæ, argenteæ ne, an aureæ calicem promiſerit, teneatur dare aureum calicem, vel argenteum?* ibid.

Quæſt. IV. *An qui vovit ſe non acceſſurum ad feminam, dubitat vero de acceſſu fornicario, an coniugali, teneatur ſolum abſtinere a fornicario concubitu?* 220.

Quæſt. V. *An qui dubitat utrum emiſerit votum ante ſeptennium, ſeu perfectum uſum rationis, teneatur votum ſervare?* ibid.

Quæſt. VI. *An certus de promiſſione, & dubius de animo ſe obligandi, teneatur ad votum implendum?* ibid.

Quæſt. VII. *An qui votum metu extortum emiſit, præſumi debeat in caſu dubio non habuiſſe intentionem ſe ſe obligandi?* ibid.

Quæſt. VIII. *An, ſi vovens dubitet utrum in præfato eventu verborum amphibo-*

bolia, aut mentis reſtrictione uſus fuerit, obnoxius ſit voto, vel iuramento? 221.

Quæſt. IX. *An qui dubitat, num votum emiſerit tempore ſomni, aut ebrietatis, aut phreneſis, præſumendus ſit tempore ſanæ mentis votum ſuum edidiſſe?* ibid.

Quæſt. X. *An iratus, vel perturbatus emittens votum, ſi poſtea dubitet ſe habuiſſe neceſſarium uſum rationis, teneatur voto, potiſſimum ſi, ſedata iracundia, ipſum, emiſſi voti pœnituerit?* 222.

Quæſt. XI. *An, dum quis dubitat, materiam voti eſſe inhoneſtam, aut malam, teneatur ſervare votum?* ibid.

Quæſt. XII. *An in voto conditionali dubitans de conditione teneatur votum implere?* 223.

CAPUT V.

Quomodo interpretanda ſunt vota indeterminata? ibid.

Quæſt. unic. *An votum indefinitum tum quoad quantitatem, tum quoad qualitatem, validum ſit?* 224.

CAPUT VI.

Plures caſus de votis indeterminatis quantum ad materiæ quantitatem, vel qualitatem reſolvuntur. 226.

Quæſt. I. *Qui vovit abſtinentiam a vino, tenetur ne abſtinere a cerviſia, aliiſque liquoribus e vino expreſſis?* ibid.

Quæſt. II. *Qui vovit abſtinentiam a vino ob finem temperantiæ, & ut ſe voluptate illius potus privet, peccaret ne mortaliter, ſi aliquid vini potaret?* 227.

Quæſt. III. *An qui vovit ieiunare, aſtringatur ieiunio eccleſiaſtico?* 229.

Quæſt. IV. *An vi præfati voti tenearis abſtinere a lacticiniis ſaltem in quadrageſima?* ibid.

Quæſt. V. *An vovens ieiunare, nullo præfinito dierum numero, ſatisfaciat voto unico ieiunio?* 230.

Quæſt. VI. *An qui vovit plura ieiunia, ſatisfaciat bis ieiunando?* ibid.

Quæſt. VII. *An qui vovit ieiunare per menſem integrum, teneatur etiam diebus dominicis ſervare ieiunium?* ibid.

Quæſt. VIII. *An, ſi quis voveret ieiunare die dominico, votum eſſet validum?* ibid.

Quæſt. IX. *An qui vovit ieiunium in pane & aqua peragendum, votum violaret ſemel bibendo vinum; & an poſt unicum vini potum valeat abſque voti tranſgreſſione vinum ſæpius bibere?* 231.

Quæſt. X. *An qui vovit ieiunare in pane, & aqua, poſſit comedere paſtillos, vulgo* maccharones? ibid.

Quæſt. XI. *An qui votum edidit ieiunandi omnibus ſextis feriis, aut ſabbatis per annum, teneatur etiam ieiunare, quando his diebus feſtum recurrit Nativitatis Domini?* 232.

Quæſt. XII. *Quomodo obligetur qui fecit duo vota contraria, puta comedendi tantum panem die veneris, & non comedendi panem in vigilia alicuius Sancti, quæ quandoque incidit in eamdem ſextam feriam?* 233.

Quæſt. XIII. *An qui vovit recitare Roſarium, teneatur illud integrum recitare; & an ſatisfaciat, ſi mentaliter tantum illud percurrat?* ibid.

Quæſt. XIV. *An qui vovit audire Miſſam quotidie, ſatisfaciat diebus feſtis unam audiendo?* ibid.

Quæſt. XV. *An puella quæ vovit virginitatem, teneatur eam ſervare poſt perpetratum primum actum turpem?* 234.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. XVI. *An qui vovit peregrinationem abſolute, ſatisfaciat peregrinatione equeſtri?* 235.
Quæſt. XVII. *An ſatisfaciat præfato voto, ſi mercede conductus, vel timore coactus, aut alterius negotii, vel curioſitatis cauſſa peregrinationem ſuſciperet?* ibid.
Quæſt. XVIII. *An qui vovet Religionem, aut ſuſcipere ordines ſacros, teneatur ſervare caſtitatem?* ibid.
Quæſt. XIX. *An qui vovit eleemoſynam non determinando quantitatem, vel qualitatem, teneatur ad magnam, aut parvam quantitatem?* 236.
Quæſt. XX. *Qui unum ex ſuis vaſis argenteis, vel ſervis, vel animalibus Deo vovit, quid reddere aſtringitur?* ibid.
Quæſt. XXI. *Si promiſeris rem determinatam uni ex duabus Eccleſiis, cuinam debeas tradere in caſu quo ignores cuinam promiſeris?* 237.

CAPUT VII.

De votis errore, aut metu extortis. 238.
Quæſt. I. *An error circa ſubſtantiam voti reddat votum invalidum?* ibid.
Quæſt. II. *Unde colligendum ſit, circumſtantias eſſe cauſſam tantum impellentem, non principalem voti; ſeu redundare, aut non redundare in ſubſtantiam objecti voto promiſſi?* 240.
Quæſt. III. *An votum metu extortum ſit validum?* 241.

CAPUT VIII.

De voto conditionali, & pœnali. 244.
Quæſt. I. *Quænam ſint conditiones generales quæ in quocumque voto abſoluto reperiuntur, quæve particulares quæ votum efficiunt conditionatum?* ibid.
Quæſt. II. *Quid ſit votum conditionatum, & an particula* ſi *efficiat ſemper votum conditionatum?* ibid.
Quæſt. III. *An votum ſub conditione de præſenti, præterito, aut futuro neceſſario, vel impoſſibili ſit validum?* 245.
Quæſt. IV. *An conditio turpis contra ſubſtantiam voti illud irritet?* ibid.
Quæſt. V. *Quando votum ſub conditione futura contingenti honeſta, & poſſibili obliget: & an ſufficiat partem conditionis impleri: & num aliqua conditio adjici poſſit poſt emiſſum votum?* 246.
Quæſt. VI. *An ſatis ſit conditiones impleri æquivalenter, ut votum obliget; vel neceſſe ſit ut impleantur in ſpecifica forma?* ibid.
Quæſt. VII. *An peccet contra votum qui conditionem ſub qua votum emiſit, impedit ne eveniat: & an debeat eventum illius expectare?* 247.
Quæſt. VIII. *An, ſi vovens ſua malitia impediat recenſitas conditiones ab aliena voluntate pendentes, teneatur voto, vel liber ab eodem remaneat?* 248.
Quæſt. IX. *Quid ſit votum conditionatum pœnale; & an ſit validum?* 249.
Quæſt. X. *An, quando tranſgreſſio voti pœnalis culpa vacat ex invincibili ignorantia, obligetur vovens ſubire pœnam tranſgreſſioni appoſitam?* 250.
Quæſt. XI. *An qui mortale peccatum committit contra votum, ſi immemor voti ſit, obligetur ad pœnam?* ibid.
Quæſt. XII. *An in voto duplici pœnali, ſi quis abſolvatur a voto, abſolvatur quoque a pœna, quam nondum incurrit?* ibid.
Quæſt. XIII. *An abſolutus a voto, cenſeatur abſolutus etiam a pœna contracta in tranſgreſſione primi voti; & an in petitione diſpenſationis explicandum ſit utrumque votum?* ibid.
Quæſt. XIV. *An qui vovit vitare aliquid, puta ludum, ſub tali pœna, toties teneatur ad pœnam, quoties luſerit?* 251.

CAPUT IX.

De voto aſſumendi ſtatum religioſum. ibid.

§. I.

Quomodo interpretanda ſint ſequentia vota. 253.
Quæſt. I. *Quid dicendum de hoc voto:* Promitto me ingreſſurum Religionem, niſi Deus aliter de me ſtatuerit? ibid.
Quæſt. II. *Quomodo explicandum eſt votum iſtud:* Voveo me ingreſſurum hanc Religionem, ſi quam intravero? ibid.
Quæſt. III. *Validum ne ſit hoc votum:* Voveo nullam perſonam obſtaculo mihi futuram, quominus Religionem ingrediar, vel aliquid aliud faciam? 254.
Quæſt. IV. *An teneatur ad Religionis ingreſſum qui votum emiſit volendi Religionis ingreſſum?* ibid.
Quæſt. V. *An votum moriendi in Religione ſit votum Religionis?* 255.
Quæſt. VI. *An votum vitæ eremiticæ, & ſolitariæ obligationem inducat?* ibid.

§. II.

De obligatione voti aſſumendi ſtatum religioſum. ibid.
Quæſt. I. *An qui vovit abſolute Religionem, votum impleat, ſi habitum aſſumat equitum D. Iacobi, Calatravæ, Alcantaræ, & Monteiæ?* ibid.
Quæſt. II. *An ſaltem impleatur votum Religionis, ſi habitus aſſumatur equitum D. Ioannis?* 256.
Quæſt. III. *An ſaltem eiuſmodi votum impleretur per ingreſſum in Religionem Clericorum ordinum militarium?* ibid.
Quæſt. IV. *An vovens Religionem voto ſatisfaciat, ſi ingrediatur Religionem relaxatam?* ibid.
Quæſt. V. *An qui vovit ingredi Religionem ſtrictiorem, ſatisfaciat ſuæ obligationi laxiorem ingrediendo?* 258.
Quæſt. VI. *An qui vovit Religionem ſtrictiorem, & profeſſus fuit in laxiori, licite in hac perſeverare valeat?* ibid.
Quæſt. VII. *Utrum ſatisfaciat voto ingrediendi Religionem ſtrictiorem, ſi ingrediatur laxiorem, quæ privilegium pontificium habeat recipiendi eos qui voverunt ſtrictiorem?* 259.
Quæſt. VIII. *Quid præſtare tenetur qui indefinite Religionem vovit?* ibid.
Quæſt. IX. *Qui vovit ingredi hunc ſigillatim Conventum, ſi repulſam ferat, tenetur ne alia adire Cœnobia?* 260.
Quæſt. X. *Vovens ſemel legitime reiectus a Monaſterio, vel Religione, tenetur ne ad illam amplectendam, ſi poſtea ab eadem Religione, vel Monaſterio invitetur?* ibid.
Quæſt. XI. *Prælatus regularis repellere ne licite valet eadem facilitate eum qui voto Religionis obſtrictus eſt, ac eum qui nullo devincitur voto?* 261.
Quæſt. XII. *Qui vovit Religionem, ut in eadem Clericus eſſet, liber ne a voto eſt, ſi Religio nolit eum admittere niſi ut laicum?* ibid.
Quæſt. XIII. *Spurius ignorans conſtitutionem Sixti V. qua ſpurii a gradibus, & dignitatibus repelluntur, vovet Religionem: cognita conſtitutione, tenetur ne votum implere?* 262.
Quæſt. XIV. *Qui vovit Religionem in ſtatu ſacerdotali, tenetur ne grammaticam addiſcere, cum ob illius ignorationem non admittatur?* ibid.
Quæſt. XV. *Qui, voto Religionis emiſſo, contrahit matrimonium, vel contracto, & conſummato matrimonio, vovet Religionem, quid peragere debet?* 263.
Quæſt. XVI. *Implet ne votum Religionis qui Epiſcopatum ſuſcipit?* 264.

Digitized by Google

§. III.

De debito quo aſtringitur perſeverare in Religione qui illam vovit. ibid.
Quæſt. I. *Qui intravit Religionem animo exeundi, ſatisfacit ne voto?* ibid.
Quæſt. II. *Qui Religionem intraret animo exeundi, ſimulque cum propoſito Deum orandi ut illius cor immutaret, ſatisfaceret ne voto?* 265.
Quæſt. III. *Qui votum emiſit ingrediendi, & ſtatim exeundi, vel cum expreſſa intentione fruendi libertate a iure Novitiis conceſſa, ad quid tenetur?* ibid.
Quæſt. IV. *Qui vovit Religionem abſolute, nihil ſive de perſeverantia, ſive de egreſſu cogitans, ſatisfacit ne voto, ſi ingrediatur Religionem, &, facto experimento, abſque ulla cauſſa, ſed ſola libertate, ceteris candidatis voto ſolutis conceſſa, egrediatur?* 266.
Quæſt. V. *Quænam ſunt iuſtæ cauſſæ reſiliendi a Religione?* 267.
Quæſt. VI. *Qui ultra votum Religionis vovit quoque perſeverantiam in eadem, tenetur ne ita perſeverare, ut ſi ex iuſtis cauſſis eum recedere contingat, debeat denuo eam ingredi?* ibid.
Quæſt. VII. *Qui voto perſeverandi in Religione ligatus expulſus eſt, tenetur ne in ſæculo remanens caſtitatem ſervare?* 268.

§. IV.

De tempore quo urget neceſſitas implendi votum Religionis. ibid.
Quæſt. I. *Qui voto Religionis obſtrictus eſt, peccat ne mortaliter, ſi ingreſſum ſuum per annum integrum differat?* 269.
Quæſt. II. *Qui tempus definivit pro voti ſui executione, tenetur ne intra præfiniti temporis intervallum ſuum votum implere?* ibid.
Quæſt. III. *Quomodo ſe gerere debet vovens in executione voti, ſi tempus definitum latitudinem excipiat?* ibid.
Quæſt. IV. *Qui tempore deſignato votum non implevit, tenetur ne elapſo tempore illud implere?* ibid.
Quæſt. V. *Qui vovit Religionem ob aliquem peculiarem finem, vel dependenter ab aliqua conditione, eſt ne a voti obligatione abſolutus, ceſſante voti fine, vel conditione?* 271.
Quæſt. VI. *Qui voto conditionali ligatus ſponte impedimenta apponit ne conditio eveniat, liber ne a voto evadit?* ibid.

DISSERTATIO III.

De iis qui vovere poſſunt. De votorum ceſſatione ob ceſſationem cauſſæ finalis, rerumque mutationem; atque de eorumdem irritatione, diſpenſatione, & commutatione.

CAPUT I.

De iis qui vota edere valent. 274.
Quæſt. I. *Vota Religioſorum ſine Prælati licentia emiſſa de materia honeſta, quæ nec iuriſdictionem, nec ordinem ullo modo perturbat, ſunt ne valida?* 275.
Quæſt. II. *Valida ne eſſent vota quæ Religioſi ederent de rebus, ſive a Regula, & conſtitutionibus, ſive ſuperiorum præcepto vetitis?* 277.
Quæſt. III. *Validum ne votum eſt editum a Prælatis Regularium elargiendi eleemoſynam?* ibid.
Quæſt. IV. *Valida ne ſunt vota ſubditorum Regularium edita ſine licentia Prælatorum elargiendi in eleemoſynam quidquam de bonis, ipſis ad uſum conceſſis?* 278

Quæſt.

Quæſt. V. *An Eccleſia valeat leges ferre, quibus aliquæ perſonæ ad vovendum inhabiles declarentur?* 279.
Quæſt. VI. *An Epiſcopi vovere poſſint abdicationem Epiſcopatus, vel ingreſſum Religionis, ſummo Pontifice inconſulto?* ibid.
Quæſt. VII. *Poſſunt ne Epiſcopi, inconſulto ſummo Pontifice, peregrinationem vovere?* 280.
Quæſt. VIII. *An Parochi, vel Beneficiati reſidentiæ vinculo adſtricti, poſſint Religionem vovere, eamque ingredi, proprio Epiſcopo inconſulto?* 281.
Quæri ſolet, an Deus, Chriſtus Dominus, & Angeli vota elicere valeant? ibid.

CAPUT II.

De ceſſatione votorum ob cauſſæ finalis ceſſationem, rerumque mutationem. 282.
Quæſt. I. *An, ceſſante cauſſa movente, ceſſet votum, & iuramentum?* ibid.
Quæſt. II. *Ceſſat ne votum, ceſſante cauſſa finali movente proxima ob culpam ipſius voventis?* 283.
Quæſt. III. *An notabilis rerum mutatio, quæ materiam promiſſam vel in ſe, aut iuxta communem exiſtimationem, diverſam efficiat, ſatis ſit ad votum irritandum?* 284.
Quæſt. IV. *Quænam materiæ mutatio dicenda ſit notabilis, adeo ut valeat voti vinculum ſolvere?* ibid.
Quæſt. V. *Irritat ne votum ea rei promiſſæ mutatio quam ſi vovens tempore quo votum edidit, cognoviſſet, a voto abſtinuiſſet.* 285.
Quæſt. VI. *Religioſus, profeſſione emiſſa, ius ad regiam coronam acquirit; liber ne a voti vinculo evadit?* 286.

CAPUT III.

De votorum irritatione, atque de iis quibus ineſt eadem irritandi facultas. 287.
Quæſt. I. *An pro licita votorum irritatione cauſſa aliqua requiratur?* ibid.
Quæſt. II. *An facultas vota irritandi iuris ſit poſitivi, vel naturalis?* 289.
Quæſt. III. *Quibus conveniat poteſtas irritandi vota?* 290.
Quæſt. IV. *Tenetur ne ſuperior vota irritanda in ſpecie cognoſcere?* 291.
Quæſt. V. *Poteſt ne ſuperior vota irritare, ſubditis repugnantibus?* ibid.

CAPUT IV.

De poteſtate quam habent Prælati Regularium ad irritanda ſubditorum vota. 292.
Quæſt. I. *Vota interna Regularium, quæ regimen nullo modo perturbant, nec Religionis obſervantiam, irritari ne queunt a Prælatis eorumdem?* ibid.
Quæſt. II. *Qui ſunt Prælati qui hæc ſubditorum Regularium vota irritare valent?* 294.
Quæſt. III. *An Legati a latere, & Congregationes Cardinalium vota Religioſorum irritare valeant?* ibid.
Quæſt. IV *An Prælati, ſeu Superiores ſecundarii, quos Suppriores, Vicarios, Prorectores, & penes Monachos Priores, aliiſque nominibus vocare ſolent, hanc habeant poteſtatem vota irritandi?* ibid.
Quæſt. V. *An Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ ſuarum Monialium vota irritare valeant?* 295.
Quæſt. VI. *Prælati Regularium valent ne Novitiorum vota irritare?* ibid.

CAPUT V.

Quæ vota filiorum poſſint parentes, tutores, & curatores irritare? 296.
Quæſt. I. *An vota filiorum impuberum irritare parentes valeant?* 297.
Quæſt. II. *An parentes irritare vota poſſint perſonalia filiorum qui pubertatem ſunt aſſecuti?* ibid.

Quæſt. III. *An vota impuberum, ſemel confirmata a patre, poſſint deinceps a patre irritari?* 298.
Quæſt. IV. *An vota realia filiorum puberum paternæ irritationi ſubiecta ſint?* 299.
Quæſt. V. *An pater irritare poſſit vota realia filiorum quæ ſunt de bonis caſtrenſibus?* ibid.
Quæſt. VI. *An idem dicendum de votis editis circa bona adventitia?* 300.
Quæſt. VII. *Tutores, & curatores poſſunt ne impuberum, & minorum vota irritare eo modo quo patres poſſunt irritare vota filiorum?* ibid.
Quæſt. VIII. *An curator, datus maiori ob culpam prodigalitatis, eiuſdem vota realia irritare valeat?* 301.
Quæſt. IX. *An mater poteſtatem habeat filiorum, aut filiarum irritandi vota?* ibid.
Quæſt. X. *Mortuo, aut procul diſtante patre, poteſt ne mater filiorum vota dirimere, etiamſi avus exiſtat tutor, aut curator filiorum?* 302.
Quæſt. XI. *An mater, mortuo patre, & deficientibus avo, ac tutore, poſſit filiorum impuberum vota irritare?* 303.
Quæſt. XII. *An deficientibus parentibus, tutore, & curatore, valeant avi, aviæ, ceterique aſcendentes vota filiorum impuberum, vel minorum irritare?* ibid.
Quæſt. XIII. *An tutor, curator, vel mater vota filiorum impuberum poſſint, tranſacta pubertate etiam poſt multos annos, quemadmodum poteſt pater, irritare?* 304.
Quæſt. XIV. *An magiſtri diſcipulorum, domini ſervorum, heri famulorum vota perſonalia in impubertate emiſſa irritare queant?* ibid.

CAPUT VI.

De votis uxorum. ibid.
Quæſt. I. *An maritus poſſit omnia uxoris vota matrimonio contracto emiſſa irritare?* ibid.
Quæſt. II. *Poteſt ne maritus vota, & iuramenta uxoris de operibus præceptis irritare?* 307.
Quæſt. III. *An maritus valeat irritare votum non petendi debitum, emiſſum ab uxore abſque ſuo conſenſu?* ibid.
Quæſt. IV. *An maritus irritare valeat caſtitatis votum quod uxor ex illius conſenſu emiſit?* ibid.
Quæſt. V. *Quando uterque coniux mutuo conſenſu vovet, vel iurat caſtitatem, valet ne maritus uxoris votum irritare?* ibid.
Quæſt. VI. *Si poſt caſtitatis votum, deliberato, mutuoque conſenſu emiſſum, rei coniugali ſacrilegam navaverint operam, poterit ne maritus votum uxoris irritare?* ibid.
Quæſt. VII. *Quando uterque coniux mutuo conſenſu Religionem vovet, poteſt ne alter tantum, aut uterque conſenſu mutuo votum iſtud irritare?* 308.
Quæſt. VIII. *Vota quæ uxor ante contractum matrimonium emiſit, implenda tamen matrimonio inito, valet ne maritus irritare?* ibid.
Quæſt. IX. *Vota quæ implenda poſt diſſolutum matrimonium uxor edit, valet ne maritus irritare?* ibid.
Quæſt. X. *An uxor queat aliqua mariti vota irritare?* 309.
Quæſt. XI. *Votum emiſſum a marito non petendi debitum valet ne uxor irritare?* ibid.
Quæſt. XII. *Præfatum mariti votum licitum ne foret, ac prudens?* ibid.
Quæſt. XIII. *An uxor poſſit irritare votum quod maritus emiſit, ferendi habitum Eremitæ, vel alicuius Religionis?* 310.
Quæſt. XIV. *Valet ne uxor irritare mariti vota erogandi amplas eleemoſynas, prolixas preces fundendi, crebra ieiunia peragendi?* ibid.

Quæſt. XV. *Poteſt ne uxor votum longæ peregrinationis a marito emiſſum irritare?* ibid.

CAPUT VII.

De poteſtate dominorum in vota ſervorum. 311.

CAPUT VIII.

De votorum relaxatione vi diſpenſationis. 313.

Quæſt. I. *An in Eccleſia ſit facultas diſpenſandi ab obligatione votorum, & iuramentorum?* ibid.

Quæſt. II. *Penes quos reſideat hæc facultas diſpenſandi ab obligatione votorum?* 314.

Quæſt. III. *Quid ſit diſpenſatio voti?* ibid.

Quæſt. IV. *Quomodo hæc vinculi ablatio efficiatur?* ibid.

Quæſt. V. *Qui facultate diſpenſandi vota potitur, valet ne quoque eadem commutare?* 315.

CAPUT IX.

Quibus iure ordinario poteſtas diſpenſandi in votis conveniat? 316.

Quæſt. unic. *An qui aliis diſpenſationem valet a voto concedere, poſſit quoque ſibi ipſi idem applicare privilegium?* 317.

CAPUT X.

De poteſtate Prælatorum regularium in diſpenſandis votis ſubditorum. 318.

Quæſt. I. *An Prælati regulares diſpenſare valeant in ſubditorum votis emiſſis cum licentia maiorum Prælatorum?* ibid.

Quæſt. II. *An Prælati regulares cum ſuis Novitiis in votis diſpenſare valeant?* ibid.

Quæſt. III. *An Prælati regulares diſpenſare valeant cum ſuis ſubditis in voto tranſeundi ad arctiorem Religionem?* ibid.

CAPUT XI.

De poteſtate Confeſſariorum regularium in diſpenſandis votis hominum ſæcularium. 320.

CONCLUSIO

Falſa eſt ſententia quæ privilegium concedit Regularibus diſpenſandi in votis omnibus non reſervatis ſummo Pontifici. 325.

CAPUT XII.

De votis ſummo Pontifici reſervatis. Vera iſtius reſervationis interpretatio. 328.

Quæſt. I. *An iuramenta Deo facta, caſtitatis, Religionis, & trinæ peregrinationis, ſint eodem modo ac vota, ſummo Pontifici reſervata?* 330.

Quæſt. II. *An Epiſcopi, & Prælati habentes iuriſdictionem quaſi epiſcopalem, neceſſitate urgente, valeant in quinque præfatis votis diſpenſare?* ibid.

Quæſt. III. *An hæc votorum reſervatio late, vel ſtricte ſit interpretanda?* 331.

Quæſt. IV. *An qui ederet vota caſtitatis, aut Religionis expreſſa intentione ſe ſe obligandi tantum ſub veniali culpa, eſſent reſervata Pontifici?* ibid.

Quæſt. V. *An, ſi præfata vota eſſent edita ex metu etiam levi, reſervata dicenda forent?* 332.

Quæſt. VI. *An, ſi dubium ſit aliquod eiuſmodi votum, vel eius reſervatio, iudicandum ſit vota non eſſe reſervata?* ibid.

Quæſt. VII. *An votum non contrahendi matrimonium ſit reſervatum?* ibid.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. VIII. *An Epiſcopus vi conſuetudinis poſſit facultatem concedere petendi debitum coniugale ei qui voto caſtitatis devinctus matrimonium contraxit?* ibid.
Quæſt. IX. *An votum caſtitatis coniugalis ſit reſervatum?* ibid.
Quæſt. X. *An votum Religionis non approbatæ ſit reſervatum?* 333.
Quæſt. XI. *Quomodo intelliguntur reſervata vota triplicis peregrinationis?* ibid.
Quæſt. XII. *An votum emiſſum cum aliqua circumſtantia ſit reſervatum, quod omiſſa circumſtantia, remanet integrum?* ibid.
Quæſt. XIII. *An votum disjunctivum ſit reſervatum?* ibid.
Quæſt. XIV. *An ſequentia vota ſint reſervata:* Si luſero, ſi in peccatum lapſus fuero, voveo caſtitatem. Si pater meus obierit, ingrediar Religionem? 334.
Quæſt. XV. *Quando ſummus Pontifex votum reſervatum, puta caſtitatis, commutat in aliud pium opus, puta ieiunium, opus iſtud eſt ne reſervatum?* 336.
Quæſt. XVI. *An, quando præfata quinque vota non ſunt reſervata, quia ex aliqua parte vel conſenſus, vel conditionis, vel materiæ non integræ, claudicant, ſint ſubiecta poteſtati Confeſſariorum regularium?* ibid.
Quæſt. XVII. *Qui recipit facultatem per bullam, aut iubilæum diſpenſandi, aut commutandi omnia vota, poteſt ne relaxare etiam reſervata?* ibid.

CAPUT XIII.

Ad validam, licitamque diſpenſationem cauſſa rationabilis neceſſaria eſt. ibid.
Quæſt. I. *An quando cauſſa diſpenſandi dubia eſt, Prælatus valeat diſpenſare?* 338.
Quæſt. II. *An valida ſit diſpenſatio bona fide tam ex parte poſtulantis petita, quam ex parte concedentis conceſſa, quando poſtea deprehenditur, cauſſam quam utraque pars legitimam exiſtimabat tempore petitionis, ac conceſſionis, reipſa falſam eſſe, & nullam?* 339.
Quæſt. III. *Quænam ſint cauſſæ legitimæ diſpenſationem impertiendi?* 340.
Quæſt. IV. *An ſola imperfecta deliberatio voventis cauſſa ſufficiens ſit ad diſpenſationem ei concedendam?* 341.
Quæſt. V. *An imperfecta deliberatio orta ex timore mortis, naufragii, alteriuſve gravis periculi, ſufficiens regulariter ſit ad voti diſpenſationem?* 342.
Quæſt. VI. *An difficultas executionis voti ſufficiat pro concedenda voti diſpenſatione?* ibid.
Quæſt. VII. *An dubium de voto emiſſo iuſta cauſſa ſit obtinendæ diſpenſationis?* 343.

CAPUT XIV.

De votorum commutatione, ac de illis qui vota commutandi facultatem habent. 344.
Quæſt. I. *An quis propria auctoritate valeat ſuum votum commutare in bonum evidenter melius?* 345.
Quæſt. II. *An qui vovit unam ingredi Religionem, valeat propria auctoritate aliam æque bonam intrare?* 350.
Quæſt. III. *An in rebus quæ uſu conſumuntur, poſſit una pro alia voto promiſſa ſubſtitui?* 351.
Quæſt. IV. *An qui vovit tradere filium determinatum Religioni, poſſit alterum propria auctoritate offerre?* ibid.
Quæſt. V. *An laicus, vel Clericus coniugatus capax ſit iuriſdictionis commutandi vota?* ibid.

CAPUT XV.

Quam æqualitatem ſervare debeant legitimi votorum commutatores; & quæ cauſſæ requirantur, ut legitima fiat commutatio. 352.
Quæſt. I. *An in mera votorum commutatione æqualitas materiæ ſervanda ſit?* ibid.

Quæſt. II. *Quæ cauſſa requiritur ad licitam, validamque commutationem?* 354.
Quæſt. III. *Quænam cauſſa requiritur, quando votum commutatur in æquale bonum?* 355.
Quæſt. IV. *An commutatio in rem æqualem ſine cauſſa facta ſit invalida?* ibid.
Quæſt. V. *An commutatio voti in minus bonum abſque rationabili cauſſa ſit invalida?* 356.
Quæſt. VI. *Quodnam peccatum committat Prælatus abſque cauſſa legitima votum commutans in minus, aut æquale bonum?* 357.
Quæſt. VII. *An præſumenda ſit diſpenſatio permixta commutationi, cum commutatio apparet illegitima, utpote manifeſte in rem minorem?* ibid.

CAPUT XVI.

De commutatione votorum vi iubilæi, aut bullæ cruciatæ. 358.
Quæſt. I. *An hæc commutatio fieri debeat intra, aut extra confeſſionem?* 359.
Quæſt. II. *An vi iubilæi, vel bullæ fieri in minus commutatio poſſit?* ibid.
Quæſt. III. *An vi iubilæi, vel bullæ poſſint commutari vota Religionis, & caſtitatis, neceſſitate urgente?* ibid.
Quæſt. IV. *An votum, ſive iuramentum erogandi eleemoſynam Eccleſiæ, aut pauperi determinato, poſſit poſt illius acceptationem commutari virtute iubilæi, aut bullæ cruciatæ?* ibid.
Quæſt. V. *An qui ſemel lucratus eſt iubilæum, poſſit poſt illud commutationem votorum obtinere?* 360.
Quæſt. VI. *Si quis principio hebdomadæ publicati iubilæi commutari ſibi vota curaverit animo lucrandi iubilæum, ſed poſtea aut negligentia, aut oblivione opera pro ſuſcipiendo iubilæo neceſſaria omiſerit, atque adeo illud minime adeptus fuerit, conſiſtit ne talis commutatio?* ibid.
Quæſt. VII. *Peccat ne Confeſſarius qui poſtulatus renuit tempore iubilæi vota commutare?* 361.

CAPUT XVII.

De regreſſu ad priorem materiam poſt voti commutationem factam, & acceptatum a vovente? ibid.
Quæſt. I. *An quando votum commutatur in aliam materiam, extinguatur prior obligatio?* ibid.
Quæſt. II. *An, facta voti commutatione, teneatur vovens exequi priorem materiam, ſi materia ſubſtituta facta ſit impoſſibilis, vel ipſe ſua culpa eam præſtare omiſerit?* ibid.
Quæſt. III. *Facta voti commutatione, & a vovente acceptata, liberum ne illi eſt ad priorem redire materiam?* 362.

CAPUT XVIII.

Regulæ ſervandæ in votorum commutatione. 365

L I-

Digitized by Google

LIBER QUINTUS
IN DECALOGUM.

PRAELOQUIUM. 370.

DISSERTATIO I.

De iuramento.

CAPUT I.

Quæ Deus præcipiat, quæve prohibeat hoc ſecundo Decalogi præcepto, exponuntur. 372.

CAPUT II.

Hæretici plures ſacrum iusiurandum, tamquam illicitum, improbant. Eorum errores recenſentur. Iuramentum actum honeſtum, & licitum Chriſtianis, virtutiſque religionis, ſeu latriæ fructum eſſe, oſtenditur. 373.

CAPUT III.

Recenſentur propoſitiones quæ iuramentum ſpectant, ab Eccleſia proſcriptæ. 377.

CAPUT IV.

Recenſentur propoſitiones laxæ, ſeu improbabiles, quas non pauci Caſuiſtæ docent. 378.

CAPUT V.

Quid ſit iuramentum. Variæ iurandi formulæ exponuntur. 383.

CAPUT VI.

Nonnullæ aliæ quæſtiunculæ circa iuramentorum formulas, potiſſimum circa hanc; Per Deum, *reſolvuntur. Regulæ quoque pro iuramentis diſcernendis aſſignantur.* 389.

Quæſt. I. *An iurent homines paſſim aientes*, Par Dios que ſi, *ut Hiſpani*; Par Diu, *ut Foroiulienſes*; Per Dio, *ut Itali*; Par Dio, *ut Siculi*: *quæ omnia idem ſonant ac* per Deum? ibid.

Quæſt. II. *An qui paſſim nomen Dei aſſumunt in vanum, licet nihil adfirment, vel negent, peccent mortaliter?* 391.

Quæſt. III. *An maiorem vim habeat hæc formula*, Per meam animam, per meam conſcientiam, *præ iſta*, In mea anima, in mea conſcientia? ibid.

Quæſt. IV. *An iuret qui dicit*, Iuro per meam conſcientiam, *vel* in mea conſcientia? 392.

Quæſt. V. *An iuraret qui diceret*, Per vitam mei equi, per conſervationem huius arboris, *aut alterius rei inanimatæ?* ibid.

Quæſt. VI. *An, ſi quis interrogaret hoc modo*, Iuras mihi per Deum, rem ita ſe habere? *& interrogatus reſponderet*, Ita res ſe habet, *iuramentum ederet ſic reſpondendo?* 393.

Quæſt. VII. *An iuret qui his expreſſionibus utitur*: Volo dictum meum iuramen-

mentum eſſe: tam certum eſto dictum, & promiſſum meum, ac ſi foret iuramentum? ibid.

Quæſt. VIII. *An eiuſmodi formulæ, quas familiares habent Foroiulienſes*, Al Seugnuli sì, Seugnuli sì, *ſive* Seugneli nò: Al Seugnuli ſagri, iuſt, e potent, *præferant veram iuramenti rationem?* ibid.

Quæſt. IX. *An licitum ſit iurare per falſos deos; & an iuramentum per eoſdem factum a Chriſtianis obliget?* 394.

Quæſt. X. *Quid dicendum de ſequentibus formulis?* Hæc faciat mihi Deus: Hæc addat: Numquam Deus mihi parcat, nec me ſalvet, nec me defendat: Mala morte obeam: Non vivam uſque in craſtinum: Malum paſcha ſuper me veniat: ardeam in inferno: Diabolus me ad infernum deportet, ſi ita non eſt. 395.

Quæſt. XI. *An hæ aliæ formulæ contineant iuramentum execratorium?* Amputentur mihi aures, abſcindatur naſus, caput, brachium, ſi ita non eſt. ibid.

Regulæ nonnullæ pro praxi. ibid.

CAPUT VII.

Iuramentorum diviſiones traduntur: & an omnia iuramenta ſint eiuſdem ſpeciei, explicatur. 398.

CAPUT VIII.

Ut iuramentum licitum ſit, tres conditiones ſunt neceſſariæ, veritas, iuſtitia, & iudicium. Alias plures regulas iurandi D. Thomas aſſignat. 405.

CAPUT IX.

Quæ veritas requiratur in iuramento aſſertorio. Defectus cuiuſque minimæ veritatis in hoc iuramento peccatum mortale eſt. Nonnullæ quæſtiunculæ de periurio iuramenti aſſertorii? 408.

Quæſt. I. *An qui in re leviſſima falſum iurat, peccet mortaliter?* ibid.

Quæſt. II. *An qui rem dubiam ut certam, aut contra, iurat, peccet mortaliter?* 409.

Quæſt. III. *An peccet mortaliter qui per hyperbolem aliquid iurat, quod, ut ſonat, verum non eſt?* ibid.

Quæſt. IV. *An licitum ſit iurare rem quam probabiliter tantum iudicas eſſe veram?* 410.

Quæſt. V. *Quænam certitudo requiratur, ut quis licite iurare poſſit?* 411.

Quæſt. VI. *Quæ certitudo requiritur ad iuramentum præſtandum in iudicio?* 413.

Quæſt. VII. *Quæ diligentia requiritur in inquirenda veritate neceſſaria ad iuramentum?* 414.

Quæſt. VIII. *An qui notabiliter negligens eſt in inquirenda veritate rei quam iurat, peccet mortaliter; tametſi contingat rem quam iurat, eſſe veram?* ibid.

Quæſt. IX. *An, ut ſcholaſtici poſſint licite iurare, aliquem ſocium ad ſcholas acceſſiſſe tempore ab univerſitate requiſito pro curſu conficiendo, ſufficiat quod illum viderint communiter ſcholas frequentaſſe?* ibid.

Quæſt. X. *An licitum ſit perſuadere alicui ut iuret veritatem quam ipſe ignorat?* ibid.

CAPUT X.

De iuſtitiæ, & iudicii defectu in iuramento aſſertorio. Nonnullæ quæſtiunculæ reſolvuntur. 416.

Quæſt. I. *An defectus iuſtitiæ in iuramento aſſertorio ſit peccatum mortale?* ibid.

Quæſt. II. *An defectus iudicii in iuramento aſſertorio ſit peccatum mortale?* 417.

Digitized by Google

DISSERTATIO IL

De iuramento promiſſorio.

CAPUT I.

De veritate, & iudicio neceſſariis in iuramento promiſſorio. Quæſtiunculæ non parvi momenti examinantur. 419.
Quæſt. I. *An defectus veritatis de præſenti in iuramento promiſſorio ſemper ſit peccatum mortale?* ibid.
Quæſt. II. *An defectus ſecundæ veritatis gravis ſit iudicandus; ſeu an qui rem promiſſam iuramento firmatam in materia gravi non implet, peccet mortaliter?* 420.
Quæſt. III. *An peccet mortaliter qui rem promiſſam iuramento firmatam in materia levi non implet?* ibid.
Quæſt. IV. *An peccaret mortaliter qui ſub iuramento rem promitteret animo dubio implendi illam?* 427.
Quæſt. V. *Quomodo ſint interpretanda illa iuramenta quibus communiter homines iurant ſe primos non ingreſſuros per ianuam, non ſeſſuros &c.?* ibid.

CAPUT II.

De iuſtitia neceſſaria ad iuramentum promiſſorium. 428.
Quæſt. I. *An peccet mortaliter adverſus virtutem religionis qui iurat ſe fornicaturum, ſeu quodlibet aliud grave delictum perpetraturum?* ibid.
Quæſt. II. *An qui iurat ſe commiſſurum aliquod peccatum veniale, peccet mortaliter?* ibid.
Quæſt. III. *An qui iurat aliquid adverſus conſilia evangelica ſe facturum, puta non acceptaturum Prælationem, non ingreſſurum Religionem, aliaque id genus, peccet mortaliter?* 429.

CAPUT III.

De materia iuramenti promiſſorii, quæ obligatiouem inducit. 430.

CAPUT IV.

Quænam ſit iuramenti promiſſorii obligatio. Comparatur cum obligatione voti. Quæ intentio, ſeu animus requiratur in iuramento promiſſorio. Iurare ſine animo iurandi ſemper eſt peccatum mortale. 433.
Quæſt. I. *Quænam intentio, ſeu animus requiratur ad hoc ut iuramentum promiſſorium obligationem inducat?* 435.
Quæſt. II. *An licitum ſit iurare ſine animo iurandi?* 436.
Quæſt. III. *An qui iurat falſum in materia gravi ſine animo iurandi, peccet mortaliter?* 437.
Quæſt. IV. *An qui iurat falſum in materia levi ſine animo iurandi, peccet mortaliter?* ibid.
Quæſt. V. *An qui iurat verum ſine animo iurandi, peccet mortaliter?* 438.
Quæſt. VI. *An qui deliberate iurat ſine animo iurandi, verum proferat iuramentum?* 439.
Quæſt. VII. *An qui ex conſideratione falſum iurat, ſit reus periurii, & peccet mortaliter?* 441.
Quæſt. VIII. *An qui iurat ſine animo ſe obligandi, reipſa obligetur?* ibid.

DISSERTATIO III.

De iuramento doloſo, æquivoco, & amphibologico: de reſtrictionibus mentalibus, & mendacio.

PRAELOQUIUM. 443.

CAPUT I.

Platonis, Origenis, Hilarii, Ioannis Chryſoſtomi, Caſſiani, Ioannis Climaci, & Martini Dumienſis errores de mendacii licito uſu in extrema neceſſitate recenſentur. 445.

CAPUT II.

Recenſentur Auctores qui ante Auguſtini tempora mendacio bellum indixerunt. Poſt Auguſtinum Catholicorum nemo favit mendacio. 449.

CAPUT III.

Compendiaria narratio eorum omnium quæ S. Auguſtinus ſcribit in Libro de mendacio. 451.

CAPUT IV.

Compendium Libri contra mendacium, quem D. Auguſtinus ſcripſit ad Conſentium. 458.

CAPUT V.

Quam opportuna ſit Auguſtiniana doctrina ad controverſiam de iuramento doloſo dirimendam, ex quibuſdam propoſitionibus palam ſit. 464.

CAPUT VI.

Hiſtorica narratio doctrinæ quam recentiores plures excogitarunt ad occultandam veritatem. Recenſentur reſtrictiones pure mentales, non pure mentales, æquivocationes, amphibolıæ, & locutiones materiales. 467.

CAPUT VII.

Summus Pontifex Innocentius XI. principia præfatarum propoſitionum damnavit. Poſteriores Theologi nova excogitarunt inventa, quibus veritatem occultarent. Iſtorum doctrinæ variæ: variorumque principiorum ſynopſis texitur. 472.

CAPUT VIII.

Comparatio doctrinæ quorumdam recentiorum cum doctrina & Caſſiani, cui in extrema neceſſitate licita erant mendacia, & Auguſtini in omni eventu mendacia damnantis. Caſus iidem ab Auguſtino, & recentibus propoſiti, & contraria doctrina reſoluti. 477.

CAPUT IX.

Doctrina recentiorum de reſtrictionibus pure mentalibus falſa eſt, & iure ab Eccleſia damnata. 481.

CAPUT X.

Refellitur, tamquam omnino improbabilis & falſa, opinio quæ aſſerit, verba ex communi

muni Reipublicæ humanæ conſenſu nihil ſignificare , cum adhibentur ad occultandam veritatem quæ manifeſtari nequit abſque gravi damno. 485.

CAPUT XI.

Refellitur reſponſio Tamburini , cuius aſſertio laxior omnino videtur ipſa propoſitione damnata de reſtrictionibus mentis. 489.

CAPUT XII.

Opinio P. Cattanei, *&* P. La Croix, *aliorumque paucorum , qui comparant mendacium furto in extrema neceſſitate commiſſo , non videtur conſentanea doctrinæ Eccleſiæ.* 492.

CAPUT XIII.

Communis plurium recentiorum opinio, quæ reſtrictiones non pure mentales *defendit beneficio notitiæ* communicabilis, *&* incommunicabilis, utilis, *&* non utilis *ad dicendum , ſub examen inducitur . Non differt a ſententia Auctorum propugnantium reſtrictiones* pure *mentales.* 499.

CAPUT XIV.

Cauſſæ cur recentiores plurimi reipſa defendant reſtrictiones pure *mentales proſcriptas. P. Sanchez improbat in anteceſſum poſteriorum Caſuiſtarum ſententiam. Perículoſiores ſunt plurium recentiorum opiniones de reſtrictionibus iuramento firmatis quam antiquorum doctrina de mendacii licito uſu. D. Auguſtini invectivæ adverſus reſtrictiones iuramento confirmatas.* 506.

CAPUT XV.

Aliæ cauſſæ cur recentiores plurimi reipſa doceant reſtrictiones pure *mentales, & conſequenter mendacia. Refellitur explicatio qua* P. La Croix *interpretatur propoſitiones damnatas. Eius iudicium in* P. Cardenas *approbatur, atque in alios extenditur Auctores.* 515.

CAPUT XVI.

P. Didacus de la Fuente Hurtado *propugnat reſtrictiones* pure *mentales eſſe licitas ex cauſſa honeſta , etiam poſtquam INNOCENTIUS XI. has reſtrictiones damnavit.* P. Carolus Antonius Caſnedi *docet reſtrictiones* pure *mentales non eſſe damnatas.* 522.

CAPUT XVII.

Quæ vera nobis videtur , ſententia proponitur . Licita eſt amphibolia quæ aut vi verborum, aut vi circumſtantiarum duplicem patitur ſenſum, utrumque ab auditore intelligibilem. Non omnes veritates poſſunt ſemper amphiboliis occultari. Error recentiorum plurium hac de re manifeſtatur. Variæ regulæ pro plena quæſtionis intelligentia, & pro praxi aſſignantur. 526.

CAPUT XVIII.

Sacræ Scripturæ textus quos antiqui pro tuendis mendaciis, & recentes pro defendendis mentis reſtrictionibus opponunt, exponuntur. 533.

CAPUT XIX.

Aliqui textus evangelici adducuntur, qui afferri ſolent in favorem reſtrictionum mentalium, & explicantur. 536

CAPUT XX.

Aliquæ obiectiones tum a ratione , tum ab exemplis & doctrina Sanctorum , potiſſimum S. Raymundi, & ex opere Annibaldi , vulgo adſcripto D. Thomæ , petitæ , reſolvuntur. 543.

FINIS.

Digitized by Google

		Errata	*corrige ſic.*
pag.	2.	lin. 20. *enſibili*	*ſenſibili.*
	8.	1. Adfirmant omnes	Adfirmant pene omnes.
	28.	4. latriæ cultu	*adde* reſpectivo.
	107.	6. offerunt	*adde* & invocative proferuntur.
	125.	3. D. Thomas ait, quod Obiicies	Obiicies. D. Thomas ait, quod.
	180.	1. *ſeu religionis*	*& religionis.*
	184.	4. vaide	valde.
	203.	32. nec ulla debita teſtatoris	*adde* quæ non ſint ex iuſtitia contracta.
	ibid.	35. Nec verum eſt debita	*adde* ex voto.
	218.	2. mortiferum illud... virus	mortiferum illum... abuſum.
	243.	23. aut de ſponſalibus, & matrimonio	aut de matrimonio.
	412.	18. haudquaquam	haud ſemper.
	446.	24. *dele* cuius Pſalmos e Græco in Latinum tranſtulit.	
	473.	ult. amen	tamen.
	499.	ult. utriuſque opinion-	utriuſque opinionis.
	506.	4. ultro	ultra.
	524.	31. *num.* 75.	*num.* 79.
	526.	in tit. cap. XVII. lin. 6. *manifeſtantur*	*manifeſtatur.*

Digitized by Google

LIBER TERTIUS
IN DECALOGUM.
DISSERTATIO PRIMA
DE ADORATIONE, ET CULTU QUO DEUS, ET SANCTI COLENDI SUNT.

PROOEMIUM.

HActenus de actibus fidei, ſpei, & caritatis, quibus potiſſimum Deus colitur, atque de oratione, quæ religionis peculiare officium eſt, diſputavimus. In præſens de altero religionis officio, quod adoratio nuncupatur, ſermo inſtituendus. Plura diſpicienda occurrent, non modo pro Catholicorum moribus formandis, ſed etiam pro hæreticorum erroribus reſellendis. Verum intra inſtituti noſtri cancellos pedem figemus, & quæ hæreticorum vana commenta, ſeu deliria, ut verius dixerim, ſpectant, obiter tantum, & per tranſennam attingam. In id ſerius incumbam, ut noſtram catholicam doctrinam de cultu Sanctorum, imaginum, & reliquiarum preſſius, & clarius ediſſeram. Hæc quippe perſpicua explanatio ſatis eſt ad pro fliganda novatorum ſophiſmata, quæ fere omnia impoſturæ ſunt, atque calumniæ ex falſa Catholicorum doctrinæ expoſitione compactæ. Actum agerem, ſi vellem ea perſequi quæ innumeri pene Theologi catholici ſtrenue præſtitere, & a præſtituto mihi ſcopo prorſus declinarem. Ad rem ergo accedamus.

CAPUT I.

Quid ſit adoratio, eiuſdemque partitio, atque præceptum exponitur.

I. ADoratio generatim accepta actus eſt quo quis ſe alteri ſubiicit in eiuſdem excellentiæ teſtimonium. Ratio potiſſima adorationis eſt excellentia, ſeu dignitas perſonæ adoratæ. Tot ergo ſunt adorationes, quot ſunt dignitatum genera. Duæ porro ſunt dignitates, increata una, creata altera. Dividitur itaque primo adoratio in eam quæ increatæ maieſtati, ſeu Deo debetur, & appellatur *latria*; & in eam quæ creaturis exhibetur ob excellentiam ordinis ſupernaturalis a Deo participatam, puta gratiæ, ſanctitatis, beatitudinis, & hæc vocatur *dulia*, qua coluntur Sancti. Quia vero mirum in modum ſupra omnes Sanctos, cæleſteſque ſpiritus eminet B. V. Maria Chriſti Domini Mater, idcirco peculiari adoratur cultu, qui dicitur *hyperdulia*, ſeu ſupra cultum *duliæ* Sanctis exhibendum, & infra cultum *latriæ* Deo debitum.

II. Tribuitur rurſus adoratio in internam, & externam. Illa interior actus eſt quo ſpiritus Deo ſubiicitur, tamquam ſupremo rerum omnium conditori. Hac ratione Angeli, animæque beatæ Deum adorant. Hæc foras erumpit, ſeque manifeſtat actionibus externis, puta demiſſione capitis, corporis proſtratione, oſculis, genuflexionibus, idque genus ſimilibus ſignis. Interna conſiſtit ſine externa; ſecus hæc abſque illa. Quin exterior interiore deſtituta non adoratio, ſed adulatio, fictio, & irriſio eſt. Utramque Deo exhibere aſtringimur, ut optime docet D. Thomas 2.2. quæſt. lxxxiv. art. 2. *Quia ex duplici natura compoſiti ſumus, intellectu ali ſcilicet, & ſenſibili, duplicem adorationem Deo offerimus, ſcilicet ſpiritualem, quæ conſiſtit in interiori mentis devotione, & corporalem, quæ conſiſtit in exteriori corporis humiliatione. Et quia in omnibus actibus latriæ, id quod eſt exterius, refertur ad id quod eſt interius, ſicut ad principalius; ideo ipſa exterior adoratio fit propter interiorem, ut videlicet per ſigna humilitatis, quæ corporaliter exhibemus, excitetur noſter affectus ad ſubiiciendum ſe Deo: quia connaturale eſt nobis ut per ſenſibilia ad intelligibilia procedamus.*

III. Dividitur tertio adoratio in abſolutam, & reſpectivam. Abſoluta eſt, inquiunt cum ceteris recentioribus Salmanticenſes *tract.* xxi. *cap.* x. *punct.* 1. *num.* 3. quæ exhibetur creaturis quæ ex ſe ſunt capaces excellentiæ, & ſanctitatis, & gratiæ. Porro ſolæ creaturæ rationales ſunt harum dotum capaces; atque adeo iſtis ſolum adoratio abſoluta debetur. Hæc deſcriptio iuxta communem Theologorum mentem ſano gaudere ſenſu poteſt. Verum, ut calumniandi anſa hetero-

do-

Digitized by Google

doxis penitus eripiatur, dicendum eſt, omnem cultum religioſum Deum reſpicere, in Deum reſolvi, atque in Deo ſiſtere, & quieſcere. Quare, ſi exacte loqui velimus, ſola adoratio Deo exhibita abſoluta omnino eſt; cultus autem quem Sanctis offerimus, in Deum refertur tamquam in verum, primumque principium: quippe Sanctos propter Deum, propter intimam cum Deo coniunctionem, propter dignitatem, gratiam, & ſanctitatem ab eo participatam colimus. Quare & iſtorum cultus ſemper relationem in Deum exprimit. Dicitur vero a Theologis abſoluta adoratio Sanctis exhibita relate ad imagines, reliquiaſque, quæ, cum ſint res inanimes, intima excellentia deſtitutæ ſunt; cultuſque qui illis offertur, ſpectat perſonas quas repræſentant: idcirco relativus eſt cultus eidem exhibitus.

IV. Adoratio quæ creaturis exhibetur ob naturales dotes, & dignitates, *obſervantia* nuncupari ſolet, & poteſt iiſdem externis ſignis fieri quibus Deus colitur. Externæ quippe corporis actiones adiaphoræ ſunt, ſeu indifferentes, quæ tum ad Deum colendum, tum ad honorandos homines uſurpari valent. Genuflexione, corporis proſtratione Deus adoratur: & tamen his quoque ſignis Iudith *viſo Holoferne adoravit eum, proſternens ſe ſuper terram*: cap. x. Genuflexione quoque Pontifices ſummos adoramus. Manus ad cælum extendimus, ut Deum adoremus. *Expandi manus meas ad Dominum Deum meum*: Eſdræ I. cap. IX. & Propheta Regius *Pſal.* cxl. inquit: *Elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum*. Et tamen hoc quoque ſigno utimur ad hominum auxilium poſtulandum. Pectoris tunſio etiam de ſe indifferens eſt: quamvis enim iuxta communem uſum ad impetrandam a Deo peccatorum veniam magis proprie determinata ſit; nihil tamen impedit quominus hominem a nobis offenſum eadem placemus, & offenſæ irrogatæ remiſſionem poſtulemus. Sed hoc ſignum magis ad virtutem pœnitentiæ quam religionis pertinet. Adoratio ergo externa privata, ut fiat divina, ab intentione adorantis pendet; niſi aliqua peculiari lege, uſu, aut conſuetudine ad Deum adorandum deſtinata iam ſit. Hinc eſt quod, dum privati publice actiones tales externas exercent, non ſatis eſt eos bonam habere intentionem, ſed circumſtantiæ loci, temporis, perſonarum, & conſuetudinis ſpectandæ ſunt. Omnium huiuſce generis externarum actionum excellentiſſima, quæque ſoli Deo debetur, eſt ſacrificium, de quo ſuo loco.

V. Quæſt. I. *Datur ne præceptum divinum, & naturale colendi Deum actibus tum internis, tum externis?* Reſp. Concluſio adfirmans certa eſt de fide. Et quod detur præceptum divinum, conſtat ex pluribus Scripturæ textibus, potiſſimum ex cap. xx. Exod. & cap. v. Deut. *Ego Dominus Deus tuus... Non habebis Deos alienos in conſpectu meo. Non facies tibi ſculptile.* Quod mandatum adfirmans eſt, quatenus cultum præcipit; & negans, quatenus vetat aliorum deorum cultum. Congruentius verbis negantibus exprimitur, quia homo naturali inſtinctu ita in Dei cul-

tum fertur, ut potius indigeat prohibitionis freno cohiberi, ne in ſuperſtitionem labatur, quam ſtimulis urgeri, ut Creatorem ſuum adoret. Quod porro mandatum iſtud naturale ſit, etiam patet. Quid enim nobis magis inſitum a natura eſt quam eum venerari a quo omnia accepimus? Cum vero duplicem a Deo naturam ſuſceperimus, ſpiritalem, & corpoream; conſequitur utriuſque naturæ actibus, ſeu adoratione interna, vel interna & externa mixta colendum illum a nobis eſſe. Quæ omnia certiora ſunt quam probatione egeant.

VI. Quæſt. II. *Quandonam hoc præceptum per ſe obligat?* Reſp. Præceptum hoc, ut negans, obligat ſemper, & pro ſemper, quemadmodum omnia præcepta negativa, quæ vetant actiones ſuapte natura malas; ut autem adfirmans eſt, obligat ſtatis temporibus. Recentiores quidam Probabiliſtæ P. Thomas Tamburinus *Lib. II. in Decal. cap.* IV. *§.* 2. *num.* 4. Fagundez *Lib. I. in Decal. cap.* XXXII. Rocafull. *Lib. III. in Decal. cap.* V. *dub.* 2. aliique, quos citat Leander, docent nullo tempore hoc præceptum per ſe & directe adorationem imponere; ſed tantum indirecte, & per accidens. Quam ſit laxa opinio hæc, opus haud eſt verbis oſtendere. Ipſa ſiquidem ex ſe ſuam prodit laxitatem, ne dicam horrorem. Communis Theologorum ſententia docet, præceptum iſtud per ſe & directe adorationem imponere. Quo tempore, & quoties exercenda ſit, vide quæ dicta ſunt de actibus fidei, ſpei, & caritatis: eadem enim eſt utriuſque præcepti ratio. Ideo enim in lucem editi ſumus, ut Deum noſtrum fide, ſpe, caritate, & religionis actibus colamus: adeoque vita moralis noſtra, & chriſtiana his actionibus vivere debet. Ea ergo frequentia repetere hæc religionis officia debemus quæ ad vitam moralem, & chriſtianam nutriendam, fovendamque ſatis ſit. Præter præceptum naturale, & divinum datur etiam mandatum eccleſiaſticum, quo iubemur omnibus diebus feſtis Deum colere. Hunc enim Dei cultum ſpectant feſta omnia, omneſque fideles his diebus una cum Sacerdote ſacrificium Deo offerunt.

VII. Quæſt. III. *Eſt ne locus determinatus in quo colendus Deus ſit?* Reſp. Si ſermo ſit de loco iure naturali, aut divino præſcripto, certum eſt nullum deſignatum locum eſſe; ſed, cum Deus ubique præſens ſit, ubique eum adorare poſſumus, & debemus. Eccleſia vero, Deo ipſo præſcribente, templa erexit, in quibus ſacrificia, ſolemneſque divini cultus celebrarentur. Tres congruentes rationes adfert Angelicus, quibus evincit convenientem, atque decentem templorum inſtitutionem, 2. 2. quæſt. lxxxiv. art. 3. ad 2. *Determinatus locus eligitur ad orandum, non propter Deum qui adoratur, quaſi loco concludatur; ſed propter ipſos adorantes. Et hoc triplici ratione. Primo quidem propter loci conſecrationem, ex qua ſpecialem devotionem concipiunt orantes, ut magis exaudiantur; ſicut patet ex adoratione Salomonis III. Reg.* VIII. *Secundo propter ſacra myſteria, & alia ſanctitatis ſigna quæ ibi continentur. Tertio propter concurſum multorum adorantium, ex quo fit oratio magis exau-*

exaudibilis. Subdit ibidem *ad 3.* Angelicus, convenientius nos adorare Deum vultu, & templi facie ad orientem verſa, tum propter Chriſtum, qui lux mundi; & oriens nominatur; tum propter paradiſum in oriente conſtitutum, quaſi quæramus ad paradiſum redire, dum illuc converſi oramus.

C A P U T II.

Cultus latriæ ſoli Deo uni trinoque, atque Chriſto Domino debetur.

I. SOlus Deus eſt dignitatis infinitæ, quæ nulli creaturæ communicari poteſt. Hæc porro infinita dignitas omnibus tribus perſonis communis eſt. Ergo cultus latriæ ſoli Deo uni trinoque debetur, iuxta illud Matth. IV. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*. Latria enim ſervitus eſt quam ſoli Deo adſtringimur exhibere. Hinc ſequitur ſingulas perſonas ſeorſim adorari poſſe cultu latriæ, cum ſingulæ ſint Deus; dummodo tamen nulla explicite excludatur: quælibet enim ſine altera concipi valet. Quapropter Eccleſia ſingulis ſeorſim diem feſtum dicavit, ut nos diſtincte eaſdem adorare poſſemus.

II. Quoniam vero adoratio externa generatim conſiderata adiaphora eſt, neceſſe eſt aliquod ſignum deſignare quo cultum ſoli Deo debitum manifeſtemus. Hoc porro eſt ſacrificium, quod abſque ſuperſtitione nulli creaturæ, quantumvis excellenti, offerre licitum eſt. *Quis vero* (inquit Angelicus 2. 2. quæſt. LXXXIV. art. 1) *ſacrificandum cenſuit, niſi ei quem Deum aut ſcivit, aut putavit, aut finxit?* quod prius docuerat Auguſtinus *Lib. X. de Civ. Dei cap.* IV. Certum itaque eſt penes omnes & Deum unum, & ſingulas tres perſonas, & coniunctim, & ſeorſim adorari a nobis poſſe, & debere.

III. Quæſt. I. *Chriſtus Dominus, ut homo, adorari ne poteſt adoratione latriæ?* Reſp. Quod Chriſtus, ut ſecunda Trinitatis perſona, debeat cultu latriæ coli, ex dictis conſtat. Id dumtaxat in controverſiam vertitur, debeat ne ut homo eodem cultu adorari. Adfirmant Theologi omnes cum D. Thoma *III. Part. quæſt.* XXV. *art.* 1. ubi hanc præbet rationem. *Cum in Chriſto ſit tantum una perſona divinæ, & humanæ naturæ, & etiam una hypoſtaſis, & unum ſuppoſitum, eſt quidem eius una adoratio, & unus honor ex parte eius qui adoratur; ſed ex parte cauſæ qua honoratur, poſſunt dici eſſe plures adorationes, ut ſcilicet alio honore honoretur propter ſapientiam increatam, & alio propter ſapientiam creatam*. Chriſtus *ſpecificative* acceptus utramque naturam divinam, & humanam comprehendit: ergo in ipſo ſplendet infinita dignitas, quæ cultum latriæ ſibi vendicat. Nam, ut aliquod totum adoremus, & eiuſdem partes illud conſtituentes, haud eſt neceſſe quod ratio adorationis inſit cui-

cuique parti; ſed ſatis eſt quod ratio adorationis in aliqua parte reſideat. Cultu latriæ adoramus Euchariſtiam, quia ibi reperitur Deus, qui eſt ratio adorationis. Et dum aliquam perſonam ſanctam colimus, omnes illius partes veneramur; quamquam ſanctitas quæ eſt adorationis cauſſa, non omnibus inſit. Igitur, ut Chriſtum adoremus adoratione latriæ, etiam ut *hominem ſpecificative* conſideratum, ſatis eſt quod illius humanitas terminata ſit ſubſiſtentia divina, quæ eſt formalis adorationis ratio.

IV. Quæſt. II. *Humanitas Chriſti, ut a Verbo divino abſtracta, eſt ne cultu latriæ adoranda?* Reſp. Negant Theologi cum eodem D. Thoma: quia humanitas ut præciſa a Verbo conſiderata ſolam prodit dignitatem creatam, & limitatam. Ergo ſecundum hanc rationem non latriæ, ſed duliæ cultus eidem debetur. En verba Angelici III. Part. quæſt. xxv. art. 2. *Honor adorationis proprie debetur hypoſtaſi ſubſiſtenti; tamen ratio honoris poteſt eſſe aliquid non ſubſiſtens, propter quod honoratur perſona cui illud ineſt. Adoratio igitur humanitatis Chriſti dupliciter poteſt intelligi. Uno modo, ut ſit eius, ſicut rei adoratæ; & ſic adorare carnem Chriſti, nihil aliud eſt quam adorare Verbum Dei incarnatum; ſicut adorare veſtem Regis, nihil aliud eſt quam adorare Regem veſtitum: & ſecundum hoc adoratio humanitatis Chriſti eſt adoratio latriæ. Alio modo poteſt intelligi adoratio humanitatis Chriſti, quæ fit ratione humanitatis Chriſti perfectæ omni munere gratiarum; & ſic adoratio humanitatis Chriſti non eſt adoratio latriæ, ſed duliæ.*

V. Quæſt. III. *Licet ne practice adorare humanitatem Chriſti adoratione duliæ propter creatas perfectiones quibus ſplendet?* Reſp. Negant plures, ut Vaſquez, Sylvius, & alii. Affirmat contraria ſententia auctoritate nixa D. Thomæ inquientis: *Una & eadem perſona Chriſti adoratur adoratione latriæ propter ſuam divinitatem, & adoratione duliæ propter perfectionem humanitatis.* loc. cit. Quod eiuſmodi duæ adorationes poſſint Chriſto Domino exhiberi propter duas naturas, iam conſtat ex iis quæ dicta ſunt. Quod autem in praxi offerri poſſint, & debeant reapſe eiuſmodi duæ diverſæ adorationes, non eſt quæſtio tanti momenti, ut ſeverius diſpicienda ſit. Dum cultu latriæ Chriſtum adoramus, ſupremo & excellentiori cultu honoramus tum divinitatem eius, tum humanitatem eidem coniunctam. Si quis ſeorſim meditari vellet Chriſti humanitatem, & peculiari veneratione colere eam vellet ob creatas perfectiones, verum religionis officium ageret. Tamen, ut mihi videtur, ſatius eſt, miſſis his præciſionibus, Chriſtum Dominum cultu latriæ iuxta communem, obviumque modum adorare.

VI. Quæſt. IV. *Corpus Chriſti in triduo mortis erat ne cultu latriæ adorandum?* Reſp. Affirmat communis ſententia, quia erat unitum Verbo divino. Idemque aſſerendum de ſanguine naturali in illius paſſione effuſo, quoniam hic numquam a Verbo dimiſſus fuit. Idem quoque dicendum de ſacramento Euchariſtiæ, in quo cor-

corpus Chriſti divinæ perſonæ hypoſtatice copulatum ineffabili modo exiſtit. Et hoc definivit Tridentinum Concilium adverſus Lutherum, & Calvinum.

VII. Quæſt. V. *Adoranda ne eſt hoſtia a Sacerdote in Miſſa elevata abſolute, aut conditione adiecta?* Reſp. Hæc eſt reſponſio D. Thomæ. *Dicendum, quod qui adorat hoſtiam non conſecratam, adorare eam poteſt ſub conditione, ſcilicet ſi eſt conſecrata. Non tamen oportet quod hæc conditio ſemper ſit actu explicita; ſed ſufficit quod habitu teneat illam. Unde non peccat adorans eam, quia non adorat puram creaturam, ſed Chriſtum ſecundum intentionem. Sacerdos autem, quantum eſt in ſe, facit populum idolatrare, quia offert ei puram creaturam.* Non eſt neceſſe ut hæc conditio expreſſe apponatur, ſed atis eſt eam in habitu, & implicite adeſſe. Licitum eſt abſolute eam adorare, quia nulla prudens ratio ſuſpicandi occurrit, Sacerdotem eam conſecrare noluiſſe. Sufficit ergo ut Catholicus ea ſit affectus diſpoſitione, ut, ſi ſciret eam non eſſe conſecratam, ſe ab adoratione abſtineret. Qui tamen adorat hoſtiam reipſa non conſecratam, non exerçet actum virtutis religionis, ſed actum idololatriæ, qui ad culpam illi non imputatur ob invincibilem errorem.

VIII. Quæſt. VI. *Adoranda ne eſt latriæ cultu caro, vel ſanguis, qui interdum in hoſtia conſecrata per miraculum apparet?* Reſp. Communis ſententia adfirmat. Quia caro illa, vel ſanguis, aut eſt Chriſti, aut quid divinitus creatum Chriſtum referens. Si ſit Chriſti, nemo ambigit latriæ cultu adorandam eſſe; ſi quid divinitus productum, ipſum Chriſtum repræſentat. Omnis autem Chriſti imago latriæ adoratione colenda eſt. Et ſane in omnibus his apparitionibus quæ divinitus factæ narrantur, Chriſtus Dominus repræſentatur: immo ad hunc repræſentandum ſunt inſtitutæ, ut fides, & devotio mirum in modum augeantur. In hanc ſententiam concedit D. Thomas *III. Part. quæſt.* lxxvi. *art.* 8. ubi quærit, *Utrum quando in Euchariſtia miraculoſe apparet caro, vel puer, ſit ibi vere corpus Chriſti.* Cui quæſito ſic reſpondet in argumento. *Sed contra eſt, quod tali apparitione facta eadem vererentia exhibetur ei quod apparet quæ etiam primo exhibebatur: quod quidem non fieret, ſi vere non eſſet ibi Chriſtus, cui reverentiam latriæ exhibemus.* Si omnes fatentur hoſtiam conſecratam ſub ſpeciebus panis nobis propoſitam latriæ cultu adorandam eſſe; potiori iure talem cultum eidem debemus miraculoſa apparitione peracta. Ideo ne Deum inſigne prodigium patrabit, ut cultum imminuat auguſtiſſimo ſacramento? Supponimus enim apparitionem virtute divina peragi ob maiorem Dei gloriam, fidei confirmationem, populique devotionem.

CAPUT III.

De cultu quo Crux Chriſti, & cetera eiuſdem ſacratiſſimæ paſſionis inſtrumenta coli poſſunt, & debent.

I. QUæſt. I. *Crux Chriſti adoranda ne eſt latriæ cultu?* Reſp. Adfirmant omnes Catholici. Quoniam Crux Chriſti imago Chriſti eſt. Imago autem Chriſti eodem ac ipſe Chriſtus cultu adoratur. Quod autem Crux ſit ſignum ſpeciale, ſeu ſymbolum referens Chriſti perſonam, patet ex illo Matth. xxiv. *Tunc apparebit ſignum Filii hominis*: quo ex textu omnes Interpretes Crucem Chriſti exprimi docent. Rem hanc optime explicat Angelicus. *Dicendum eſt, quod imagini Chriſti, inquantum eſt res quædam (puta lignum ſculptum, vel pictum) nulla reverentia exhibetur: quia reverentia nonniſi rationali naturæ debetur. Relinquitur ergo quod exhibeatur ei reverentia ſolum inquantum eſt imago: & ſic ſequitur quod eadem reverentia exhibeatur imagini Chriſti, & ipſi Chriſto. Cum ergo Chriſtus adoretur adoratione latriæ, conſequens eſt quod eius imago ſit adoratione latriæ adoranda.* III. Part. quæſt. xxv. art. 3. Accedit quod Crux illa cui incarnatum Verbum affixum fuit, non ſolum adorari debet, eo quod ſit imago eiuſdem Chriſti; ſed etiam ob phyſicum contactum cum eiuſdem membris, & ob ſanguinem illum pretioſum quo fuit aſperſa, ut docet idem Angelicus loc. cit. art. 4. *Si ergo loquamur de ipſa Cruce in qua Chriſtus crucifixus eſt, utroque modo eſt a nobis veneranda: uno ſcilicet modo, inquantum repræſentat nobis figuram Chriſti extenſi in ea; alio modo ex contactu ad membra Chriſti, & ex hoc quod eius ſanguine eſt perfuſa. Unde utroque modo adoratur eadem adoratione cum Chriſto, ſcilicet adoratione latriæ.*

II. Quæſt. II. *Cetera ſacratiſſimæ paſſionis Chriſti inſtrumenta inanimata, ut clavi, lancea, funes, flagella, corona, arundo, ſpongia, & ſimilia, ſunt ne latriæ cultu adoranda?* Reſp. Adfirmant Catholici omnes ob phyſicum contactum cum Chriſti corpore. Ex hoc quippe contactu inſignes evadunt reliquiæ, relationemque peculiarem habent ad ipſum Chriſtum, ut explicat D. Thomas loc. cit. ad 3. *Pretioſum lignum, ut ſanctificatum tactu ſancti corporis & ſanguinis decenter adorandum, clavos, indumenta, lanceam, & huiuſmodi. Iſta tamen non repræſentant imaginem Chriſti, ſicut Crux, quæ dicitur ſignum Filii hominis, quod apparebit in cælo.* Contactus ergo ſacratiſſimi Chriſti corporis efficit ut inſtrumenta inanimata eodem ac Chriſtum colamus cultu, quia eadem omnino propter Chriſtum adoramus: neque enim hæc capacia ſunt alicuius intrinſecæ adorationis, cum nullam intimam habeant dignitatem. Hac ratione animata inſtrumenta, ut manus crucifigentium, labia oſcu-

oſculantium eumdem Chriſtum non ſunt adoranda ob ſcelus ab eiuſmodi membris patratum. Animæ quippe flagitia etiam externa membra inquinant. Quare licet ob contactum eſſent adoratione digna, tamen ob crimen perpetratum non adoratione, ſed deteſtatione digna ſunt.

III. Azorius adſert auctoritatem D. Auguſtini *ex ſer.* lviii. *de verbis Domini* deſumptam, ut evincat, Auguſtinum docuiſſe inſtrumenta inanimata non eſſe cultu latriæ, ſed duliæ adoranda: quam auctoritatem obtrudit quoque Leander, qui aliorum Caſuiſtarum vel minima menda cenſoria virga deſignat. Verum ſermo ille ſuppoſititius eſt, atque inter opera apocrypha repoſitus, ut videre eſt in *Appendice Tom. X.* Quin nec in præfato ſermone reperiuntur verba quæ opponunt *Azorius*, & *Leander*, ut animadvertunt Salmanticenſes *tract.* xxi. *cap.* x. *punct.* 3. *num.* 20.

IV. Argumenta quæ ab heterodoxis opponi ſolent, nos nempe colere ligna, & metalla, putida mendacia ſunt, toties profligata. Nam in his ſymbolis, & figuris Chriſtum ipſum colimus, hæcque ſigna veneramur unico titulo, quod nobis in memoriam reducunt exemplar quod referunt. Nullius quoque momenti eſt aliud commentum, quo effutiunt, neminem filiorum colere patibulum, ſeu laqueum quo pater ſuſpenſus fuit. Cui argumento reſpondet D. Thomas, *quod in Cruce Chriſti quantum ad intentionem, vel opinionem infidelium conſideratur opprobrium Chriſti; ſed quantum ad effectum noſtræ ſalutis, conſideratur virtus divina ipſius, qua de hoſtibus triumphavit*. Colitur ergo Crux Chriſti, non ut infame ſupplicium a Iudæis electum, ut morte turpiſſima Chriſtum plecterent; ſed ut vexillum victoriæ, quam de hoſte humani generis Chriſtus tulit, & ut triumphale noſtræ ſalutis monumentum. Denique ad id quod obiiciunt, manus B. Virginis, Sponſi Ioſeph, & diſcipulorum, quæ tetigerunt Chriſti corpus, adorandas fore latriæ cultu; reſpondetur diſparem eſſe rationem. Nam inſtrumenta anima deſtituta non ſunt cultus capacia, prout in ſe conſiderantur; ideo totus prorſus cultus quem illis exhibemus, in Chriſtum omnino referimus. B. Virgo, illius Sponſus, & diſcipuli ſunt intima excellentia ornati, atque adeo cultu digni; tametſi & cultum ipſum quem Sanctis exhibemus, in Deum referamus. En D. Thomæ reſponſum. *Crux non eſt capax venerationis, prout in ſe conſideratur... Sed Beata Virgo ſecundum ſe ipſam eſt venerationis capax: & ideo non eſt ſimilis ratio*. III. Part. quæſt. xxv. art. 5. ad 3. Idque fuſius explicat in corpore articuli.

V. Ad Crucem quod attinet, diſtinguenda eſt Crux illa in qua Chriſtus pependit, ab aliis crucibus quæ ad eiuſdem ſimilitudinem compinguntur. Duplici titulo illa colitur, & ratione imaginis, quam Chriſti in ſemetipſa extenſi præfert, & ratione contactus eiuſdem ſanctiſſimi corporis. Quare, etiamſi Crux illa ſcindatur in partes, figuramque Crucis amittat, adhuc adoranda eſt latriæ cultu ob dictum

con-

contactum. Ceteræ cruces omnes quæ ſiunt ad primam illam repræſentandam, ſolo titulo imaginis adorantur: ideo, ſi rationem imaginis, & figuræ Chriſtum repræſentantis amittant, nullo modo ſunt colendæ. Denique, ut Crux Chriſti colatur, oportet ut data opera inſtituta ſit ad ſacrum referendum myſterium. Quapropter ceteræ cruces quæ caſu ex lignis, paleis, aliiſque rebus fortuito tranſverſis conſurgunt, non ſunt colendæ; ſed, ut cetera ligna, negligi, vel adhiberi valent ad uſum communem. Nomina Dei, Ieſu Chriſti, & Deiparæ eodem cultu veneranda ſunt quo eorum ſignificata. Hæc quippe nomina produnt perſonas quæ veneratione dignæ ſunt. Ergo, ſicut imagines quæ perſonas ſanctitate illuſtres referunt, coluntur, ut tales perſonas repræſentantes; ſic talia nomina, prout ſignificant Deum, Chriſtum, & B. Virginem, coli debent. Ita communiter Theologi.

CAPUT IV.

De adoratione debita B. Virgini Mariæ, Angelis, & Sanctis.

I. Solus Deus eſt qui cultu religioſo latriæ a nobis adorari debet. Hoc tamen non impedit quominus alio interiore cultu alias perſonas creatas venerari poſſimus ob illarum peculiarem coniunctionem cum Deo ipſo, & ob dona cæleſtia quæ illis Deus communicavit. B. Virgo Maria ſuper omnes creaturas eminet: ideo cultu peculiari adoranda eſt, quem cultum *hyperduliæ* vocamus. Innumeri Doctores catholici adverſus recentes novatores ſacræ antiquitatis monumenta promunt, quibus vetuſtiſſimam Mariani cultus traditionem evincunt. Patrum cuiuſque fere ſæculi teſtimonia affert Natalis ab Alexandro *diſſert.* XXV. *in hiſt. ſæculi V.* Luculenta ſunt encomia quibus Irenæus, Tertullianus, & Origenes Virginis excellentiam & dignitatem extollunt. S. Gregorius Neocæſarienſis *homil.* III. *de Annuntiatione B. V.* his verbis exprimit cultum eidem debitum. *Tibi omnis cæleſtium, terreſtrium, & infernorum natura convenientem cultum, ac venerationem adhibet. Tu enim vere thronus cherubicus facta es* &c. Sanctus Ephrem Syrus *ſerm. de B. V. laudibus* eam invocat hunc in modum. *Sub tuum præſidium confugimus, o ſancta Dei Genitrix, ſub alis pietatis, atque miſericordiæ tuæ protege, & cuſtodi nos. Miſerere noſtri, qui ſordibus peccatorum conſpurcati ſumus, qui ſceleribus, atque delictis quamplurimis Creatorem Deum noſtrum, & iudicem univerſorum offendimus.* Mira ſunt elogia quæ eidem pangit Epiphanius pluribus in locis, potiſſimum in *oratione de laudib. eiuſdem B. V.* Quid quod vel ipſi hæretici ſa-

ſatentur, elapſo quarto redemptionis ſæculo obtinuiſſe in Eccleſia catholica cultum in Deiparam, & in Sanctos omnes in cælis degentes?

II. Igitur de fide eſt B. Virginem, Sanctoſque in cælo cum Chriſto regnantes aliqua adoratione colendos eſſe. Id enim definitum eſt tum in Concilio Nicæno II. *act.* II. *&* III. tum in Tridentino *ſeſſ.* XXV. *de invocatione Sanctor.* Præterea ſacræ Scripturæ textus, qui hanc veritatem confirmant, eo quod penes innumeros Theologos Polemicos obvii ſunt. Ratio quoque naturalis præſto adeſt. Ratio quippe adorationis eſt dignitas, & excellentia perſonæ adorandæ. Hac ratione, quia Deus infinitæ maieſtatis, & dignitatis eſt, ſupremo *latriæ* cultu illum veneramur. Porro Angeli, Beati, ac Sancti in cælo regnantes ſingulari gratia & dignitate fulgent. Cur ergo illis denegandus eſt cultus? An quia ſoli Deo cultus debetur? Soli Deo debetur utique cultus *latriæ*, ſeu ſolus Deus adorandus eſt ut Deus, atque adeo *latriæ* cultu. Hic cultus nulli creaturarum offerri abſque idololatriæ flagitio poteſt. Sed cur denegandus eſt Sanctis cultus inferior, quem *duliæ* appellamus, qui eorum creatæ dignitati, & limitatæ excellentiæ reſpondeat; quique in Deum ipſum in Sanctis ſuis miſericordem, & donorum largitorem tandem refertur, ac in eodem quieſcit? Cur per ſummam calumniam idololatriæ labe hunc cultum criminantur hæretici, ſi nos voce, & ſcriptis teſtamur, nos venerari & colere Sanctos ob amicitiam quam cum Deo habent, ob dona, & excellentiam a Deo illis communicatam: ſi teſtamur nos cultu diſtincto, & longe maxime inferiore illo quo Deum colimus, Sanctos venerari?

III. Obiiciunt heterodoxi. Angelus *Apocal.* XXII. prohibuit ſe adorari; ſicut & D. Paulus *act.* X. & D. Petrus. Ut hæc, & ſimilia plenius intelligantur, lubet tranſcribere quæ docet D. Thomas 2. 2. quæſt. LXXXIV. art. I. ad I. *Alia veneratione veneramur Deum, quod pertinet ad latriam; & alia veneratione quaſdam excellentes creaturas, quod pertinet ad duliam.... Secundum reverentiam ergo quæ creaturæ excellenti debetur, Nathan adoravit David; ſecundum autem reverentiam quæ debetur Deo, Mardochæus noluit adorare Aman, timens ne honorem Dei transferret ad hominem, ut dicitur Eſther* XIII. *Et ſimiliter ſecundum reverentiam debitam creaturæ excellenti, Abraham adoravit Angelos, & etiam Ioſue, ut legitur Ioſue* V. *quamvis poſſit intelligi, quod adoraverint adoratione latriæ Deum, qui in perſona Angeli apparebat, & loquebatur; ſecundum autem reverentiam quæ debetur Deo, prohibitus eſt Ioannes Angelum adorare, Apoc. ult. tum ad oſtendendam dignitatem hominis, quam adeptus eſt per Chriſtum, ut Angelis æquetur: unde ibi ſubditur: Conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum: tum etiam ad excludendum idololatriæ occaſionem: unde ſubditur: Deum adora.* Hac angelica doctrina profligantur omnia hæreticorum in hac materia ſophiſmata.

IV. Hinc quoque infertur, adorationem qua colimus Sanctos, alterius a religio-

gione virtutis eſſe. Cuius diverſitatis rationem prodit idem Angelicus. Nam, ubi eſt diverſa debiti ratio, diverſa requiritur virtus ad illud ſolvendum. Sed alio titulo debetur Deo adoratio, & alio Sanctis: Deus quippe colendus a nobis eſt, quod omnium Creator ſit, & ob illius increatam, & eminentem maieſtatem; hominibus vero cultus debetur ob creatam, finitam, & a Deo acceptam dignitatem: hæ autem duæ rationes ſunt omnino diverſæ. Ergo virtutes diſtinctæ illis reſpondere debent. Sed Angelici verba afferamus. *Ubi eſt alia ratio debiti, ibi neceſſe eſt quod ſit alia virtus quæ debitum reddat. Alia autem ratione debetur ſervitus Deo, & homini; ſicut & alia ratione dominium competit Deo, & homini. Nam Deus plenarium & principale dominium habet reſpectu totius, & cuiuslibet creaturæ, quæ totaliter eius ſubiicitur poteſtati; homo autem participat quamdam ſimilitudinem divini dominii, ſecundum quod habet particularem poteſtatem ſuper aliquem hominem, vel ſuper aliquam creaturam. Et ideo dulia, quæ debitam ſervitutem exhibet homini dominanti, alia virtus eſt a latria, quæ exhibet debitam ſervitutem divino dominio.* 2. 2. quæſt. CIII. art. 3. Plura alia huc ſpectantia legi poſſunt apud eumdem Angelicum, ubi oſtendit quod licet eadem caritate diligatur Deus, & proximus, quia eadem eſt diligendi ratio, nempe bonitas divina; diverſa tamen virtute colitur Deus ab ea qua adorantur Sancti, ob diverſam cultus rationem.

V. Cultus itaque debitus creaturis quibuslibet, non eſt *latriæ*, ſed *duliæ*. Quia vero B. V. Maria creaturis omnibus, Angelis, & Sanctis quibuſque gloria, gratia, & dignitate antecellit; ideo perfectiſſimo *duliæ* cultu, quem *hyperduliam* vocamus, colitur. Hoc quoque docet Angelicus III. Part. quæſt. XXV. art. 5. *Cum igitur Beata Virgo ſit pura creatura rationalis, non debetur ei adoratio latriæ, ſed ſolum veneratio duliæ; eminentius tamen quam ceteris creaturis, inquantum ipſa eſt mater Dei. Et ideo dicitur, quod debetur ei non qualiſcumque dulia, ſed hyperdulia.* Quare merito proſcripta eſt propoſitio ſequens ab Alex. VIII. *Laus quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana eſt.*

VI. Obiiciunt hæretici, hanc diſtinctionem cultus *latriæ*, & *duliæ* commentitiam eſſe, nullibi in Scripturis indicari, incognitamque fuiſſe primis Eccleſiæ ſæculis. Verum eſt equidem in Scripturis hanc verbalem diſtinctionem non haberi; ſed habetur res ipſa, nempe cultus Deo, & Sanctis præſtandus. Quid ergo intereſt de vocibus iurgari, cum res ipſas teneamus? Scriptura, & priſci Patres cultum Deo, & ſanctis Angelis, hominibuſque exhibitum approbant. Non ergo improbanda, ſed laudanda diſtinctio, quam magiſter uſus invexit maioris claritatis gratia. Nec verum eſt quod obtrudunt Lutherani, & Calviniſtæ, a Pontificibus recenter hanc diſtinctionem invectam. Nam illius meminit Auguſtinus *Lib. X. de Civit. Dei cap.* 1. & *Lib. XX. cont. Fauſtum cap.* XXI. ubi inquit: *Coli-*

mus ergo Martyres eo cultu dilectionis, & ſocietatis quo & in hac vita coluntur ſancti homines Dei, quorum cor ad talem pro evangelica veritate paſſionem paratum eſſe ſentimus; ſed illos tanto devotius, quanto ſecurius poſt certamina ſuperata; quanto etiam fidentiore laude prædicamus iam in vita feliciore victores, quam in iſta adhuc uſque pugnantes. At vero illo cultu qui græce latria dicitur, latine uno verbo dici non poteſt, cum ſit quædam proprie Divinitati debita ſervitus, nec colimus, nec colendum docemus, niſi unum Deum.

VII. Alteram calumniam, qua imponunt hæretici, nos Sanctis altaria, & templa erigere, illiſque ſacrificia offerre, repellit Auguſtinus eodem Lib. XX. cont. Fauſtum cap. XXI. *Nam quod etiam hinc nobis calumniatur Fauſtus, quod Martyrum memorias honoramus, in hoc dicens nos idola convertiſſe, non tam me movet, ut huic calumniæ reſpondeam, quam ut ipſum Fauſtum oſtendam ſtudio calumniandi, etiam ab ipſius Manichæi vanitatibus exorbitare voluiſſe... Populus autem chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adiuvetur; ita tamen ut nulli Martyrum, ſed ipſi Deo Martyrum, quamvis in memorias Martyrum conſtituamus altaria. Quis enim Antiſtitum in locis ſanctorum corporum aſſiſtens altari aliquando dixit: Offerimus tibi, Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit, apud memorias eorum quos coronavit: ut ex ipſorum locorum admonitione maior affectus exurgat ad acuendam caritatem, & in illos quos imitari poſſumus, & in illum quo adiuvante poſſumus.* Plurima poſſem iſthuc tranſcribere ex aliis Patribus; ſed non eſt iſtius inſtituti.

VIII. Illud nunc eſt reliquum ut declaremus, quibus Sanctis cultus duliæ debeatur. Cui quæſito breviter reſpondemus, primum Sanctis ab Eccleſia canonizatis duliæ cultum deferendum eſſe. Nam canonizatio publicum Eccleſiæ teſtimonium eſt de vera ſanctitate alicuius hominis iam defuncti: ſimul enim ac Sancti aliqui in catalogo Sanctorum recenſiti ſunt, invocantur in publicis Eccleſiæ precibus, in eorum memoriam Deo templa, & altaria dicantur, & preces, ſeu officia recitantur, eorum imagines, atque reliquiæ publico cultui exponuntur: quæ omnia, non præcepto urgente, ſed lege permittente & adprobante, fieri poſſunt.

IX. Iudicium Eccleſiæ, ſeu ſummi Pontificis in Sanctorum canonizatione nulli errori obnoxium eſſe, docent Catholici omnes adverſus recentiores hæreticos, infallibilitatis pontificiæ infenſiſſimos oſores. Miſſis plurimis quæ in hanc rem Theologi congerunt, referam prudentiſſimam D. Thomæ ſententiam. *Canonizatio Sanctorum medium eſt inter iudicium Papæ de rebus fidei definiens, & de particularibus factis.... Quia tamen honor quem Sanctis exhibemus, quædam profeſſio fidei eſt,*

eſt, qua Sanctorum gloriam credimus, pie credendum eſt quod nec etiam in his iudicium Eccleſiæ errare poſſit. Quodlib. IX. artic. 16. Opponunt heterodoxi auctoritatem Auguſtini inquientis: *Multorum corpora honorantur in terris quorum animæ torquentur in gehenna:* qui textus, etſi inveniretur in Auguſtino, quod negat Bellarminus, nihil officeret ſententiæ noſtræ; ſed quadraret in Lutheranos, & Calviniſtas, quorum corpora magnis, ac ſculptis lapidibus, tumuliſque ſuperbis honorantur in terris, & animæ eorum in Lutherana fide defunctæ torquentur in gehenna. Non loquitur Auguſtinus de animabus quæ catholicæ Eccleſiæ iudicio in cælis regnant; ſed de aliis quæ vulgi opinione adorantur. Plura alia diſputant Theologi de Sanctorum canonizatione, quæ, ut ab inſtituto noſtro aliena, miſſa facio. De beatificatione quoque Sanctorum, de iſtius a canonizatione diſtinctione, de cultu deferendo Sancto beatificato, fuſius diſputant. Paucis hæc omnia expediam.

X. Beatificationem accidentaliter tantum diſtinctam communiter aſſerunt a canonizatione, & ut quid imperfectum a perfecto. Beatificatio enim proxima via eſt ad canonizationem. Non eſt ultimum Eccleſiæ iudicium, quo definiat Beati cultum, ſed illum dumtaxat approbat. Eodem cæleſti lumine illuſtratur Eccleſia, & Pontifex in beatificatione, ac in canonizatione Sanctorum. Nihil impedit, Beatum ab Eccleſia declaratum vocari Sanctum, ut communis fert conſuetudo. Cultus deferendus Beatis exprimitur in Bulla beatificationis, nec alius exhibendus eſt. Quemadmodum ſub nomine Beatorum offertur Deo ſacrificium, ita templa, & altaria ſub illorum memoria erigi Deo valent. Num liceat in proceſſionibus Beatorum deferre reliquias, eoſdem in publicis litaniis invocare, conſulenda eſt conſuetudo Romanæ Eccleſiæ, quidque uſus communis ferat Eccleſiarum in his & ſimilibus rebus.

XI. Prolixam quoque diſputationem inſtituunt Theologi de cultu qui offerri viris, aut feminis cum ſanctitatis fama demortuis poſſit. Qua in re ſicuti certum eſt nullum publicum cultum offerri poſſe ſive viris, ſive feminis, nondum ab Eccleſia in Sanctorum, aut Beatorum cenſu perſcriptis; ita certum eſt licite offerri illis poſſe cultum privatum: idque conſtat ex univerſali populi chriſtiani vetuſtiſſima conſuetudine. Quin prima, ut ita dicam, ianua, quæ viam aperit ad beatificationem, & canonizationem, eſt populi devotio, & concurſus ad iſtorum defunctorum ſepulcra, & invocatio eorumdem in infirmitatibus. Et, ſi dum in terris degunt, licitum eſt privatim illos rogare, ut pro nobis intercedant; quidni licebit idem cum illis peragere poſt illorum mortem? Cultus dumtaxat publicus, qui ſit Eccleſiæ decreto declaratus, deferri illis nequit. Quare neque officia divina recitari, neque altaria erigi, nec ſacrificia ſub illorum nomine offerri, neque eorumdem imagines radiis, & ſplendoribus depingi valent. Quia hi cultus au-

cto-

ctoritate Eccleſiæ ſunt pro Sanctis, vel Beatis deſignati. Illis igitur nec publice, nec privatim præfati cultus poſſunt offerri: hæc quippe omnia vetita ſunt. Neque ergo in Eccleſiis, neque in privatis Oratoriis retineri poſſunt præfatæ tabellæ cum radiis, & ſplendoribus pictæ, neque ad illorum ſepulcra luminaria, lampades accendi valent, ut habetur in Decreto Urbani VIII. quo hæc, & plura alia vetantur. Quod praxim tamen ſpectat, in appendendis tabellis, in quibus favores, & prodigia defuncti alicuius interceſſione obtenta exprimuntur, locorum Ordinarii ſunt conſulendi, quibus cura commiſſa eſt invigilandi adverſus abuſus qui irrepere valent. Vetitum quoque eſt vocare Sanctos, vel Beatos eos qui nondum in cenſum Sanctorum, vel Beatorum redacti ſunt. Vetitum tamen non eſt cum addito dicere hunc eſſe ſanctum virum: quæ phraſis non aliud prodit, niſi integros, immaculatoſque mores eius fuiſſe. Sanctum ergo, vel Beatum abſolute, & ſine addito aliquem appellare vetitum eſt. Licitum quoque eſt veſtes, capillos, & alias ſimiles reliquias defunctorum piorum ſervare, & privatim venerari, illorum pedes, manuſque exoſculari. Id confirmat Eccleſiæ conſuetudo. Siquidem ſtatim ac Martyres occiſi erant, vel ipſis primis Eccleſiæ ſæculis eorumdem reliquiæ arripiebantur a fidelibus, & colebantur: quamvis adhuc ab Epiſcopis, ut mos tum ferebat, publico cultu Martyres donati non eſſent. Licitum ergo eſt illos venerari, aliis etiam videntibus, dummodo ſcandalum abſit. Licet quoque corpora illorum qui cum publica ſanctitatis fama obierunt, honeſtiori in loco, etiam a terra elevato, recondere. Vetitum tamen eſt eadem corpora ſub altari, aut gradibus eiuſdem reponere. Praxis etiam Eccleſiæ licitum eſſe oſtendit, eiuſmodi defunctorum corpora inſepulta ſervare diebus aliquot, ut fidelium devotioni fiat ſatis; & ex hiſtoriis habetur, plurima miracula a Deo patrata fuiſſe in oſtenſionem ſanctitatis alicuius defuncti. Item ieiunare, vota privata Deo offerre, fideles licite valent in iſtorum defunctorum memoriam: quia hi cultus privati ſunt, ut Bellarminus *Lib. I. de beatif. cap. x.* cum aliis Theologis docet. Verum ſpartam hanc mirum in modum præ ceteris omnibus exornavit, illuſtravitque, & nodos omnes diſſolvit, omneſque difficultates penitus exhauſit doctiſſimus Cardinalis Lambertinus in ſuo immortali Opere quatuor ingentis molis voluminibus comprehenſo, & primum in lucem edito, dum Bononiæ Archiepiſcopatus munere fungebatur: qui nunc BENEDICTI XIV. nomine univerſam Eccleſiam ſapientiſſime regit. Opus iſtud auro cedroque dignum conſule, ſi quid tibi difficultatis occurrit.

CA-

CAPUT V.

De cultu quo colendæ ſunt imagines ſanctiſſimæ Trinitatis, Chriſti Domini, & Sanctorum.

I. Licitum, piumque eſſe ſacrarum imaginum uſum, definit Synodus Tridentina, rationemque eaſdem colendi declarat his verbis ſeſſ. xxv. decret. 2. *Imagines porro Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præſertim habendas, & retinendas, eiſdemque debitum honorem, & venerationem impertiendam; non quod credatur ineſſe aliqua in eis divinitas, vel virtus propter quam ſint colendæ; vel quod ab eis ſit aliquid petendum; vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant: ſed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quæ illæ repræſentant; ita ut per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur.* Ad iſtius decreti conſpectum evaneſcunt omnium hæreticorum impoſturæ. Honorem qui imaginibus exhibetur, in prototypa referimus. Reſpectiva eſt omnis imaginum adoratio noſtra: reſpicit ſiquidem prototypa quæ repræſentant. Nulla ergo iſthic idololatriæ labes. Ceterum plurima ex hoc uſu proficiſcuntur bona. Et primum icones iſtæ referunt potiſſimum imperitis maiorum noſtrorum geſta, & de hoſte triumphos. *Scio quidem* (inquit Calvinus Lib. I. inſtit. cap. xi. §. 5.) *illud vulgo eſſe pluſquam tritum, libros idiotarum eſſe imagines. Dixit hoc Gregorius. At longe aliter pronuntiat Spiritus Dei.* Fatetur Calvinus, & poſt ipſum Dallæus, ceterique novatores, quarto & quinto ſæculo obtinuiſſe ſacrarum imaginum uſum. At effutire non erubeſcunt, idololatriæ labe pollutos fuiſſe omnes Eccleſiæ Patres. Impotens Proteſtantium audacia, qua ſe ſupra totam ſacram antiquitatem erigunt, non leve argumentum eſt commentitiæ eorumdem religionis. Melius ne iſti poſt duodecim ſæcula mores, conſuetudineſque primorum Chriſtianorum, quam Patres, qui proximi iiſdem fuerunt, intelligent? Longe aliter ac Gregorius, aliique Patres, pronuntiat Spiritus Dei? At non ne Deus Moyſi præcepit Exod. xxv. *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies ex utraque parte oraculi?* Non ne *Num.* xxi. confici ſerpentem æneum mandavit? Nonne Salomon Cherubim, boves, & leones formavit? *III. Reg.* vi. Sed quid textus congero ad confutandum inane commentum toties contritum?

II. Licitum itaque eſt ipſius Dei Patris, & cuiuſque ſanctiſſimæ Trinitatis perſonæ imaginem formare. Quare merito Alexander Papa VIII. proſcripſit ſequentem propoſitionem. *Dei Patris ſedentis ſimulacrum nefas eſt chriſtiano in templo col-*

loca-

Digitized by Google

locare. Ratio vero cur liceat talis imago, eſt, quod nemo Catholicorum intendat in eiuſmodi imaginibus Dei naturam exprimere. Quis enim taliter obbruteſcit, ut ſibi ſuadeat, depingi humana induſtria poſſe aliquam Trinitatis perſonam? Has picturas fingimus, ut quibuſdam veluti ſacris ſymbolis mens noſtra excitetur ad Deum adorandum. Nonne inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, conſpiciuntur? Depingimus Patrem æternum ſub ſenis effigie, ut primam eſſe Triadis perſonam oſtendamus. In pectore Patris Verbum pingitur, ut indicemus a Patre illum eſſe genitum. Sub columbæ ſpecie Spiritus ſancti imago formatur, quia ſub hoc ſymbolo ipſe apparere dignatus eſt. Angelos quoque alatos, ceu pulcherrimos iuvenes, depingimus, quia ſub hac forma ſæpius ipſi apparuere. Teſtamur in his imaginibus nullam ineſſe virtutem, nullam a nobis in ipſis reponi fiduciam. Tota ſpes noſtra in Deo eſt ex meritis Chriſti. Sanctorum interceſſionem imploramus, ut facilius a Deo obtineamus quæ tantis interceſſoribus petimus. Quid itaque veſana temeritate obgannit Calvinus, nos imaginari vim aliquam Divinitatis in eiuſmodi iconibus inhabitare; cum palam ſemper id a Catholicis negatum ſit? Quid obtrudit, neque Ethnicos idola ſua deorum loco habuiſſe, ſed deos in idolis adoraſſe? Bene habet. Sed falſos ipſi deos colebant, eorumque ſimulacra putidiſſima numina referebant. Dum Iudæi ſimulacra ædificabant, non Deum verum in iiſdem, ſed falſa gentium numina venerabantur. Quare apertum mendacium Calvini eſt, aſſerentis, Iudæos Deum æternum, unum, verumque cæli, ac terræ Dominum ſub talibus ſimulacris perſuaſos fuiſſe ſe colere. Hebræi ſiquidem, dum ſimulacra compingebant, ad gentium colenda numina declinabant. Quod toties illis exprobrant Prophetæ: *Abierunt poſt deos alienos: ſecutus eſt deos alienos: ſervieruntque diis alienis: auferte deos alienos.* Paſſim occurrunt in Scriptura eiuſmodi exprobrationes Iudæis a viris ſanctis factæ. Non ergo idololatriæ rei habiti ſunt, quod in imaginibus verum, æternumque Deum colerent, quemadmodum comminiſcitur Calvinus; ſed quod deos gentium in idolis venerarentur. Quod vero improperat Calvinus, plures imagines obſcænitatis eſſe exemplaria, quodque lupanaria pudicius, & modeſtius cultas meretrices oſtendunt, quam templorum imagines quæ ad virgines repræſentandas inſtitutæ viſuntur, impoſturæ, & dicteria ſunt Calvini odio in Romanam Eccleſiam conjecta. Si quid in hoc abuſus accidit, ex pictorum vitio ortum ducit. Ceterum, ut eiuſmodi corruptelæ ab Eccleſiis noſtris exulent, Tridentinum ipſum, & plura alia Concilia vigilare Epiſcopos iubent adverſus eiuſmodi ſacrilega profanationis portenta. Sed quid ultra provehor ad retundendam Calvini audaciam, qui ſolis conviciis, & calumniis deſpera tam cauſſam agit?

III. Paucis ergo rem expediamus. Deus vetuit Iſraelitis: *Non facies tibi ſculptile, nec omnem ſimilitudinem quæ eſt in cælo deſuper, nec in terra deorſum, nec in*

aquis ſub terra. Exod. xx. Item D. Paulus Act. xvii. *Genus ergo cum ſimus Dei, non debemus æſtimare auro, aut argento, aut lapidi ſculpturæ artis, & cogitationis hominis, divinum eſſe ſimile.* Senſus horum, & ſimilium textuum ex iis quæ dicta ſunt, perſpicuus efficitur. Eiuſmodi ſimulacra vetita illis fuerunt ad repræſentanda falſa Ethnicorum numina: hocque adeo evidens eſt, ut ſolus effrons Calvinus negare audeat. Ibidem ſiquidem habetur: *Deos aureos, & argenteos non facietis mecum: non habebis deos alienos: abiicite deos alienos.* Quando populus in idololatriam lapſus eſt in deſerto, deos ſibi ab Aarone, nedum ſimulacra, fieri poſtulavit. *Fac nobis deos, qui nos præcedant:* Exod. xxxii. Sed hæc omnia nimis ſunt explorata atque comperta.

IV. Quæſt. I. *Sint ne eiuſmodi imagines adorandæ?* Reſp. Licitum eſſe ſacrarum imaginum uſum, paucis oſtenſum eſt. Nunc licitam, utilemque eſſe earumdem adorationem, evincendum. Splendidam, atque efficacem iſtius adorationis rationem exhibet D. Thomas III. P. quæſt. xxv. art. 3. *Duplex eſt motus animæ in imaginem. Unus quidem in ipſam imaginem, ſecundum quod res quædam eſt; alio modo in imaginem, inquantum eſt imago alterius. Et inter hos duos motus eſt hæc differentia: quia primus motus, quo quis movetur in imaginem, ut eſt res quædam, eſt alius a motu qui eſt in rem; ſecundus autem motus, qui eſt in imaginem, inquantum eſt imago, eſt unus & idem cum illo qui eſt in rem. Sic ergo dicendum eſt, quod imagini Chriſti, inquantum eſt res quædam [puta lignum ſculptum, vel pictum] nulla reverentia exhibetur: quia reverentia non niſi rationali naturæ debetur. Relinquitur ergo quod exhibeatur ei reverentia, SOLÙM inquantum eſt imago; & ſic ſequitur quod eadem reverentia exhibeatur imagini Chriſti, & ipſi Chriſto. Cum ergo Chriſtus adoretur adoratione latriæ, conſequens eſt quod eius imago ſit adoratione latriæ adoranda.* Hinc conſequitur minus nobis probari ſententiam Bellarmini, & aliorum, cultum aliquem diſtinctum ab illo qui exhibetur prototypo, imaginibus deferentium. Nam D. Thomas conceptis verbis docet, *ſolum* adorandam eſſe imaginem ut imago eſt, ſeu ut refert prototypum: atque adeo cultus imaginis totus reſpectivus eſt, & in prototypum fertur.

V. Obiiciunt Calviniani, & Lutherani ſolita ſophiſmata, nempe Scripturam & *Exodi* xx. & *Deut.* iv. & *ad Rom.* i. & ſexcentis aliis in locis prohibere ſimulacrorum, & idolorum cultus. Porro nec Iudæi, nec Gentiles adeo hebetes erant, ac ſtupidi, ut crederent lapides, ligna, & hominum opificia deos eſſe. Quamquam commentum iſtud convulſum iam ſit, lubet nihiloſecius ſolutionem, quam tribus ſæculis, antequam e tenebris in lucem erumperet huiuſmodi hæreticorum peſtis, exhibuit S. Thomas, tranſcribere. *Dicendum, quod non prohibetur illo præcepto facere quamcumque ſculpturam, vel ſimilitudinem, ſed facere ad adorandum. Unde ſubdit:* Non adorabis ea, neque coles. *Et quia, ſicut dictum eſt, idem eſt motus*

in

in imaginem, & in rem, eo modo prohibetur adoratio imaginis quo prohibetur adoratio rei cuius imago eſt. Unde ibi intelligitur prohiberi adoratio imaginum, quas Gentiles faciebant in venerationem deorum ſuorum, ideſt dæmonum. Et ideo præmittitur : Non habebis deos alienos coram me. *Ipſi autem vero Deo, cum ſit incorporeus, nulla imago corporalis poterat poni : quia, ut Damaſcenus dicit, inſipientiæ ſummæ eſt, & impietatis figurare quod eſt divinum. Sed quia in novo teſtamento Deus factus eſt homo, poteſt in ſui imagine corporali adorari*. III. Part. quæſt. xxv. art. 3. ad 1. Legatur integer articulus, cuius doctrina omnes hæreticorum nugæ, & ſophiſticæ argutationes profligantur. Quin omnia quæ Theologi catholici fuſiſſimo calamo congerunt, ac erudite diſſerunt, prius, paucis, ac ſignificantiſſimis verbis Angelicus comprehendit, & mira perſpicuitate explicavit.

VI. Angelica doctrina nixa eſt perpetua Eccleſiæ traditione, & Conciliorum Nicæni II. Florentini, & Tridentini auctoritate. Quare de fide eſt, dignas adoratione eſſe imagines ſacras. Plura alia documenta quæ tum ex præfatis, aliiſque Conciliis, tum ex Patribus adferre poſſem, miſſa facio, quod obvia apud Auctores ſint : & quia ex iis quæ dicta ſunt, veritas hæc manet ſatis comperta.

VII. Audiamus dumtaxat aliud Calvini commentum. Cur, inquit, inter eiuſdem Dei ſimulacra tantum diſcrimen, ut, altero neglecto, aut vulgariter honorato, alterum omni ſolemni honore Catholici proſequantur? Cur ad viſenda ſimulacra quibus ſimilia domi ſuæ habent, votivis peregrinationibus ſe fatigant? Cur pro illis hodie, tamquam pro aris & focis, ad cædes uſque, & ſtrages digladiantur? Hæc & ſimilia obiicit Calvinus *Lib. I. Inſtit. cap.* xi. *§.* 10. Quod deliramentum ſe ipſo concidit ex ſolo angelicæ doctrinæ conſpectu. Si enim nullum nos cultum imaginibus deferimus, niſi illum quo colimus Deum, quem referunt; evidens eſt, omnes imagines Deum repræſentantes eodem quo Deum colimus, apud nos cultu adorari. Quod autem aliquæ frequentiore adoratorum concurſu colantur, non inde proficiſcitur quod eiſdem aliqua ineſſe credatur peculiaris virtus, aut maior cultus ratio; ſed quod Deus ob ſua miranda arcana velit potius iſtius quam alterius imaginis uſu miracula patrare, & beneficia conferre. Aliquæ etiam imagines depictæ a ſanctis viris, ut a D. Luca, a Nicodemo, vel ab Angelis, perhibentur. Quare in memoriam talium pictorum, quorum etiam interceſſione adiuvari apud Deum confidunt fideles, peculiari devotione unam præ altera imaginem homines colunt. Nemo tamen Catholicorum credit, imaginem aliquam ſingulari præditam eſſe excellentia, aut alteri antecellere; ſed cum omnes æqualiter prototypum repræſentent, omnes eodem omnino cultu reſpectivo adorantur.

VIII. Argumenta Bellarmini *Lib. I. de imaginibus cap.* xxiv. Suarez *III. P. Tom. I. diſp.* liv. *ſect.* 5. & aliorum contendentium, imagines Dei, & Chriſti Domini

non eſſe adorandas adoratione *latriæ*, ſed cultu inferiori, quia imagines ſunt inferiores prototypis quæ repræſentant, nullius ſunt roboris. Tunc enim evincerent intentum illorum argumenta, ſi peculiari cultu imagines coleremus, & ut ſunt *res* quædam; verum, cum illas adoremus ut *imagines* ſunt, ſeu ut repræſentant prototypa, conſequitur eodem omnino cultu ac prototypa colendas eſſe. Quin, ſi exactius loqui velimus, non imagines, ſed prototypa repræſentata in imaginibus, colimus. Imagines ſigna ſunt, & ſymbola, quæ mentem noſtram excitant ad colenda prototypa. In cruce oſculamur Chriſtum, in libro Evangeliorum æternam veritatem, in imaginibus Martyrum, & Sanctorum, Sanctos ipſos colimus. Sic docet Tridentinum, Pontificale Romanum, & optime advertit celebris Boſſuetus in expoſitione doctrinæ catholicæ Eccleſiæ *cap.* v. & prius luculenter docuerat D. Thomas. Dum Concilia Moguntinum, Senonenſe, aliique Scriptores aſſerunt imagines Chriſti adorandas non eſſe latriæ cultu, loquuntur de cultu abſoluto ipſis imaginibus exhibendo.

IX. Quæſt. II. *Adeſt ne præceptum aliquod præcipiens ſacrarum imaginum uſum?* Reſp. Certum eſt nullum dari præceptum naturale, aut divinum: quia nullibi in ſacra Scriptura iſtius præcepti veſtigium, nec ratio aliqua occurrit quæ præfatum uſum præcipiat. Ad præceptum eccleſiaſticum quod attinet, adfirmat dari P. Paulus Nazarius in *III. P. quæſt.* xxv. *art.* 3. *controver.* 2. Quæ ſententia abſolute vera eſt, ſi intelligatur de communi uſu reſpectu omnium fidelium. Quamvis enim hoc mandatum verbis expreſſum latum non ſit, conſuetudine tamen vim legis obtinente invectum eſt. Templa, & altaria ſacris imaginibus ornare adſtringimur. Vetitum eſt ſacrificium in altari, in quo imago Crucifixi non ſit, offerre. Grave paterentur fideles ſcandalum, ſi templa, & altaria quibuſque imaginibus ſpoliata eſſent. Quare non eſt ambigendum, dari eiuſmodi præceptum reſpectu communitatis fidelium. Hoc tamen præceptum non videtur obligare ſingulos fideles, ita ut quiſque vi præcepti adſtringatur imaginibus uti. Vix tamen a culpa excuſandus videretur Catholicus qui ab omni imaginum uſu abſtineret. Nam, ſi eas negligeret ut ſuperfluas & inutiles, in hæreſim incideret: ſi expedientius cenſeret eiſdem non uti, ſuperſtitione non vacaret, ſcandalum ingereret & ab erroris ſuſpicione haud eſſet immunis. Si ex quadam vero ſocordia, & negligentia, vel etiam avaritia imagines non adhiberet privatim, non eſſet, ut mea præfert opinio, alicuius præcepti violator. Præceptum tamen utendi his imaginibus urgere per accidens ſingulos valet, puta confitendæ catholicæ fidei neceſſitate cogente. Huic ſententiæ accedunt Suarez *Tom. I. in III. Part. diſp.* liv. *ſec.* 7. Leander *diſp.* v. *quæſt.* 111. Salmanticenſes *tract.* xxi. *cap.* x. *punct.* 8. *num.* 98.

X. Quæſt. III. *Adeſt ne præceptum eaſdem imagines adorandi?* Reſp. Adfirmat communis ſententia duplex dari mandatum. Alterum negans eſt, quod ſemper &

Digitized by Google

& ubique prohibet eiſdem iniuriam, aut irreverentiam inferre. Alterum eſt adfirmans, quod ſtatis temporibus obligat cultum ipſis impendere, puta cum cauſſa confitendæ fidei occurrit, aut occaſio cultum una cum aliis fidelibus ſimul exercendi erga imaginem publicæ adorationi expoſitam, aut cum accidit aliqua actio exercenda erga ſacras imagines, quæ venerationem exigeret. Vix tamen, ut ego quidem arbitror, contingit quod Catholicus præceptum hoc adfirmans infringat, quin negativum ſimul violet eaſdem imagines contemnendo. In praxi enim aut adorat, aut contemnit. Non nego utrumque extremum declinari poſſe abſolute; ſed in praxi vix accidit.

CAPUT VI.

De cultu reliquiarum.

I. QUemadmodum ſacras imagines, ita & Sanctorum reliquias dignas adoratione eſſe, definitum fuit in pluribus Conciliis, Nicæno II. *act.* III. Carthaginenſi V. *can.* V. Lateranenſi II. *cap.* LXII. Tridentino *ſeſſ.* XXV. *decr.* 2. aliiſque permultis. Cultus iſte perſpicue ex Scriptura colligitur. Ex contactu oſſium Eliſæi homo revixit *IV. Reg.* XIII. Quis dixerit, oſſa Prophetæ, per quæ Deus tam inſigne patravit miraculum, veneratione digna non eſſe? Chriſti ſepulcrum glorioſum prædicatur ab Iſaia *cap.* II. Quis traditionem fidelium, iam inde uſque ab Eccleſiæ primordiis perennem, venerandi ſacrum Chriſti monumentum ſuperſtitionis poſtulaverit, niſi hæreticus? Non ne mulier hemorrhoiſſa fimbriam veſtis Chriſti contingens ſanitatem conſecuta eſt, cuius fidem, & adorationem Chriſtus commendavit? Nonne fideles *ſudaria*, & *ſemicinctia* D. Pauli adhibebant ad infirmos ſanandos? *Act.* XIX. Numquid maiore in pretio, & veneratione hæc Pauli *ſudaria* non habebant ac cetera communia aliorum hominum?

II. Dum Chriſtus *Matth.* XXIII. redarguit Phariſæos, Scribaſque, quod ornarent monumenta iuſtorum, hypocriſim in iiſdem damnat, non cultum; & quod rem bonam pravo ac ſubdolo animo peragerent, ut Ambroſius, & Hieronymus in præfatum Matthæi locum exponunt. Moyſis quoque ſepulcrum Deus abſcondit Iudæis, eo quod eſſent ad idololatriam, & ſuperſtitionem nimium propenſi: quod periculum abeſt a Chriſtianis.

III. Sacrarum cultum reliquiarum a primis Eccleſiæ ſæculis obtinuiſſe, luculentiſſimis monumentis evincunt Theologi catholici. Secundo Eccleſiæ ſæculo, ut refert Euſebius *Lib. IV. hiſt. eccleſ. cap.* XV. Eccleſia Smyrnenſis ſancti Polycarpi Martyris, qui paſſus eſt circa annum Chriſti 167. reliquias venerata eſt. Chriſtiani quoque Hieroſolymitani cathedram S. Iacobi Apoſtoli venerati ſunt, ut narrat idem

idem Euſebius *Lib. VII. cap.* XIX. Quarto autem Eccleſiæ ſæculo cultum hunc viguiſſe in univerſa Eccleſia, ultro fatentur vel ipſi Lutherani, & Calviniſtæ. Porro ſtupenda, ac ſupra modum omnem miranda eſt iſtorum hæreticorum veſana audacia, dum blaterant, Epiſcopos, & Patres tertio Eccleſiæ ſæculo a maiorum fide deſciviſſe, & in idololatriam lapſos. Si ab eis quæras tantæ mutationis momenta, non alia produnt, præter quam quod ipſi non legant, primis tribus ſæculis reliquiarum cultum in uſu fuiſſe. Calvinus ergo, & Lutherus, illorumque gregales melius perceperunt poſt tredecim & amplius ſæcula diſciplinam primæ ætatis quam ſancti Epiſcopi, quam univerſa Chriſtianorum Eccleſia, quæ iiſdem primis ſæculis proxima fuit? Quis, niſi demens, id dixerit? Verum noſtri inſtituti non eſt perſequi quæ uberrima eruditione tractarunt Natalis Alexander, Bellarminus, Gotti, & innumeri alii.

IV. Ea autem adoratione colendæ ſunt reliquiæ ſacræ qua coluntur perſonæ quarum ſunt: quoniam reliquiæ iſtæ perſonas quarum corporis ſunt partes, referunt. Quare ſicut imagines adoramus ob prototypa, ita & reliquias propter perſonas. Audiamus Angelicum, qui *III. Part. quæſt.* XXV. *art.* 6. hæc ſcribit. *Dicendum, quod, ſicut Auguſtinus dicit in Lib. I. de Civ. Dei cap.* XIII. *ſi paterna veſtis, & annulus, ac ſi quid eſt huiuſmodi, tanto carius eſt poſteris, quanto erga parentes eſt maior affectus, nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ utique familiarius, atque coniunctius quam quælibet indumenta geſtamus.... Manifeſtum eſt autem quod Sanctos Dei in veneratione habere debemus tamquam membra Chriſti, Dei filios, & amicos, & noſtros interceſſores. Et ideo eorum reliquias qualeſcumque honore congruo in eorum memoriam venerari debemus, & præcipue eorum corpora, quæ fuerunt templa, & organa Spiritus ſancti in eis habitantis, & operantis, & ſunt corpori Chriſti configuranda per glorioſam reſurrectionem. Unde & ipſe Deus huiuſmodi reliquias convenienter honorat in earum præſentia miracula faciendo.*

V. Quæſt. I. *Quid nomine reliquiarum intelligitur?* Reſp. Sacræ reliquiæ ſunt ſanctorum corporum particulæ, ut capilli, oſſa, carnes, ungues, ſanguis, dentes, cineres, veſtes, vela, panni, & alia quæ ipſorum corpora tetigerunt, aut quibus Sancti uſi ſunt.

VI. Quæſt. II. *Licitum ne eſt adorare vermes in quos Sanctorum corpora reſolvuntur?* Reſp. Adfirmant Vaſquez *de adorat. Lib. III. diſp.* III. *cap.* VIII. *num.* 114. Sanchez *Lib. II. cap.* XLIII. *num.* 2. Caſtropalaus *diſp.* 1. *punct.* 6. *num.* 1. dummodo, inquiunt præfati Auctores, recta intentione colantur: quoniam eadem ratio viget pro adoratione pulveris, & vermis. Pulvis, & cineres, in quos reſolvuntur Sanctorum corpora, coli valent: quidni ergo & vermes?

VII. Hæc opinio communiter reiicitur. Et, ſi ſermo ſit de publica adoratione, vel ipſi citati Auctores concedunt, eam minime licere. Verum nulla adoratio ſive pu-

Digitized by Google

publica, ſive privata talium vermium licita eſt. Quia licet eiuſmodi vermes generentur ex Sanctorum corporibus, attamen indecentiam ſecum adferunt, quæ impedit ne ſint colendi. Indecens enim eſt Sanctos in rebus putidis colere. Putidæ autem beſtiæ ſunt vermes iſti: & cum vita fruantur, viderentur propter ſe adorari. Quare tamquam imprudens ſuperſtitio reiicienda eſt horum vermium adoratio, ſive publica, ſive privata. Et revera, ſi privata liceret; quidni & publica? Et ſi publica indigna reputatur; cur non & privata?

VIII. Ut ſacræ reliquiæ cultu publico adorari poſſint, debent eſſe alicuius Sancti vel canonizati, vel beatificati ab Eccleſia. Quia, ſi nullus coli publice ut Sanctus poteſt, quin prius ſit ritu ſolemni in Sanctorum cenſum ab Eccleſia perſcriptus; potiori iure nequeunt eorumdem reliquiæ coli, cum reliquiæ propter Sanctos, quorum ſunt, colantur.

IX. Quæſt. III. *Quæ certitudo requiritur, ut reliquiæ colantur tamquam particulæ alcuius Sancti?* Reſp. Ut prudenter reliquias colamus, ſcire debemus, quod ſint reipſa reliquiæ, ſeu aliquæ portiones, ſeu res ad aliquem Sanctum, vel Beatum pertinentes. Prudens enim ſit oportet cultus noſter, ne res profanas pro ſacris colamus. Hæc autem certitudo debet eſſe moralis. In rebus enim moralibus non niſi certitudo moralis requirenda eſt. Hæc ſufficit ad prudentem operationem, ut omnes fatentur Theologi. Quæ autem teſtimonia requirantur, ut hæc moralis certitudo habeatur, non poteſt facile definiri. Diſtinguendus primum eſt cultus publicus a privato. Ut cultus publicus deferatur ſacris reliquiis, debent defunctorum animæ in cenſum Sanctorum, aut Beatorum eſſe perſcriptæ a Romano Pontifice. Inſuper debent ſacræ reliquiæ eſſe ab Epiſcopo recognitæ, antequam publico cultui exponantur. Ut tibi vero conſtet, hanc reliquiam eſſe Sancti ab Eccleſia canonizati, ſatis eſt ab Epiſcopo eamdem ut talem declaratam eſſe. Pro cultu vero privato ſatis eſt virum probum, & gravem teſtari hanc reliquiam eſſe alicuius Sancti; dummodo tamen contraria argumenta non occurrant. In hoc genere extrema cavenda ſunt, videlicet & facilis credulitas, & ſeverior critice. Quoties adſint coniecturæ fraudis, & impoſturæ, quæ non tam raro accidunt, difficiliorem in adhibenda fide te exhibeto. Si prudens ſuſpicio doli, fraudiſque non occurrit, non eſt cur fidem deneges. Cur teſtimonium viri gravis, & probi reiicere debes, niſi æquale, vel quaſi æquale dubitandi fundamentum habeas? Plures, inquis, doli & fraudes ab impoſtoribus avaritiæ, & quæſtus cauſſa perpetrantur. Verum habet. Sed hinc ſolum conſequitur, caute prudenterque te habere opus eſſe, antequam aſſenſum præbeas. In omni commerciorum genere fraudes, & doli accidunt veteratorum hominum iniquitate. Propterea ne ab omni ſocietate, & contractu abſtinendum? Eam ergo in colendis reliquiis prudentiam adhibe qua in aliis gravibus negotiis uteris.

Digitized by Google

X. Quæſt. IV. *Quas reliquias approbare valet Epiſcopus, ut eædem publico cultui exponantur?* Reſp. Ut iam indicatum eſt, eas tantum Epiſcopi reliquias recognoſcere, & approbare pro cultu publico valent quæ ſunt alicuius vel Beati, vel Sancti a Romano Pontifice canonizati, ut habetur ex *cap.* Fin. *de reliq. & venerat. Sanct.* Quod verum habet de reliquiis recenter inventis. Siquidem antiquorum Sanctorum reliquiæ, quæ populi chriſtiani univerſali conſuetudine adoratæ ſemper fuerunt, non eſt cur Epiſcopi eas approbare non debeant; tametſi Sancti illi non fuerint conſueto ſolemni ritu in Sanctorum albo a Romano Pontifice recenſiti. Quoniam hæc perennis & univerſalis traditio pro ſolemni canonizatione habetur. Si dubium aliquod grave occurrat ſuper reliquiarum abuſu, hæc decernit Concilium Tridentinum. *Si aliquis dubius, aut difficilis abuſus ſit extirpandus, vel omnino aliqua gravis quæſtio de his rebus incidat, Epiſcopus, antequam controverſiam dirimat, Metropolitani, & comprovincialium Epiſcoporum in Concilio provinciali ſententiam expectet: ita tamen ut nihil inconſulto ſanctiſſimo Romano Pontifice, novum, aut in Eccleſia hactenus inuſitatum decernatur.* Seſs. xxv. de invocat. Sanct.

XI. Quæſt. V. *Licitum ne eſt authenticas reliquias collo ſuſpenſas ſecum deferre?* Reſp. Omnes fatentur licitam eſſe eiuſmodi delationem: quia hæc cedit in cultum & venerationem Sanctorum quorum ſunt reliquiæ iſtæ. Ut tamen licita ſit delatio iſthæc, abeſſe oportet periculum obſcænitatis, pollutionis, & indecentiæ, prout communiter abeſt. Neque enim quocumque ipſius delatoris peccato hæ reliquiæ polluuntur, aut indecentiam patiuntur; ſed tunc indecentia, aut pollutio reliquiarum contingit, cum in ipſam aliqua irreverentia, deriſio, vel contemptus exercetur. Hinc qui fornicatur, furatur, aliudve crimen perpetrat, non eſt dicendus ſacrilegus in reliquias quas cultus cauſſa ſecum defert, quia hæc peccata cultui reliquiarum directe non opponuntur: nihilque prohibet furem, mœchum, alioſque flagitioſos Catholicos colere reliquias ſuas, quamvis plura exerceant ſcelera. Aliquam tamen irreverentiam adeſſe, Chriſtianum his ſacris ornatum ſymbolis Deum offendere, nemo eſt qui inficias ire valeat; ſed quod grave ſacrilegium dici debeat, nullum adeſt ſolidum fundamentum.

XII. Quæſt. VI. *Peccat ne qui ſacras reliquias furatur devotionis cauſſa?* Reſp. Sententia communis eſt, nullum perpetraturum peccatum Chriſtianum illum qui ab infideli ſacras reliquias ſurriperet: quia illas irreverentiæ & pollutionis periculo ſubduceret, & ab iniuſto poſſeſſore illas vindicaret: iniuſte quippe infideles ſacra hæc pignora poſſident. Qui vero ab alio Catholico reliquias furatur, dubio procul ſacrilegum furtum perpetrat. Quandoquidem, licet temporali pretio reliquiæ ſacræ non ſint ſubiectæ; tantæ tamen apud fideles æſtimationis ſunt, ut grave ſpirituale damnum patiatur poſſeſſor qui invitus tanto theſauro ſpoliatur. Quid, ſi reliquia parva ſit, erit ne eiuſdem furtum grave ſacrilegium? Furti malitia non pon-

ponderatur magnitudine, aut parvitate, ſed raritate, & æſtimatione reliquiæ. Minima crucis ſacroſanctæ, ſpineæ coronæ, aut alterius raræ reliquiæ particula maximo in pretio habetur; & qui invitus eadem ſpoliatur, magna afficitur triſtitia, gravique incommodo. Quare ſimilium reliquiarum furtum, etiam in minima quantitate, grave ſacrilegium eſt. Neque hinc tricandi anſam arripias, non omnes Sanctorum reliquias eſſe eiuſdem valoris: quoniam nunc furti quantitatem metimur, non ex valore quem habent reliquiæ ſacræ abſolute, & per ſe acceptæ; ſed ex offenſa poſſeſſori irrogata tali furto. Omnes enim ſacræ reliquiæ cuiuſque terreni pretii limites tranſiliunt. Verum quia una præ alia difficilius, aut facilius acquiri poteſt; ideo maiori, vel minori turbatione, & iniuria afficitur qui eadem ſpoliatur.

XIII. Quæſt. VII. *Licitum ne eſt Principi in bello iuſto ex urbibus illis a ſe expugnatis reliquias extrahere, & alio transferre?* Reſp. Adfirmat P. Ioannes Ferrandus *in diſq. Reliq. Lib. I. cap.* VIII. *art.* 3. eo quod bona etiam inter Chriſtianos iuſto bello parta ad victores pertinent. Verum hæc opinio merito a Theologis communiter reprobatur. Siquidem reliquiæ ſunt bona Eccleſiæ, quæ ob delictum civitatis occupari nequeunt: ſuntque a laicali iuriſdictione exemptæ, & huic Eccleſiæ affixæ, & in Dei cultum deſtinatæ. Conſuetudo quoque id confirmat: ipſi enim Principes ab eiuſmodi ſacrariis expoliandis abſtinent etiam in civitatibus iure belli captis. Bellum ſiquidem iuſtum iura temporalia, ſecus ſpiritualia, ſpectat.

XIV. Quæſt. VIII. *Licita ne eſt venditio, & emptio reliquiarum?* Reſp. Negans ſententia ex iis quæ dicta ſunt, conſtat. Res enim ſpirituales nullo temporali pretio ſubiacent: & qui ſpiritualia temporali pretio comparat, ſimoniæ labe inquinatur. Quin in reliquiarum uſu, & donatione omnis turpis quæſtus ſuſpicio abſit oportet. Quare Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXV. *decr. de invoc. Sanct.* hæc præcipit. *In reliquiarum veneratione omnis turpis quæſtus eliminetur.* Hinc tamen minime ſequitur, vetitum eſſe ab infidelibus, ſoluto pretio, ſacras reliquias comparare: quia tum pretium non ſolvitur pro valore reliquiarum; ſed ut reliquiæ ſubtrahantur irreverentiæ, & profanationi infidelium. Vexatio redimitur, non res ſacra emitur. Neque illicitum videtur cuſtodi reliquiarum pecuniam aliquam dare, ut reliquias ſacras viſendas præbeat; dummodo pecunia hæc ſolvatur abſque ullo pacto, & ob incommodum, ac laborem corporeum, cui ſuccumbit cuſtos, & in grati animi teſtimonium. Ceterum illicitum foret pacto inito expreſſo vel tacito inducere cuſtodem ad oſtendendas reliquias pretio conſtituto.

XV. Quæſt. IX. *Eſt ne ſimoniæ peccatum exponere ſacras reliquias videndas, ut inde largiores eleemoſynæ offerantur?* Reſp. Duplicem aliqui Theologi intentionem diſtinguunt in exponente reliquias: magis principalem unam, minus principa-

cipalem alteram. Si intentio eleemoſynarum ſit minus principalis, nullam contingere culpam aſſerunt; peccari vero, ſi intentio hæc principalis ſit. Alii abſolute illicitum hoc eſſe contendunt. E contrario Caſtropalaus *tract.* VIII. *diſput.* I. *punct.* 6. *num.* 18. Leander *diſp.* IV. *quæſt.* XXXIII. Salmanticenſes *tract.* XXI. *cap.* X. *punct.* 9. *num.* 115. defendunt, non peccaturum mortaliter eum qui etiam principaliter in reliquiarum oſtenſione intenderet eleemoſynarum acquiſitionem; dummodo nullum interveniret pactum: quia, inquiunt, oſtenſione reliquiarum intendere acquiſitionem eleemoſynarum non eſt eas venales exponere; nec turpis quæſtus committitur, quia non intervenit pactum, vel conventio. Qui hac intentione reliquias oſtendunt, movere fideles dumtaxat intendunt ad eleemoſynas erogandas; ſecus vero eos ad id obligare. Sed intendere liberalem eleemoſynarum largitionem oſtenſione reliquiarum non eſt ſimonia. Ergo licitum id erit; aut ſaltem non culpa mortalis: *quia* (inquiunt Salmanticenſes) *ſaltem venialis abeſſe in hac intentione nequit; cum detur deordinatio aliqua a virtutis religionis fine*.

XVI. Hæc opinio mihi non probatur, eo quod Concilium Tridentinum præcipit ut in reliquiarum veneratione omnis turpis quæſtus eliminetur. Porro qui principaliter quæſtum in hac veneratione intendit, eliminat ne omnem turpem quæſtum? Vir quippe iſte quæſtum reapſe aſſequitur in eleemoſynarum ampla largitione, quarum intuitu potiſſimum, atque ob hunc potiſſimum finem reliquias viſendas exponit. Homo iſte pravam habet intentionem. Quid ergo ad ſacrilegam ſimoniam deeſt? Pactum, & conventio, reſpondent Salmanticenſes. At hoc non aliud concludit quam quod non interveniat ſimonia realis extrinſeca ex utraque parte. Hoc tantum evincit, largientes eleemoſynas immunes eſſe a culpa: quia abſque ulla prava intentione Deo offerunt ſua bona in Sanctorum memoriam. At numquid abſque hoc pacto, & conventione peccare nequit ille qui ob merum putumque quæſtum reliquias exponeret videndas? Numquid ſimonia mentalis peccatum non eſt? Qui vero mente intendit temporale emolumentum ex re ſpirituali, & hac principali intentione reliquias exhibet videndas; qua ratione excuſari a ſimonia mentali valet? Quod non intendat eleemoſynas tamquam pretium, ſed tamquam liberalem elargitionem? Verum hæc præciſio parum confert ad purgandam a ſimoniæ labe præfatam intentionem. Quoties enim *principaliter* quis intendit temporale pro re ſpirituali, is ſane ſimoniæ reus eſt. Quid plura? Nonne ipſi Salmanticenſes fatentur, præfatam intentionem inordinatam eſſe, & veniali culpa non carere? Porro, ſi fatentur hanc intentionem a recto religionis fine & ordine deflectere; cur venialis, non autem letalis erit intentio iſthæc; cum ſit in materia gravi? Quæſtus temporalis pro re ſacra ſuapte natura vitioſus eſt. Ergo qui illum principaliter intendit, graviter peccat.

XVII. Quæſt. X. *Eſt ne aliqua pœna conſtituta contra reliquiarum fures?* Reſp. Iure

Iure communi nullam latam eſſe pœnam contendit Suarez *Tom. V. in III. Part. diſp.* XXII. *ſect.* 2. *num.* 9. Sanchez *Lib. II. cap.* XLIII. *num.* 14. Caſtropalaus *diſp.* II. *punct.* 6. *num.* 21. Affirmant vero communiter latam eſſe excommunicationem a Gregorio XIII. in conſtitutione quæ incipit *Pontificiæ ſollicitudinis*, potiſſimum adverſus eos qui ex cœmeteriis, cryptis, vel catacumbis Romanis ſacras furantur reliquias: quam pœnam extendit præfatus Pontifex adverſus eos omnes qui ex quibusvis locis ſacris reliquias ſurripiunt. Huic pœnæ ſubiectos eſſe Prælatos Regularium docent, dum hi particulas corporum beatorum in Eccleſiis propriis quieſcentium recidunt, ut eaſdem donent, alienentque: quoniam præſatæ reliquiæ inter bona Conventuum pretioſa computantur: quod tamen intelligendum eſt de reliquiis inſignibus thecis incluſis.

XVIII. Quæſt. XI. *Licitum ne eſt cereos agnos venerari?* Reſp. Omnes Catholici affirmant, eiuſmodi ſacros agnos dignos eſſe veneratione, ut ceteras res ſacras: ſunt enim a ſummis Pontificibus ſolemni ritu deſtinati in cultum ſacrum, ſuntque imagines Dei, qui eorumdem venerationem toties confirmavit pluribus miraculis.

XIX. Quæſt. XII. *Vetitum ne eſt præfatos agnos ſub excommunicationis pœna pingere, vendere, & tangere?* Reſp. Gregorius XIII. ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ prohibuit eiuſmodi ſacros agnos coloribus, minioque depingere, aurum, vel colorem aliquem eiſdem addere: cuius conſtitutionis initium eſt *Omni certo ſtudio*. Minime tamen vetitum eſt eoſdem thecis includere etiam pretioſis; dummodo albi, & nitidi, nullo adiecto colore, miniove ſerventur. Ad venditionem quod attinet, certum eſt penes omnes Catholicos, res ſacras venditioni, vel emptioni ſubiectas non eſſe. Licitum vero eſt pretium accipere, & dare pro materia ex qua cerei iſti confecti ſunt; ſicuti & calices, aliæque res ſacræ ratione materiæ venduntur. Cavendum tamen ne ſub hoc materiæ velo avaritia, & ſimonia latitet. Nam ſi quis prætextu materiæ, aut thecæ, in qua agnus includitur, pretium ultra limites iuſtos augeret, præſcius quod emptor pretium ſoluturus ſit, ut cereum ſacrum aſſequatur, non evaderet ſacrilegæ avaritiæ, & ſimoniæ labem. An poſtea licitum ſit laicis eiuſmodi cereos agnos tangere, negant aliqui. Sed mihi videtur, nullam perpetraturos culpam viros illos, aut mulieres, quæ reverenter, & devotionis, aut neceſſitatis cauſſa eoſdem tangerent: idemque aſſero de ceteris ſacris reliquiis quas fideles ſecum deferunt, & ad manus quotidie habent. Nimis profecto abſonum videtur, Catholicos, qui cultum reliquiarum foventes eaſdem collo ſuſpenſas deferunt, ob ſolum reverentem contactum culpæ reos damnare. Quid, ſi theca in qua incluſus eſt agnus, frangatur? Abſtineant ergo ſive laici, ſive Eccleſiaſtici a contactu profano, minuſque decenti. Ceterum eos oſculentur, tangantque, devotione, aut neceſſitate urgentibus.

XX.

Digitized by Google

XX. Quæſt. XIII. *Quæ veneratio veſtibus ſacerdotalibus, vaſis ſacris, & templis debetur?* Reſp. Quod vaſa ſacra, templa, & ornamenta in Dei cultum deſtinata, digna ſint veneratione, Catholicorum nemo inficiatur. Porro, cum hæc omnia ad Deum colendum ſint inſtituta, planum eſt latriæ cultu eſſe adoranda, quia Deus in iiſdem adoratur: idque definitum eſt in Concilio generali VII. *act.* VI. ubi hæc habentur. *Domine, præter te neminem novimus, nomen tuum vocamus. Teſtis eſt ipſe beatorum Angelorum exercitus: teſtis Apoſtolorum, Prophetarum, Martyrum, & ſanctorum Patrum cœtus. Ad recordationem autem ſenſitorii noſtri, ad tuam gloriam, quo ad magnificentiam, & figuram divinæ crucis tuæ adducamur, evangelicam narrationem, & imaginum picturam habemus: habemus item & alia plurima conſecrata vaſa: hæc, quia in nomine tuo facta ſunt, & conſecrata, exoſculamur.* En quomodo paucis verbis Concilium omne idololatriæ periculum amoliatur, dicens, quod Catholici neminem præter Deum, unum, trinumque adorent: quod imagines adhibeamus ad ſenſus noſtros in Dei cultum erigendos excitandoſque: in hunc finem ſacros Evangelii codices, vaſa ſacra, & alia ornamenta habemus. Quemadmodum ergo cultu latriæ Dei imagines adoramus, ſic quoque eadem adoratione templa, vaſa ſacra, & cetera ornamenta divino ſervitio addicta colimus. Idque clarius docet Epiphanius nomine Concilii loquens *act. cit.* §. Hæreticis proprium. *Hæc igitur nos, qui Deo ſoli & uni latriam exhibemus in ſpiritu & veritate, ſcientes, quæcumque illi offeruntur, aut conſecrantur, ſive divina fuerit crucis venerandæ figura, ſive ſacer Evangelii codex, ſive venerandæ imagines, ſive ſacra vaſa, ea amplectimur, & veneramur; ut qui ſpem habeamus ſanctificationis ab ipſis reddendæ, & illis ob id adorationem honorificam exhibemus. Adorate enim, ait* [*Pſalm.* LXXXXVIII.] *ſcabellum pedum eius, quia ſanctus eſt ipſe. Quam ob cauſam Gregorius Theologus in ſermone Natalium Domini ſic inquit: Bethlehem honore affice, & præſepe adora, & contrectatione ſancta ſunt.* Conſule, ſi lubet, etiam D. Thomam 2. 2. *quæſt.* LXXXXIX. *artic.* 3. Ratio obvia eſt. Nam ideo ſacræ imagines Dei, & Chriſti Domini adoratione latriæ coluntur, quia ſacra ſymbola ſunt, quæ nobis ad Deum, divinaque myſteria repræſentanda ſunt inſtituta: eo ergo cultu quo colitur Deus, adoranda ſunt. Hæreticorum nugæ iam ſupra repulſæ ſunt.

XXI. Quæſt. XIV. *Quomodo calices, corporalia, & aliæ res ſacræ tangi a laicis poſſunt?* Reſp. Plura extant decreta quæ laicis vetant tangere vaſa ſacra, ut calices, pallas, corporalia, caſulas, & alia ornamenta ab Epiſcopo benedicta, præſertim *cap.* Sacratas *diſt.* XXIII. item *cap. Sancta hac apoſtolica*. Quæ tamen decreta quantum ad omnia vim modo non habent. Nam communi uſu receptum eſt tam viros, quam mulieres licite tangere caſulam, & alias ſacras veſtes ab Epiſcopo benedictas; maxime cum adeſt iuſta cauſſa eaſdem lavandi, reficiendi

di &c. Vaſa quoque non conſecrata reverenter tangi a laicis valent, ſecus poſt conſecrationem. Quare abſque veniali culpa nequeunt laici tangere calicem conſecratum, etiam vacuum, patenam, & corporalia. Idque probat Suarez: quia ſummi Pontifices privilegium impertiti ſunt Religioſis laicis Minorum, & Societatis Ieſu, ut poſſint vacuos calices, patenam, & alia vaſa conſecrata immediate tangere, maxime dum Eccleſiis inſerviunt: quod argumento eſt, eoſdem communi iure contrectare illa minime poſſe. Qui tamen prima tonſura initiati ſunt, ab hoc contactu non prohibentur. Calix vero continens ſanguinem Chriſti, neceſſitate ſublata, a ſolo Sacerdote, vel Diacono tangi licite valet. Neceſſitate vero urgente, etiam ipſum corpus Chriſti a laicis tangi valet; ut ſi hoſtia conſecrata in terram caderet, abſente Sacerdote, a quoquam elevari ſumma cum reverentia deberet, & Sacerdoti quamprimum tradi in ſacrario reponenda. Similiter, ſi Sacerdoti communicanti caderet particula conſecrata in ſinum mulieris, ab hac reverenter, non a Sacerdote, elevari deberet. Nec enim Dominus qui corpus ſuum ſacratiſſimum tangendum præbet linguæ, ori, faucibuſque mulieris, ſe tangi digitis eiuſdem dedignatur, neceſſitate urgente ſervandæ modeſtiæ, atque periculum, ſcandalumque amoliendi cauſſa.

XXII. Corporalia, & purificatoria tangi diximus poſſe a laicis Regularium vi privilegii, dum ſacriſtiæ inſerviunt. Numquid etiam eadem lavare poterunt? Diſtinguunt communiter Auctores tres lotiones. Plura referri privilegia ſolent vi quorum Fratres laici Ordinum regularium, & Moniales poſſint corporalia, & purificatoria tangere, ac lavare. Verum his omnibus miſſis, ſtandum eſt conſuetudini ubique obtinenti, videlicet primam lotionem a Sacerdotibus, vel Diaconis eſſe faciendam. Ex privilegiis quæ in ſavorem laicorum Fratrum adducuntur, non aliud eruitur, quam quod valeant præſata tangere, dum ſacriſtiæ inſerviunt; ſecus quod valeant eadem lavare. Porro iura quæ vetant eiuſmodi lotionem, ſunt valde manifeſta, quæque ipſa praxi, & conſuetudine iam dicta fortiora evadunt: ideo pro certo habendum, primam corporalium, & purificatoriorum lotionem Sacerdotibus, & Diaconis ſervatam eſſe: & hæc eſt communior Theologorum opinio.

XXIII. Quæſt. XV. *Res ſacræ converti ne licite poſſunt in uſus profanos?* Reſp. Primum certum eſt, grave ſcelus eſſe uti rebus ſacris, uſquedum retinent ſuam formam, in profanos uſus; ut ſi quis calicem in communi menſa ad bibendum adhiberet. Quoniam talis uſus eſſet manifeſtus contemptus. Rex Balthaſſar morte a Deo plexus fuit, quod vaſa domus Dei adhibuerit ad menſam: quia, ut habetur Levit. XXVII. *quidquid ſemel fuerit conſecratum, ſanctum ſanctorum erit Domino*. Legatur D. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *art.* II. quoniam in re exploratiſſima non vacat prolixius immorari.

XXIV. Quare reiicienda eſt abſolute ſpectata ſententia Ioannis Dicaſtillo, qui

ex

ex Henriquez docet tract. v. de ſacrif. Miſſ. diſp. 1v. num. 231. *non videri mortale, ſed morem eſſe pro comœdiis honeſtis* (quod ego intelligerem pro comœdiis ſacris) *& intra Eccleſiam, uti illis veſtimentis; & mihi placet, maxime ad repræſentandum aliquem ſanctum Presbyterum, aut Diaconum, aut aliquod ſimile, judicio prudentis determinandum*. Hunc quem Dicaſtillus morem vocat ſibi tantum notum, ceteris autem omnibus incognitum, ſacrilegum eſſe abuſum, omni circumſtantia ſublata, adeo compertum eſt, ut nulla opus ſit probatione. Veſtes igitur ſacras, vaſa Deo dicata licebit in ſcenas inducere? Legatur Tridentinum *ſeſſ.* IV. *decr. de edit. lib.* Quid quod dum hæc excuſare Dicaſtillus contendit, ſceleſtiora efficit? Scenarum turpitudinem templorum ſanctitate obtegere ille credit. Qui ſacras veſtes in profanum theatrum induceret, ſacrilegium perpetraret. Qui vero templa in theatra, altaria in ſcenas convertit: qui templa una cum veſtibus ſacris profanat: qui comicorum, & hiſtrionum impudentem artem exercent in ſacris locis, hi ſunt ab iniquitate immunes? Horrent hæc piæ aures, & magis deteſtatione quam impugnatione reiici illa debent. Res ſacræ ritu ſacro, & ab Eccleſia probato, non comico, & theatrali, repræſentandæ ſunt.

XXV. Quamquam res ſacræ ſciſſione, & fractione benedictionem, & conſecrationem amittant; non inde tamen ſequitur licitum eſſe earumdem uſum in profanum convertere. Idque probat Angelicus canonum auctoritate inducta III. Par. quæſt. LXXXIII. artic. 3. ad 3. *Propter hoc etiam quod aliquam ſpiritualem virtutem adipiſcuntur per conſecrationem in eadem diſtinctione* (diſt. 1. de conſecr. cap. XXXVI. Ligna Eccleſ.) *ſtatutum legitur: Ligna Eccleſiæ dedicata non debent ad aliud opus jungi, niſi ad aliam Eccleſiam, vel igni comburenda, vel ad profectum in Monaſterio Fratribus; in laicorum autem opera non debent admitti. Et ibidem legitur* (cap. XXXIX.) *Altaris palla, cathedra, candelabrum, & velum, ſi fuerint vetuſtate conſumpta, incendio dentur: cineres quoque eorum in baptiſterium inferantur, aut in pariete, aut in foſſis pavimentorum iactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur*. Addendum, ligna Eccleſiæ dirutæ applicanda non eſſe neque in Monaſteriorum communes uſus, ut ad coquinæ ignem, vel ad repaſtinandas vineas; ſed vel ad capitulum, dormitorium, aliave religioſa loca, ut reverentia ſacris rebus debita ſervetur. Quod in laudato capite de conſecratione ſtatuitur pro altaris palla, & cathedra; idem de ſacerdotalibus veſtimentis, aliiſque Eccleſiæ ornamentis dicendum. Quin addit Sylveſter *verb.* Benedictio *quæſt.* VII. lapides Eccleſiæ dirutæ in Monaſteriorum ædificia convertendos eſſe. Conſule Suarez. *III. Part. diſput.* LXXXI. *ſect.* 8. Salmanticenſes *tract.* XXI. *cap.* X. *punct.* II. §. 2. Azorium *Tom. II. inſt. Lib. IX. cap.* IX. *quæſt.* VII.

XXVI. Quæſt. XVI. *An vaſa ſacra, poſtquam fracta ſunt, vendi valeant?* Reſp. Ut eiuſmodi vaſa in profanum uſum converti, & venalia exponi valeant, debent

igue

Digitized by Google

igne, vel ferro ita amittere priorem formam, ut nihil eiuſdem remaneat, itaut auri, argentique communis materia appareat. Tunc enim, cum nil ſacri in iis conſpiciatur, nihil quoque eſt quod profanetur. Quare non caret irreverentia, & ſacrilegio calices vendere, oppignorari etiam ad uſus ſacros ſub prætextu quod vendantur non ut conſecrati, ſed ut conſtant materia venali. Spectandæ tamen ſunt circumſtantiæ, & potiſſimum finis, ac neceſſitas. Veſtimenta ſacra, etiam conciſa, non debent in uſus profanos converti, aut vendi: quia iſtorum materia nequit, ſicut illa calicis, aliorumque vaſorum, penitus tranſmutari. Quare vel comburenda, aut ad reſarcienda alia ſacra veſtimenta adhibenda ſunt. Quandonam calix, aliaque ſacra vaſa, & ornamenta Eccleſiis deputata benedictionem, & conſecrationem amittant, conſule Barboſam *de offic. & poteſt. Epiſcopi par.* 11. *alleg.* 27.

XXVII. Quæſt. XVII. *Res profanæ converti ne in uſum ſacrum poſſunt?* Reſp. Adfirmant communiter Theologi, dummodo, deleta artificioſa forma, ad formam reducantur aptam & conſuetam pro muneribus ſacris obeundis. Neque aliqua diſficultas in oppoſitum urget: immo omnia ornamenta ſacra ex communi materia conficiuntur. Accedit praxis communis, qua pretioſæ matronarum, viduarumque veſtes in Sacerdotum caſulas, & alia Eccleſiæ ornamenta tandem convertuntur. Sacra enim benedictione quælibet profana macula deletur. Quid quod vel ipſas laicorum domos in templa ſacra aliquando Pontifices ſummi commutarunt? Sic Marcellus Papa S. Lucinæ, & Urbanus S. Cæciliæ domos in Eccleſias Deo conſecratas dicarunt: & Bonifacius IV. amplum illud, & magnificentiſſimum Pantheon, Ethnicorum olim templum, in Eccleſiam convertit forma immutata, & benedictione, atque conſecratione adiecta.

DIS-

DISSERTATIO II.

DE VITIIS OPPOSITIS RELIGIONI, SEU DE SUPERSTITIONE, EIUSQUE SPECIEBUS.

CAPUT I.

Definitio, ac diviſio ſuperſtitionis.

I. SUperſtitio deſcribitur a D.Thoma 2.2.*quæſt.*XCII. *art.*1. his verbis. *Superſtitio eſt vitium religioni oppoſitum ſecundum exceſſum, non quia plus exhibeat in cultum divinum quam vera religio, ſed quia exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo quo non debet.* Perſpicua ſunt omnia.

II. Superſtitionem primum in duas ſpecies Angelicus tribuit *loc. cit. art.* 2. Altera nuncupatur *ex modo indebito colendi Deum*; altera *ex parte obiecti quod colitur.* Prima cultum debitum Deo offert, ſed modo indebito: ſecunda cultum Deo debitum creaturæ exhibet. *Diverſificantur ergo ſuperſtitionis ſpecies primo quidem ex parte modi; ſecundo ex parte obiecti. Poteſt enim divinus cultus exhiberi vel cui exhibendus eſt, ſcilicet Deo vero; modo tamen indebito; & hæc eſt prima ſuperſtitionis ſpecies: vel cui non debet exhiberi, ſcilicet cuicumque creaturæ; & hoc eſt aliud ſuperſtitionis genus, quod in multas ſpecies dividitur ſecundum diverſos fines divini cultus.* Primam ſuperſtitionem modi indebiti dividit Angelicus *quæſt.* XCIII. *art.* 1. in alias ſuperſtitiones: quarum prima in eo eſt ſita quod Deo tribuatur cultus falſus, ſeu pernicioſus, qui falſus eſſe poteſt ob rem ſignificatam; ut ſi quis Iudæorum cæremoniis nunc Deum adoraret; vel ſi falſis miraculis quis intenderet fidem catholicam confirmare; aut divinis officiis turpia miſceret. Poteſt itidem eſſe falſus, atque pernicioſus ex intentione colentis; ut ſi quis ſe fingeret Eccleſiæ Sacerdotem, & ſacrificia offerret: qui cultus falſus ex parte colentis non modo in publico, ſed etiam in privato contingere poteſt. Exempla adducit Caietanus in Comment. *ad hunc artic.* in ieiunio, & oratione: ut ſi quis contra modum Eccleſiæ ieiunaret in dominica; aut oraret ſic in propria perſona, ut nullum haberet reſpectum ad Eccleſiam, cum præceptum orandi in perſona Eccleſiæ a Domino impoſitum ſit. *Orabitis: Pater noſter: Panem noſtrum: Dimitte nobis.* Quare qui hanc precem pro ſe tantum Deo offerret, cultu falſo Deum coleret. Quæ tamen hoc in ſenſu intelligenda ſunt, dum quis poſitive vellet a participatione iſtius precis ce-

ceteros fideles excludere; aut vellet die dominico ieiunare, nulla habita eccleſiaſticæ diſciplinæ ratione, ſed ut ipſe peculiarem ritum inſtitueret. Nullius vero ſuperſtitionis reus eſſet qui ſpiritu pœnitentiæ actus diebus dominicis ieiunaret, non ut ſingularem diſciplinam inveheret, ſed ut carnem fortius ſpiritui ſubiiceret, pœnaſque peccatis debitas perſolveret: ſimiliter qui dominicam precem Deo offerret pro ſemetipſo, abſque intentione excludendi alios fratres.

III. Altera ſuperſtitionis ſpecies ex parte modi indebiti colendi Deum eſt, quando ſuperfluus cultus Deo tribuitur, ut ſubdit idem Angelicus. *Si autem aliquid ſit quod, quantum eſt de ſe, non pertinet ad Dei gloriam, neque ad hoc quod mens hominis feratur in Deum, aut quod carnis concupiſcentiæ inordinatæ refrenentur, aut etiam ſi ſit præter Dei, & Eccleſiæ inſtitutionem, vel contra conſuetudinem communem, quæ ſecundum Auguſtinum pro lege habenda eſt, totum hoc reputandum eſt ſuperfluum, & ſuperſtitioſum: quia in exterioribus ſolum conſiſtens, ad interiorem Dei cultum non pertinet. Unde Auguſtinus in Lib. de vera Relig. inducit quod dicitur Luc.* XVII. Regnum Dei intra vos eſt, *contra ſuperſtitioſos, qui ſcilicet exterioribus principalem curam impendunt*. 2. 2. quæſt. XCIII. art. 2. Itaque qui aliquos precandi modos ſibi ex arbitrio præſtitueret, ut ſi vellet tantum poſt ſolis ortum orare, aut Miſſam Sacerdotis qui vocetur Antonius, & non alio nomine, aut cum tot candelis, & non pluribus, nec paucioribus, aut iſtius, & non alterius coloris, audire; aut ſi, miſſis cæremoniis ab Eccleſia conſtitutis, ex arbitrio alias ſibi fingeret; reus eſſet ſuperſtitionis: nec illi proficeret intentio hæc omnia dirigendi in proprium profectum: quoniam exterior cultus contra Eccleſiæ ſtatuta vitioſus eſt: ergo nulla purgari intentione valet a culpa ſuperſtitionis. Ignorantia tamen, potiſſimum in levioribus, innâta bonæ intentioni, a culpa, ut ego quidem arbitror, excuſare poteſt.

IV. Secunda ſuperſtitionis ſpecies ex parte rei cultæ, eſt, cum exhibetur cultus, inquit D. Thom. 2. 2. quæſt. XCII. art. 2. *cui non debet exhiberi, ſcilicet cuicumque creaturæ: & hoc eſt aliud ſuperſtitionis genus, quod in multas ſpecies dividitur ſecundum diverſos fines divini cultus*. Quoniam, ſi cultus in divinam reverentiam inſtitutus creaturæ offertur, appellatur *idololatria*. Alio modo cultus divinus inſtitutus eſt, ut homo inſtruatur a Deo, quem colit. Porro ſi, Deo ſpreto, dæmones conſulit, aliquo inito tacite, vel expreſſe pacto; tunc contingit ſecunda ſuperſtitionis ſpecies ex parte rei cultæ, quæ aſſeritur *divinatio*. Tertia tandem ſuperſtitionis ſpecies ex parte rei cultæ eſt, cum divinus cultus, qui ordinatur ad directionem actuum humanorum ſecundum inſtituta Dei, qui colitur, offertur dæmoni, a quo petitur auxilium: & dicitur *vana obſervantia*. Hæc tria, inquit Angelicus, *tangit Auguſtinus in Lib. II. de Doctr. Chriſt. dicens, ſuperſtitioſum eſſe quidquid inſtitutum eſt ab hominibus ad facienda, & colenda idola pertinens; & hoc*

hoc pertinet ad primum : & poſtea ſubdit : Vel ad conſultationes , & pacta quædam ſignificationum cum dæmonibus placita, atque fœderata; quod pertinet ad ſecundum : & poſt pauca ſubdit : Ad hoc genus pertinent omnes ligaturæ, & cetera huiuſmodi ; quod pertinet ad tertium.

V. Quæſt. I. *Quodnam peccatum ſit ſuperſtitio ex modo indebito colendi Deum?* Reſp. Ut ex dictis conſtat, duo ſunt ſuperſtitionis genera: alterum ex parte modi Deum colendi; alterum ex parte rei cultæ. De primo ſuperſtitionis genere in præſens quærimus. Et primum dicimus, quod exhibere Deo cultum falſum, ſive ratione rei ſignificatæ, ſive ratione colentis, natura ſua peccatum eſt mortale : ſiquidem mendacium perniciofum in re gravi peccatum letale eſt. Porro ſuperſtitio eſt mendacium pernicioſum in re gravi, in materia nempe religionis, cui gravem infert iniuriam. Ergo genere ſuo peccatum grave eſt. Ita Caietanus in 2. 2. *quæſt.* XCIII. *art.* I. Suarez *Tom. I. de Relig. tract.* III. *Lib. II. cap.* II. Salmanticenſes *tract.* XXI. *cap.* XI. *punct.* I. Leander *tract.* IX. *diſp.* I. *quæſt.* IV. Hinc peccarent mortaliter qui vitulum Deo ſacrificarent, ſabbata cuſtodirent, ſe circumciderent iuxta ritum moſaicæ legis.

VI. Quæſt. II. *Eſt ne peccatum grave profana, & turpia divino officio immiſcere?* Reſp. Omnes adfirmant, peccatum eſſe ſuperſtitionis indebiti cultus, qui falſus eſt reſpectu colentis, & divini cultus fini omnino contrarius. Eo quippe ſpectat divinus cultus, ut ad cæleſtia corda erigat, moveatque : turpia vero, & profana incitant ad carnalia. Advertendum tamen, quod ſi ea quæ admiſcentur, nihil turpitudinis præferant, ſed tantum vana ſint, & non ſacra, non ſunt ſtatim mortalis culpæ damnanda; tamen veniali culpa numquam carent. Quin addo, non in levi periculo eos verſari qui divinas laudes, vel ipſam ſacratiſſimam paſſionem cantu quodam muſicali, & profano in Eccleſiis in ipſa ſacroſancta dominicæ paſſionis hebdomada e ſuggeſtu recitant, plauſumque inſanientis turbæ concitant, & conquirunt. Vah ſacrilegum morem! Eo ne res religionis noſtræ devenit, ut ſacratiora myſteria noſtra profano ritu ad demulcendas aures, & titillandos popelli ſenſus celebrentur? Quid namque Eccleſiæ eſt cum theatris, & cum hiſtrionibus? Sed de hoc alibi.

VII. Quæſt. III. *Qui falſas reliquias adorandas proponit, qui miracula commentitia prædicat, peccat ne letaliter?* Reſp. Graviſſimum ſuperſtitionis flagitium hunc perpetrare, fatentur omnes : quoniam gravem irrogat iniuriam religioni, quæ fictitiis ſive miraculis, ſive reliquiis confirmari non indiget. Nec pia intentio augendæ devotionis criminis reatum aufert. Diminuitur enim, non augetur, religionis cultus his figmentis.

VIII. Quæſt. IV. *Eſt ne mortale peccatum die dominico a carnibus abſtinere, atque ieiunare?* Reſp. Superſtitionis damnandos eſſe qui diebus Paſchatis a carnibus ab-

ſti-

Digitized by Google

ſtinent, qui votum edunt eiuſmodi diebus ieiunandi, defendit nulla adiecta diſtinctione Leander *tract.* IX. *diſp.* I. *quæſt.* IX. alioſque huius ſententiæ patronos laudat. Ieiunare vero die dominico nullum eſſe peccatum docet. Verum prior Leandri ſententia falſa abſolute eſt: idque conſtat experientia plurium ſacrorum Ordinum, qui perpetuo a carnibus abſtinent. Quem pœnitentiæ ritum tantum abeſt ut ſuperſtitionis damnet Eccleſia; quin potius illum approbat & commendat. Intentio ergo ieiunantium ſpectanda eſt. Superſtitione pollutum fuit Manichæorum ieiunium diebus dominicis deſtinatum, quod in contemptum reſurrectionis Chriſti Domini inſtitutum erat. Qui vero ieiunant, ut carnem, ſenſuſque effrenes cohibeant, non contemnunt, ſed colunt Eccleſiæ diſciplinam. Quare nec mortaliter, nec venialiter peccaret qui hoc animo carnis affligendæ dominicos dies ieiunio tranſigeret: eo vel maxime quod extincta nunc ſit Manichæorum hæreſis; atque adeo nulla ſit ſcandali occaſio. Conſultius tamen eſt ſe ſe ad Eccleſiæ ritum conformare, hiſque diebus ieiunio abſtinere, niſi aliqua peculiaris ratio urgeat; quemadmodum urget debitum abſtinendi etiam præfatis dieb us a carnibus reſpectu illorum qui voto, aut lege ad id tenentur. Hinc colligas, quod ſuperſtitio cultus ſuperflui poteſt eſſe mortalis, vel venialis iuxta gravitatem materiæ, & colentis intentionem. Quando enim pio animo ſuperfluus cultus exhibetur vero Deo, gravis cultui religioſo non ſit iniuria, ſcandalo ſublato. Quare culpæ magnitudo ex his circumſtantiis colligenda eſt.

CAPUT II.

Sub examen inducuntur plures caſus, in quibus latitet ne ſuperſtitio declaratur.

I. PRO certa omnium quæ dicturi ſumus, reſolutione, illud ſemper præ oculis habendum eſt, quod tunc ſuperſtitio in aliquo opere contingit, quando ad aliquem producendum effectum cauſſa adhibetur quæ nec vi ſua, neque inſtitutione divina ullo modo influere in talem effectum valet. Spectanda eſt ergo connexio cauſſæ cum effectu; &, cum nulla appareat, ſed extrema prorſus diſparata ſint, tunc ſuperſtitionis crimen ſerpit. Porro claritatis gratia nonnulla exempla ſubiiciam, quibus allata doctrina confirmetur.

II. Superſtitionis rei ſunt qui zonæ prægnantis campanam pulſant, ut proſper eveniat partus: quia nulla cauſſam inter & effectum connexio intercedit. Superſtitioſa quoque eſt proiectio imaginis alicuius Sancti in flumen, aut eiuſdem ad ripam ſuſpenſio pro pluvia obtinenda, ob allatam rationem. Nulla vero eſſet ſuperſtitio, ſi in fluvium, vel ignem res ſacra proiiceretur ex ſpe, ut Deus inter-

ceſſione talis Sancti moveatur ad extinguendum ignem, aut intumeſcentem fluvium intra ripas cohibendum. Superſtitioſæ vero ſunt preces quibus ſagæ benedicunt roſaria pro parturientibus. Superſtitio itidem eſt aliquos definitos alicuius pſalmi verſus recitare ad compeſcendos canum latratus, ad impediendum fluxum ſanguinis, aliumve morbum cum vana infallibilis eventus credulitate; ſecus, ſi devote eos recitet aliquis ad divinam opem implorandam. Superſtitioſa pariter ſunt verba quæ in equorum aures inſufflari ad expellendos dolores inteſtinos ſolent.

III. Qui ieiunant pane & aqua die S. Stephani Protomartyris ea certa credulitate, ut, etiam ſi gravibus ictibus percutiantur, non ſint morituri; quive certas preces recitant ea firma perſuaſione, ut morte ſubitanea non ſint occubituri, ſuperſtitione non carent: quia plus iuſto talibus precibus fidunt: ſi tamen Deo preces fundant, ut a funeſta morte liberentur, nullam perpetrant ſuperſtitionis culpam; quin cultum Deo offerunt, opuſque bonum exercent.

IV. Superſtitio manifeſta eſt obſervare dies fauſtos, vel infauſtos, ut declarat Apoſtolus ad Galat. IV. *Dies obſervatis, & tempora, & menſes, & annos: timeo vos, ne forte ſine cauſa laboraverim in vobis.* Quod autem talis fiat dierum obſervatio, experientia ſatis conſtat: nam Hebræis infauſtus eſt dies Lunæ, quod putent ea die natum fuiſſe Cain; Athenienſibus vero infauſtus eſt dies Martis, Medis dies Mercurii, Phrygiis dies Iovis, Troianis dies Veneris, Perſis dies Saturni. Quiſque vero horum dierum fauſtus eſt ceteris nationibus. Iidem ergo dies fauſti eſſent, & infauſti. Dies omnes eiuſdem naturæ ſunt, noſtraque vel ignavia, vel induſtria boni, aut mali evadunt. Quid de illis qui dies converſionis D. Pauli, Urbani, & Vincentii obſervant, ut futuros anni eventus hariolentur? Totum hoc verſibus iſtis exprimitur:

Clara dies Pauli bona tempora denotat anni:
Si nix, aut pluviæ, deſignat tempora cara:
Si fuerint venti, deſignant prælia genti:
Si fuerint nebulæ, pereunt animalia quæque.

Nulla in his verſibus contineri ſuperſtitionem, docet communior opinio; nec qui illos obſervant, ſuperſtitioſi ſunt; dummodo ex illorum obſervatione certum colligere eventum non audeant. Sunt enim hæ vanæ populorum obſervationes minime curandæ, ſed omnino contemnendæ. Quid enim cum die Pauli, aut Urbani ceteri dies? Tales tamen aſtrorum occurſus contingere præfatis temporibus queunt, ut nubilum, aut ſerenum cælum evadat.

V. Obſervantia dierum quos criticos vocant, nulla eſt ſuperſtitio, quia nititur cauſis naturalibus. Dies criticos medici vocant, in quibus de morbi qualitate iudicium ferre ſolent; ſuntque quintus, ſeptimus, undecimus. Si his diebus febris

inar-

inardeſcat, mortem prædicunt; ſi deſerveat, ſanitatem. Superſtitio vero eſſet, ſi hi dies obſervarentur pro adeunda hereditate.

VI. Obſervatio dierum lunæ pro rerum naturalium conſervatione, omni caret ſuperſtitione. Neque etenim vana eſt, ut quidam recentiores Philoſophi contendunt: quoniam experientia conſtat, ligna abſciſſa tali die lunæ cito corrodi; diu vero ſana conſiſtere alio die reciſa. Alii plures effectus recenſeri poſſent, niſi omnibus comperti eſſent. Fatentur præfati Philoſophi hos effectus; ſed in alias cauſſas eos revocant. Dum olim in quodam libello legerem, peſtem ex contactu nullo modo contrahi, vanamque eſſe hominum diligentiam in ſegregandis ſanis ab ægrotis lue inquinatis; non aliam impugnationem adhibendam adverſus hunc Auctorem cenſui, niſi illum inter ægrotos peſte immani infectos conſtituere, ut ſui corporis periculo ſuam confirmaret doctrinam quam in aliorum perniciem evulgavit. Similem confutationem mererentur illi qui negant lunam in cauſſas has inferiores quidquam influxus habere: ſcilicet ad lunæ conſpectum integram noctem damnandi eſſent, ut inde colligerent, influat ne, an ſecus luna in hæc inferiora.

VII. Licita ſimiliter eſt dierum canicularium pro ſanguinis diminutione, ſicut & anni climaterici, obſervantia, quod hæc naturalibus cauſſis nitatur. Anni climaterici dicuntur ſinguli ſeptenarii, in quibus corpus humanum mutationem peculiarem patitur, ut medici contendunt. Quare obſervatio horum annorum per ſe ſuperſtitioſa non eſt: vana vero, falſa, & inanis eſſe poteſt, quod fortaſſis verum habet, ut ego quidem arbitror.

VIII. Superſtitioſa eſt collectio herbarum die S. Ioannis Baptiſtæ, ſi ea credulitate fiat, ut exiſtimetur plus virtutis, & efficaciæ has herbas habere, quod die iſtius Sancti ſint collectæ. Sanctitas quippe talis diei nullam vim confert herbis illis. Si vero credatur quod herbæ eo tempore collectæ maiore ſint virtute præditæ, nulla erit ſuperſtitio. Conſultius tamen erit vetare populo, ad ſuperſtitionem prono, tali die herbarum collectionem. Idem dicendum de rore eodem S. Ioannis Baptiſtæ die collecto. Superſtitioſa quoque eſt illuſio illa qua feminæ credunt, & ova gallinæ orta die Paraſceves peculiari vi pollere ad extinguendum ignem in eumdem proiecta; & olera certis diebus tacta ſcopis, a vermibus præſervari. Superſtitionem pariter redolet nolle ungues die veneris abſcindere, neque die ſabbati nere; vel die S. Ioannis Baptiſtæ arborem ſcindere, per quam pueri læſi ter tranſeant, ut ſanitatem recipiant; vel anulum conficere ex pecunia oblata Crucifixo die Paraſceves ad ſanandum morbum contractionis membrorum.

IX. Qui ad convivium invitati nolunt ſedere, ſi tredecim ſint, timentes ne unus ex diſcumbentibus eo anno ſit moriturus, ſuperſtitionis rei ſunt: quoniam impar hic numerus nullo modo influere in mortem valet. Quid? Damnabis ne eiuſmodi

vanos obſervatores letalis culpæ? Si certo non crederent eventurum effectum, ſed vano quodam timore ducti id peragerent; forte ignorantia illos a gravi noxa excuſaret, potiſſimum ſi diſcumbentes rudes ſint, & idiotæ. Verum, ſi homines graves forent, peculiari debito obſtricti ad vanas has obſervantias tollendas, vix a crimine eos excuſarem. Criminis magnitudo non ſemper definiri valet: proinde malo citra limites conſiſtere quam eos tranſilire.

X. Superſtitionis rei ſunt qui gladium quo hoſtem læſerunt, medicamentis fovent, ut ille qui læſus eſt, ſanitatem recipiat: item qui utuntur filo digitis appenſo, a quo pendeat anulus intra vas vitreum, vel amphoram ad pulſandas, & internoſcendas horas: tum ii qui certo credunt ſibi quidquam mali imminere, eo quod audiunt garrire aves, ululare lupos, boveſque mugire. Superſtitio tamen, ſaltem gravis, non videtur, ſi quis, populari rumore præventus, levi tantum timore ductus, eiuſmodi eventus præcaveret abſque ulla certa credulitate, ſed potius ut cuidam innatæ levitati indulgeret.

XI. Superſtitioſæ ſunt preces determinatæ quæ a quibuſdam fundi ſolent eo fine expreſſo, certaque credulitate, ut ſibi appareat in mortis articulo B. Virgo: tum quod audax præſumptio eſt talis petitio; tum quod dæmon in Angelum lucis ſe ſe transformare valet, & ſub ſpecie Chriſti Domini, vel eius matris illos decipere. Superſtitionem quoque manifeſtam committunt qui incantant pecus certa verborum prolatione, ne a lupis lædatur: quia eventus huiuſmodi accidere nequit, niſi dæmonis arte.

CAPUT III.

De idololatria, cuius notio, & malitiæ gravitas exponitur.

I. D. Paulus omnes peccatores, potiſſimum voluptuoſos, quorum Deus venter eſt, & avaros, qui pecuniarum idolo inſerviunt, idololatriæ reos arguit. Hæc tamen idololatria generatim accepta, quæ per omnia mortalia crimina divagatur, eo quod omnis letaliter peccans in creatura ultimum finem conſtituit, haud eſt peculiare peccatum diſtinctum ab eo quod perpetratur. Idololatria, quæ eſt peculiaris ſuperſtitionis ſpecies, deſcribitur a D. Thoma 2. 2. *quæſt.* XCIV. *art.* 1. quod ſit cultus divinus exhibitus creaturæ. *Et ideo cuicumque creaturæ divinus cultus exhibetur, ſuperſtitioſum eſt.* Ad idololatriæ facinus perpetrandum opus eſt ut cultus exhibitus creaturæ *divinus* ſit: quia, ſi creaturæ honor inferior, ſolique Deo non debitus, offeratur, non erit idololatria. Nomine autem *creaturæ* intelligitur creatura abſolute talis. Quod ſi creatura accipiatur pro imagine Creatoris, & ut Deum

Digitized by Google

Deum unice repræſentat, nulla eſt ſuperſtitio eidem cultum divinum exhibere: quia tum Deus in ſua imagine colitur, ut dictum eſt alias.

II. Quinque perpetrandæ idololatriæ modos D. Thomas aſſignat. Primus adoratio ſimulacrorum: ſecundus adoratio creaturarum, puta cæli, terræ &c. tum adoratio hominum mortuorum: quartus adoratio creaturarum immaterialium, ut dæmoniorum: poſtremus adoratio mundi ut animati. Ad has quinque veluti ſpecies revocari omnis idololatria hactenus adinventa poteſt. Legatur D. Thomas, qui fuſe hæc omnia deſcribit, laudatque D. Auguſtinum, qui *Lib. VII. de Civ. Dei* pluribus capitibus rem hanc diſcuſſit.

III. Duplicem idololatriæ cauſſam D. Thomas *loc. cit. art.* 4. aſſignat: unam ex parte hominis, ex parte dæmonis alteram. Primam ex parte hominis triplicem eſſe docet. *Primo quidem*, inquit, *ex inordinatione affectus, prout ſcilicet homines aliquem hominem vel nimis amantes, vel nimis venerantes, honorem divinum ei impenderunt. Et hæc cauſa aſſignatur Sapientiæ* XIV. Acerbo luctu dolens pater cito ſibi rapti filii fecit imaginem, & illum qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tamquam Deum colere cœpit: *& ibidem etiam ſubditur, quod homines aut affectui, aut Regibus deſervientes*, incommunicabile nomen, *ſcilicet divinitatis*, lignis, & lapidibus impoſuerunt. *Secundo propter hoc quod homo naturaliter de repræſentatione delectatur, ut Philoſophus dicit in Poetica ſua. Et ideo homines rudes a principio videntes per diligentiam artificum imagines hominum expreſſive factas, divinitatis cultus eis impenderunt.... Tertio propter ignorantiam veri Dei, cuius excellentiam homines non conſiderantes, quibuſdam creaturis propter pulchritudinem, ſeu virtutem, divinitatis cultum exhibuerunt.... Alia autem cauſa idololatriæ conſummativa fuit ex parte dæmonum, qui ſe colendos hominibus errantibus exhibuerunt, in idolis dando reſponſa, & aliqua, quæ videbantur hominibus mirabilia, faciendo*. De tempore autem quo idololatriæ crimen ortum in mundo ſit, non una eſt omnium Interpretum ſententia. D. Thomas in laudati articuli argumento ſecundo recenſet varias opiniones, & tandem ſic reſpondet. *In prima ætate non fuit idololatria propter recentem memoriam creationis mundi, ex qua adhuc vigebat cognitio unius Dei in mente hominum. In ſexta autem ætate idololatria eſt excluſa per virtutem, & doctrinam Chriſti, qui de diabolo triumphavit*.

IV. Graviſſimum eſſe idololatriæ flagitium, probat idem D. Thomas *loc. cit. art.* 3, eo quod natura ſua ſit contra Deum, cui debitus cultus ſurripitur, atque creaturæ tribuitur. Porro qui cultum Deo debitum creaturæ tribuit, creaturam pro Deo habet. Audiamus Angelicum ipſum, qui peccati iſtius gravitatem colligit tum ex natura ipſius peccati, tum ex affectu peccantis. *Gravitas alicuius peccati poteſt attendi dupliciter. Uno modo ex parte ipſius peccati; & ſic peccatum idololatriæ graviſſimum eſt. Sicut enim in terrena republica graviſſimum eſſe videtur quod ali-*

Digitized by Google

quis honorem regium alteri impendat quam vero Regi : quia, quantum in ſe eſt, totum reipublicæ perturbat ordinem : ita in peccatis quæ contra Deum committuntur; quæ tamen ſunt maxima, graviſſimum eſſe videtur quod aliquis honorem divinum creaturæ impendat : quia, quantum in ſe eſt, facit alium Deum in mundo, minuens principatum divinum. Alio modo poteſt attendi gravitas peccati ex parte ipſius peccantis ; ſicut dicitur gravius eſſe peccatum eius qui peccat ſcienter quam eius qui peccat ignoranter. Et ſecundum hoc nihil prohibet gravius peccare hæreticos, qui ſcienter corrumpunt fidem quam acceperunt, quam idololatras ignoranter peccantes. Et ſimiliter etiam aliqua alia peccata poſſunt eſſe maiora propter maiorem contemptum peccantis.

V. Itaque idololatria eſt omnium ſcelerum quæ religioni opponuntur, graviſſimum; cum ſit læſæ maieſtatis divinæ crimen. Advertendum tamen, triplicem eſſe idololatriæ gradum. Primus eſt, quando idololatria cum infidelitate coniuncta eſt, dum quis putat creaturam eſſe Deum, divinoque honore dignam : hicque ex parte peccati ſupremum malitiæ gradum importat. Secundus eſt, dum quis abſque infidelitate cultum Deo debitum offert creaturæ, puta dæmoni, quem ſcit non eſſe Deum; nihilominus, ut illum ſibi propitium reddat, eidem cultum divinum impendit. Hoc etiam enorme ſcelus eſt. Poſtremus eſt, cum quis ob mortis, alteriuſve gravis damni periculum vitandum cultu exteriori divino creaturam colit, & adorat abſque ulla interna infidelitate. Hoc quoque grave flagitium eſt; ficta tamen, non vera idololatria. Hinc colliges, idololatriam malitia antecellere quidem omnibus aliis criminibus religioni, virtutibuſque moralibus oppoſitis; ſecus vitiis virtutibus theologicis contrariis. Et, cum Angelicus citato loco indicare videtur idololatriam eſſe graviſſimum peccatum inter omnia quæ contra Deum committuntur, idololatriam conſiderat, ut infidelitati, Deique odio, a quibus proficiſcitur, coniunctam; & ut eſt omnium aliorum criminum ſcaturigo. Ceterum aperte Angelicus docet 2. 2. *quæſt.* x. *art.* 3. odium Dei, hæreſim, infidelitatem, & deſperationem, omnium flagitiorum graviſſima eſſe, utpote theologicis virtutibus, quæ moralibus longe præſtant, oppoſita. Si poſtea idololatria ex parte peccantis ſpectetur; in ſecundo, & tertio gradu maior malitia elucere poteſt quam in primo, cui ignorantia culpabilis veri Dei annexa eſt. Quam ob cauſſam peccat gravius qui ſcienter quam qui ignoranter delinquit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

Quid ſit divinatio, quotque illius ſpecies.

I. DUos integros libros de divinatione Marcus Tullius ſcripſit. Sub initium primi ſic eam deſcribit. *Vetus opinio eſt, iam uſque ab heroicis ducta temporibus, eaque populi R. & omnium gentium firmata conſenſu, verſari quamdam inter homines divinationem.... ideſt præſenſionem, & ſcientiam rerum futurarum.* De hac quoque octo inſtituit articulos D. Thomas 2. 2. *quæſt.* xcv. & illam ipſam quam Cicero definitionem tradit, dicens, quod ſit *prænuntiatio futurorum:* quæ quidem futura duobus, inquit, modis prænoſci valent: uno modo in ſuis cauſſis, altero modo in ſeipſis. Cauſſarum aliæ ſunt naturales quæ neceſſario effectus producunt, ut orbium cæleſtium motus, & eclipſes. Aliæ ſunt quæ licet non neceſſario edant effectus, tamen raro deficiunt; ſicut ſtellarum aſpectus, atque coniunctio pluvias, vel ſiccitatem inducunt Porro qui cognoſcit cauſſas neceſſarias, prænoſcere certo quoque valet effectus inde neceſſario proficiſcentes. Qui vero cognoſcit cauſſas quæ non neceſſario producunt effectus, nec ſemper, ſed ut plurimum, raroque deficiunt, non valet certo, ſed probabili tantum coniectura, iſtarum effectus divinare: hoc pacto aſtrologi ex ſtellarum conſideratione pluviam, aut ariditatem portendere valent, & medici ſanitatem, vel mortem. Cauſſarum autem liberarum effectus præſentes cognoſci a creata mente poſſunt; futuros vero ſolus Deus cognoſcit. Quare Iſaias præſenſionem futurorum contingentium ſoli Deo adſcribit cap. xli. *Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia die iſtis.*

II. Prædictio futurorum ex divina revelatione nuncupatur *prophetia*. Prov. xvi. *Divinatio in labiis Regis: in iudicio non errabit cor eius.* Prædictio futurorum vi cauſſarum naturalium vocatur *divinatio naturalis*. Prænuntiatio vero futurorum quæ nec Deo revelante, nec vi cauſſarum naturalium, ſed ſola dæmonis ope fit, proprie dicitur *divinatio*, quæ eſt ſuperſtitionis ſpecies. Ideo concludit D. Thomas, divinationem fere ſemper in malam partem accipi. Porro de hac divinatione nunc ſermo nobis eſt, quæ ſic communiter definitur a Theologis cum D. Thoma 2. 2. quæſt. xcv. art. 1. *Divinatio eſt futurorum præſenſio ope dæmonis.* Dicitur *præſenſio*, ſeu prænuntiatio, quæ verbis, aut ſignis fieri valet. Additur, *ope dæmonis*, ut intelligatur, ſuperſtitionis reum illum non fore qui a Deo, non a dæmone futurorum cognitionem expoſceret. Dicitur *futurorum*, quia potiſſimum futura prædicit, tametſi & circa præterita verſari valeat.

III. Quæſt. I. *Quæ dæmones poſſint futura prædicere?* Reſp. Omnia quæ a cauſ-
ſis

ſis naturalibus neceſſario pendent, ut aſtrorum coniunctiones, cælorum motus; lunæ, ac ſolis eclipſes. Coniectare vero dumtaxat probabiliter valent ea quæ a cauſſis naturalibus contingenter producuntur, ut pluviæ, ſiccitates, peſtes, tempeſtates, idque genus ſimilia. Quæ vero pendent ſolum a divina voluntate, aut libero hominum arbitrio, cognoſcere nequeunt, ut cogitationes humani cordis, & futura contingentia, quemadmodum docet D. Thomas *I. Part. quæſt.* lvii. *art.* 3. Qui tamen intellectus acumine cauſſas naturales comprehendunt, & hominum nativas affectiones, genios, propenſiones penetrant, multa prædicere valent, etiam eorum quæ ex libera hominum voluntate proficiſcuntur. Ordo libertatis prætergreditur utique limites naturalium cauſſarum, aciemque fugit, ſubtiliſſimi licet, dæmonum intellectus; verum ob connexionem ordinis liberi cum ordine naturali plura dæmones per ſuos divinos prædicere ſolent eorum quæ pertinent ad humanam libertatem. Valent quoque ex divina revelatione futura cognoſcere. Prænuntiare queunt quæ in diſſitis regionibus accidunt, ob motus celeritatem. Hæc tantum divinos ſuos edocere valent.

IV. Quæſt. II. *Qua ratione dæmones divinos ſuos doceant?* Reſp. Multiſariam dæmones divinatores ſuos inſtruunt, nempe aut verbis expreſſis, ſeſe eis viſibiles præbendo, aut ſine ullo ſenſibili aſpectu verba in aere proferendo, vel in ſomno eadem excitando. Quandoque ſcriptis, aut animalium voce eoſdem inſtruunt, erudiuntque. Divini vero variis viis ad hæc conſequenda ſeſe præparant, nunc ſacrificia offerendo, nunc thus adolendo, quandoque ſignis, & inſtrumentis iuxta illorum diverſas conventiones præmiſſis.

V. Quæſt. III. *Divinatores invocant ne ſemper expreſſo pacto dæmonum opem?* Reſp. Hæc invocatio interdum expreſſa eſt, & ſolemnis, qua mutuum contractum ineunt divinatores cum dæmone ſub aſpectu regio apparente, ac veluti in ſolio ſedente. Iſthic divinatores divinam religionem, ſacramenta, ac myſteria cetera abnegant, & dæmoni cultum adpromittunt, eiuſque vota ſe impleturos ſpondent: quod ſacrilegum fœdus ſchedula proprio ſanguine ſignata munire ſolent. Quandoque pactum ineunt hac miſſa ſolemnitate; ſed dæmon præſcribit quaſdam formulas, quibus a divinatoribus poſitis, promittit ſe eiſdem opem, auxiliumque laturum. Alterutro modo fiat, pactum expreſſum nuncupatur. Dum vero quis ſcire pertentat ea quæ humanæ mentis aciem fugiunt, &, ut id aſſequatur, mediis vanis, atque incongruis, & a Deo vetitis utitur; quamvis nolit ſibi a dæmone opem ferri, eo ipſo tamen quod ad eiuſmodi inſanias reſpiciat, eaſque adhibeat, vult reapſe a dæmone edoceri: dæmon quippe eiuſmodi vanis ſignis, & obſervationibus ſeſe ultro immiſcet præter intentionem hominis: & hoc vocatur pactum implicitum. Totum paucis verbis ſic explicat D. Thomas 2. 2. quæſt. xcv. art. 3. *Dæmonum conſilium, vel auxilium vel expreſſe imploratur, vel præter intentio-*

tionem hominis ſe occulte dæmon ingerit ad prænuntiandum futura quædam quæ hominibus ſunt ignota.

VI. Porro D. Thomas *loc. cit.* recenſet varias ſpecies iſtius divinationis, in qua pactum expreſſum cum dæmone intervenit. Clarius has ſpecies prodere nequeo quam eiuſdem Angelici verba referendo. *Dæmones*, inquit, *expreſſe invocati ſolent futura prænuntiare multipliciter. Quandoque quidem præſtigioſis quibuſdam apparitionibus ſeſe aſpectui, & auditui hominum ingerentes ad prænuntiandum futura: & hæc ſpecies vocatur præſtigium, ex eo quod oculi hominum perſtringuntur.* Hæc autem corpora quæ divinatoribus obiiciuntur, vera corpora humana non ſunt, quæ veram carnem habeant, ut peroptime explicat Caietanus in commentariis ad hunc articulum. In duobus, inquit ille, a veris corporibus deficiunt eiuſmodi ſimulacra. Primo in temperamento carnis. Nam confeſſus eſt ipſe pater mendacii, cum eius caro quaſi glacialis moleſta eſſet tactui, humanam carnem ſe non poſſe melius compingere. Non enim poteſt ſic commiſcere naturalia abſque vera generatione hominis, ut veram carnem humanam efficiat: & ſimili ratione non poteſt humanum ſemen efficere, ſed tantum transferre. Et ex hoc patet veriſſimum eſſe quod Chriſtus poſt reſurrectionem dixit: *Palpate, & videte, quia ſpiritus*, ſeu dæmon, *carnem, & oſſa non habet.* Secundo in delectatione tactus, & concubitus. Eſt enim tanto perſonarum humanarum commixtio naturalis delectabilior, quanto verum ſuperexcedit veriſimile. Hactenus Caietanus paucis demptis. Subdit vero D. Thomas, quod ſecunda divinationis ſpecies fit per *ſomnia*; & hæc vocatur *divinatio ſomniorum*. Tertia ſpecies eſt per mortuorum aliquorum apparitionem, vel locutionem; & hæc ſpecies vocatur *necromantia*. Quarta eſt quæ futura prænuntiat per homines vivos, ut per arreptitios; & hæc eſt divinatio per *pythones* a Pythio Apolline nuncupatos, qui dicebatur eſſe divinandi auctor. Quinta divinationis ſpecies eſt, cum dæmon utitur ſignis, vel figuris corporum inanimatorum, ut ligno, ferro, lapide ad futura prænuntianda; & dicitur *geomantia*. Si vero utatur aqua, eſt ſexta ſpecies, quæ appellatur *hydromantia*: ſi adhibeat aerem, conſurgit ſeptima ſpecies, quæ vocatur *aeromantia*: ſi ignem, eſt octava ſpecies dicta *pyromantia*. Nona tandem vocatur *aruſpicium*, dum futura prænuntiantur per ſigna quæ in viſceribus animalium dæmonibus immolatorum apparent.

VII. Divinatio autem quæ fit abſque expreſſa dæmonis invocatione, in duo genera dividitur. Primum eſt, quando ad præcognoſcenda futura aliquid conſideramus in diſpoſitionibus aliquarum rerum quæ nulla vi pollent ad inducendam earumdem cognitionem: quod divinandi genus ſex ſub ſe continet ſpecies. Prima eſt *genethliologia*, quæ pertinet ad aſtrologos genethliacos nuncupatos, cum ex ſiderum motu natales hominum, & quæ iiſdem ventura ſunt, portendunt. Secunda

da eſt *augurium*, quod fit ex avium garritu. Tertia *auſpicium*, quo ex avium volatu, vel aliorum animalium motu futura prædicuntur. *Omen* appellatur quarta, quæ eſt prædictio ex hominum verbis præter intentionem prolatis. Quinta eſt *chyromantia* ex lineamentis manuum. Sexta tandem *ſpatulamantia* dicitur, cum divinatio fit ex aliquibus ſignis in ſpatulis alicuius animalis apparentibus.

VIII. Ad ſecundum divinationis genus, ſine expreſſa dæmonis invocatione, pertinet ea qua prædicuntur futura ex conſideratione eorum quæ homines ſerio peragunt ad occultum aliquid inquirendum, ut cum futura prænuntiantur ex punctorum protractione; & dicitur *geomantia*, eſtque prima ſpecies. Altera vero nuncupatur *ſortilegium*, cum futura inveſtigantur ſive per conſiderationem figurarum quæ conſurgunt ex plumbo liquefacto in aquam proiecto; ſive ex quibuſdam ſchedulis ſcriptis, vel non ſcriptis, in occulto repoſitis, & conſideratur quam quiſque accipiat; vel etiam ex feſtucis inæqualibus propoſitis, &, quis maiorem vel minorem accipiat, attenditur; vel taxillorum proiectione, dum colligitur, quis plura puncta proiiciat; vel tandem, dum mente perpenditur, quid aperienti librum occurrat. Quæ omnia *ſortium* nomen habent.

IX. Hæc totidem fere verbis, paucis mutatis, docet D. Thomas *loc. laud.* ubi ſic concludit. *Sic ergo patet triplex eſſe divinationis genus: quorum primum eſt per manifeſtam dæmonum invocationem; quod pertinet ad necromanticos: ſecundum autem eſt per ſolam conſiderationem diſpoſitionis, vel motus alterius rei; quod pertinet ad augures: tertium eſt, dum facimus aliquid, ut nobis manifeſtetur aliquod occultum; quod pertinet ad ſortes. Sub quolibet autem horum multa continentur, ut patet ex dictis.*

X. Quæſt. IV. *Sunt ne omnes relatæ divinationis ſpecies moraliter diverſæ, & in confeſſione explicandæ?* Reſp. Ex iis quæ dicta ſunt, reſponſio patet. Siquidem D. Thomas ad tria genera divinationes revocat, nempe ad *necromantiam*, *augurium*, & *ſortilegium*. Et ſane non omnes recenſitas divinationis ſpecies eſſe in genere moris diverſas, ex eo conſtat quod, quocumque modo divinationes peragantur, ſive aſtrorum, ſive ignis, ſive aquæ, ſive ſomniorum uſu, eodem modo cultui Deo debito, religioniſque fini opponuntur. Ergo diverſitas hæc materialis eſt, & phyſica, ſecus moralis; ſi ſermo ſit de omnibus recenſitis ſpeciebus.

XI. Quæſt. V. *Divinatio cum pacto expreſſo cum dæmone differt ne morali ſpecie ab ea quæ tacito pacto peragitur?* Reſp. Communior ſententia docet, phyſica, non morali ſpecie has divinationes differre: quia pactum tacitum, & expreſſum ſpecie non differunt. Hinc inferunt non pauci, circumſtantiam pacti expliciti non eſſe in confeſſione aperiendam, eo quod circumſtantiæ aggravantes neceſſario explicandæ non ſint. Verum, miſſa ſeveriori diſcuſſione de rigoroſa diverſitate ſpecifica morali, dico, pactum expreſſe initum cum dæmone aperiendum eſ-

ſe

Digitized by Google

ſe in confeſſione. Hæc quippe expreſſa conventio, ac ſolemne fœdus mutuo hominem inter & dæmonem peractum, tantam prodit malitiam diſtinctam ab ea quæ ineſt pacto tacito, ut vel ipſe communis ſenſus illam percipiat. Quare minime nobis probatur ſententia Salmanticenſium, qui *tract.* XXI. *cap.* XI. *punct.* 3. §. 2. *num.* 30. cum aliis docent, hoc explicitum pactum haud eſſe in confeſſione exprimendum abſolute inſpectum, quia eſt dumtaxat circumſtantia aggravans. Primum, etiamſi eſſet circumſtantia aggravans dumtaxat, non inde ſequeretur ſilendum in confeſſione eſſe iuxta ſententiam quam probabiliorem reputo. Deinde adeo exploratum non eſt, ſpecie morali hæc duo pacta non differre, ut inferri abſolute queat non eſſe in confeſſione manifeſtandam talem diverſitatem. Siquidem D. Thomas ſatis indicare videtur verbis *num.* 9. allegatis, *ſpecificam* moralem, nedum phyſicam diſtinctionem: & *ibidem ad* 1. hæc ſubdit: *In omnibus prædictis eſt eadem generalis ratio peccandi; ſed non eadem ſpecialis. Multo enim gravius eſt dæmones invocare quam aliqua facere quibus dignum ſit ut ſe dæmones ingerant*. Reſpondent Salmanticenſes, Angelicum loqui de diverſitate ſpecifica phyſica, ſecus de morali: quod quam ſit putidum commentum, nemo non videt. Non ergo morum Theologiam, ſed phyſicas controverſias hic verſat D. Thomas? Subdunt, intelligendum eſſe de maiori malitia intra eamdem ſpeciem: quæ reſponſio non videtur præcedenti melior. Angelicus baſilice dicit, quod non ſit *eadem ratio ſpecialis* peccandi. Si ratio peccandi non eſt eadem; ergo eſt diverſa. Porro, ubi ſunt rationes formales peccandi diverſæ, ibi eſt ſpecifica moralis diſtinctio, & non tantum materialis, quæ ſemper eſt ſub eadem ratione. Accedit quod ſive ſit diſtinctio ſpecifica, ſive non, quando Confeſſarius audit expreſſum, & ſolemne fœdus, diverſum omnino iudicium concipit, & ſeverius in pœnitentem animadvertit. Parum refert hoc iudicium diſtinctum, inquiunt Salmanticenſes. Quibus ego reſpondeo, multum, non parum, illorum reſponſionem abludere a vero. Hanc iudicii diverſitatem magni faciunt vel ipſi Sanchez, Caſtropalaus, aliique Probabiliſtæ plurimi.

XII. Fatentur tamen vel ipſi Salmanticenſes cum ceteris Theologis manifeſtandum eſſe in praxi Confeſſario hoc explicitum pactum, ob hoc ſcilicet quod communiter alia peccata pactum iſtud comitentur: occurrit enim grave periculum pernicioſæ deceptionis & invocantis, & aliorum. Porro ſe ſe exponere gravi periculo deceptionis propriæ, vel alienæ gravem adverſus caritatem malitiam præfert. Item frequenter idololatriæ crimen perpetratur in expreſſa invocatione dæmonis ob cultum eidem oblatum. Hæreſis etiam contrahitur, dum vel eidem certa fides adhibetur, vel vera fides, religio, & ſacramenta abnegantur: & tandem non raro accidit in hac invocatione rerum ſacrarum abuſus. Ob hæc crimina, quorum ſaltem aliqua fere ſemper comitantur pactum expreſſum, fatentur

omnes,

omnes, eiuſmodi pactum eſſe in confeſſione manifeſtandum. Ego vero addo, iuxta probabiliorem ſententiam pactum hoc explicitum abſolute detegendum in confeſſione eſſe, etiam aliis criminibus ſublatis.

XIII. Quæſt. VI. *Eſt ne mortale crimen divinatio cum pacto, ſive expreſſo, ſive tacito?* Reſp. Sententia adfirmans certa eſt apud omnes, & perſpicue colligitur tum ex Deuter. XVIII. *Non inveniatur in te qui hariolos ſciſcitetur, neque qui pythones conſulat:* tum ex Iſai. cap. XXVIII. *Dixiſtis: Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Omnes quoque adfirmant, nullam umquam dari poſſe invincibilem ignorantiam pacti expliciti. Quis namque ignorare valet, fœdus initum cum hoſte eſſe perfidam proditionem, immanemque perduellionem? Taciti vero pacti ignorantiam invincibilem contingere poſſe, adfirmant plures. Nec ipſe renuo. Sed inquio, perraro id accidere; potiſſimum poſtquam audierint, præfatis ſignis uti ſuperſtitione non carere. Quid autem de illis dicendum qui ioci cauſſa adhibent ſortes, numerorum ſupputationem, quam vulgo *cabalam* vocant, aliaque id genus media incongrua ad divinanda futura, abſque ulla tamen ſuperſtitionis intentione, quin expreſſe profitentes, nullam ſe his vanis ſignis adhibere fidem? Salmanticenſes *loc. cit. num. 33.* cum Sanchez, Bonacina, Navarro, Delrio, aliiſque docent excuſari a mortali, dum *ſemel*, vel *iterum* id peragunt. Nec ego letalis culpæ hos damnare auſim. Qua loquendi formula gravioris culpæ poſtulare illos videntur qui frequenter his nugis vacant. Videant ergo cui ſe exponant periculo qui non *ſemel*, vel *iterum*, ſed ſæpiuſcule ludo *cabalæ* indulgent. Vel ſemel ludendo venialiter peccant, omnibus fatentibus. Quid quod nemo eos a mortali noxa ſecuros efficit? Quid eſt ergo quod vanam, periculique plenam curioſitatem cohibere non debeant, ut certæ levi culpæ, periculoque gravioris ſe ſe ſubducant?

XIV. Abſtinendum quoque docent communiter Theologi a pacto illo quo duo convenire ſolent, ut qui prior obierit, appareat viventi, illique ſtatum ſalutis ſuæ manifeſtet. Quamvis enim pactum iſtud, cum debita ſubiectione ad divinam permiſſionem initum, licitum abſolute ſit; attamen ob periculum illuſionis, qua dæmon, cognito hoc pacto, decipere poteſt, conſultius eſt inutilem curioſitatem compeſcere.

C A-

CAPUT V.

De aſtrologia iudiciaria, ſeu de divinatione per aſtra.

I. DUplicem diſtinguunt Theologi aſtrologiam: *naturalem* unam, qua homines ex ſitu, motu, ortu, & occaſu aſtrorum ea quæ naturaliter contingunt, ut pluviæ, tempeſtates, eclipſes, portendunt. Hanc licitam eſſe fatentur omnes cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* lxxxxv. *artic.* 5. ubi, relatis variis divinandi modis, hæc concludit. *Si vero aliquis utatur conſideratione aſtrorum ad præcognoſcendum futura quæ ex cæleſtibus cauſantur corporibus; puta ſiccitates, & pluvias, & alia huiuſmodi, non erit illicita divinatio, nec ſuperſtitioſa.* Quamvis tamen abſolute hoc verum ſit de iis effectis quæ neceſſario conſequuntur aſtrorum, planetarumque ſitum, & aſpectum; ad tempeſtates tamen quod attinet, grandines, ſiccitates, pluvias, ſerenitatem, & alia id genus prædicenda, vana plerumque eſt, & inutilis eiuſmodi aſtrologia, licet non ſit noxia: tum ob incognitam aſtrorum vim, tum propter obſtacula ventorum, vaporum, aliorumque, quæ impediunt ſæpe aſtrorum influxus. Idque experientia compertum, ac exploratum eſt. Nec ephemerides in annos ſingulos evulgatæ alium eventum certo prædicunt præter emunctas idiotarum, imperitorumque crumenas, ut laudati Salmanticenſes advertunt. Ridere ſæpe ſoleo nonnullos qui tempus terunt, pecuniaſque prodigunt, ut nugaces hos libellos conquirant, quoſque tanta curioſitate, & aviditate legunt, releguntque, ut certam illis adhibere fidem videantur. Quare iſti levitatis, temeritatis, & curioſitatis levem culpam non evadunt, non ob id præciſe quod eiuſmodi libellos conſulant, ſed ob exceſſum, nimiamque credulitatem.

II. Altera aſtrologia iudiciaria eſt qua homines ex ſtellarum motu, planetarum aſpectu, aſtrorumque curſu quædam futura, contingentes ſcilicet, fortuitoſque caſus ex ſola humana voluntate, & arbitrio pendentes divinant. Hanc quadruplicem eſſe Theologi docent. Una eſt qua ex aſtrorum aſpectibus terræ ſterilitas, mercium abundantia, animalium, hominumque morbi, & obitus prædicuntur: quæ tamen ſuperſtitioſa non eſt, ſi non ut certo, ſed ut probabiliter tantum, futura hæc prædicantur. Secunda appellatur *genethliaca*, qua hominibus prænuntiantur dignitates, gradus, uxoris ducendæ pulchritudo, aut deformitas. Tertia *electionum*, qua in omni negotio divinatur quid agendum ſit, quid omittendum, quando domo egrediendum, ut fauſti eventus reſpondeant. Quarta *imaginum fabricatarum*, qua aſtrologi figuras, numeros, characteres efficiunt,

quos

quos cum figuris, quas in cælis reperiri comminiſcuntur, conferunt; & ex collatione, ac mutua ſympathia fortuitos caſus prædicunt. De his omnibus fuſe ſcribit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxxxvi. *art.* 2. quem conſulere potes.

III. Has tres divinationes recenſitas vetitas eſſe docent omnes Catholici, immo omnes præditi mente ſana: quoniam corpora cæleſtia nulla vi pollent in humanam voluntatem, quæ ſpiritualis eſt, cuius liberos actus, ſive noxios, ſive honeſtos, meritoque dignos, nequeunt modo aliquo in corporeas cauſſas revocari. Siquidem aſtra vel influerent in voluntatem vi ſua naturali, quæ cum neceſſaria ſit, libertatem læderet; vel ut ſigna quædam, quæ cum diſparata omnino ſint, nullo modo concurrere ad hos effectus valent. Hæc omnia docet Angelicus 2. 2. *quæſt.* xcv. *art.* 5. Et omiſſis plurimis ſacræ Scripturæ prohibitionibus iſtius aſtrologiæ, ſatis ſit referre verba conſtitutionis Sixti V. editæ anno 1586. cuius initium eſt, *Cæli, & terræ Creator Deus*, ubi inter alia hæc habentur. *Statuimus, & mandamus, ut... contra facientes iudicia, & nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus, ſucceſſibus, fortuitiſque caſibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid eventurum affirmare audent, etiamſi id non certo affirmare aſſerant, aut proteſtentur &c. inquirant, & procedant, & in eos ſeverius canonicis pœnis, & aliis eorum arbitrio animadvertant.* Quæ opponere aſtrologi ſolent, nimis futilia ſunt, & confutatione indigna.

IV. Quæſt. I. *Superſtitioſum ne eſt futura libera hariolari, non certo, ſed probabiliter?* Reſp. Sententia adfirmans communis, & vera eſt. Ratio, quia aſſenſus probabilis determinatus eſt; licet admittat formidinem oppoſitæ partis. At nullus determinatus influxus aſtrorum in voluntatem vel probabiliter dari poteſt. Ergo hæc probabilis præſenſio futurorum ex aſtris ſuperſtitioſa eſt. Quare, ſive certo, ſive probabiliter aſtrologi prædicant futura libera, ſemper ſuperſtitioſi ſunt: quia nulla probabilis connexio aſtrorum eſt cum humana libertate.

V. Quæſt. II. *Prædictio tantum coniecturalis eſt ne a ſuperſtitione immunis?* Reſp. Adfirmantem ſententiam docet P. Caſtropalaus *tract.* xvii. *diſp.* 1. *punct.* 4. *num.* 8. pro qua ſententia citat Valentiam, & Delrium: eam evincere conatur primum, quod Sixtus V. non prohibuit hanc coniecturalem, tenuiſſimamque prædictionem: ſiquidem Pontifex eam tantum futurorum præſenſionem prohibuit quæ iure divino, & canonico vetita prius erat, ut ex proœmio conſtitutionis colligitur. Secundo addit, quod hæc coniecturalis, & dubia prædictio futuri eventus non eſt prædictio abſoluta; ſed ſolum eſt prædictio illius contingentis innixa quadam tenuiſſima coniectura: quod potius eſt prædictio contingentiæ quam effectus.

VI. Adverſus hanc opinionem poſſet quis obiicere, quod in conſtitutione Sixtina prædictio vetatur, *etiamſi id non certo affirmare aſſerant, aut proteſtentur*. Ergo præſenſio etiam coniecturalis prohibita videtur. Quid quod hæc coniecturalis divina-

Digitized by Google

vinatio æque pernicioſa Reipublicæ, & divino cultui eſt, ac probabilis? Quin vix ab hac diſtinguitur, niſi penes maiorem aut minorem gradum probabilitatis. Admiſſo enim licito uſu iſtius coniecturalis divinationis, homines in occultorum notitiam propenſi vanæ huic ſcientiæ darent operam, ac ſi certa eſſet. Siquidem ex coniecturis ultra progredi, & ad confinia probabilitatis accedere, & ex his ad certitudinis culmen pervenire poſſe ſibi blandirentur: atque adeo ſub hoc tenuiſſimo coniecturalis prædictionis velo crimen ſuperſtitioſæ divinationis occuleretur, & foveretur. Quid quod Caſtropalaus ipſe concedit, in foro externo puniendos eſſe eiuſmodi divinatores? Cur puniri deberent, ſi ſemel aliqua prædictio futurorum contingentium ex aſtris licita eſſet? Immo vix quiſquam puniri poſſet, admiſſa ſententia Caſtropalai: quia quiſque ſe ſe excuſare poſſet prætextu coniecturalis prædictionis. Ideo Pontifex Sixtus, ut vidimus, vetat ſive certam, ſive coniecturalem divinationem: quæ coniecturalis prædictio ſemper iure tum divino, tum naturali prohibita fuit ob rationes allatas.

VII. Hæc quæ narravi obiecta non adeo urgent, ut in quocumque ſenſu falſa ſit opinio Caſtropalai. Nam S.Thomas docet, aſtrologos poſſe in communi coniecturaliter bella, alioſque fortuitos caſus prædicere: quia corpora cæleſtia, tametſi non agant in intellectum, & voluntatem, influunt tamen in paſſiones, quibus cum pauci reſiſtant, ideo in communi poſſunt aſtrologi coniectare quædam futura, ſecus in particulari reſpectu huius, vel iſtius. Inquit enim Angelicus I. P. quæſt. cxv. art. 4. ad 3. *Plures hominum ſequuntur paſſiones, quæ ſunt motus ſenſitivi appetitus, ad quas cooperari poſſunt corpora cæleſtia: pauci autem ſunt ſapientes qui huiuſmodi paſſionibus reſiſtant. Et ideo aſtrologi ut in pluribus vera poſſunt prædicere, & maxime in communi, non autem in ſpeciali: quia nihil prohibet aliquem hominem per liberum arbitrium paſſionibus reſiſtere. Unde & ipſi aſtrologi dicunt, quod ſapiens homo dominabitur aſtris, inquantum ſcilicet dominatur ſuis paſſionibus.* Igitur, ſi rerum naturæ ſpectentur, videlicet corpora cæleſtia, & corporeæ, ſeu ſenſiles paſſiones, datur inter hæc connexio, quia illa in hæc reapſe influunt: & licet omnes homines valeant paſſiones ſuas compeſcere; pauci tamen ſunt qui eiſdem bellum indicant: ideo, ſi hæc ſpectentur, poſſunt aſtrologi ex influxu aſtrorum in appetitus corporeos coniecturaliter in communi prædicere plures eventus iuxta diverſos paſſionum motus. Nihil vero in particulari prædicere, vel coniecturaliter, valent eorum quæ a libero arbitrio pendent: quia quilibet homo reſiſtere motibus appetitus poteſt. Quin nec in communi aſtrologorum prædictio, quæ licita eſſe poteſt, curanda, ſed prorſus contemnenda eſt: quia futura libera ex tot circumſtantiis pendent, ut nec in communi valeant aſtrologi quidquam coniectare. Quippe licet ex motu, aſpectu, & ſitu ſtellarum, & aſtrorum, eorumque in paſſiones influxu poſſent quidquam divinare; quia tamen ab innumeris

accidentibus poſſunt & influxus impediri, & paſſiones reprimi; ideo omnis divinatio, ſive in communi, ſive in particulari, ſive probabilis, ſive coniecturalis, reſpectu eorum quæ ex libero arbitrio pendent, ſpernenda eſt omnino, ut dicit Hieremias cap. x. *A ſignis cæli nolite metuere, quæ timent gentes: quia leges populorum vanæ ſunt.*

VIII. Quæſt. III. *Licite ne valent aſtrologi ex ſigno nativitatis temperamentum, inclinationem, corporiſque proprietates prædicere?* Reſp. Plura de hoc Theologi diſputant: ego paucis me expediam. Iam ex dictis conſtat non poſſe aſtrologos ullo modo, ſive probabiliter, ſive coniecturaliter, futura libera prædicere. Inſuper quod aſtrologi nequeant ex nativitatis horoſcopo certe prædicere infantis temperamentum, & inclinationes, etiam patet. Siquidem rapidiſſimus cælorum motus, ſtellarum aſpectus, earum retrogradationes, oppoſitioneſque fugiunt mentis aciem, ut vel ipſi peritiſſimi Mathematici docent. Accedit quod punctum temporis nativitatis cognitu difficillimum eſt propter rapidiſſimam cælorum converſionem. Quid quod ad temperamentum, & hominum inclinationes plus conferunt cælorum influxus tempore conceptionis, quam nativitatis? Hoc porro punctum ignotum prorſus aſtrologis eſt. Tandem hominum temperamenta ex alimentis, ex educatione, plurimiſque aliis mutantur. Quæ omnia, & plura alia quæ prætereo, ſimul collecta impediunt ne aſtrologi vel probabiliter queant puerorum temperamenta, & inclinationes prædicere.

IX. Oſtenſa inutili aſtrologorum divinatione, reliquum eſt ut dicamus, ſuperſtitioſa ne ſit eiuſmodi divinatio. Statutum eſt ſupra, aſtrologiam naturalem licitam eſſe reſpectu eorum eventuum qui neceſſario conſequuntur aſtrorum motus, & aſpectus. Hæc vero aſtrologia quæ ex nativitatis horoſcopo futuram complexionem, temperamentum, & inclinationem hariolatur, ineptam eſſe contendimus, atque adeo illicitam propugnamus. *Salmanticenſes* referunt *Filliucium*, & *Trullenchum*, aſſerentes hanc divinationem ſuapte natura eſſe peccatum mortale; ipſi vero cum *Suarez*, *Laymano*, *Fagundez*, & *Palao* negant, aiuntque genere ſuo eſſe dumtaxat mendacium, erroremque temerarium, non ſuperſtitionem. Porro mentiri abſolute non eſt peccatum mortale, ſed tantum veniale. Erit ergo culpa venialis tantum, contra prudentiam, & veritatem divinare ex horoſcopo nativitatis futurum temperamentum. Adduntque *loc. cit. num.* 53. hanc divinationem licitam eſſe, ſi tantum probabiliter, & coniecturaliter aſtrologus prædicat futuras inclinationes. Verum, ſemel admiſſo quod nulla occurrant fundamenta vi quorum poſſit fieri iudicium probabile de futuro temperamento, & inclinatione; conſequitur ſtatim inutilem omnino eſſe, & mendacem hanc divinationem, quemadmodum ultro laudati Theologi fatentur. Porro, ſi inutilis, & mendax eſt eiuſmodi divinatio; non video cur a ſuperſtitione immunis dicendus ſit qui illa u-

ta-

Digitized by Google

tatur. An poſtea ſit ſemper peccatum mortale, non auſim decernere. Pro praxi admonendi ſunt Chriſtiani ut abſtineant a petendis eiuſmodi divinationibus, & ab audiendis illis aſtrologis qui in publicis plateis mendacia, & fabulas in aures idiotarum, & ſtultorum per tubos inſufflant, pecuniaſque reportant. Quamvis enim teſtentur ore nullam ſe illis adhibere fidem, facto tamen oppoſitum indicant: quippe difficile creditu eſt illos velle ſuas pecunias expendere ob ſolam curioſitatem audiendi ea quæ fabularum loco habent. Suas ergo retineant pecunias, & ignorantiſſimam, viliſſimamque gentem litterarum, & aſtrologicæ artis omnino expertem derideant.

X. Qui conſulunt aſtrologos, ut ſibi aliquod occultum delictum revelent, puta furtum, homicidium, aliave crimina, ſive facta, peccant graviſſime: quia hæc detegi abſque dæmonis arte nequeunt. Atque adeo conſulentes inducunt aſtrologos ad ſuperſtitionem exercendam. Quid quod neque licitum eſt inducere hominem qui reipſa ſcit delictum omnino occultum, ad illud revelandum, ordine iuris prætermiſſo?

XI. Quæſt. IV. *Licitum ne eſt petere ut occulti theſauri, aquæ ſubterraneæ, cadavera ſub ſarcophagis latentia manifeſtentur ab iis qui iſtorum cognitionem iactant?* Reſp. Quod aquæ diſcurrentes intra terræ meatus naturalibus ſignis, puta vaporibus, aliiſque emiſſis effluviis, dignoſci queant, nemo eſt qui neget. Metalla quoque in fodinis extantia vi naturali cognoſci valent pluribus ſignis, potiſſimum ex herbarum qualitate quæ ibi naſci ſolent. Utriuſque ergo cognitio peti poteſt ſine ſuperſtitione: quia utriuſque cognitio valet ſine ſuperſtitionis culpa præberi. Theſauri vero, vel cadavera ſub ſarcophagis abſcondita abſque dæmonis pacto cognoſci nequeunt. Quare qui iſtorum manifeſtationem poſtulant, & graviter peccant, quia ad ſuperſtitionem perpetrandam inducunt divinos, & ſpe fruſtrantur. Quam ſunt altæ ſtultitiæ ſtirpes! Si divinis hominibus comperti eſſent occulti theſauri, ſibi acciperent, non aliis manifeſtarent. Quid quod raro dæmon hæc manifeſtat, Deo ſic diſponente, ut infinita mala quæ divitiarum copia inſtructi homines ſcelerati ſolent perpetrare, impediantur.

XII. Quæſt. V. *Divinatores tenentur ne reſtituere pretium pro divinatione acceptum? Singularis opinio* P. Sanchez *refutatur*. Reſp. Quando divinatores ea prædicunt quæ naturalem cognitionem effugiunt, ut cum prænuntiant ea quæ a ſolo libero arbitrio pendent, tenentur reſtituere pretium pro tali prædictione acceptum. Si alios falſa hac doctrina imbuerunt, eos dedocere aſtringuntur. Si damna paſſi ſunt imperiti ob ſtultam credulitatem præſtitam talibus impoſturis, eadem compenſare debent: quia iſti fuerunt iniuſta eiuſmodi damnorum cauſſa.

XIII. P. Thomas Sanchez *Lib. II. in Decal. cap.* XXXVIII. *num. 96.* ſingularem hac de re opinionem habet. Ne ipſi imponere videar, propriis illius verbis eam-

dem tranſcribo. Inquit ergo. „ Quod ſi loquamur de pretio accepto pro hoc iudicio ferendo, Gratianus *cap.* Qui habetis XIV. *quæſt.* V. docet pauperibus reſtituendum tamquam turpe lucrum. Sed diſtinguendum eſt ſic. Si nullam operam appoſuit, *ut arte diaboli* ſciret aſtrologus ille quod nullo alio pacto ſciri potuit, ſive effectus evenerit, ſive non, tenetur pretium reſtituere danti: quia nullam diligentiam adhibuit, ſed caſu effectus evenit, aut non evenit. At pecunia datur propter operam ab illo impenſam, & quidem utilem ad effectum conſequendum. Sicut ſi medicinæ prorſus ignarus, aut inutilia ægro applicaret, teneretur pretium curationis ægro reſtituere, quamvis caſu liber a morbo evaſerit. Et quamvis conſulens aſtrologum in ea re deliquerit, offerens pretium pro re turpi, verior ſententia habet reſtituendum ipſi, donec per ſententiam condemnetur, ut id pretium amittat. *Si vero aſtrologus ille, vel divinator, operam ſuam appoſuit, & arte* DIABOLI *res ita evenit, non tenetur pretium reſtituere: quia ipſe ſuam operam, etſi turpem, appoſuit*: & acceptum pro opere turpi non eſt obnoxium reſtitutioni, iuxta veriorem ſententiam. Atque hæc omnia docet Nav. ibidem num. 163. & 164. & Manuel I. Summæ 2. editione cap. VII. num. 4. Salas I. 2. quæſt. IX. art. 5. tract. V. diſp. II. ſec. 8. num. 79. in fine. Adduntque indiſtincte teneri pretium reſtituere, quando res non ita evenit. *Sed id non credo, quando ipſe diligentiam adhibuit arte* DIABOLI *ad eum effectum neceſſariam:* ſicut medicus quando iuxta artis præcepta medicatus eſt, non tenetur pretium reſtituere ægro pereunti: *quia ea diligentia a mago illo appoſita* [N. B.] *eſt pretio æſtimabilis*. Nec in hoc caſu tenetur damna, & expenſas conſulenti reſtituere; ſed quando nullam operam impendit, *aut eius* DIABOLICÆ *artis ignarus erat*."

XIV. Pretio itaque æſtimabilis eſt ars diabolica? Si divinatores nullum cum diabolo commercium habeant, tum reſtituere acceptum pro divinatione pretium, ſive contingat effectus, ſive ſecus, tenentur: quia tum ignari aſtrologi ſunt divinatoriæ artis, decipiuntque clientes ſuos, quibus nullam impendunt operam, nullamque perferunt moleſtiam in diſcendis a diabolo artis ſuæ arcanis. Contra ſi diabolum conſulant, ſi tanto magiſtro ſecreta artis addiſcant, tunc ceu periti divinatoriæ artis ab onere reſtitutionis liberi ſunt, acceptumque retinere pretium iure valent, ſive effectus prænuntiatus ſuccedat, ſive non. Quemadmodum medicus qui iuxta artis ſuæ regulas infirmum curat, ſive convaleſcat, ſive pereat, acceptum pretium reſtituere non aſtringitur. Hæc mihi monſtroſa videntur paradoxa, quæ communi ſenſui repugnant. Inventa tandem opinio eſt quæ utile, & lucroſum eſſe docet cum diabolo commercium; & quod lucrum ex tali diabolico commercio acquiſitum retineri poſſit. Vah erronea commenta.

C A-

CAPUT VI.

De divinatione per ſomnia.

I. Varia ſunt ſomniorum genera, quæ dividi ſolent in oraculum, viſionem, ſomnium, inſomnium, & phantaſma. *Oraculum* eſt, cum Deus Sanctorum, Angelorumve miniſterio cuidam in ſomno revelat aliquod futurum: & eiuſmodi fuit ſomnium Abimelech *Gen.* xx. Abrahæ *Gen.* xxviii. Samuelis *II. Reg. cap.* iii. & ſancti Ioſephi, ac Magorum *Matth. cap.* i. *Viſio* eſt, quando id quod quis videt in ſomnio, eo quo vidit modo evenit. Eiuſmodi fuit ſomnium antiqui Ioſephi *Gen.* xxxvii. Iacobi *Gen.* xlvi. & Gedeonis *Iudic.* vii. *Somnium* dicitur id quod figuris tectum apparet, indigetque interpretatione, ut cognoſcatur: quale fuit ſomnium Nabuchodonoſoris; ut habetur *Danielis* ii. pincernæ, & piſtoris *Gen.* xl. *Inſomnium* eſt id quod poſtquam fatigavit vigilantem, eidem dormienti ſeſe ingerit. Quare dicit Eccleſiaſticus *cap.* v. quod *multas curas ſequuntur ſomnia*. *Phantaſma* eſt, dum quis, vix ſomno capto, & vigilare ſe reputans, figuras varias, & diſcrepantes ſibi ſpectare videtur. Hæc tamen ſomniorum genera, oraculo excepto, in idem fere recidunt.

II. Quatuor ſomniorum aſſignari cauſſæ ſolent, quarum duæ ſunt intimæ, extimæ aliæ. Cauſſa ſomniorum intrinſeca alia dicitur animalis, quæ ex internis paſſionibus naſcitur; qua de cauſſa etiam animalia ſomniare ſolent: alia eſt corporalis, quia ex varia corporis diſpoſitione ſomnia proficiſcuntur, ut explicat Angelicus 2. 2. quæſt. xcv. art. 6. *Interior ſomniorum cauſſa eſt duplex. Una quidem animalis, inquantum ſcilicet ea occurrunt hominis phantaſiæ in dormiendo circa quæ eius cogitatio, & affectio fuit immorata in vigilando . . . Quandoque vero cauſſa intrinſeca ſomniorum eſt corporalis. Nam ex interiori diſpoſitione corporis formatur aliquis motus in phantaſia conveniens tali diſpoſitioni; ſicut homini in quo abundant frigidi humores, occurrunt inſomnia quod ſit in aqua, vel nive. Et propter hoc medici dicunt eſſe intendendum ſomniis ad cognoſcendum interiores diſpoſitiones.* Experientia quippe conſtat quod qui ſanguine abundant, ea ſomniant quæ lætificare apta ſunt, ut theſauros, convivia, viridaria: qui bili vexantur, in ſomniis moliuntur cædes, rixas, aggreſſiones, bellicoſque conflictus: obnoxiis melancholiæ planctus, tenebræ, ſubmerſiones apparent: illi vero qui viſcidis humoribus pleni ſunt, ſe comprimi & ſuffocari in ſomniis ſentiunt. Quoties etiam corporis humores perturbati ſunt, ſomnia gravia eſſe ſolent, & triſtia; quæ indicia ſunt corporis male valentis.

III. Cauſſa ſomniorum extrinſeca duplex ſimiliter eſt. Altera corporalis, *inquan-*

tum, inquit Angelicus, *imaginatio dormientis immutatur vel ab aere continenti, vel ex impreſſione cœleſtis corporis; ut ſit dormienti aliquæ phantaſiæ appareant conformes cœleſtium diſpoſitioni*. Altera ſpiritualis, *quæ*, ut ſubdit D. Thomas, *quandoque eſt a Deo, qui miniſterio Angelorum aliqua hominibus revelat in ſomniis, ſecundum illud Num. XII. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum*. Interdum etiam, perſequitur Angelicus, *operatione dæmonum aliquæ phantaſiæ dormientibus apparent, ex quibus quandoque aliqua futura revelant his qui cum eis habent pacta illicita*. Quibus poſitis ſit.

IV. Quæſt. I. *Licitum ne eſt per ſomnia divinare futura?* Reſp. Huic quæſito ſic reſpondet D. Thomas loc. cit. *Dicendum, quod ſi quis utatur ſomniis ad præcognoſcenda futura, ſecundum quod ſomnia procedunt ex revelatione divina, vel ex cauſa naturali intrinſeca, ſive extrinſeca, quantum poteſt ſe virtus talis cauſæ extendere, non erit illicita divinatio. Si autem huiuſmodi divinatio cauſetur ex revelatione dæmonum cum quibus pacta habentur expreſſa, quia ad hoc invocantur, vel tacita, quia huiuſmodi divinatio extenditur ad quod ſe non poteſt extendere; erit divinatio illicita, & ſuperſtitioſa*. Licitum ergo eſt ſomnia a Deo immiſſa obſervare, atque per ea divinare futura. Sed videndum prius eſt, ſint ne a Deo, vel a dæmone immiſſa: & hoc opus, hic labor eſt. Regula quippe certa, & infallibilis vix deſignari poteſt. Coniecturæ vero probabiles plures præſto adſunt. Præcipua hæc eſt. Si ſomnia ſint honeſta, & ad bonum ſpirituale animum inclinent, a Deo immitti credendum eſt, ut dicit D. Iacobus cap. III. *Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia, & fructibus bonis, non iudicans, ſine ſimulatione*. Si animum turbent, ſi ad malum inflectant, ut a dæmone ſuggeſta credi debent. Si poſt ſufficientem diligentiam dubia apparent, ſpernenda ſunt; & id quod tutius videtur, amplectendum. Mores, vitæque integritas illius cui ſomnia accidunt, plurimum conferunt ad internoſcendum, ſint ne a Deo, an dæmone immiſſa. Qui hæc ſomnia experiuntur, prudenti Confeſſario manifeſtare ea debent, & precibus ad Deum effuſis implorare ab eodem veram notitiam debent, qui non permittet decipi nolentes decipi.

V. Quæſt. II. *Licita ne eſt naturalium ſomniorum obſervatio?* Reſp. Affirmant communiter Theologi: quoniam hæc ſomnia ex cauſſis naturalibus proficiſcuntur, nempe ex humorum copia, ex qualitate temperamenti. Porro licitum eſt ex cauſſis naturalibus venari effectus qui inde profluunt. Quapropter medici ſomnia licite obſervant, ut colligant cauſſas morborum, eaſque auferant.

VI. Quæſt. III. *Licitum ne eſt ex ſomniis futura libera divinare?* Reſp. Omnes docent, hoc eſſe grave ſcelus: quoniam futura libera a ſola voluntate pendent, nul-

nullamque cum ſomniis connexionem habent. Accedit quod ſomniorum origo, non una, ſed multiplex eſt: atque adeo nihil certi, vel ipſorum effectuum naturalium, ſed tantum coniecturis quidpiam aſſequi poſſumus. Nihil ergo conferre ſomnia valent ad ea quæ libera omnino ſunt, divinanda. Quare ſuperſtitioſi illi ſunt qui certa poſitura, & ſitu in lecto ſe collocant, ut in ſomniis futura eventa eis revelentur; ſicut & alii, qui infirmorum pulvinaribus cornua animantium ſubiiciunt, ut tranquillum ſomnum capiant. Nulla quippe connexio inter ſomnum quietum & hæc inſtrumenta relucet.

VII. Quæſt. IV. *Peccat ne qui ſomniorum occaſione mores ſuos, & negotia moderatur?* Reſp. Extrema hic, ſicut in aliis rebus, cavenda ſunt. Qui ſomniorum obſervator eſt, & iiſdem paſſim utitur, veluti regulis ad ſua peragenda negotia, vel omittenda, procul dubio ſuperſtitionem committit. Ceterum, ſi quis interdum ſomniorum occaſione aliquid omittit, vel ſuſcipit, non ob fidem certam ſomniis præſtitam, ſed ex iiſdem occaſionem accipiens ſerius negotium aliquod perpendendi, moreſque ſuos reformandi, nulla polluitur ſuperſtitionis labe. Fac aliquem peccatorem in ſomnio mortem ſubitaneam imminentem ſibi videre, niſi mores ſuos corrigat, ſtatimque pœniteat; ſuperſtitioſus minime hic eſſet; quin prudenter ageret, ſi continuo confiteretur, moreſque ſuos reformaret. Credere enim prudenter poſſet, a Deo ſomnia eiuſmodi ſibi eſſe infuſa, ſomniorumque miniſterio admoneri ut ad meliorem frugem ſe ſe recipiat. Iam innuimus, ſomnia quæ bonum ſuadent, probabilius a Deo proficiſci. Prudentia tamen opus eſt, qua bonum ipſum internoſcatur, utrum videlicet ſit bonum certum, neceſſarium, nullumque inferens malum. Nam angelus malus quandoque bonum proponit, ut inde maius malum deducat. Hoc tamen facile diſcerni valet. In exemplo allato nullum malum timeri ſuapte natura poteſt: peccatorem quippe peccata deflere, pœnitentia eadem abluere, & in Deum ſe convertere, ita bonum eſt, ut nihil inſidiarum pertimeſcendum includat.

VIII. Quæſt. V. *Quando ſomnia eventibus comprobantur, ſunt ne tunc obſervanda?* Reſp. Non raro accidit ut quis videat eventa reſpondere ſomniis quæ habuit. Hinc movetur ut ea obſervet, fidemque iiſdem adhibeat. Dicendus ne iſte ſuperſtitionis labe aſperſus? Reſpondet D. Thomas 2. 2. quæſt. xcvi. art. 3. ad 2. *Hoc quod a principio in iſtis obſervationibus aliquid veri homines experti ſunt, accidit caſu; ſed poſtmodum, cum homines incipiunt ſuum animum huiuſmodi obſervantiis implicare, multa ſecundum huiuſmodi obſervationes eveniunt per deceptionem dæmonum: ut in his obſervationibus homines implicati curioſiores fiant, & ſe magis inſerant multiplicibus laqueis pernicioſi erroris.* Cavenda igitur levitas eſt in fide ſomniis adhibenda; & prudentia, ac veritate, quæ ex certis aliis, tutiſque principiis nobis comperta eſt, mores, & negotia noſtra dirigere debemus. Somniis ne

indigemus ut mores corrigamus, ut egregia facinora, & opera bona aggrediamur? Illud præ oculis ſemper habendum, quod Scriptura vetat ſomniis fidem dare. *Niſi ab Altiſſimo fuerit emiſſa viſitatio, ne dederis in ſomniis cor tuum*: Eccli. xxxiv. Illud etiam animadvertendum, quod, dum Deus ſomnium immittit, ſignum una præſtat quo dignoſcatur, reapſe illud divinitus eſſe immiſſum. Quare, niſi certa, aut valde probabilia ſigna occurrant, deſurſum ſomnium deſcendere, contemnendum eſt.

CAPUT VII.

De divinatione quæ fit per auguria, & omina, & alias eiuſmodi obſervationes exteriorum rerum.

I. QUæſtionem hanc proponit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* xcv. *art.* 7. Augurium communiter pro avium garritu accipi ſolet. Triplex eſt. Quando ex voce, cantu, numeroque garrituum futura prædicuntur, dicitur abſolute *augurium*. Si hæc prædictio fiat ex volatu, paſtu, alitu, vel motibus, appellatur *auſpicium*. Si vero divinatio fiat ex immolatarum, aut cæſarum avium extis, ſeu inteſtinis, fibris &c. tum nuncupatur *aruſpicium*. Quando vero divinatio fit ex verbis hominum, abſque ulla intentione ad futura prolatis, dicitur *omen*. Plurima hoc de argumento ſcribit M. Tullius in ſuis de divinatione libris, Etruſcoſque extollit, ceu iſtius artis callentiſſimos; quos etiam a Romanis ſæpius vocatos aſſerit, ut eiuſmodi arte illos inſtruerent. Plura iſthuc tranſcribere poſſem ad eruditionem; ſed melius exiſtimo quam breviſſime ea dumtaxat perſtringere quæ ad mores noſtros formandos pertinent.

II. Quæſt. I. *Licet ne ex cantu, volatu, motuque avium futura portendere?* Reſp. Si ſermo ſit de quibuſdam futuris effectibus qui a cauſſis naturalibus pendent, ut ſunt pluviæ, tempeſtates, ſiccitates &c. licitum eſt ex avium cantu, & volatu eiuſmodi coniectare. Quia præfati avium cantus, & motus ſigna ſunt naturalia iſtorum effectuum. Siquidem ſenſus iſtorum animalium ab aeris mutatione, ab aſtrorum influxibus fortius præ hominibus afficiuntur; & propterea animalia iſthæc in uſu habent aut canere, aut volare celerius his temporum mutationibus imminentibus. Nulla ergo ſuperſtitio, ſed prudens obſervatio eſt, ex avium cantu, garritu, volatu &c. pluvias, ſerenitatem, tempeſtateſque colligere. Hæc omnia explicat Angelicus loc. cit. *Cauſa operationum brutorum animalium eſt inſtinctus quidam, quo moventur motu naturali: non enim habent dominium ſui actus. Hic autem inſtinctus poteſt ex duplici cauſa procedere. Uno quidem modo ex cauſa corporali. Cum enim bruta animalia non habeant niſi animam ſenſitivam, cuius omnes po-*

potentiæ ſunt actus corporalium organorum, ſubiacet eorum anima diſpoſitioni continentium corporum, & primordialiter cæleſtium. Et ideo nihil prohibet aliquas eorum operationes eſſe futurorum ſigna, inquantum conformantur diſpoſitionibus corporum cæleſtium, & aeris continentis, ex quibus proveniunt aliqui futuri eventus. Hinc eſt, ſubdit Angelicus, quod, quando cornicula frequenter crocitat, indicat proximam futuram pluviam. Aves aliæ ſua ſigna edunt ad ſimiles eiuſmodi effectus prænuntiandos.

III. Superſtitio vero aperta eſt, futura contingentia libera ex præfatis avium, & quorumque animalium ſignis prædicere. Ratio ſæpius iam data eſt, quod nempe futura libera a voluntate pendeant. Hinc eſt quod Deus *Deuter.* XVI. præcipit: *Non inveniatur in te qui obſervet auguria*. Nonnullas auctoritates Scripturarum quæ afferri in oppoſitum ſolent, interpretatur D. Thomas *loc. cit.* ut quando Ioſeph dixit: *An ignoratis quod non ſit ſimilis mei in ſcientia augurandi?* Reſpondet ioci cauſſa hoc a Ioſepho dictum fuiſſe, ut Auguſtinus etiam docet.

IV. Quæſt. II. *Licitum ne eſt ex vocibus humanis caſu prolatis, aut ex aliis fortuitis eventis futura prædicere?* Reſp. Negans concluſio certa, & communis eſt. Hominum quippe verba ſunt ſigna ad libitum, quæ nullam relationem habent, nullumque influxum in quæcumque futura. Nihil ergo ex fortuita eiuſmodi verborum prolatione prædicere iure licet. Quod Eliezer verba puellæ obſervaverit, ex peculiari Dei revelatione fuit, ut & de Gedeone tradit D. Thomas *loc. cit. ad 3*. Superſtitione itaque laborant ſimiles obſervationes: puta, in malam partem interpretari, ſi prima hebdomadæ die eleemoſynæ petantur; ſi primo mane canis, aut feles obviam occurrat; ſi mane ſternutaveris; ſi veſtes a ſoricibus corrodantur; ſi caput ad ianuam alliſeris; & ſexcentæ aliæ ſimiles obſervationes, a Paganis in Chriſtianos idiotas, ignorantesque derivatæ. Quia enim aliquando caſu quidpiam triſte infauſtumque accidit, præviis ſimilibus ſignis; homines ad ſuperſtitionem proni, deceptique a dæmone, confeſtim pro malo augurio talia ſigna conſtituerunt.

V. Quæſt. III. *Superſtitio ne eſt futura prædicere ex corporis humani membris?* Reſp. Tria ſunt præcipua corporis membra quæ in divinatione obſervari ſolent, manus, caput, & pedes. Divinatio qua ex manuum lineis prædicitur homini futurum eventum, vocatur *chiromantia*: qua ex pedum lineis aliquid prænuntiatur; dicitur *podomantia*: qua vero coniectatur ex frontis lineis, & vultus qualitate, vocatur *metopoſcopia*: qua denique ex univerſo corpore, eiuſque membris auguria capiuntur, dicitur *phyſiognomia*. Quælibet iſtarum eſt duplex: altera naturalis, altera aſtrologica. Hæc ex membrorum lineamentis futuros liberos, & omnino contingentes effectus prædicit; illa vero ex corporis diſpoſitione, manuſque amplitudine ſanitatem, temperamentum, & morbos coniectat. Quibus prælibatis, dicimus,

mus, *phyſiognomiam* naturalem, quæ videlicet ex corporis habitudine coniecturas colligit infirmitatis, ſanitatis, fortitudinis, licitam eſſe. Quare dicitur Eccli. XIX. *Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus. Amictus corporis, & riſus dentium, & greſſus hominis enuntiant de illo.* Quemadmodum ceterorum animantium, puta equorum, boum &c. fortitudo, agilitas, velocitas ad curſum colligitur ex optima corporis diſpoſitione; ſic hominum inclinationes naturales, temperamenta &c. dignoſcuntur ex vultuum, aliorumque membrorum diverſitate. Et hoc licitum eſſe a nemine revocatur in dubium. Divinare autem ex *phyſiognomia* aſtrologica futura contingentia, fortuita, & libera ſuperſtitioſum eſt, ut omnes fatentur ob rationem ſæpius datam, quod nempe corporis, partiumque poſitura, & diſpoſitio nihil influere in futura contingentia & libera, quæ a ſola voluntate pendent, valeat. Quod dictum de *phyſiognomia* eſt, idem dicito de *chiromantia* naturali, & aſtrologica, ac de aliis duabus. Quamquam quod docere Auctores ſolent de manuum lineis, commentitium puto; nullamque inde colligi probabilem coniecturam ad inclinationes naturales, ad vitam longiorem, vel breviorem dignoſcendam exiſtimo.

VI. Quæſt. IV. *Peccant ne graviter qui Ægyptios, vulgo* Cingaros, *conſulunt, ut ex manuum oſtenſione bonam, aut malam ſortem ſibi enuntient?* Reſp. Si id ſerio peragant, dubio procul letaliter peccant: quia, ut ſæpius diximus, id ſuperſtitioſum eſt, cum nulla cauſſa naturalis deſignari poſſit quæ tales pariat effectus. Si ioci cauſſa fiat, peccatum veniale curioſitatis contingere Auctores docent. Verum in praxi vix id agitur abſque gravi culpa, tum ob ſcandalum, tum ob credulitatem quam idiotæ, & potiſſimum mulieres, adhibent eiuſmodi circulatoribus. Quare cogendi omnes ſunt ut ab his conſultationibus prorſus abſtineant. Dum enim tales prædictiones poſtulant, fovent iniquam artem, maliſque hominibus occaſionem præbent peccandi.

CAPUT VIII.

De divinatione quæ fit ſortium uſu.

I. SOrs definitur a D. Thoma 2. 2. *quæſt.* XCV. *art.* 8. quod ſit actio aliqua quæ ideo fit, ut eius eventu conſiderato, aliquod occultum innoteſcat. Hanc aſſerit triplicem eſſe. Prima eſt *diviſoria*, cum ex eius eventu decernitur quid cuique ſit tribuendum, puta munus, honor, dignitas &c. Secunda eſt *conſultoria*, cum nempe divina voluntas conſulitur, ut ſciamus quid cavere, quid aggredi, quid in hoc, aut in illo negotio agere debeamus. Tertia eſt *divinatoria*, cum a dæmone tacite, vel expreſſe aliquod futurum occultum revelari poſtulatur. *Sortes* *pro-*

proprie dicuntur (inquit Angelicus) *cum aliquid fit, ut eius eventu conſiderato aliquid occultum innoteſcat. Et quidem ſi quæratur iudicio ſortium, quid cui ſit exhibendum, ſive illud ſit res poſſeſſa, ſive ſit honor, ſive dignitas, ſeu pœna, aut actio aliqua, vocatur ſors* diviſoria. *Si autem inquiratur quid agere oporteat, vocatur ſors* conſultoria. *Si vero quæratur quid ſit futurum, vocatur ſors* divinatoria..... *Unde ſi quis ea intentione ſortibus utatur, quaſi huiuſmodi actus humani, qui requiruntur ad ſortes, ſecundum diſpoſitionem ſtellarum ſortiantur effectum, vana, & falſa eſt opinio, & per conſequens non carens dæmonum ingeſtione. Ex quo talis divinatio erit ſuperſtitioſa, & illicita.*

II. Sortes diviſoriæ licitæ ſunt, quod nil aliud ſint quam mutuum pactum quo homines conveniunt, ut ex ſortium eventu decidatur, cui res, honor, dignitas &c. debeant applicari. Nullum hic ſive expreſſum, ſive tacitum cum dæmone pactum. Iſtarum ſortium exempla plura ex Scriptura divina cum veteri, tum nova. Ex veteri quidem I. Reg. cap. x. *Et applicuit Samuel omnes tribus Iſrael, & cecidit ſors ſuper Beniamin.* Item Deuter. cap. 1. *Ipſe ſorte terram dividet Iſraëli.* Ex novo teſtamento: *Dederunt ſortes, & cecidit ſors ſuper Mathiam*: Actuum Apoſt. cap. 1. *Super veſtem meam miſerunt ſortem*: Matth. cap. xxvii.

III. Quæſt. I. *Licitum ne eſt ſortibus uti diviſoriis in electione ad dignitates ſæculares?* Reſp. Sententia adfirmativa communis eſt, reſpectu electionis ad officia laicalia: quia talis ſortitio nullo iure vetita eſt, & alias ſuapte natura nullam redolet ſuperſtitionem. Ad hoc tamen ut licita ſit, in æqualiter idoneos, atque emeritos ſors mitti debet: nam ſi ob ſortes adhibitas, idoneis neglectis, minus idoneis contingant præmia; tum peccatum erit contra diſtributivam iuſtitiam. Tunc ergo licita ſortitio eſt, cum plures idonei occurrunt, & tot non ſuppetunt præmia; atque exceſſus meritorum nequit diſcerni, ut ſciatur quis ſit præferendus.

IV. Quæſt. II. *Licitus ne eſt ſortium uſus in electione ad eccleſiaſtica beneficia?* Reſp Sententia negans communis eſt: quia lege eccleſiaſtica id cavetur *cap.* Eccleſia *extra de ſortilegiis*, ubi hæc habentur: *Sortis uſum in electionibus perpetua prohibitione damnamus.* Nullæ ergo electiones ſive ad dignitates, ſive ad beneficia, ſive ad officia eccleſiaſtica licite fieri poſſunt ſortium uſu: quod verum habet etiam in eligendis compromiſſariis ad dictas electiones. Hanc ſententiam expreſſe docet Angelicus, qui licet admittat ſortitionem licitam ad lites dirimendas, negat tamen licitum eiuſdem uſum in electionibus ad beneficia eccleſiaſtica. *Poteſt tamen* (inquit loc. cit.) *in hoc quadrupliciter peccatum incidere. Primo quidem, ſi abſque ulla neceſſitate ad ſortes recurratur: hoc enim videtur ad Dei tentationem pertinere. Unde Ambroſius dicit ſuper Lucam:* Qui ſorte eligitur, humano iudicio non comprehenditur. *Secundo, ſi quis etiam in neceſſitate abſque reverentia Dei ſortibus utetur,*

Unde

Digitized by Google

Unde ſuper Actus Apoſtolorum dicit Beda : Sed ſi qui neceſſitate aliqua compulſi, Deum putant ſortibus exemplo Apoſtolorum eſſe conſulendum , videant hoc ipſos Apoſtolos, nonniſi collecto fratrum cœtu, & precibus ad Deum fuſis egiſſe. *Tertio , ſi divina oracula ad terrena negotia convertantur . Unde Auguſtinus dicit ad inquiſitiones Ianuarii :* Qui de paginis evangelicis ſortes legunt , etſi optandum ſit, ut id potius faciant quam ad dæmonia conſulenda concurrant ; tamen etiam iſta mihi diſplicet conſuetudo ad negotia ſæcularia , & ad vitæ huius vanitates divina oracula velle convertere . *Quarto , ſi in electionibus eccleſiaſticis , quæ Spiritus ſancti inſpiratione fieri debent , aliqui ſortibus utantur. Unde , ſicut dicit Beda ſuper Actus Apoſtolorum , Mathias ante Pentecoſtem ordinatus ſorte quæritur, quia ſcilicet nondum erat plenitudo Spiritus ſancti in Eccleſia effuſa : ſeptem autem Diaconi poſtea non ſorte , ſed electione diſcipulorum ſunt ordinati . Secus autem eſt in temporalibus dignitatibus , quæ ad terrena diſponenda ordinantur ; in quarum electione plerumque homines ſortibus utuntur..... Si vero neceſſitas immineat, licitum eſt cum debita reverentia ſortibus divinum iudicium implorare. Unde Auguſtinus dicit in epiſtola ad Honoratum : Si inter Dei miniſtros ſit diſceptatio, qui eorum perſecutionis tempore maneant, ne fuga fiat omnium, & qui eorum fugiant, ne morte omnium deſeratur Eccleſia : ſi hæc diſceptatio aliter non potuerit terminari, quantum mihi videtur, qui maneant, & qui fugiant, ſorte legendi ſunt .* Iure ergo meritoque , poſtquam Deus gratiæ plenitudinem in Eccleſiam ſuam effudit , ſortium uſus vetitus eſt in eccleſiaſticarum dignitatum electionibus. Quæ omnia locum habent, etiam dum calculis æqualibus duo electi ſunt ad beneficium. Quia, ſi ſortitione electio dirimatur, tunc vi ſortis, non ſuffragiorum , beneficium obtineretur : quod expreſſe vetitum eſt.

V. Quæſt. III. *Electio ad beneficia eccleſiaſtica , ſortitione peracta , eſt ne nulla , nedum illicita?* Reſp. Electio ad officia, & beneficia eccleſiaſtica, quamquam illicita ſit , non tamen eſt nulla : quia lege tantum prohibetur; non autem declaratur invalida. Electio vero Prælati Eccleſiæ, qui habet iuriſdictionem cum in criminalibus, tum in civilibus, ſortium miniſterio facta, nulla eſt : quia expreſſe ut talis reiicitur *cap.* Quia propter *de elect.* Et hæc eſt communis , & vera ſententia . In prohibitionibus ſemper ſpectandum eſt, num ultra prohibitionem abſolutam addatur etiam irritatio : quia ſola prohibitio non infert irritationem , niſi id exprimatur . Et cum in ſola electione Prælati Eccleſiæ , habentis utraſque iuriſdictiones, irritetur electio facta per ſortes , ſecus vero in electionibus ad beneficia , & officia Eccleſiæ ; ideo illa dumtaxat nulla eſt ; ſecus vero iſtæ , quæ tantummodo illicitæ ſunt .

VI. Quæſt. IV. *Licita ne ſortitio eſt ad dirimendas lites ſuper rebus , & beneficiis eccleſiaſticis?* Reſp. Si Eccleſiaſtici litigent ſuper bonis temporalibus , non eſt dubium

bium quod valeant litem dirimere, qnemadmodum laici, ſortium uſu, debitis ſervatis conditionibns: quia in hac hypotheſi non diſtinguuntur eorum bona a bonis ſæcularium. Propoſita ergo quæſtiuncula ſpectat lites quæ inſtituuntur ſuper electionibus ad beneficia, & officia eccleſiaſtica: qua in difficultate duæ reperiuntur ſententiæ. Prima ait: Lex pœnalis non debet ultra caſus expreſſos extendi. Porro lex eccleſiaſtica ſortium uſum prohibet tantum in electionibus ad beneficia, & officia, ſecus in litibus dirimendis. Altera negat: quia, ſi lites per ſortes dirimerentur, electiones fierent, aut ſaltem complerentur ſortium uſu.

VII. Hæc ſecunda ſententia probabilior eſt, ſi ſermo ſit de ſortitione privata auctoritate facta. Ceterum, ſi auctoritate publica, nempe iudicis, ſortes mitti iubeantur, ut lites difficillimæ, quorum iura ita implexa ſunt, & obſcura, ut nequeant ad ferendam ſententiam dignoſci, dirimantur, tunc honeſtus evadit ſortium uſus: ſiquidem ſortitio abſolute vetita non eſt. Dicit enim Salomon Prov. XVIII. *Contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoque diiudicat*. Quoties ergo finis optimus eſt, qualis eſt litium diremptio, non erit illicita ſortitio. Lex in *cap.* Eccleſia *extra de ſortilegiis* vetat electiones ad beneficia, & officia eccleſiaſtica ſortibus fieri: vetat etiam, ſi vis, lites ſortibus dirimi, qnando iudicis ſententia terminari lites valeant; ſeu quando iura non ſint ita involuta, ut dignoſci, & diiudicari nequeat, cuinam litigantium parti faveant, cuive adverſentur. Ceterum, quando lites ſunt ita obſcuræ, ut iudices ipſi ignorent, cuinam partium iura faveant; quis dixerit, legem eccleſiaſticam vetare hac in hypotheſi litibus finem imponi ſortium uſu? Alioquin dicendum eſſet, legem velle lites interminatas: quod ſuſpicari nemo poteſt. Porro, ut evitentur incommoda quæ opponi ſolent, hæc ſortitio fieri debet iudicis eccleſiaſtici auctoritate. Tunc enim nullum aderit periculum obtinendi beneficium ſine iuſto titulo: quia auctoritas iudicis valentis beneficinm conferre, dum præcipit ſortitionem, ſententiam fert: & cui beneficium obtigerit, non tam ſortitionis effectu quam ſententia iudicis talem ſortitionem præcipientis obveniet. Nulla quoque ſimoniæ ſuſpicio, quæ tollitur iudicis anctoritate. Hæc ſententia communior eſt, & mihi probabilior. Eam defendunt Gloſs. in *cap.* Licite Cauſſam, *de prop. verb. Uti poſſidetis*. Suarez *de Relig. Tom. I. tract.* III. *Lib. II. cap.* XII. *num.* 53. Sanchez *Lib. II. cap.* XXXVIII. *num.* 79. Caſtropalaus *tract.* XVII. *diſp.* I. *punct.* 6. *num.* 7. Leander *tract.* IX. *diſp.* II. *quæſt.* VIII. Salmanticenſes *tract.* XXI. *cap.* XI. *punct.* 7. *num.* 88. *& alii*. Ex quibus inferunt; controverſia fervente, uter in Pontificem iure ſit electus, diſcordium litem ſortibus dirimi Cardinalium conſenſu. At nonne melius hoc in caſu eſſet tertium eligere, contendentibus neglectis? Ita factum eſſe ex hiſtoria eccleſiaſtica ſcimus; & ita facturos Cardinales exiſtimamus, ſi caſus accideret. Nec enim ſcimus ſortibus aliquando litem contendentium de Papatu diremptam eſſe. Hoc tamen ſapientum iudicio ſubmittimus.

VIII.

VIII. Quæſt. V. *Licita ne eſt ſortitio conſultoria?* Reſp. Sortitionis conſultoriæ duplex eſt cauſſa, utraque ſpiritualis, nempe Deus, aut dæmon. Si eventus ſortitionis conſultoriæ expectetur a dæmone, nuncupatur ſors *divinatoria*; quæ ſuperſtitioſa eſt, & a Sixto Papa V. vetita in ſuo *motu proprio*. Rationem ſæpius dedimus, quod ſcilicet ſortes iſtæ nullam habeant connexionem cum eventibus futuris, neque ut cauſſæ, neque ut ſigna eorumdem. Ergo, cum a Deo hæc cognitio non habeatur, reliquum eſt ut ſit a dæmone. Quare in his ſortitionibus ſemper adeſt pactum cum dæmone aut expreſſum, aut implicitum.

IX. *Conſultoria* ſortitio vocatur, quando eventus futuri cognitio imploratur a Deo. Hanc licitam eſſe, multa ſacrarum Scripturarum exempla, quæ ſupra indicata ſunt, evincunt. Nam Ioſue ſorte uſus fuit ad deprehendendum occultum reum, ut habetur *cap.* VII. Saul detexit filium ſuum Ionatham mel deguſtaſſe, ut colligitur ex I. *Reg. cap.* XIV. Apoſtoli ſortitione præmiſſa Mathiam in Apoſtolorum cenſum perſcripſerunt. Alia plura exempla indicata iam ſunt. Ad licitum ſortitionis uſum quatuor præſcribit D. Thomas conditiones, quas iam deſcripſimus, breviterque in memoriam revocabimus. Prima eſt urgens neceſſitas ſpiritualis, aut temporalis; qua neceſſitate ſublata, Deus tentatur. Secunda eſt, quod in ſortitione ſumma reverentia, & obſequium erga Deum ſervetur: nempe præmittatur oportet matura conſideratio, preceſque Deo fundi debent, ut Apoſtoli præſtiterunt in electione Matthiæ. Tertia, ne profanis ſacra miſceantur; ut ſi quis paginis evangelicis, Sanctorumque reliquiis ad negotia temporalia uteretur. Poſtrema eſt, ne hæc ſortitio adhibeatur in electionibus ad beneficia eccleſiaſtica. Has conditiones in praxi vix aliquando obſervari animadvertunt Theologi. Quapropter eiuſmodi ſortitiones omnino reiiciendæ ſunt: & in rebus dubiis iura, leges, prudentiæ regulæ, viri ſapientes conſulendi ſunt, ſortibus neglectis.

X. Animadvertunt etiam communiter Theologi, quod, quando ſortes adhibentur, etiam Dei auxilio implorato, ſi neceſſitas non adſit, erit peccatum, non ſuperſtitionis, ſed tentandi Deum. Ceteris vero conditionibus deficientibus, ultra peccatum ſuperſtitionis, alia crimina occurrere valent; ut quando ſortes adhibentur ad deprehendendum occultum furem, homicidam, & quemcumque reum, ultra ſuperſtitionem, iniuſtitiæ crimen perpetratur.

XI. De ſuperſtitione uſus duellorum, ferri candentis, aquæ ferventis hæc docet D. Thomas 2. 2. quæſt. XCV. art. 8. ad 3. *Iudicium ferri candentis, vel aquæ ferventis ordinatur quidem ad alicuius peccati occulti inquiſitionem per aliquid quod ab homine fit; & in hoc convenit cum ſortibus: inquantum tamen expectatur aliquis miraculoſus effectus a Deo, excedit communem ſortium rationem. Unde huiuſmodi iudicium illicitum redditur: tum quia ordinatur ad iudicanda occulta, quæ divino iudicio reſervantur: tum etiam quia huiuſmodi iudicium non eſt auctoritate divina ſancitum.*

citum. Unde 11. *quæſt.* v. *in Decreto Stephani Papæ V. dicitur : Ferri candentis, vel aquæ ferventis examinatione confeſſionem extorqueri a quolibet, ſacri non cenſent canones : & quod ſanctorum Patrum documento ſancitum non eſt, ſuperſtitioſa adinventione non eſt præſumendum : ſpontanea enim confeſſione, vel teſtium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, conceſſa ſunt noſtro regimini iudicare. Occulta vero, & incognita illi ſunt relinquenda qui ſolus novit corda filiorum hominum. Et eadem ratio videtur eſſe de lege duellorum; niſi quod plus accedit ad communem rationem ſortium, inquantum non expectatur ibi miraculoſus effectus; niſi forte quando pugiles ſunt valde impares virtute, vel arte.*

XII. Quæſt. VI. *Cur dormientes præ vigilantibus divinent?* Reſp. Congrua ratio aſſignari vix poteſt. Contendunt plures quod dormientes a ſenſibus externis, rebuſque extrinſecus obiectis ſint magis abſtracti. Porro anima ſecum interius collecta, nulliſque rebus externis diſtracta, vividius ſimulacra contemplatur. Hinc eſt quod Deus interdum dormientibus aliqua futura revelat : non quia ſomnus ſit diſpoſitio ad vaticinationem; ſed quia anima in ſomno magis tranquilla eſt, & ſoluta ab externis impedimentis. Accedit etiam cauſſa naturalis ciborum, quibus aluntur homines. Audiamus Marcum Tullium Lib. I. de div. *Iubet igitur Plato ſic ad ſomnum proficiſci corporibus affectis, ut nihil ſit quod errorem animis, perturbationemque afferat. Ex quo etiam Pythagoricis interdictum putatur, ne faba veſcerentur, quod habet inflationem magnam is cibus, tranquillitati mentis quærentis vera contrariam. Cum ergo eſt ſomno ſevocatus animus a ſocietate, & contagione corporis, tum meminit præteritorum, præſentia cernit, futura providet. Iacet enim corpus dormientis, ut mortui; viget autem, & vivit animus : quod multo magis faciet poſt mortem, cum omnino ex corpore exceſſerit.* Plurima hac de re Cicero habet.

XIII. Quæſt. VII. *Cur fatui, & ſtupidi facilius divinant quam ſana præditi mente?* Reſp. Vulgari fertur proverbio, ſtultos, pueros, ſtupidoſque divinare : idque docuere Plato, & Ariſtoteles. Hæc autem divinatio quæ fatuis, & amentibus adſcribitur, neque eſt prophetia, neque vaticinatio proprie dicta; ſed quædam prædictio quæ naturales cauſſas habet. Siquidem fatui, & ſtupidi, prudentia, & acumine deſtituti, quodam veluti inſtinctu ducuntur, ut bruta animantia, quæ in futuris quæ a cauſſis naturalibus, & neceſſariis proficiſcuntur, indicandis præſtant hominibus. Quidam piſces nautis tempeſtates portendunt, aves agricolis, armenta paſtoribus pluviam prænuntiant : mures confertim abeuntes domus ruinam incolis præmonſtrant. Hoc autem inde ortum habet quod bruta animantia maiorem habent cum cauſſis corporalibus propinquitatem, earumque impreſſiones, & influxus vividius percipiunt; ac proinde melius & certius futuros effectus præſentiunt. Similiter fatui, ſtupidique prudentia deſtituti brutis animantibus magis accedunt, & cauſſarum naturalium impreſſionibus fortius afficiuntur; atque adeo futura natura-

turalia ſolent magis quam prudentes prævidere. Plurimum ſenſibus detrahit interior contemplatio; & viciſſim ſenſuum externorum applicatio contemplationis vim extenuat, & unius ſenſus privatio alterum ſenſum acutiorem efficit. Sic qui carent oculis, & acutius audiunt, & facilius recordantur. In fatuis ergo, ſtupidiſque divinatio naturalis frequentior interdum eſt quam in prudentibus ob maiorem cum animantibus affinitatem. Accedit quod fatui, ſtupidique loquaces ſunt, continenter blaterant: & quidquid ipſis in buccam venit, effutiunt: hinc eſt quod tantam inter verborum affluentiam caſu quandoque quidquam veri prænuntiant; quemadmodum circulatores, qui eventa omnia, quibus communiter homines ſunt obnoxii, quæque frequentiſſime accidunt, narrantes, ſæpe plura revelant quæ reapſe contigere: quæ manifeſtatio ab imperitis pro vaticinatione ſuſcipitur, cum ſit omnino fortuita.

XIV. Quæſt. VIII. *Cur homines morti proximi ſæpe futura divinant?* Reſp. Plato, aliique Philoſophi animadverterunt, eos qui ſunt morti propinquiores, futura prædicere. Hoc narrat Marcus Tullius Lib. I. de Div. *Divinare autem morientes etiam illo exemplo confirmat Poſſidonius, quo affert Rhodium quemdam morientem ſex æquales nominaſſe, & dixiſſe, qui prius eorum, qui ſecundus, qui deinceps moriturus eſſet.* D. Gregorius, ut refert Azorius Lib. IX. cap. XXIV. *Lib. IV. Dialog. cap.* XXVI. & XXVII. plura affert exempla, quibus evincit, moribundos futura prædixiſſe. Narrat advocatum morti proximum vocaſſe puerum ſuum, ut veſtimenta ſibi pararet, quia exire domo vellet. Obedire renuit puer, exiſtimans patrem inſanire. Decumbens vero ſurrexit, ſeſe induit, & per viam Appiam ad S. Sixti Eccleſiam ſe proceſſurum aſſeruit. Verum ingraveſcente morbo, mortem oppetiit. Deliberatum fuerat, eius cadaver Præneſtina via ad beatum Ianuarium Martyrem ſepeliendum deferre; ſed quia nimis longum iter eis qui illius funus curaverant, viſum fuit, repente mutato conſilio ad illam quam defunctus prædixerat, Eccleſiam detulerunt, eiuſdem vaticinationem ignorantes. Addit *cap.* XXVII. Comitem Theophanium aeris ſerenitatem poſt ſuum obitum futuram prædixiſſe uxori; cum, dum in vivis ille erat, mortique proximus, graviſſima aeris tempeſtas obſiſteret, ne ad ſepeliendum deferri poſſet. Quæ ſi vera ſunt, dicendum, quod, ſi moribundi ea vaticinantur quæ vi naturali ſciri nequeunt, revelante eis Deo, eorumque mentes illuſtrante futura prædicunt. Idque probat D. Gregorius exemplis etiam Iacob, & Moyſis, qui morti appropinquantes plura futura prædixerunt, ille filiis, hic Iſraelitico populo. Cum vero morituri prænuntiant futura quæ a naturalibus cauſſis pendent, id præſtant, quia mens, ſopitis ſenſibus, exactius res contemplatur, eorumque corpora cauſſarum naturalium influxibus magis afficiuntur: ideoque temporis, aeriſque vices, & mutationes ceteris melius præſentiunt.

XV. D. Auguſtinus *Lib. XII. de Geneſi ad litteram cap.* XVII. plura exempla pro-

po-

ponit, quibus indicat febri ardenti furentes divinare futura. Non alia tamen eſt iſtorum vaticinatio quam fortuita: quia enim furentes loquaces ſunt, & omnia quæ in buccam veniunt, effundunt, ideo quandoque incidunt in id quod futurum eſt. Nulla iſti prudentia, nulloque timore reguntur, nihil occultum diſſimulant; ſed omnia effutiunt. Quare mirum non eſt, ſi interdum aliquem futurum eventum prædicant; ſicut qui frequenter iaculantur, etiam clauſis oculis quandoque ſignum attingunt. Qui atra bili corripiuntur, frequentius divinant, eo quod iſtorum mens a ſenſibus facilius abſtrahi ſolet, & ſic abſtracta intentiore conatu res contemplatur. Facilius quoque aeris, cæleſtiumque corporum influxus, & mutationes ſentiunt. Plura alia mitto, quod nullius fere utilitatis ſint. Nam vel ipſe Marcus Tullius, quamquam plurima ſuperſtitioſa defendat, hæc tamen ſcribit *Lib. I. de Divin.* prope finem. *Si quis modo talis poſſit eſſe qui colligationem cauſarum omnium perſpiciat animo, nihil eum profecto fallet: qui enim teneat cauſas rerum futurarum, idem neceſſe eſt omnia teneat quæ futura ſint. Quod cum facere nemo niſi DEUS poſſit, relinquendum eſt homini ut ſignis quibuſdam conſequentia declarantibus futura præſentiat.* In hoc autem errat Cicero, aliis eius erroribus prætermiſſis, quod ſignis iſtis plus iuſto tribuat.

CAPUT IX.

De vana obſervantia.

I. VAna obſervantia eſt tertia ſuperſtitionis ſpecies, quæ ope vanarum conſiderationum aliqua externa opera efficere conatur. Integram quæſtionem nempe xcvi. 2. 2. quatuor articulis comprehenſam ſuper hac re D. Thomas inſtituit. Ex primo articulo eruitur, quod vana hæc obſervantia ſit ſuperſtitio quædam, cum inſtrumenta inepta, nec a Deo, nec a natura inſtituta, ad aliquem exteriorem effectum producendum adhibeat. Hanc obſervantiam dividit in ſpecies tres. Prima eſt *ars notoria*; ſecunda *obſervantia ſanitatum*; poſtrema *futurorum eventuum obſervantia*. In his, ſicut in aliis ſuperſtitionis ſpeciebus, pactum tacitum, vel expreſſum cum dæmone intervenire poteſt.

II. Quæſt. I. *Licita ne eſt ars notoria?* Reſp. D. Thomas *loc. cit.* huic quæſito ſic reſpondet. *Dicendum, quod ars notoria eſt & illicita, & inefficax. Illicita quidem eſt, quia utitur quibuſdam ad ſcientiam acquirendam quæ non habent ſecundum ſe virtutem cauſandi ſcientiam . . . Et ideo huiuſmodi ars non utitur his ut cauſis, ſed ut ſignis: non autem ut ſignis divinitus inſtitutis . . . Unde relinquitur quod ſint ſupervacua ſigna, & per conſequens pertinentia ad pacta quædam ſignificationum cum dæmonibus placita, atque fœderata. Et ideo ars notoria penitus eſt repudianda, &*

fugienda a Chriſtiano, ſicut aliæ artes nugatoriæ, vel noxiæ ſuperſtitionis, ut Auguſtinus dicit II. de doctrina chriſtiana. Eſt etiam huiuſmodi ars inefficax ad ſcientiam acquirendam. Cum enim per huiuſmodi artem non intendatur acquiſitio per modum homini connaturalem, ſcilicet adinveniendo, vel addiſcendo, conſequens eſt quod iſte effectus vel expectetur a Deo, vel a dæmonibus. Certum eſt autem aliquos a Deo ſapientiam, & ſcientiam per infuſionem habuiſſe, ſicut de Salomone legitur III. Reg. III. *& II. Paral.* I. *Dominus etiam diſcipulis ſuis dixit Luc.* XXI. Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes adverſarii veſtri. *Sed hoc donum non datur quibuſcumque, aut cum certa obſervatione, ſed ſecundum arbitrium Spiritus ſancti, ſecundum illud I. ad Cor.* XII. Alii quidem datur per Spiritum ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ ſecundum eumdem Spiritum: *& poſtea ſubditur:* Hæc omnia operatur unus & idem Spiritus, dividens ſingulis, prout vult. *Ad dæmones autem non pertinet illuminare intellectum . . . Acquiſitio autem ſcientiæ, & ſapientiæ fit per illuminationem intellectus: & ideo nullus umquam per dæmones ſcientiam acquiſivit. Unde Auguſtinus dicit in X. de Civit. Dei, Porphyrium fateri, theurgicis theletis, ideſt operationibus dæmonum, animæ intellectuali nihil purgationis accedere, quod eam faciat idoneam ad videndum Deum ſuum, & perſpicienda ea quæ vera ſunt, qualia ſunt omnium ſcientiarum theoremata. Poſſent tamen dæmones hominibus colloquentes exprimere aliqua ſcientiarum documenta. Sed hoc non quæritur per artem notoriam.* Hæc omnia, licet aliquantiſper prolixe, tranſcribere placuit, quod ad plura utilia ſint. Illudque potiſſimum obſervandum, quod dæmones, cum ſint tenebrarum angeli, nequeunt illuminare intellectum: quoniam hæc illuminatio eo ſpectat, ut manifeſtet veritatem cum ordine ad Deum: omnis quippe veritas a Deo eſt: dæmonis autem propoſitum eſt homines a Deo ſeiungere, minime vero ad Deum adducere. Quare qui pactum cum dæmone ineunt ad ſcientiarum acquiſitionem, ultra graviſſimum ſuperſtitionis crimen, ſpe quoque ſua defraudantur. Quod de Anabaptiſtis narratur, nempe illos, ſumpto ſacrilegæ cœnæ bolo, Scripturas ediſſerere; ſi verum hoc ſit, dicendum, dæmonem occupare illorum corpora, eorumque ore, & lingua, ut in arreptitiis, loqui. Idque adeo verum eſt, ut, hæreſi illa abiurata, ſtupidi remaneant, & ignari, quemadmodum antea. Quod ſi retinerent ſcientiam, hæreſi eiurata, eiuſdem uſus licitus eſſet; dummodo certum, compertumque foret a dæmone illius continuationem non pendere. Vanam ergo obſervantiam, ſeu artem *notoriam* illicitam eſſe, graveque ſuperſtitionis crimen, certum eſt, omneſque fatentur.

III. Quæſt. II. *Licita ne eſt ſanitatum obſervantia*? Reſp. Tum dicitur ſanitatum obſervantia fieri, cum inſtrumenta inepta, puta cæremoniæ, orationes, imagines aſtronomicæ adhibentur ad curandos morbos, deliniendos dolores, effluxum ſanguinis impediendum, aliaque huiuſmodi incommoda propulſanda. Siquidem cum re-

recenſita, & id genus ſimilia media nullam vim habeant ad tales effectus, neque a ſe, neque a divina inſtitutione; conſequens eſt a dæmone eſſe omnem effectum qui illorum uſu produci ſolet. Intervenit ergo pactum aut expreſſum, aut implicitum cum dæmone; atque adeo ſuperſtitionis crimen committitur. Superſtitionis quoque rei ſunt qui brevia, involucra, amuleta, ſcriptas preces, reliquias cum certa fiducia, quod non ſint abſque confeſſione morituri, aut a ſclopis, bombardiſque lædendi, ſecum deferunt. Ratio eſt eadem, quia ſcilicet hæc ſigna nec a ſe, nec a Deo vim habent ullam ad eiuſmodi effectus. Quod ad reliquias tamen pertinet, obſervandum cum D. Thoma 2. 2. quæſt. xcvi. art. 4. ad 3. *quod ſi portentur ex fiducia Dei, & Sanctorum quorum ſunt reliquiæ, non erit illicitum. Si autem circa hoc attenderetur aliquid aliud vanum, puta quod vas eſſet triangulare, aut aliquid aliud huiuſmodi, quod non pertineret ad reverentiam Dei, & Sanctorum, eſſet ſuperſtitioſum, & illicitum*. Admonet præterea Angelicus, dum deferuntur imagines ſacræ, aut paginæ in quibus exaratum ſit Evangelium, cavendum eſſe primum, ne quidquam falſitatis contineant adverſus ſacram Scripturam, conſuetudinem, traditionemque Eccleſiæ; deinde ne ſcriptum aliquid ſit quod ad dæmonum invocationem pertineat, aut nomina ignota, aut characteres, vel figuræ miſceantur, ſigno crucis excepto. Verbo dicam, tum eſt licita reliquiarum, ſacrarumque imaginum delatio, quando in ſolo Deo ſpes habetur, media etiam Sanctorum interceſſione; ſacriſque rebus honos, & reverentia exhibetur propter ſolam relationem ad Deum, & Sanctos, quacumque alia vana obſervatione ſecluſa.

IV. Superſtitioſum eſt ſacra verba proferre ad movendum annulum e filo pendentem: quoniam hæc verba nullam habent virtutem ad talem motum inferendum. Quare, ſi motus contingit, a dæmone eſt. Superſtitionem quoque committunt qui ad collum ſuſpenſas gerunt *philetenas*, ſeu *ligaturas* remediorum, quæ ſuapte natura inepta ſunt ad pellendas infirmitates: item ii qui Sanctorum imagines in flumen proiiciunt, & ibidem detinent, donec a Deo pluviam obtineant. Si plura cupis, legeſis Delrium *Lib. III. Diſq. magic. part.* 11. *quæſt.* IV.

V. *Obſervantia futurorum eventuum eſt prædictio proſperæ, vel adverſæ fortunæ ex ſignis prorſus ineptis ad eiuſmodi prænoſcenda*: puta, ſi quis obſervet dies, tempora, hominum occurſus, aliaque ſimilia, quibus moveatur ad quidquam agendum, vel omittendum, tamquam infauſtum. Lubet nonnulla tranſcribere ex D. Auguſtino, qui *Lib. II. de doctr. chriſt.* ſuſe recenſet plurima ſuperſtitionis exempla. Mittam nunc ea quæ pertinent ad alias ſuperſtitionis ſpecies, & aliqua dumtaxat ex iis quæ pertinent ad vanam obſervantiam, breviter exhibebo. Hæc ergo ſcribit Auguſtinus *cap.* XX. *& ſeq.* „ Ad hoc genus pertinent omnes etiam „ ligaturæ, atque remedia, quæ medicorum quoque diſciplina condemnat, ſive

Digitized by Google

„ in præcantationibus, ſive in quibuſdam notis, quas characteres vocant, ſive in „ quibuſdam rebus ſuſpendendis, atque illigandis, vel etiam ſaltandis quodammo- „ do, non ad temperationem corporum, ſed ad quaſdam ſignificationes, aut oc- „ cultas, aut etiam manifeſtas: quæ mitiore nomine Phyſicam vocant, ut non „ quaſi ſuperſtitioſe implicare, ſed natura prodeſſe videantur; ſicut ſunt inaures „ in ſummo aurium ſingularum, aut de ſtruthionum oſſibus anſulæ in digitis, „ aut cum tibi dicitur ſingultienti, ut dextera manu ſiniſtrum pollicem teneas. „ His adiunguntur millia inaniſſimarum obſervationum, ſi membrum aliquod ſa- „ lierit, ſi innctim ambulantibus amicis lapis, aut canis, aut puer medius inter- „ venerit: atque illud quod lapidem calcant, tamquam diremptorem amicitiæ, „ minus moleſtum eſt quam quod innocentem puerum colapho percutiunt, ſi „ pariter ambulantibus incurrerit. Sed bellum eſt quod aliquando pueri vindi- „ cantur a canibus. Nam plerumque tam ſuperſtitioſi ſunt quidam, ut etiam ca- „ nem qui medius intervenerit, ferire audeant non impune. Namque a vano „ remedio cito interdum ille percuſſorem ſuum ad verum medicum mittit. Hinc „ ſunt etiam illa: limen calcare, cum ante domum ſuam tranſit: redire ad le- „ ctum, ſi quis, dum ſe calciat, ſternutaverit: redire domum, ſi procedens of- „ fenderit: cum veſtis a ſoricibus roditur, plus timere ſuſpicionem futuri mali „ quam præſens damnum dolere. Unde illud eleganter dictum eſt Catonis, qui, „ cum eſſet conſultus a quodam, qui ſibi a ſoricibus coroſas caligas diceret: re- „ ſpondit, non eſſe illud monſtrum, ſed vere monſtrum habendum fuiſſe, ſi ſori- „ ces a caligis roderentur." Plurima alia quæ ibidem proſequitur Auguſtinus, prætereo, eo quod ex rationibus quæ hactenus allatæ ſunt, cuique compertum eſſe poteſt, quænam ſint ſuperſtitionis damnanda, quæve ab eadem purganda.

CAPUT X.

De magia naturali, eiuſque effectibus.

I. Magia generatim accepta *ars eſt mira quædam, & inſolita operandi*. Tribuitur in ſpecies duas, naturalem nempe, & ſuperſtitioſam. Naturalis eſt quæ naturalium cauſſarum uſu, & applicatione occulta, & mira operatur: ſuperſtitioſa quæ dæmonis auxilio inſolitos effectus producit.

II. Quæſt. I. *Eſt ne licita magia naturalis?* Reſp. Sententia affirmans communis eſt, & vera, quæ tum ratione, tum exemplis e ſacra Scriptura, & hiſtoria profana petitis evinci poteſt. Magia ſiquidem naturalis Philoſophia eſt, quæ cauſſarum naturalium vim, & efficacitatem penetrans, earumdem uſu effectus edit qui in-

inſoliti, & miri videntur indoctis, ac imperitis, quibus cauſſarum vires occultæ ſunt. Hinc Philoſophi, & ſapientes *Magi* olim vocabantur. Geneſis *cap.* XXX. legitur, hac arte uſum fuiſſe Iacobum, qui virgas amygdalinas in canalibus aquæ defixit, ut ad eaſdem reſpicientes oves, maculatos fetus parerent. Narrant enim Auctores graviſſimi, animal fervore libidinis percitum viſas imagines attrahere, fetuique imprimere. Huic apprehenſioni in ferventi coitu conceptæ adſcribi forte verius poſſunt maculæ illæ quæ in nonnullis etiam viris, ac feminis conſpiciuntur. Hanc naturalem magiam didiciſſe Iacobum, dum ſcholas Melchiſedech frequentabat, docet Toſtatus in *cap.* XXX. *Gen.* Tobias quoque hac arte uſus fuit, cum oculorum ſanitatem patri reſtituit felle piſcis. Qui plura hac de re cupit, legat ceteros inter Albertum Magnum *Lib. VIII. & Lib. XXIV.* Si tamen opus illud ſit illius genuinus fetus.

III. Quæſt. II. *Qua ratione & via magia naturalis a ſuperſtitioſa ſecerni valet?* Reſp. Fatentur omnes difficillimum eſſe internoſcere, & diſtinguere, num effectus plures a naturali, vel ſuperſtitioſa cauſſa proficiſcantur. Nam ad iſtorum effectuum diſtinctionem neceſſaria eſſet virium cauſſarum naturalium comprehenſio. Tria tamen præſcribi ſigna ſolent. Primum eſt cauſſæ cognitio, videlicet ſi inepta natura ſua deprehendatur ad talem effectum pariendum. Porro tum cauſſa potiſſimum inepta prorſus iudicatur ad effectum inducendum, cum patrator effectus in applicatione cauſſæ adhibet ligaturas, characteres, verba apocrypha, nomina ignota; ſi tot ligamenta, & non plura, tot cruces, tot verba, & alia id genus ſimilia adhibeantur. Tunc enim dæmonis arte effectus illos produci ſentiendum eſt: quippe certum eſt præfatos characteres, ligaturas, tot & non pluribus vicibus repetitas, ac cetera quæ adhibentur, nulla vi pollere ad effectus eiuſmodi producendos. Secundum ſignum eſt ex modo operandi, videlicet ſi hæc fiant in re valde diſtanti, ſi breviſſimo temporis intervallo effectus cauſſetur; ut ſi repente a gravi morbo animal, ſive homo curetur: ſi longum iter plurium leucarum unius horæ quadrante conficiatur. Tertium colligitur ex effectus natura, quando nempe certo ſcitur, talem effectum humanas excedere vires, induſtriamque.

IV. Quæſt. III. *Quando dubium eſt, procedat ne effectus a cauſſa naturali, vel arte ſuperſtitioſa, quid præſumendum?* Reſp. Salmanticenſes *tract.* XXI. *cap.* XI. *punct.* 9. *num.* 112. contendunt præſumendum eſſe a cauſſa naturali proficiſci, eo quod dubia in meliorem partem ſunt interpretanda: afferuntque auctoritatem D. Thomæ 2. 2. *quæſt.* lx. *art.* 4. ubi quæſtionem inſtituit, ſint ne dubia in meliorem partem interpretanda; & hæc verba ex eodem tranſcribunt: *Ubi non apparent manifeſta indicia de malitia alicuius, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium eſt.* Doctrina hæc vera eſt; ſed quæſtiunculæ reſolvendæ male, & contra expreſſam Angelici mentem applicatur. Alia quippe regula ſer-

vanda eſt in interpretanda hominis mala, vel bona voluntate; alia in interpretatione dubiorum quæ occurrunt de rebus ipſis. Nemo præſumi malus debet, niſi probetur. Ideo quando dubitatur, ſit ne bona, aut mala hominis voluntas, ſemper ad meliorem partem flectendum eſt iudicium. Quando vero dubitatur, ſiut ne veræ, aut falſæ propoſitiones, ſint ne honeſtæ, an vitioſæ rerum naturæ; tunc id quod verum, & ſecurius eſt, amplecti debemus. Audiamus Angelicum ipſum. *Aliud eſt iudicare de rebus, & aliud de hominibus. In iudicio enim in quo de rebus iudicamus, non attenditur bonum, vel malum ex parte ipſius rei de qua iudicamus, cui nihil nocet, qualitercumque iudicemus de ipſa; ſed attenditur ibi ſolum bonum iudicantis, ſi vere iudicet, vel malum, ſi falſo: quia verum eſt bonum intellectus, falſum autem eſt malum ipſius, ut dicitur in VI. Eth. Et ideo unuſquiſque debet niti ad hoc quod de rebus iudicet, ſecundum quod ſunt. Sed in iudicio quo iudicamus de hominibus, præcipue attenditur bonum, & malum ex parte eius de quo iudicatur: qui hoc ipſo honorabilis habetur quod bonus iudicatur, & contemptibilis, ſi iudicetur malus. Et ideo ad hoc potius tendere debemus in tali iudicio, quod hominem iudicemus bonum, niſi manifeſta ratio in contrarium appareat.* 2. 2. quæſt. lx. art. 4. ad 2. In quæſtione ergo propoſita diſtinctione opus eſt. Si dubium ſit, animo ne ſuperſtitioſo, & iniqua voluntate, an recta intentione homo operetur; dubium in meliorem partem erit interpretandum. Si vero dubitetur, ſuperſtitioſa ne ſit, an naturalis effectus productio; tunc inquirenda veritas eſt, & id quod ſecurius eſt, amplectendum iuxta doctrinam probabiliorem, & veram. Et in ſimili eventu iubendum eſt, quamdiu dubitatio perſiſtit, ut homo ab eiuſmodi abſtineat actionibus. In dubiis enim tutiorem partem ſeligere debemus.

V. Adfirmamus & nos quod occultæ ſint naturæ vires, & quod ex ignorantia naturalis efficacitatis ad plura, & inſolita effecta producenda non raro homines tribuant arti magicæ ſuperſtitioſæ quoſdam effectus qui vere a naturali cauſſa procedunt. Sed tunc corrigenda eſt hominum ignorantia, conſulendæque ſunt naturæ vires, ac Doctorum placita; atque omnibus expenſis, decidendum, quid arti, quid naturæ debeat acceptum referri. Quod ſi dubium ſuperſit, tutius erit ſine controverſia eligendum. Ad dubia vero tollenda plurimum valet lectio Doctorum, potiſſimum D. Thomæ, qui hoc de argumento erudite, & ſapienter de more diſputat. D. Auguſtinus etiam mira naturæ portenta recenſet. Nonnulla eius verbis perſtringam: ſic enim ſcribit *Lib. XIV. de Civ. Dei cap.* xxiv. „ Nam & hominum quo-
„ rumdam naturas novimus multum ceteris diſpares, & ipſa raritate mirabiles,
„ nonnulla, ut volunt, de corpore ſuo facientium, quæ alii nullo modo poſſunt, &
„ audita vix credunt. Sunt enim qui & aures movent, vel ſingulas, vel ambas ſimul.
„ Sunt qui totam cæſariem, capite immoto, quantum capilli occupant, deponunt ad
„ frontem, revocantque cum volunt. Sunt qui eorum quæ voraverunt incredibili-

„ ter

Digitized by Google

„ ter plurima, & varia paullulum præcordiis contrectatis, tamquam de ſacculo, „ quod placuerit, integerrimum proferunt. Quidam voces avium, pecorumque, „ & aliorum quorumlibet hominum ſic imitantur, atque exprimunt, ut, niſi vi„ deantur, diſcerni omnino non poſſint. Nonnulli ab imo ſine pudore ullo ita „ numeroſos pro arbitrio ſonitus edunt, ut ex illa etiam parte cantare videantur. „ Ipſe ſum expertus, ſudare hominem ſolere, cum vellet. Notum eſt quoſdam „ flere, cum volunt, atque ubertim lacrymas fundere. Iam illud multo eſt in„ credibilius, quod plerique fratres memoria recentiſſima experti ſunt. Presbyter „ fuit quidam nomine Reſtitutus in parœcia Calamenſis Eccleſiæ, qui quando ei „ placebat (rogabatur autem ut hoc faceret ab eis qui rem mirabilem coram ſci„ re cupiebant) ad imitatas quaſi lamentantis cuiuslibet hominis voces, ita ſe au„ ferebat a ſenſibus, & iacebat ſimillimus mortuo, ut non ſolum vellicantes, at„ que pungentes minime ſentiret, ſed aliquando etiam igne ureretur admoto, ſine „ ullo doloris ſenſu, niſi poſtmodum ex vulnere: non autem obnitendo, ſed non „ ſentiendo, non movere corpus eo probabatur, quod tamquam in defuncto nul„ lus inveniebatur anhelitus: hominum tamen voces, ſi clarius loquerentur, tam„ quam de longinquo ſe audiviſſe poſtea referebat.“ Plurima hic, & alibi recenſet Auguſtinus quæ occultis naturæ viribus, ſecus arti ſuperſtitioſæ tribuenda decernit. Non itaque dicimus ſine maturo, gravique examine prævio reputanda eſſe ſuperſtitioſa naturæ portenta; ſed ſolum aſtruimus, tutiorem partem eſſe eligendam, ſi poſt grave ſtudium, & ſerium examen prudens dubium remaneat.

VI. Quæſt. IV. *Quid dicendum de iis qui ſalutatores nuncupantur?* Reſp. Eos vocant Theologi *ſalutatores* qui virtutem oſtentant medendi pluribus morbis, ut rabiei, ſeu hydrophobiæ, vulneribuſque lètalibus, ſigno crucis impreſſo, aut inſufflatione, aut quorumdam verborum prolatione, aliiſve ſignis. Fuſe illi diſputant, ſit ne naturalis eiuſmodi virtus, reperianturque reapſe eiuſmodi *ſalutatores* qui morbos curent. Quod reperiantur, vix revocant in dubium. Plinius *Lib. XXVIII. cap.* 11. ut refert Azorius, quæſtionem hanc diſcutit, reſolvitque incertum eſſe, valeant ne incantamenta carminum ad medendum: & *cap.* 1. ſcribit, dente hominis vi interempti gingivas, & oculorum ſuffuſiones felle hominis ſanari. Porro *cap.* 111. narrat, fuiſſe in Africa Pſillos, & in Italia Morſos, e quorum familiis qui ducebant originem, ſolo tactu, vel ſaliva curabant a ſerpentibus vulneratos. Subdit fuiſſe quemdam in dolium ſerpentibus plenum conicctum experimenti cauſſa, & circumlucentibus linguis illæſum penitus exiiſſe. Alios teſtatur repertos fuiſſe quorum ſudor multis morbis expellendis efficax erat. Itaque contendit Azorius cum aliis, & reperiri eiuſmodi *ſalutatores*, & eorum virtutem naturalem eſſe.

VII. Contra ſentiunt alii, virtute dæmonis hæc omnia patrari: quia virtus naturalis haud valet momento temporis morbos curare, & tam mira producere; ne-

que eadem eſt reſpectu omnium ægrotorum, ſed iuxta diſpoſitiones varias infirmorum operatur. At neque a Deo eſt eiuſmodi virtus, ut ex plurimis ſignis colligitur: ſiquidem *ſalutatores* iſti ut plurimum homines ſunt nequiſſimi, qui aliorum crumenis inhiant; tametſi ſæpius veteratoria arte ſimulent, ſe gratis ſua remedia offerre, ut hac liberalitatis larva facilius, & copioſius crumenas expilent.

VIII. Tertia ſententia eſt, reperiri utique eiuſmodi familias quarum viri ſint præfata virtute præditi; iſtorum tamen virtutem gratiam eſſe a Deo gratis datam, minime naturalem. Primam partem ex eo evincunt quod Inquiſitores, & Epiſcopi permittant eiuſmodi *ſalutatores* artem ſuam exercere. Quod vero ſanitatem non conferant vi aliqua naturali, inde colligunt, quia id ortum haberet vel ex qualitate temperamenti, vel ex hoc quod ſint tales homines ſub hoc, aut illo ſtellarum, aſtrorumque aſpectu concepti. Hoc autem conſiſtere nequit: ſiquidem omnes homines ſub tali conſtellatione geniti ſimili eſſent virtute ornati. Nec enim una vel altera tantum familia in univerſo orbe ſub hoc ſtellarum aſpectu, & poſitura propagatur. Hac ratione omnes herbæ, omnes magnetes eiuſdem ſpeciei eadem plus, minuſve vi pollent. Nulla ergo ratio ſuppetit cur dicamus hos *ſalutatores* naturali virtute præfatos morbos curare. Quod autem hæc virtus gratis a Deo quibuſdam conferatur, probant auctoritate Scripturæ dicentis: *Alii datur gratia ſanitatum in uno ſpiritu*, *alii operatio virtutum* &c. Nulla porro aſſignari poteſt ratio quæ ſuadeat, Deum non conferre aliquibus familiis virtutem, ſin univerſalem, ſaltem peculiarem ad aliquos tantum morbos curandos.

IX. Quod Deus conferre hanc virtutem poſſit quibuſcumque velit, nemo eſt qui ambigat; ſed quod reapſe conferat, & contulerit familiis quibuſdam plurium ſæculorum ſpatio, hoc eſt quod difficultatem ingerit. Nam nulla ratio, nulla origo iſtius divini privilegii, nullumque authenticum documentum affertur ab his qui hanc perennem virtutem defendunt. Unam ex his familiis in Umbria reperiri ferunt, cuius homines ſola benedictione curare eos infirmos ſolent qui nervorum contractione, aliiſque ſimilibus morbis laborant. Quæ omnia mihi ſuſpecta ſunt. Siquidem ex nulla probata hiſtoria hæc privilegia familiis conceſſa leguntur. Quid quod nec integris familiis aut Prophetarum, aut Apoſtolorum, aut aliorum Sanctorum ſimile privilegium plurium ſæculorum ſpatio conceſſum ſcimus, quemadmodum impertitum iſtorum *ſalutatorum* familiis contendunt recentiores iſti Theologi? Quare nobis haud probatur Salmanticenſium opinio, qua *tract.* XXI. *cap.* XI. *punct.* 9. *§.* 2. defendunt reperiri reapſe eiuſmodi *ſalutatores*, qui non virtute naturali, ſed gratia gratis data a Deo morbos ſanent. Eorum potiſſima, ac unica ratio eſt, quod Epiſcopi, & Inquiſitores permittant hos homines libere ſuam exercere artem, illoſque plures Theologi approbent. Quanti ſit hæc ratio facienda,

da, ceteri iudicent. Quod nobis probabilius videtur, eſt, nullis familiis hanc virtutem ſanandi recenſitos morbos conceſſam eſſe. Privilegium a Deo Galliarum Regibus conceſſum curandi *ſtrumas*, vulgo *ſcrofole*, probati hiſtorici narrant; ideoque creditur admittendum. D. Thomas *Lib. II. de reg. Princip. cap.* XVI. portenta quæ interdum Reges Francorum operati ſunt, illos patraſſe ſcribit vi ſacræ unctionis, qua tincti ſunt. *Cuius*, inquit, *ſanctitatis etiam argumentum aſſumimus ex geſtis Francorum, & B. Remigii ſuper Clodoveum Regum primum Chriſtianum inter Reges Francorum, & delatione olei deſuper per columbam, quo Rex præfatus fuit inunctus, & inunguntur poſteri, ſignis, & portentis, ac variis curis apparentibus in eis ex unctione prædicta.*

X. Plura ſigna produnt laudati Salmanticenſes, aliique Auctores communiter, quibus iſtorum *ſalutatorum* ſuperſtitio internoſci queat. Nam & ipſi advertunt, ſeveriore examine uti debere ſuperiores, antequam eiuſmodi officio defungi illos ſinant. Superſtitioſi porro exiſtimandi ſunt, ſi futura prædicant; ſi laminas ardentes manibus attrectent illæſis; ſi ſolo anhelitu fornacem extinguant, aut tepefaciant; ſi ſtigmata impreſſa oſtentent; ſi ſe eiuſmodi *ſalutatores* agnoſcere, quin illos umquam viderint, effutiant; ſi in conſpectu alterius *ſalutatoris* ſanare ſe morbos non poſſe aſſerant; ſi artem hanc ſe ab aliis didiciſſe affirment; vel addant, ſe eadem pollere, quod ſint ſeptimi filii ex maſculis natis, immediate nullo femineo partu interpoſito; denique ſi definitis verbis, ſecus aliis, mederi ſe morbis poſſe aſſerant. Hæc & alia ſigna exhiberi ſolent ad dignoſcendam iſtorum *ſalutatorum* ſuperſtitionem. A Deo ergo Chriſtifideles ſanitatem petant, ſanctorumque virorum interceſſionem implorent, miſſis iſtis præſtigiatoribus; qui, ut mea præfert opinio, ſi quid operantur inſolitum, aut dæmonis ope id præſtant; aut id fortuito, & naturali vi interdum accidit.

XI. Quæſt. V. *Licitus ne reputari enſalmus debet?* Reſp. Enſalmus oratio precatoria eſt ex ſacris verbis compacta ad morbos pellendos: & quia ut plurimum ex pſalmorum verbis componitur, *enſalmus* oratio iſthæc nuncupatur. Duplex enſalmi genus Theologi diſtinguunt. Alterum eſt *invocativum*, cum ſcilicet preces Deo funduntur ad implorandam divinam miſericordiam, qua a nobis, vel a proximo removere Deus dignetur morbos, aliave temporalia damna; ita tamen ut his precibus præ aliis certo & infallibiliter non fidamus, ſed tota fiducia noſtra in divina bonitate ſita ſit. Alterum eſt precatio ex certis, definitiſque verbis, quibus infallibilis tribuitur vis morbos ſanandi: & *enſalmus* hic appellatur *conſtitutivus*. Enſalmus primi generis licitus eſt, honeſtuſque, ſive publica, ſive privata ſit auctoritate confectus: nihil enim in eo eſt quod reprobari iure valeat. Siquidem non licitum modo, verum etiam ſanctum eſt, a Deo infirmitatum, dolorumque ſanitatem, & alia temporalia bona, prout ducunt ad æterna, petere. Quod enim preces ſub

cer-

certa verborum formula componantur, nihil mali occurrit; dummodo tali ordinationi, & formulæ nulla efficacitas ad effectum obtinendum tribuatur. Alterius generis *enſalmus* illicitus eſt, & ſuperſtitioſus: quoniam nullis verbis (ſacramentalibus exceptis) contulit Deus infallibilem virtutem producendi effectum aliquem. Nec talis virtus ineſt naturaliter iiſdem verbis. Reſtat ergo quod *enſalmatores*, eiuſmodi ſacra verba pronuntiantes, pactum expreſſum, aut tacitum cum dæmone habeant. Nam eo ipſo ſuperſtitionis rei ſunt *enſalmatores*, quod certo credant talibus verbis ineſſe aliquam certam ſanandi virtutem; vel quod ſit eiſdem talis virtus a Deo communicata. Promiſit utique Deus miniſtris Eccleſiæ, quod dæmonia eiicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent, quod ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt; at non hoc in ſenſu, quod definitæ cuidam verborum prolationi, ut ſit ab *enſalmatoribus*, hominibus vafris, & nequiſſimis, annexa ſit certa ſanandi virtus; ſed quatenus ipſe pro ſuæ voluntatis conſilio eorum petitiones quandoque exaudiet, & quandoque non exaudiet. Hæc omnia communia ſunt penes Theologos. Lege D. Thomam 2. 2. *quæſt.* XCVI. *art.* 2. *&* 4.

XII. Quæſt. VI. *Datur ne virtus naturalis qua aliquis valeat ſolo aſpectu faſcinare?* Reſp. Faſcinatio eſt veluti prava quædam qualitas oculis inſita, & orta ex maligna quapiam affectione animæ intuentis. Dividitur a Theologis in *vulgarem*, quæ ex vulgi opinione proficiſcitur, cum ſcilicet vulgus credit poſſe homines ſola viſione invido animo concepta faſcinare debiles infantes: & in *phyſicam*, ſeu *naturalem*, quæ oritur ex vehementi imaginatione, quam conſequuntur humores putridi, corporiſque alteratio: hinc oculi ita inquinati effluvios emittunt veneficos inficientes perſonas viſas, ſi ſint teneræ ætatis, debiliſque complexionis: & in *diabolicam*, quæ pacto expreſſo, aut tacito dæmonis ſolo viſu damnum infert.

XIII. Super propoſita quæſtione in utramque partem Theologi diſputant. Qui adfirmant id naturaliter poſſe fieri, plura exempla produnt & baſiliſci ſolo viſu homines occidentis; & hominum plurium qui, teſte Plinio, eadem vi præditi fuerunt, nempe faſcinandi ſola viſione; & mulierum menſtruatarum, quæ ſpeculum aſpicientes illud guttis ſanguineis maculant. Qui negant poſſe virtute naturali eiuſmodi effectus produci, probant ex eo quod viſio, utpote actus immanens, impotens ſit ad producendum effectum exteriorem.

XIV. Sententia communior, & probabilior eſt, dari reapſe hanc naturalem virtutem, non quod viſio ipſa perſonæ videntis alios inficiat; ſed quia ex oculis, ceteriſque corporis membris effluvia venefica exire poſſunt, quæ partes viciniores aeris imbuendo valeant corporibus propinquis nocumentum inferre. Audiamus quid hac de re ſcribat Angelicus I. Part. quæſt. CXVII. art. 3. ad 2. *Dicendum, quod faſcinationis cauſam aſſignavit Avicenna ex hoc quod materia corporalis nata eſt obedire ſpirituali ſub-*

ſubſtantiæ magis quam contrariis agentibus in natura. Et ideo quando anima fuerit fortis in ſua imaginatione, corporalis materia immutatur ſecundum eam. Et hanc dicit eſſe cauſam oculi faſcinantis. Sed ſupra oſtenſum eſt quod materia corporalis non obedit ſubſtantiæ ſpirituali ad nutum, niſi ſoli Creatori. Et ideo melius dicendum eſt, quod ex forti imaginatione animæ immutantur ſpiritus corporis coniuncti: quæ quidem immutatio ſpirituum maxime fit in oculis, ad quos ſubtiliores ſpiritus perveniunt. Oculi autem inficiunt aerem continuum uſque ad determinatum ſpatium: per quem modum ſpecula, ſi fuerint nova, & pura, contrahunt quamdam impuritatem ex aſpectu mulieris menſtruatæ, ut Ariſtoteles dicit in Lib. de ſom. & vig. Sic igitur cum aliqua anima fuerit vehementer commota ad malitiam, ſicut maxime in vetulis contingit, efficitur ſecundum modum prædictum aſpectus eius venenoſus, & noxius, maxime pueris, qui habent corpus tenerum, & de facili receptivum impreſſionis. Poſſibile eſt etiam quod ex Dei permiſſione, vel etiam ex aliquo pacto occulto cooperetur ad hoc malignitas dæmonum, cum quibus vetulæ fortilegæ aliquod fœdus habent.

XV. Hinc ſequitur faſcinationem vulgarem ſuperſtitioſam eſſe. Sola quippe viſio nequit exteriorem effectum producere. Quin, licet faſcinatio naturalis contingere poſſit, ut ex D. Thoma dictum eſt, hanc tamen quam maxime raram credimus. In animalibus venenum reperitur: & ideo facile ſpiritus, ſeu effluvia inquinata ex illis egredi poſſunt, & propinqua corpora inficere. In hominibus, ac etiam feminis venenum non extat: nec facile eſt quod ex commotione, & invido animo humores corporis ita corrumpantur, atque depraventur, ut ex oculis, ore, naribuſque exeant, & viſas perſonas inficiant. Poſſibilitatem non negamus; ſed quod reapſe hoc eveniat, ſaltem frequenter, falſum reputamus. Ideo faſcinationes, ſi quæ contingunt, arte dæmonis fieri communiter arbitramur. Superſtitionis quoque reæ ſunt feminæ illæ quæ puerorum collo appendunt aſcillas, aliave ſigna adverſus faſcinationes. Superſtitioſum itidem eſt offerre feminis vetulis pueros faſcinatos, ut illarum benedictione liberi evadant. Mos iſte pravus ex paganorum ſuperſtitione originem traxit, in quem declamat Patriarcha Chryſoſtomus homil. VIII. in Epiſ. ad Coloſſen. *Crux Chriſti dehoneſtatur. Elementorum ſuperſtitioſi characteres præferuntur. Chriſtus eiicitur, & inducitur temulenta, & nugatrix anus. Myſterium noſtrum conculcatur, & ſeductio diaboli tripudiat.*

Digitized by Google

CAPUT XI.

De magia ſuperſtitioſa, ſeu de maleficio.

I. DAri maleficia, Scriptura ſacra *Matth.* VII. & *Marc.* IX. & alibi paſſim, & Doctores omnes teſtantur. Porro maleficium eſt magia quæ dæmonis arte damnum infert. Duplex eſt maleficium, *veneficum,* & *amatorium*: illud ad nocendum hominibus, brutis, & plantis adhibetur; hoc vero malefici utuntur ad concitandum amorem carnalem, vel odium eorum quos amare debemus. Veneficum maleficium interdum fit iniecto pulvere in cibum, aut potum, aut ſuper veſtes aſperſo. Iuxta varium huius pulveris colorem diverſæ inducuntur infirmitates. Si pulveres fuerint rufi, aut cinericii, morbus contrahitur, ſi fuerint atri, mors evenit. Hæc tamen morborum, & mortis diverſitas, non ex colorum diverſitate, ſed ex dæmonis iniquitate oritur. Varii colores ſigna ſunt, ad quorum poſitionem dæmones effectus operantur. Malefici interdum utuntur venenis, quibus naturaliter nocumentum inferre valeant. Innumeræ ſunt viæ quibus malefici nocere hominibus poſſunt, quas videre poteris apud Sprenger in *Malleo Malef. Tom. I. P. II.* Delrium *Lib. III.* pluresque alios. Nolim tamen ut omnibus quæ narrant, fidem adhibeas. Maleficium *amatorium*, quod *philtrum* etiam græce appellant, duobus modis executioni mandari conſuevit. Primus modus eſt, dum aliqua comedenda, aut potanda porriguntur, quæ ſuapte natura ad venerem ſtimulare ſolent. Nullus autem cibus, vel potus, quin nec dæmones ipſi concitare determinate amorem valent, voluntatemque inflammare; ſed tantum corpus calefacere, & humores commovere, ſenſus immutare, ac illas perſonas ſenſibus obiicere, earumque qualitates repræſentare quæ amorem ciere aptæ ſunt. Secundo modo hæc amatoria maleficia confici ſolent ſacroſanctis noſtræ religionis ſacramentis, ut oleo, & hoſtia conſecratis, thure, & aqua luſtrali benedictis. Nec ſemper eiuſmodi maleficia comedenda, aut bibenda maleficiandis exhibentur; ſed extrinſecus aut veſtibus alligantur, aut ſub lecto, in quo iacere, vel ſub limine oſtii, vel alio in loco, per quem perſona quæ maleficio infici tentatur, tranſire debet, abſconduntur. Artificia quibus utebantur mulieres Babylonicæ ad concitandam virorum concupiſcentiam deſcribit Propheta Baruch cap. VI. *Mulieres circumdatæ funibus in viis ſedent, ſuccendentes oſſa olivarum. Cum aliqua ex ipſis attracta ab aliquo tranſeunte, dormierit cum eo, proximæ ſuæ exprobrat, quod ea non ſit digna habita, ſicut ipſa, neque funis eius diſruptus ſit. Omnia autem quæ illis fiunt, falſa ſunt.* Hæc, & ſimilia præſtigia nequeunt ullo modo commovere voluntatem; ſed ſigna ſunt, ad quorum poſitionem dæmones concupiſcentiam hominum accendunt.

II.

II. Ad eiuſmodi maleficia expellenda ſancta mater Eccleſia proponit noviſſimorum meditationem, iuges ad Deum, & B. Virginem preces, ſacramentorum frequentiam, ieiunia, cilicia, flagella, eleemoſynas, atque aſſiduas corporis macerationes, humilitatem ſpiritus, & id genus pia opera. Item fuga occaſionum, maxime puellarum, & mulierum, quæ vere ſunt impudici amoris incitamenta, ſeu incantamenta. Remedia quæ Philoſophi contra hunc impudicum amorem maleficio accenſum proponere ſolent, vana ſunt, & ſuperſtitionis plena. Herba promethea, lupi virga, rubeta in corio pecoris alligata, hirci urina, & alia, de quibus Plinius *Lib. XXVIII. cap.* XXXVIII. *& ſeq.* ſuperſtitioſa ſunt; ſicut alia permulta quæ congerunt, ut ſtercus amicæ mulieris in calces incluſum: quod fœtidum remedium amentes dumtaxat, & ſtupidi adhibere valent. Addunt tamen communiter Theologi, præter ſacra remedia quæ Eccleſia in ſuis ritualibus præſcribit contra quæcumque maleficia (quorum, præter recenſita, potiſſima ſunt viva in Chriſtum fides, Crucis ſignum, Beatiſſimæ Virginis, Sanctorumque invocatio) licitum quoque eſſe, atque utilem naturalium remediorum uſum: non quod naturalia remedia in dæmones auctores maleficiorum agere valeant; ſed quatenus ſedare humores noxios queunt, & compeſcere, illoſque expellere, ut ex ſacra Scriptura colligitur. Nam David ſuavi ſonitu lætificabat Saul, a quo ſpiritus malus recedebat: & Tobias fumo iecoris Aſmodæum expulit. Plures quoque herbas, ut ſalviam, rutam, herbenam, aliaſque prodeſſe ad maleficia propulſanda, prout pravos humores expellunt, aut corrigunt, purgantque, docent Plinius, Galenus, Ariſtoteles, & communiter medici.

III. Quæſt. I. *Licet ne maleficium alio maleficio curare?* Reſp. Non defuere qui docuerint, licitum eſſe petere diſſolutionem maleficii a maleficis qui ad id præſtandum parati ſint; quemadmodum, neceſſitate cogente, licet petere ab uſurario pecunias ſub uſura, a Sacerdote in mortali exiſtente ſacramenta. Verum communis & ſana ſententia negat licitum eſſe petere diſſolutionem maleficii a maleficis, quantumvis paratis ad id præſtandum. Ratio evidens eſt. Quoniam, ſicut maleficium ope dæmonis peractum eſt, ita & dæmonis expreſſa, aut tacita invocatione tollitur. At invocatio dæmonis natura ſua mala eſt. Ergo ſemper illicita, & ſuperſtitioſa. Mala enim quæ genere ſuo mala ſunt, quæque nulla ratione a malitia purgari valent, numquam facienda ſunt, ut bona eveniant, dicit Apoſtolus ad *Rom.* III. Hinc Deus *Levit.* XIX. iubet: *Non declinetis ad magos, neque ab hariolis aliquid ſciſcitemini, ut polluamini per eos.* Adverſus eos qui tantum ſceleris perpetraverint, pœnam conſtituit ibidem cap. XX. verſ. 6. *Anima quæ declinaverit ad magos, & hariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi ſui.* Nomine fornicationis Scriptura intelligit commercium, communionemque mutuam cum magis.

IV

IV. Hæc omnia clara ſunt, fuſiuſque explicari haud indigent. Rationes quæ opponuntur, nullius ſunt momenti. Nam licitum eſt ſacramenta petere a Sacerdote ſacrilego, & pecunias ab uſurario: quia & ſacramenta adminiſtrare, & pecunias mutuo conferre licitum, honeſtum, & ſanctum natura ſua eſt, atque ex ſola hominis nequitia utrumque reddi poteſt flagitioſum. Poſtulatur utique quod ex ſui indole honeſtum, quod ſanctum eſt, quod valet ſine culpa præſtari; crimen autem & ſcelus omnino eſt præter intentionem petentis, & ab alterius nequiter operantis malitia ſolum procedit. Quod autem ſubdunt licitum eſſe petere a dæmone ut deſiſtat a maleficio, ſicut exorciſtæ faciunt; & quod a dæmone non poſcitur effectus poſitivus pravus, ſed deſtructio maleficii, quæ ſuapte natura bona eſt: hæc & ſimilia ſophiſmata ſunt. Quoniam quæcumque communicatio cum dæmone illicita eſt. Cum dæmone communicatur, & ut ſuperior ſuſpicitur, dum ab eo poſtulatur ut a maleficio deſiſtat. Exorciſtæ imperant divina virtute, ſuæque dignitati, & poteſtati illum ſubiiciunt; quod licitum eſt. Dum vero petis ut deſiſtat a maleficio, illius opem imploras, eidemque te ſubiicis; quod iniquum eſt. Deſtructio maleficii bona eſt licito medio obtenta; ſecus medio illicito, & ſuperſtitioſo peracta. Quare deſtructio maleficii medio exorciſmo præſtita bona eſt; iniqua vero alio maleficio parta. Nec dicas, te non ſubiici dæmoni, quin illum cogere ut maleficium tollat. Quoniam aut id præſtas auctoritate Eccleſiæ, vel privata. Si auctoritate Eccleſiæ, & Dei eum cogis, licitum eſt; ad hoc tamen, ut tali auctoritate præditus ſis oportet. Si auctoritate propria id efficis, hoc ipſum argumento eſt, pactum quodpiam tacitum ibi adeſſe. Si tamen in Chriſtum fide, & ſpe dæmonem obiurgares, ut a damno inferendo deſiſteret, haud eſſes ſuperſtitionis reus. Illicitum quoque eſt inducere maleficos, ut benedictione maleficia tollant: quia malefici hac benedictione abutuntur, tamquam ſigno, quo poſito dæmon promiſit ſe a maleficio ceſſaturum, aut illud ablaturum. Remediis ergo dumtaxat ab Eccleſia præſcriptis utendum eſt ad maleficia propulſanda. Illicitum denique eſt tollere maleficia aliis ritibus vanis: quia ritus vani inepti ſunt ad inducendum effectum: & ſi forte inducunt, dæmonis auxilium intervenit.

V. Quæſt. II. *Licitum ne eſt petere a malefico ut maleficium auferat, cum tibi conſtat illum poſſe mediis licitis eiuſmodi maleficium tollere?* Reſp. Convenit penes Theologos, licitum eſſe cogere maleficos ut tollant maleficia medio licito, dum certo conſtat illos in promptu habere eiuſmodi licita media: quia tunc non adhibentur malefici, quatenus malefici ſunt, ſed ut periti in arte bona ad bonum opus præſtandum. Quemadmodum contra omnes aſſerunt te illicite petere maleficii diſſolutionem, ſi incertus ſis, vel dubites, utrum maleficus ſciat medium licitum, quo auferre maleficium queat: quia tunc indifferens eſt ut medio licito, vel illicito tol-

tollat maleficium. Et hac ratione illicitum itidem eſt petere diſſolutionem maleficii non ab eo qui illud peregit, ſed ab alio mago, qui tum maleficium, tum ſigna eiuſdem ignorat: quia tunc magus non poteſt niſi alio maleficio prius maleficium agnoſcere; atque adeo peteres ut novo maleficio maleficium tolleret. Neque tandem licitum eſt permittere ut magus medicinam vanam, & ſuperſtitioſam applicet maleficiato.

VI. Ad propoſitam quæſtionem reſpondet Caietanus *Tom. II. opuſc. tract.* XII. *de malef. quæſt.* I. illicitum eſſe petere a malefico diſſolutionem maleficii: quia tunc petitur talis diſſolutio a malefico ut malefico, ſicut quando poſtulatur opus artis ab artifice. Porro maleficus, ut talis, miniſter diaboli eſt, cuius invocatio ſemper illicita eſt.

VII. Contraria ſententia communis eſt, & mihi verior videtur. Quoniam falſum eſt quod Caietanus pro ratione ſuæ ſententiæ prodit, videlicet in propoſita quæſtione peti a malefico ut malefico diſſolutionem maleficii. Quin oppoſitum loco principii conſtituitur. Quærimus enim, an licitum ſit a malefico petere diſſolutionem maleficii in caſu quo ille ſciat, habeatque in promptu medium licitum ad hunc effectum. Si enim vel dubitatio occurrat, maleficum medio licito carere, tunc fatemur omnes illicitam eſſe petitionem. Quando ergo nobis conſtat reapſe maleficum habere licita media quibus faſcinationem tollere valeat; quid nos prohibet ab eodem petere ut a maleficio liberet licito medio maleficiatum? Patet enim nos tunc non uti malefico ut malefico, ſed ut homine habente, & cognoſcente licita media ad optimum effectum, qualis eſt ſanitas maleficiati. Profecto hac ratione dicimus, licitum eſſe petere pecunias ab uſurario, quia licite eas numerare poteſt; & ſacramenta a Sacerdote ſacrilego, quia ſancte valet ſacramentorum adminiſtratione perfungi: quamvis aliunde ſciamus neque uſurarium mutuo daturum pecunias abſque uſura, neque Sacerdotem adminiſtraturum ſacramenta ſine peccato. Cur hoc, niſi quia malitia tota in pravam feneratoris, vel Sacerdotis voluntatem refunditur? Idem ergo prorſus & de malefico in caſu noſtro aſſerendum: cuius peccatum novi maleficii totum refundendum eſſet in ſolam eius malitiam; cum neceſſarias actiones ad prius maleficium tollendum licite poſſet exercere, ſi vellet. Neque vero peccatum proximi, quod unice ex illius pervicaci malitia, non ex imbecillitate oritur, urgente neceſſitate propriæ ſanitatis, evitare tenemur. Chriſtus ipſe nos docuit, ſcandalum Phariſæorum contemnendum eſſe. Id dumtaxat negotium faceſſit hac in re, quod certo ſciamus maleficum habere licitum remedium, quo diſſolvat maleficium; ſicut certo ſcimus & uſurarium poſſe licite mutuo pecunias dare, & infidelem ſancte iurare. Neque enim fides adhibenda eſt malefico teſtanti ſe eiuſmodi habere remedia: quia nulla iſti digni fide ſunt. Ex certis ergo documentis nobis conſtare debet,

ma-

maleficum agnoſcere licita remedia, quibus tollat maleficium. Et quia vix umquam nobis id conſtat; ideo numquam permitterem ut quis a malefico peteret maleficii diſſolutionem. Sed ſi maleficus teſtaretur ſe hæc habere remedia, juberem ut mihi, vel alteri eadem manifeſtaret, ut abſque illius ope probus homo poſſet iis remediis uti, illaque applicare. Alioquin nullam malefico fidem præberem, ſi renueret hæc manifeſtare innoxia remedia alteri homini probo, qui ea adhibens tollere maleficium poſſet.

VIII. Quæſt. III. *Licet ne maleficii ſigna deſtruere?* Reſp. Sententia communis, & vera adfirmat. Hoc clare colligitur ex Scriptura *Deut.* VII. ubi præcipitur, idolorum ſimulacra, templa, & aras deſtrui, lucoſque ſuccendi. Porro hæc ſigna ſunt, & monumenta ſuperſtitionis, ac veluti diabolicæ magiæ. Eadem ergo ratione deſtruere ſigna, & inſtrumenta maleficiorum licitum erit. Neque dici poteſt, hanc ſignorum remotionem pactum cum dæmone, aut invocationem eius, ſeu aliquam cum ipſo communicationem includere: quin eiuſmodi ſignorum deſtructio infringit pactum, & quodcumque cum dæmone fœdus. Ad hunc enim finem deſtruuntur ſigna, nempe ligaturæ, chartæ, capilli, & cetera eiuſmodi, ut pactum quodlibet cum dæmone initum infringatur. Quare hæc ſignorum deſtructio non eſt effectus artis maleficæ, ſeu maleficii ut malefici; ſed hominis reſtituentis maleficiato ſanitatem. Omnes ergo qui eiuſmodi ſigna dignoſcunt, poſſunt, & debent eadem amovere, & deſtruere. Malefici ad id tenentur ex iuſtitia, nedum ex caritate; ceteri vero ex caritate, qua adſtringuntur omnes damna a proximo removere. Nec hanc deſtructionem impedire iure poteſt damnum, ſi quod inde malefico accideret: quia damnum hoc eſt præter intentionem diſſolventis maleficium; ſibique maleficus imputare debet, ſi ex pacto cum dæmone aliquod ſubit damnum. Hæc omnia communia ſunt, plurimoſque pro hac ſententia laudant Theologos PP. Salmanticenſes *tract.* 11. *cap.* XI. *punct.* 10. *§.* 3. *num.* 158.

IX. Contraria ſententia tribuitur Ioanni *Heſſelio* Lovanienſi, qui contendit illicitam hanc eſſe deſtructionem, eo quod autumat in maleficio duplex iniri pactum cum dæmone, alterum nocendi ſigno poſito; alterum deſiſtendi a nocumento eodem remoto ſigno. Hoc autem abſolute verum non eſt. Sed admiſſo etiam hoc duplici pacto, non inde ſequitur quod illicita evadat maleficii deſtructio. Nam ſi diſſolutio maleficii fiat ab homine non malefico, tunc nulla poteſt eſſe ſuſpicio pacti cum dæmone: quia hæc ſigna non deſtruit, opem dæmonis implorando; ſed illum potius ſugando, eiuſque inſtrumenta amovendo, ut ab inferendo damno deſiſtat. Si vero maleficus ipſe hæc ſigna deſtruat, id præſtare valet, quin dæmonis auxilium poſcat; ſed potius fœdus initum infringens, eiuſque pœnitens, nullam in poſterum ſe cum dæmone communicationem habere velle oſtendet. Nec qui hæc ſigna deſtruit, a dæmone ſanitatem, ſeu beneficium quodpiam poſtu-

ſtulat; ſed ſignum deſtruendo, illum compellit ut a nocendo deſiſtat. Si plura cupis, lege Delrium *Lib. VI. cap.* 11.

X. Quæſt. IV. *Maleficus qui dæmoni chirographum proprio ſanguine ſubſcriptum tradidit, debet ne illud redimere, ut veram peragere pœnitentiam valeat?* Reſp. Eo impietatis maleficorum plures prolabuntur, ut Deo, ſacramentis, ceteriſque chriſtianæ religionis myſteriis nuntium remittant; atque ut firmius ſeſe dæmonis ſervituti mancipent, mutuum fœdus ineunt, ſcriptumque proprio ſanguine obfirmant; quod poſtea dæmoni cuſtodiendum tradunt, tamquam promiſſæ fidelitatis obſidem. Vulgaris obtinet error, haud poſſe maleficum ſinceram agere pœnitentiam, niſi curet ut dæmon ſcriptionem hanc ſibi reſtituat: quæ perſuaſio falſa, & erronea eſt. Nullum quippe peccatum eſt cuius pœnitere nequeat impius, ſi velit, Dei gratia adiuvante. Porro, ut ipſum vere pœniteat, ſatis eſt ut is toto corde peccatum perpetratum deteſtetur, dæmoni renuntiet, Deo ſe ſubiiciat, eiuſque ſervet mandata. Si maleficus ſignum quodpiam penes ſe a dæmone ſibi datum haberet, illud comburere deberet protinus in argumentum fracti fœderis, & futuræ inimicitiæ. Poſſent tamen malefici uti cognitione, & pecuniis dæmonis arte comparatis, aliiſque rebus, quarum conſervatio, & uſus a dæmone nullo modo penderet: quia, licet acquiſitio vitioſa fuerit, ſublata tamen per pœnitentiam culpa, uſus licitus eſſe valeret, ut communiter Theologi docent. Advertunt tamen, frequentiſſime accidere divitias ope dæmonis acquiſitas falſas eſſe, atque illuſorias. Et tunc talibus uti ſuperſtitio, & iniuſtitia foret. Item ſi pecuniæ a dæmone collatæ furto comparatæ eſſent, illicite retinerentur. Addo ego, licere utique ſanitatem, cognitionemque aliquam dæmonis arte acquiſitam retinere: quia hæc abiici nequeunt, Quapropter, peccato ſevera pœnitentia deleto, uſus earumdem licitus erit. Neque enim quis ſanus ope alicuius maleficii factus, ſponte ægrotare teneretur, & in priſtinam infirmitatem ſe ſe coniicere. Notitiam quoque quam acquiſivit aliquis, e mente haud poteſt delere. Ea dumtaxat, non ad vana, aut curioſa ſcrutanda, ſed ad honeſtum finem uti debet. Quod ad pecunias attinet arte dæmonis conquiſitas, ſive veræ pecuniæ, ſive adulteratæ ſint, illas proiiciendas omnino cenſeo. Si rationem quæris, forte illam evidentem exhibere ignoro. Nec enim me latet, plura illicite parta retineri poſſe, ut de ſtipendio ſcortatione comparato dici ſolet. Verum intimus chriſtianæ profeſſionis, ut ita dicam, ſenſus iſtarum divitiarum contemptionem, proiectionemque iubere videtur. Si enim divitias quaſque contemnere Dominus docet; ſi D. Petrus Simonem magum offerentem pecuniam increpuit, dicens: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem*: Act. VIII. verſ. 20. ut mea præfert opinio, pecunias quaſque pœnitens maleficus proiicere debet. At, inquis, nonne vitium eſt veras pecunias prodigere, cum optimo uſui deſervire valeant? Hoc ſolum evincit quod eiuſmodi pecuniæ poſſint probo viro

tradi in aliquem pium uſum inſumendæ, quod improbare non audeo, minime vero quod debeant a malefico retineri, ut eiſdem ditetur.

CAPUT XII.

De lamiis, ſagis, & ſtrigibus.

I. TRibus nominibus appellari mulieres maleficæ, ſeu ſuperſtitioſam magiam exercentes, ſolent. *Lamiæ* nuncupantur ob quamdam analogiam cum *lamia*, quæ animal monſtroſum eſt, muliebrem præferens vultum, ubera prodens, & toto ſpecioſum corpore, quo allicit homines ad eos devorandos, & pueros iugulat, quorum ſanguine delectatur. Et quoniam maleficæ mulieres crudeles ſunt, puerorumque ſanguinem ſugunt, ideo lamiis comparantur ab ipſomet Hieremia Thren. IV. *Sed & lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos ſuos. Filia populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto.* A ſagacitate, & vafritia *ſagæ* dicuntur, ſive, ut Marcus Tullius ait, a ſagiendo; quatenus futurarum, occultarumque rerum præſenſionem anhelantes, dæmonis artem poſtulant, ut id aſſequi valeant. *Striges* vocantur a ſtrige avicula, quæ noctu ſtridendo volitat, & puerorum corpora aggreditur, ſanguinemque exſugit. Quod & præſtant ſtriges mulieres, quæ noctu potiſſimum ſua arripiunt itinera, & infantum corporibus inſidiantur. Dicuntur etiam *veneficæ*, eo quod maleficiis utantur, ſintque toto humano generi noxiæ. Siquidem hæ ſpurciſſimæ dæmonum pellices & concubinæ corpora, animaſque diabolo devovent: ſacramenta religionis, & myſteria eiurant, ſacras imagines, Crucifixi effigiem, cruces fœdant, concerpunt, conculcant: ſanctiſſima Dei, & B. Virginis nomina omnibus contumeliis conſcindunt: ſacram hoſtiam diabolo intra viliſſima vaſa urina perfuſam ſacrificant. Necatorum infantium longis acubus transfixa cadavera domos aſportant, intra ollas elixant, decoquunt uſque ad artuum diſſolutionem, & ebullire ſinunt, quoad concreta fuerint in craſſum quemdam humorem: ex hocce humore duplicem ſecernunt ſuccum, alterum dilutum, quem potant, & quo diabolo ſolemni ſacramento ſe mancipant: altero pinguiore in vaſe quodam ſervato corpora propria noctu obliniunt, quando ad conventicula celebranda cum dæmone accedere ſtatis temporibus debent, ut omnium vitiorum, libidinumque colluvionem exerceant.

II. Quæſt. I. *Cur feminæ præ viris maleficiis ſint deditæ?* Reſp. Plures aſſignant Theologi rationes. Et primum mulieres proniores ſunt ad credendum; ideo facilius quam viri a dæmone decipiuntur. Deinde curioſitatis vitio laborant, ardentque deſiderio futura, & occulta agnoſcendi; idcirco facillime credunt illis qui futura prædicunt, & abſcondita referant, dæmoniſque opem, ut eadem ſciant, implo-

Digitized by Google

plorant. Indolis etiam, naturæque flexibilis ſunt, atque facile impreſſiones recipiunt, & revelationes. Impotenti rurſus ira abripiuntur mulieres, teſtante Scriptura, non eſſe iram ſuper iram mulieris; & cum viribus ad vindictam deſtituantur, dæmonum auxilium poſcunt. Libidinis quoque æſtu præ viris ardent ſemel vitiatæ ob maiorem humiditatem. Ut hanc veneris effrenem paſſionem expleant abunde, nocturnis dæmonum complexibus vacant. Denique tum intellectu, tum voluntate imbecilliores ſunt, & deceptioni magis obnoxiæ; ideo frequentius mulieribus dæmon apparet, & cum eiſdem facilius fœdera init. Hinc colliges, quam verum ſit Eccleſiaſtici oraculum cap. xxv. *Brevis omnis malitia ſuper malitiam mulieris*. At ſimul perpende, quanta hominum ſit ſtultitia, dum faſces, animumque mulierculis iſtis ſubmittunt, illarum imperio parent, illis diu noctuque inſerviunt, illarumque mancipia evadunt miſerrima; ut tandem ex earum commercio & corpora peſte inficiantur, & animus præſtigiis faſcinetur.

III. Quæſt. II. *Cur vetulæ præ iunioribus feminis præſtigiis, maleficiiſque dent operam?* Reſp. Duplex aſſignant Auctores rationem. Altera eſt, quod amiſſæ iuventutis florem ægre ferentes, odio in adoleſcentiam, ac iuventutem ſummo rapiantur: unde, ut iuvenibus noceant, ad dæmonem recurrunt. Altera eſt, quod puerorum ſanguinem ad longiorem vitam ducendam, dæmonis ſuggeſtione, credant idoneum.

IV. Quæſt. III. *Cur Deus permittat ut lamiæ, ſeu ſtriges infantibus, & iuvenibus potius quam adultis noceant?* Reſp. Solidam rationem huiuſce rei aſſignari non poſſe, Auctores omnes fatentur. Quæ enim ratio eorum quæ a Dei voluntate pendent, efferri in medium poteſt? Id dumtaxat certo ſcimus, Deum in maiorem fidei confirmationem, ad bonorum probationem, ut homines a peccatis abſterreantur, hæc omnia diſponere. Aliqui dicunt in pœnam, aut probationem parentum id Deum permittere. Alii id evenire aſſerunt ob imbecillitatem puerorum, qui reſiſtere nequeunt. Alii denique ſubdunt, ſtriges infantibus inſidiari, quia ex illorum corporum abſciſſis membris, pedibus, manibuſque unguentum conficiunt, quo delibutæ ad dæmonum conventicula, & convivia accedunt, ſeu accedere imaginantur.

V. Quæſt. IV. *Tranſferuntur ne reapſe ſtriges de loco ad locum; an vere phantaſtica tantum illuſione motus iſte contingit?* Reſp. Catholici omnes docent, hunc tranſitum fieri poſſe: quoniam translatio iſthæc dæmonis vires non excedit, ut pluribus exemplis conſtat. Nam dæmon reapſe tranſtulit Chriſtum Dominum ſupra pinnaculum templi, ut communiter Patres docent, teſte D. Thoma *III. Part. quæſt.* xli. *art.* 4. Simonem quoque magum in aera translatum legimus, divique Petri oratione delapſum in terram. Quod clarius elucet in Angelis bonis: ſiquidem Propheta Daniel *cap.* xiv. inquit: *Angelus Domini apprehendit Habacuc in Iu-*

dæa in vertice eius, & portavit eum capillo capitis ſui, poſuitque eum in Babylone ſupra lacum in impetu ſpiritus ſui. Et D. Lucas in Act. cap. VIII. *Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus. Ibat autem per viam ſuam gaudens. Philippus autem inventus eſt in Azoto.* Porro Angeli mali nihil naturalium virium deperdiderunt ob culpam. Quare hoc in ordine id totum valent quod boni poſſunt efficere. Nulla ergo de hac poſſibili translatione ſagarum quæſtio eſt. Factum ipſum diſputatio ſpectat. Sunt nonnulli ſaperdæ, qui, nulla præmiſſa facti & poſſibilitatis diſtinctione, adverſus factum, tamquam omnino impoſſibile, vocem exaltant. Omnes eiuſmodi translationes, quas Auctores ceu veras narrant, fabularum loco habent, nulla ratione adiecta, præter aliorum quorumdam Scriptorum auctoritatem, qui oppoſitum teſtantur. Sed cur iſtis, ſecus illis, fides adhibenda? In inquiſitores, in iudices crocitant: eoſdem inſcitiæ, crudelitatis, ne dicam ſtultitiæ, arguunt, quod ſæpe ſtriges ſevere punierint: ac ſi ob ſolas iſtiuſmodi tranſlationes, ſecus ob apoſtaſiam a fide, ob adorationem dæmoni oblatam plecti illæ poſſent. Hæc dicta obiter ſint, non quod omnes eiuſmodi qui narrantur tranſitus veros reputem; quin frequenter meras eſſe illuſiones aſſero: ſed ut nonnullorum inſcitiam, & audaciam coerceam, qui incredibili temeritate in graviores Theologos cenſoriam virgam extendunt; quamvis Theologiam nec extremis labiis deguſtaverint. Sed his miſſis, quod iampridem Caietanus 2. 2. *quæſt.* XCV. *art.* 3. cum aliis docet, referre lubet, ut diſcant novi homines, antiquiores Theologos non adeo credulos fuiſſe, ut veros omnes reputarent tranſitus iſtos. Ex eventibus quos Caietanus ipſe recenſet, unum tranſcribam. „ Ego quoque (inquit) ab una muliere amante quemdam ſcio, quod diabolus unxit eam nudam, ſuadens illi quod ſic duceret eam ad domum ſui dilecti, & poſtmodum, poſtquam fuit extra ſe multo tempore, & crederet ſe cum ſuo dilecto fuiſſe &c. invenit ſe in ſuo loco ita laſſatam, quod refocillatione indiguit &c. Et, niſi ego declaraſſem ei quod imaginatio fuit, & ex tali nuditate ita læſa eſſet, neſciret forte uſque hodie quod illud non fuerit in veritate. Per hæc tamen non negamus quin diabolus, Deo permittente, quandoque perſonam aliquam voluntariam etiam corporaliter ducat de loco ad locum. Sed hoc RARISSIME videtur accidere. “ Quando enim ſola phantaſtica illuſione hæc tranſvectio contingit, ita Martinetus (ſic enim ſtriges ſuum dæmonem vocant) ſagarum corpora ſubit, penetratque, & illarum ſenſus opprimit, ut nihil omnino ſentiant etiam læſæ & flagellatæ: tales vero dæmon in earumdem phantaſia ſpecies, imagines, larvaſque imprimit, ut a ſopore experrectæ revera credant ſe volitaſſe, alienaſque domos ingreſſas, & cum ſuis dilectis cubaſſe &c.

VI. Hinc colligas velim, ut difficillimum te præbeas in fide adhibenda mulieribus, ſive pravis, ſive etiam bonis. Quamvis enim obvia ubique occurrant mulie-

briun

Digitized by Google

bium illuſionum documenta innumera, non propterea tamen mulierum directores, Confeſſariique cautiores evadunt, ſed frequenter in nimiæ credulitatis extremum delabuntur. Experientia didici, mulierculas, quæ peculiaris, devotionis, ac ſanctitatis famam oſtentare ambiunt, Confeſſarios perquirere credulos, & faciles, quos ut ſecurius in errorem pertrahant, ſe illis tamquam ancillas & mancipia ſubmittunt, obedientiam vovent, ad nutum pendere ſe ſimulant, ut hac via ipſæ Confeſſariis minus ſolertibus tandem imperent; eoſque omnino ſibi ſubiiciant. Propriam hebetudinem, atque ſtupidam credulitatem excuſare iſti ſolent exemplis Catharinæ, Thereſiæ, aliarumque Sanctarum; quamvis illi vel ſemi-Catharinam, aut ſemi-Thereſiam numquam imbuerint. Curent ut ſuæ devotæ mulieres egregia virtutum facinora edant, miraculiſque Catharinæ, & Thereſiæ ſuas viſiones comprobent; & tunc eiſdem certam fidem adhibeant. Verum de his obiter, fuſius ſuo loco acturus.

VII. Oppoſitam ſententiam propugnant Lutherus, Melanchthon, plurimique iſtius furfuris ſectarii, quibus nonnulli Catholici adhærent. Sed omnes iſti Anabatarum more rem peragunt, hoſtemque quem feriant, confingunt. Enimvero, ſi poſſibiles huiuſmodi translationes negant; errant turpiter, & manifeſte. Si frequentiſſime phantaſtica illuſione translationes præfatas, & cetera quæ illas conſequuntur, fieri adfirment; vix aliquem repugnantem, aut paucos ſaltem, habent. Nam quod frequentiſſime in ſola illuſione phantaſtica eiuſmodi tranſitus conſiſtant, ultro ipſi fatemur. Opponunt auctoritatem Concilii Ancyrani relati *cap.* Epiſcopi XXVI. *quæſt.* V. ubi prohibetur ne his mulierum nugis fidem quiſquam adhibeat. Reſpondent plures cum Severino Binio in notis ad hoc Concilium, præfatum caput ſubreptitium eſſe, nulliuſque auctoritatis. Alii reſpondent vetari a Concilio dumtaxat ne credatur ſagas ſuper beſtias a dea Diana formatas ambulare.

VIII. Quæſt. V. *Poteſt ne dæmon mulieres ſagas, ſive viros in felem, muſtelam, leporem, aliaſve beſtias mutare?* Reſp. Ante reſponſionem primum omnium tranſcribo doctrinam D. Thomæ ex *I. Part. quæſt.* CXIV. *art.* 4. *ad* 2. quæ viam ſternit ad quæſtionis propoſitæ deciſionem. Inquit ergo: *Materia corporalis non obedit Angelis bonis, ſeu malis ad nutum, ut dæmones ſua virtute poſſint tranſmutare materiam de forma in formam; ſed poſſunt adhibere quædam ſemina quæ in elementis mundi inveniuntur, ad huiuſmodi effectus complendos, ut Auguſtinus dicit III. de Trinit. Et ideo dicendum eſt, quod omnes tranſmutationes corporalium rerum quæ poſſunt fieri per aliquas virtutes naturales, ad quas pertinent prædicta ſemina, poſſunt fieri per operationem dæmonum, huiuſmodi ſeminibus adbibitis; ſicut, cum aliquæ res tranſmutantur in ſerpentes, vel ranas, quæ per putrefactionem generari poſſunt. Illæ vero tranſmutationes corporalium rerum quæ non poſſunt virtute naturæ fieri, nullo modo operatione dæmonum ſecundum rei veritatem perfici poſſunt; ſicut quod cor-*

 pus

pus humanum mutetur in corpus beſtiale; aut quod corpus hominis mortuum reviviſcat. Et ſi aliquando aliquid tale operatione dæmonum fieri videatur, hoc non eſt ſecundum rei veritatem, ſed ſecundum apparentiam tantum. Quod quidem poteſt dupliciter contingere. Uno modo ab interiori, ſecundum quod dæmon poteſt mutare phantaſiam hominis, & etiam ſenſus corporeos, ut aliquid videatur aliter quam ſit, ſicut ſupra dictum eſt: & hoc etiam interdum fieri dicitur virtute aliquarum rerum corporalium. Alio modo ab exteriori. Cum enim ipſe poſſit formare corpus ex aere cuiuſcumque formæ, & figuræ, ut illud aſſumens in eo viſibiliter appareat, poteſt eadem ratione circumponere cuicumque rei corporeæ quamcumque formam corpoream, ut in eius ſpecie videatur. Et hoc eſt quod Auguſtinus dicit XVIII. de Civ. Dei, quod phantaſticum hominis, quod etiam in cogitando, ſive ſomniando per rerum innumerabilium genera variatur, velut incorporatum in alicuius animalis effigie ſenſibus apparet alienis. Quod non eſt ſic intelligendum, quod ipſa vis phantaſtica hominis, aut ſpecies eius eadem numero incorporata alterius ſenſibus oſtendatur; ſed quia dæmon, qui in phantaſia unius hominis format aliquam ſpeciem, ipſe etiam poteſt ſimilem ſpeciem alterius ſenſibus offerre.

IX. Ex hac ſola doctrina conſtat, minime poſſe dæmones tranſmutare hominem, aut mulierem in beſtiam. Hanc D. Thomæ doctrinam conceptis verbis tradit Auguſtinus *Lib. XVIII. de Civ. Dei cap.* XVIII. ubi plura narrat quæ illuſione phantaſtica fieri concludit. *Nam & nos* (inquit) *cum eſſemus in Italia, audiebamus talia de quadam regione illarum partium; ubi ſtabularias mulieres imbutas his malis artibus, in caſeo dare ſolere dicebant, quibus vellent, ſeu poſſent viatoribus, unde in iumenta illico verterentur, & neceſſaria quæque portarent, poſtque perfuncta opera iterum ad ſe redirent; nec tamen in eis mentem fieri beſtialem, ſed rationalem, humanamque ſervari, ſicut Apuleius in libris quos Aſini aurei titulo inſcripſit, ſibi ipſi accidiſſe, ut accepto veneno, humano animo permanente, aſinus fieret, aut indicavit, aut finxit. Hæc vel falſa ſunt, vel tam inuſitata, ut merito non credantur .... Non itaque ſolum animum, ſed nec corpus quidem ulla ratione crediderim dæmonum arte, vel poteſtate in membra, vel lineamenta beſtialia veraciter poſſe converti; ſed phantaſticum hominis, quod etiam cogitando, ſive ſomniando per rerum innumerabilia genera variatur, &, cum corpus non ſit, corporum tamen ſimiles mira celeritate formas capit.*

X. Ad propoſitam ergo quæſtionem reſpondetur, nullo modo poſſe dæmonem tranſmutare lamias in catum, muſtelam, anſerem, canem, ceteraque animalia; ſed vel immutare ſenſus tum videntium, tum ſagarum, quæ credunt ſe verſas in beſtias, aut corpora ex aere compingere animalibus valde ſimilia. Hæc eſt communis Theologorum ſententia.

XI. Quæſt. VI. *Poſſunt ne dæmones ianuis clauſis introducere ſagas in domos, & cubicula dilectorum?* Reſp. Dæmones haud poſſunt efficere ut duo corpora penetren-

trentur; valent vero introducere mulieres ianuis clauſis hoc in ſenſu, quod eas mira celeritate aperire valent, ſicut & muros ſcindere, lapides auferendo, & reſtituendo tanta celeritate, ut vix humanis percipi oculis poſſit: foramina quoque exigua dilatare poſſunt, per quæ corpora tranſire valeant. Quando deferunt ſtriges, quandoque modo viſibili, quandoque inviſibili id præſtant. Dum e lectulo mariti illas transferunt, profundo ſopore mariti ſenſus opprimunt, & interdum corpora ex aere confecta penes maritum deponunt. Vulnera, quæ non raro apparent in corporibus ſagarum, quæ in beſtias modo dicto transformari videntur, inde oriuntur, quod corpora ſagarum unita ſint corpori aereo repræſentanti beſtias iſtas; & ictus vibratus in corpus aereum pertingit in corpus verum ſagarum: vel etiam quando hæc ſola phantaſtica illuſione peraguntur, dæmon ipſe lædit, ſauciatque ſagarum corpora. E carceribus vero educere ſagas dæmones nequeunt, Deo id impediente: quod experientia patet.

XII. Quæſt. VII. *Quo in loco conventus ſagarum cum dæmonibus celebrentur; quidque in eiuſmodi conventiculis peragant?* Reſp. Delrius narrat una cum aliis loca eſſe determinata, in quibus dæmones cum ſagis ſua celebrant conventicula. Locum in Italia ferunt eſſe *montem Veneris prope Lacum Urſinum*. Qua de re videri etiam poteſt Spina de *ſtrigibus cap.* xx. Non modo loca, verum etiam tempora definita habent, quibus hæc conventicula peragant. Diebus quadrageſimæ, & potiſſimum hebdomadæ ſanctæ, quatuor temporum, aliorumque feſtorum eadem celebrant. Quæ porro in his conventiculis agunt, fuſo calamo narrant Delrius, aliique Auctores. Primum omnium lamiæ dæmoniorum Principem in regio ſolio aſſidentem, terrificamque formam præferentem ſub ſpecie ut plurimum hirci, vel canis adoraturæ accedunt, nunc flexis genibus, nunc obverſo tergo, quandoque cruribus in altum iactis, & capite reſupinato, ac in cælum verſo mento. In ſignum ſervitutis, & homagii eum in podice oſculantur: filios proprios offerunt, & interdum occidunt. Quibus peractis, menſis aſſident, & convivantur. Dapes frequenter ex infantibus occiſis paratæ ſunt, modo delicatiſſimæ, modo inſipidæ abſque ſale decoctæ. Saturato ventre libidini indulgent, fœdiſſime cum dæmonibus ſeſe commiſcendo. Mulieres incubis ſubiacent, & viri ſuccubis præpoſteram exercent venerem, nullo prætermiſſo obſcæniſſimo, atque nefandiſſimo libidinis genere. Hæc pauca perſtrinxi obiter. Frequentiſſime fabuloſa, & phantaſtica eſſe cenſeo, ut dixi ſupra; fieri tamen reapſe poſſe, non eſt inficiandum.

XIII. Sunt qui negant dæmones exercere poſſe carnales actus, cum corpore careant, ſintque meri ſpiritus. Verum communis Catholicorum ſententia docet, reipſa hanc commixtionem dæmonum mulierumque accidere. D. Auguſtinus *Lib. XV. de Civ. Dei cap.* XXIII. hoc aperte teſtatur his verbis: *Et quoniam creberrima fama eſt, multique ſe expertos, vel ab eis qui experti eſſent, de quorum*

F iiij *fide*

ſide dubitandum non eſt, audiviſſe confirmant, Sylvanos, Panes, & Faunos, quos vulgo incubos vocant, improbos ſæpe extitiſſe mulieribus, & earum appetiiſſe, ac peregiſſe concubitum: & quoſdam dæmones, quos Duſios Galli nuncupant, hanc aſſidue immunditiam & tentare, & efficere, plures, taleſque aſſeverant, ut hoc negare impudentiæ videatur. Quam doctrinam deſcribit, approbatque D. Thomas *I. Part. quæſt.* LI. *art.* 3. *ad* 6. additque filios natos ex coitu dæmonum cum mulieribus, non dæmonum, ſed illorum a quibus ſemen dæmones ſuſcepere, filios eſſe. *Si tamen ex coitu dæmonum aliqui interdum naſcuntur, hoc non eſt per ſemen ab eis deciſum, aut a corporibus aſſumptis, ſed per ſemen alicuius hominis ad hoc acceptum; utpote quod idem dæmon, qui eſt ſuccubus ad virum, fiat incubus ad mulierem; ſicut & aliarum rerum ſemina aſſumunt ad aliquarum rerum generationem, ut Auguſtinus dicit Lib. III. de Trinit. cap.* VIII. *ut ſic ille qui naſcitur, non ſit filius dæmonis, ſed illius hominis cuius eſt ſemen acceptum*. Corpora ergo ex aere compacta dæmones qui commiſcentur mulieribus, aſſumunt, & quandoque coitum peragunt abſque veri ſeminis effuſione. Nec enim tanta ſunt virtute præditi, qua valeant aut humanam carnem veram, aut humanum ſemen efficere. Quoties autem coitum aptum ad generationem peragere volunt, aliunde, nempe ab hominibus, ſemen furripiunt, immittuntque in locum generationi deſtinatum: quod perquam raro evenire puto. Diſputare hic ſolent Auctores, experiantur ne delectationem ſagæ in hac commixtione. Alii negant, adfirmant alii. Sed, quinam eorum verum afferant, ſcire non intereſt.

XIV. Ex his quæ dicta ſunt, ſoluta quæ opponi ab adverſariis ſolent, remanent. Quod addunt, vim prolificam ſitam eſſe in ſpiritibus, ſeu effluviis quibuſdam, qui, tenuiſſimi cum ſint & ſubtiles, citiſſime ac e ſuis vaſis emiſſi ſunt, evaneſcunt, atque diſpereunt, nullius momenti eſt. Nam tranſvectio ſeminis quæ ope dæmonis efficitur, momentanea eſt, eaque arte peragitur, ut nequeant ſpiritus illi tam brevi morula evaneſcere; maxime cum dæmon, horum vitalium ſpirituum virtutem callens, valeat impedire hanc diſperſionem. Plura exempla a Philoſophis, & medicis adducuntur, quibus narratur, mulieres inventas eſſe in utero habentes fetus, quin virginitatis amiſerint florem. En eventum quem narrat D. Thomas quodlib. VI. quæſt. III. artic. 18. *Poſſet tamen forte abſque miraculo mulier, ſalva omnimoda virginitate, concipere, ſicut dicitur accidiſſe de quadam puella pubeſcente, quam propter pudoris cuſtodiam in lecto ſuo pater habebat, qui dum ſomno pollueretur, ſemen ad matricem deſcendit, & puella concepit... Vir autem, ſalva tali virginitate, poſſet eſſe pater naturaliter propter pollutionem nocturnam, quæ quocumque caſu ad matricem mulieris perveniret*. Alias mulieres in balneo impraegnatas ex ſemine a viris ibidem deciſo, ab aliquibus perhibetur. Rara utique hæc ſunt; ſed ea nihilominus accidiſſe, probatiſſimorum

Au-

Auctorum teſtimonio, traditur: nullaque evidens ratio occurrit quæ repugnantiam evincat. Plurima alia eſſent hic diſcutienda. Verum quia hæc curioſitati potius quam utilitati, ac honeſtæ cognitioni inſervirent, idcirco ea ſilentio prorſus prætereo.

CAPUT XIII.

De pœnis conſtitutis in ſagas, maleficos, eoſque omnes qui pactum aliquod expreſſum, aut tacitum cum dæmonibus ineunt.

I. OMnes leges humanæ, & divinæ puniendos maleficos ſtatuunt. Deus Levit. xx. *Vir, ſive mulier, in quibus pythonicus, vel divinationis fuerit ſpiritus, morte moriantur: lapidibus obruent eos*. Item Exod. XXII. *Maleficos non patieris vivere*. Leges civiles plurimæ ſunt, *tit. de Malef.* ut *leg. Nemo* 5. *leg. Etſi exempta* 7. quæ pœna mortis plectendos hariolos omnes decernunt. Eamdem pœnam conſtituit ius canonicum.

II. Diſputant Theologi, ſitne in maleficos lata excommunicatio, vel tantum ferenda. Communior, & vera ſententia ſuſtinet, omnes eſſe reapſe excommunicatos a iure: quod probat cap. *Si quis hariolos*, ubi hæc habentur. *Si quis hariolos, aruſpices, & incantatores obſervaverit, anathema ſit*. Hæc verba, *Anathema ſit*, cenſuram latam, non ferendam ſignificant. Lex enim non optat, ſed imperat. Quare licet præfata verba poſſent abſolute excipere ſenſum optantis; attamen, ut a lege uſurpata, abſolute decernunt, iubentque pœnam. Adduci ſolet etiam *Extravag.* Ioannis XXII. cuius initium eſt, *Super illius*, quam refert Eymericus in *Director. Inquiſitorum*, in qua conceptis verbis excommunicatio ſtatuitur in omnes maleficos. Hanc vero conſtitutionem reiiciunt alii, eo quod in Bullario haud reperiatur. Incerta ergo conſtitutione prætermiſſa, tranſcribam conſtitutionem Gregorii XV. editam 20. Martii anno 1623. cuius initium eſt *Omnipotentis Dei* &c. ubi hæc habentur: *Motu itaque proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium decernimus, præcipimus, & mandamus, ut conſtito quod aliquis pactum cum diabolo fecerit, & a fide apoſtatando, maleficiis, ſive ſortilegiis unam, ſeu plures perſonas ita læſerit, ut ex maleficio, vel ſortilegio mors ſecuta ſit, etiam primo lapſu Curiæ ſæculari tradatur debitis pœnis puniendus. Qui vero, ſimiliter apoſtatando, pactum cum diabolo, ut præfertur, fecerit, & maleficium, ſeu ſortilegium commiſerit, licet mors ſecuta non ſit, infirmitas tamen, divortia, impotentia generandi, ſive animalibus, frugibus, vel aliis fructibus damnum notabile provenerit, muro claudi, ſive perpetuis carceribus in ſan-*

ſancto Inquiſitionis Officio, ubi illud exiſtit, fabricandis mancipari debeat. Qui vero ſimilium delinquentium notitiam habuerint, eos Epiſcopo, ſive Inquiſitori denuntiare teneantur &c. Igitur ſi maleficii delicto iunctum ſit apoſtaſiæ crimen, ad Inquiſitionis tribunal ſpectat in eiuſmodi maleficos inquirere, & animadvertere; quin, dum malefici in apoſtaſiam incidunt, vel in hæreſim ruunt, atque adeo obnoxii evadunt excommunicationi latæ in *Bulla Cœnæ*, vel ſi reapſe in hæreſim non prolabuntur, ſuſpicionem ſaltem vehementem hæreſis ingerunt. Signa autem vehementis ſuſpicionis hæreſeos hæc ſunt: pactum expreſſum cum dæmone; rerum ſacrarum abuſus; diaboli adoratio; eiuſdem invocatio, ut ea ſciantur quæ naturalem vim cognoſcendi excedunt. Quando autem maleficio annexum eſt crimen hæreſis, aut gravis ſuſpicio eiuſdem; talis criminis iudices ſunt hæreticæ pravitatis Quæſitores. Et cum vix maleficus reperiatur qui reus hæreſis non ſit, aut vehementer ſuſpectus; idcirco malefici ad Inquiſitores demandandi ſunt.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

DE TENTATIONE DEI, DE SACRILEGIO, ET BLASPHEMIA.

CAPUT I.

Quid ſit tentatio Dei.

I. Tentationis Dei hanc produnt definitionem Theologi: *Eſt probatio, ſeu experimentum inordinatum alicuius divinæ perfectionis verbis, vel factis*. Illa particula *inordinatum* diſtinguit tentationem licitam ab illicita. Nam ſi hoc experimentum, ſeu probatio ſit inordinata, nempe abſque neceſſitate, illicita eſt, atque irreverentiam adverſus Deum continet; licita vero eſt, ſi ſit ordinata. Ordinata porro reputatur, iuſta urgente cauſſa; aut ſi fiat ex divino inſtinctu in honorem, & utilitatem Eccleſiæ. Hac ratione Abraham, Gedeon, Elias, aliique plures Iſraelitæ Deum tentaverunt. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* XCVII. *art.* 1. deſcribit tentationem abſolute acceptam his verbis. *Tentare eſt proprie experimentum ſumere de eo qui tentatur. Sumitur autem experimentum de aliquo & verbis, & factis: verbis quidem, ut experiamur, an ſciat quod quærimus, vel an poſſit, aut velit illud implere; factis autem, cum per ea quæ facimus, exploramus alterius prudentiam, vel voluntatem, vel poteſtatem. Utrumque autem horum contingit dupliciter. Uno quidem modo aperte; ſicut cum quis tentatorem ſe profitetur, ſicut Sampſon Iudic.* XV. *propoſuit Philiſthæis problema ad eos tentandum. Alio vero modo inſidioſe, & occulte; ſicut Phariſæi tentaverunt Chriſtum, ut legitur Matth.* XXII. Additur in definitione, *alicuius divinæ perfectionis*: quia, dum Deus tentatur, ſemper tentatur, ut exerceat aliquod ſuum attributum, aut miſericordiam, aut iuſtitiam, aut omnipotentiam, cuius egent homines qui volunt experiri aliquod ex his divinis attributis. Idque fit verbis, aut factis.

II. Ex D. Thomæ doctrina colligitur, duplicem eſſe hanc tentationem, expreſſam, & tacitam, ſeu interpretativam. Illa explicite intendit probare aliquod ex Dei attributis: ut dum quis ea intentione ſe præcipitem e feneſtra agit, ut experiatur, an Deus velit illum liberare, & præſervare ne lædatur. Hic tentator licet manifeſte non intendat experimentum ſumere de aliquo Dei attributo, ita tamen operatur, ut reapſe Deum tentet. Idem dicendum de eo qui evidenti periculo ſe abſque neceſſitate exponit, ſperans ſe a Deo liberandum fore. Hinc con-

concludit Angelicus: *Quando ergo propter aliquam neceſſitatem, ſeu utilitatem committit ſe aliquis divino auxilio in ſuis petitionibus, vel factis, hoc non eſt Deum tentare. Dicitur enim in II. Paralipom.* xx. Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te. *Quando vero hoc agitur abſque utilitate, & neceſſitate, hoc eſt interpretative tentare Deum.* Loc. cit. Qui ergo ſe committit abſque neceſſitate evidenti gravi periculo, ut experiatur, ſi Deus velit illum præſervare, peccat tum contra caritatem erga ſeipſum, tum contra religionem Deum tentando. Si vero abſque eiuſmodi ſpe ſe periculo propriæ vitæ committit, peccat contra caritatem, ſecus adverſus religionem, quia tunc nullo modo Deum tentat. Hæc eſt communis Theologorum doctrina.

III. Hæc Dei tentatio genere ſuo peccatum grave eſt. Si proficiſcatur ex dubitatione, adiunctam habet hæreſis malitiam. Dubitare enim de aliquo Dei attributo hæreſis eſt. Si abſque dubitatione fiat, etiam grave crimen eſt. Homo quippe tentator vellet obligare Deum ad aliquid agendum ob finem vanum, vel ut indulgeret curioſitati tentatoris: quæ omnia dedecent divinam maieſtatem.

IV. Quæſt. I. *Sit ne levis culpa tentare Deum, cum materia levis eſt?* Reſp. Omnia ea quæ natura ſua ſunt mortalia, fieri venialia poſſunt ex imperfecta conſenſus deliberatione. Difficultas eſt, num veniale tentationis crimen ſit, cum deliberatio eſt plena, ſed materia ſuper qua Deus tentatur, levis eſt: ut ſi in levi morbo reſpuas medicinam, ſperans te a Deo liberatum iri; ſi animo diſtracto ores, confidens nihilominus te obtenturum a Deo quæ petis. Adfirmant plures, levem tantum tunc committi culpam: quia, inquiunt, in ſimilibus caſibus non videtur gravis ordinis perverſio, nec divinæ maieſtatis læſio. Verum probabilior ſententia eſt, gravem ſemper eſſe culpam, quoties Deus deliberato animo tentatur: quoniam gravitatis culpæ menſura eſt iniuria quæ divinæ maieſtati irrogatur. Porro, ſive grave, ſive leve ſit medium quo Deus tentatur, ſemper læditur divina maieſtas; quin eo gravius videtur lædi, quo levior eſt exempli gratia infirmitas, a qua ut libereris, ſpretis remediis naturalibus, poſcis a Deo miraculum ſanitatis. Clarius hæc exponamus. Tu laboras levi morbo: reiicis omne naturale remedium, & a Deo poſcis ut ſanitatem tibi reſtituat. Vis ergo Deum miraculum patrare, ut tuæ indulgeat curioſitati, & ut levem morbum a te expellat? Quis autem non videat tunc te gravius tentare Deum quam ſi poſceres ab eodem ut a mortali infirmitate te curaret? In hac ſiquidem hypotheſi contendis Deum in rebus leviſſimis ſuam omnipotentiam exercere ad patranda opera miraculoſa. Sive ergo levis, ſive gravis ſit egeſtas, pro qua ſine ulla neceſſitate poſtulas ut Deus miraculum operetur, quo ea auferat quæ nullo negotio mediis a natura exhibitis auferri poſſent; graviter Deum tentas, graviterque delinquis. Hanc ſententiam defendunt Suarez *Tom. I. de Relig. tract.* III. *Lib. I.*

Digitized by Google

Lib. I. cap. 11. *num.* 16. Sanchez *Lib. II. cap.* xxxiv. *num.* 5. Salmanticenſes *tract.* xxi. *cap.* xii. *punct.* 1. *num.* 4. & alii plures. Vix tamen in praxi hæc formalis tentatio occurrit. Quis enim, niſi ſtultus, ideo reſpuere conſueta remedia velit, ut Deus miraculum operetur? Sed in praxi plures ſpernunt medicinarum uſum potiſſimum in levioribus morbis, confidentes in divino medico, qui potens eſt, ſi velit, eoſdem ſanare. Non contendunt Deum miracula patrare, ſed demiſſo animo ſperant fore ut Deus id ſit diſpoſiturus quod in ſui maiorem gloriam cedet.

V. Quæſt. II. *Utrum tentet Deum ille qui probatione ferri candentis, aut aquæ ferventis ſuam innocentiam manifeſtare contendit?* Reſp. Ait communis ſententia; quia ſuppetunt media naturalia, quibus veritas manifeſtari poſſit, nempe teſtium probatio, aut ſpontanea confeſſio. Audiamus D. Thomam huic quæſtioni ſic reſpondentem 2. 2. quæſt. xcv. art. 8. ad 3. *Iudicium ferri candentis, vel aquæ ferventis ordinatur quidem ad alicuius peccati occulti inquiſitionem per aliquid quod ab homine fit; & in hoc convenit cum ſortibus. Inquantum tamen expectatur aliquis effectus miraculoſus a Deo, excedit communem ſortium rationem. Unde huiuſmodi iudicium illicitum redditur: tum quia ordinatur ad iudicanda occulta, quæ divino iudicio reſervantur: tum etiam quia huiuſmodi iudicium non eſt divina auctoritate ſancitum. Unde* 2. *quæſt.* v. *in Decreto Stephani Papæ V. dicitur: Ferri candentis, vel aquæ ferventis examinatione confeſſionem extorqueri a quolibet, ſacri non cenſent Canones: & quod ſanctorum Patrum documento ſancitum non eſt, ſuperſtitioſa adinventione non eſt præſumendum: ſpontanea enim confeſſione, vel teſtium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, conceſſa ſunt noſtro regimini iudicanda; occulta vero, & incognita illi ſunt relinquenda qui ſolus novit corda filiorum hominum. Et eadem ratio videtur eſſe de lege duellorum; niſi quod plus accedit ad communem rationem ſortium, inquantum non expectatur ibi miraculoſus effectus; niſi forte quando pugiles ſunt valde impares virtute, vel arte.* Hæc omnia perſpicua ſunt. Nec obſtant exempla quæ adduci ſolent: videlicet quod Deus *Num.* v. præſcripſerit, mulierem adulteram amaris aquis probandam; & quod *cap.* Sæpe 2. *quæſt.* v. ſtatuatur, dandam Monacho furti ſuſpecto euchariſtiam, ut eius ſumptione purgetur. Nam ad primum exemplum patet reſponſio, licitam tum fuiſſe mulieris adulteræ probationem, quia Deus ſic præſcripſit: quod præceptum cæremoniale cum fuerit, antiquatum eſt. Ad alteram auctoritatem reſpondet D. Thomas III. Part. quæſt. lxxx. artic. 6. ad 3. *Quod decreta illa ſunt abrogata per contraria documenta Romanorum Pontificum. Dicit enim Stephanus Papa: Ferri candentis &c. Et idem habetur extra de purgationibus cap. Ex tuarum. In omnibus enim talibus eſſe videtur Dei tentatio. Unde ſine peccato fieri non poſſunt. Et gravius videretur, ſi in hoc ſacramento, quod eſt in-*

inſtitutum ad remedium ſalutis, aliquis incurreret iudicium mortis. Unde nullo modo corpus Chriſti debet dari alicui ſuſpecto de crimine, quaſi ad examinationem. Quod ſi aliquando miracula in his probationibus viſa ſunt, ea Deus patravit in defenſionem innocentiæ accuſati, permiſſo tentationis peccato in illis hominibus.

VI. Quæſt. III. *Tentat ne Deum ille qui, ut hæreticum convertat, miraculum a Deo patrandum in confirmationem veritatis catholicæ offert?* Reſp. Aſſerit communis ſententia: quia abſque neceſſitate hæc poſtulantur miracula. Pervia enim ſunt argumenta ſplendidiſſima, quibus veritas religionis catholicæ oſtendatur. Accedit quod ut plurimum inutilis ſit hæc miraculorum petitio. Quot miraculorum miriades non patravit Deus in Martyrum occiſionibus, quin tamen ea intuentes tyranni ad veram religionem converterentur? Iudæi propriis oculis ſpectarunt quatriduanum Lazarum a Chriſto reſuſcitatum, & cum eodem ad menſam ſederunt; nec propterea Chriſti fidem amplexati ſunt. Quod ſi ſancti viri hæc miracula interdum hæreticis exhibuere, id ex peculiari divino inſtinctu fecerunt. Nil tamen vetat quod, adhibitis mediis conſuetis, aliquando etiam miracula a Deo poſcantur, debita nimirum humilitate, & ſubiectione, adiectaque conditione, ſi in Dei gloriam id cedere debeat, Deoque placeat.

VII. Diſputant in utramque partem Theologi, ſint ne duo diſtincta peccata; tentatio Dei expreſſa, & tacita. Adfirmat Suarez *Tom. I. de Relig. tractat.* III. *Lib. I. cap.* III. *num. 6.* cum aliis: quia tentatio explicita proficiſcitur a cauſſa ſpecie diverſa ab ea a qua oritur tentatio implicita. Siquidem illa a dubitatione de aliquo attributo divino ortum ducit, ſecus iſta. Si verum eſſet quod contineretur dubium de aliquo divino attributo in explicita Dei tentatione, dubio procul ſpecie differret ab interpretativa: quia tunc peccatum eſſet inſuper contra fidem. Ceterum non ita videtur coniuncta tentationi Dei dubitatio de divino aliquo attributo, ut nequeat tentari Deus, quin ſimul de illius omnipotentia, iuſtitia &c. dubitetur. Et ideo contraria ſententia docet, quod, ſi ſermo ſit de ſola Dei tentatione explicita, ſpecie non differat ab interpretativa; ſed quod ſolum addat maiorem gravitatem malitiæ: quia profeſſio explicita non differt ab implicita. Contendunt Salmanticenſes *tractat.* XXI. *cap.* XII. *punct.* I. hanc ſententiam confirmare auctoritate D. Thomæ 2. 2. *quæſt.* XCV. *art.* 3. *ad* I. ubi volunt Angelicum docere pactum cum dæmone explicitum non differre ab implicito. Verum ibi D. Thomas oppoſitum potius docet. En illius verba: *Dicendum, quod in omnibus prædictis eſt eadem generalis ratio peccandi, ſed non eadem ſpecialis. Multo enim gravius eſt dæmones invocare quam aliqua facere quibus dignum ſit ut ſe dæmones ingerant.* Ex hac doctrina habetur, tentationem expreſſam, & tacitam, ut pactum explicitum, & implicitum, in generali ratione convenire, ſecus in ſpe-

Digitized by Google

ſpeciali. Quod porro hæc ſpecialis ratio diverſitatem prodat, videtur ſatis conſentaneum ceteris verbis, quibus additur *multo gravius eſſe* pactum expreſſum. Quare nobis non probatur quod laudati Auctores concludunt, nempe ſatis eſſe in confeſſione exprimere, *Commiſi peccatum tentationis Dei*; quin indicetur, expreſſa ne fuerit, vel implicita Dei tentatio. Siquidem certum eſt penes omnes, valde gravius crimen eſſe expreſſam Dei tentationem quam interpretativam. Lis vero eſt, num hæc diverſitas ſit ſpecifica, aut numerica. Neutra opinio evidens eſt. Securior ergo in confeſſione exequenda: eo vel maxime quod iuxta graviſſimam ſententiam, mihique veram, circumſtantiæ intra eamdem ſpeciem valde aggravantes ſunt in confeſſione aperiendæ. Quapropter quemlibet teneri aſſerimus ad manifeſtationem tum pacti expliciti, vel impliciti, tum tentationis expreſſæ, vel interpretativæ in ſacramentali confeſſione.

CAPUT II.

De ſacrilegio, eiuſque ſpeciebus.

I. SAcrilegium eſt *rei ſacræ violatio*. Res ſacra dicitur quæ cultui divino deputata eſt. *Et ideo* (inquit Angelicus 2. 2. quæſt. XCIX. art. 1.) *omne illud quod ad irreverentiam rerum ſacrarum pertinet, ad iniuriam Dei pertinet, & habet ſacrilegii rationem.*

II. Triplex diſtinguit ſacrilegium D. Thomas 2. 2. *quæſt.* XCIX. *art.* 3. cui ſubſcribunt communiter Theologi. Primum eſt iniuria irrogata perſonæ ſacræ, ut Clerico, Monacho, ſeu Religioſo, & Sanctimoniali; aut fornicatio cum perſona voto caſtitatis obſtricta. Secundum ſpectat locum ſacrum, ut Eccleſia, & cœmeterium. Poſtremum eſt quod perpetratur contra res ſacras, & cultui divino peculiariter dicatas, ut ſunt ſacramenta, calices, veſtes ſacris peragendis deſtinatæ, Sanctorum imagines, & reliquiæ &c. Partitionem hanc eſſe in membra ſpecie diſtincta, docet ibidem D. Thomas, eique adhærent communiter Theologi: quia, inquit Angelicus, *ſecundum diverſam rationem ſanctitatis rerum ſacrarum, quibus irreverentia exhibetur, neceſſe eſt quod ſacrilegii ſpecies diſtinguantur. Tanto enim ſacrilegium eſt gravius, quanto res ſacra, in quam peccatur, maiorem obtinet ſanctitatem. Attribuitur autem ſanctitas & perſonis ſacris, ideſt divino cultui dedicatis, & locis ſacris, & rebus quibuſdam aliis ſacris. Sanctitas autem loci ordinatur ad ſanctitatem hominis qui in loco ſacro cultum Deo exhibet. Dicitur enim II. Machabæorum* V. Non propter locum gentem, ſed propter gentem Dominus locum elegit. *Et ideo gravius peccatum eſt ſacrilegium quo peccatur contra perſonam ſacram quam quo peccatur contra locum ſacrum.* Quæ D. Thomæ ratio ſic bre-

Digitized by Google

breviter perſtringitur. Diverſa eſt ratio formalis ſanctitatis perſonæ, loci, & rei ſacræ: quoniam perſona abſolute ſancta eſt; locus ſanctus dicitur, quod in eo perſonæ ſanctæ reſideant, & in eodem Deo cultus exhibeatur; ſacramenta conferunt ſanctitatem perſonis; & res ſacræ ordinantur ad ſanctitatem. Nec eſt quod in ſcholaſtica diſceptatione diutius immoremur.

III. Diſputari etiam ſolet, ſit ne partitio iſthæc in ſpecies atomas, an ſubalternas. S. Thomas docet has ſacrilegii ſpecies eſſe infimas, ſeu atomas, in quarum qualibet diverſi ſacrilegii gradus reperiri poſſunt. Inquit enim in corpore articuli. *Sunt tamen in utraque ſacrilegii ſpecie diverſi gradus ſecundum differentiam perſonarum, & locorum ſacrorum. Similiter etiam & tertia ſpecies ſacrilegii, quæ circa alias res ſacras committitur, diverſos habet gradus ſecundum differentiam rerum ſacrarum; inter quas ſummum locum obtinent ipſa ſacramenta, quibus homo ſanctificatur: quorum præcipuum eſt eucharistiæ ſacramentum, quod continet ipſum Chriſtum.* Aliqua ergo peccata, tametſi invicem ſpecie differant, convenire tamen poſſunt in eadem ſacrilegii ſpecie; ut ſubdit idem Angelicus art. cit. ad 2. *Similiter etiam poſſibile eſt aliqua duo peccata differre ſpecie ſecundum materiales actus, convenire autem in ſpecie ſecundum unam rationem formalem ſacrilegii; puta ſi quis Sanctimonialem violaverit verberando, vel concumbendo.*

IV. Explicata generica notione, atque partitione ſpecifica ſacrilegii, reliquum eſt ut breviſſime perſtringamus ſacrilegia quæ ſub qualibet ſpecie continentur. Sub prima ſpecie, quæ perſonas ſacras ſpectat, continetur iniuria Clerico, Religioſo, Sanctimoniali irrogata: quod quatuor modis accidere valet. I. Si eiuſmodi perſonæ ſacratæ violenter percutiantur. II. Si ad forum laicum deducantur. III. Si eiſdem tributa, & vectigalia abſque legitima auctoritate imponantur. IV. Si fornicatio, ſeu impudicitia cum ipſis perſonis voto caſtitatis adſtrictis peragatur. Cuiuſque enim voti violatio ſacrilegium eſt. Ad hanc quoque ſacrilegii ſpeciem pertinet impudicitia peracta a Confeſſario cum filia ſpirituali: quia inquit D. Thomas in ſupplem. III. Par. quæſt. lvi. art. 2. ad 8. *per pœnitentiam contrahitur quoddam fœdus inter mulierem confitentem & Sacerdotem, ſpirituali cognationi ſimile; ut tantum peccet eam carnaliter cognoſcens, ac ſi eſſet ſua filia ſpiritualis.* Hinc ſacrilegium ſimiliter eſt turpis commixtio cum perſona ſpiritualiter coniuncta: quæ ſpiritualis cognatio contrahitur in ſolemni baptiſmo, & confirmatione inter patrinos & baptizatum, confirmatumque, atque inter patrem, & matrem baptizati, & confirmati.

V. Ad ſecundam ſacrilegii ſpeciem revocantur ea omnia quæ contra reverentiam loco ſacro debitam perpetrantur. Pluribus modis hoc ſacrilegium committitur. I. Si quis locum ſacrum incendat, infringat, diruat, altaria demoliatur. II. Si

Si ab Eccleſia, etiam diruta, vel polluta, vel interdicta, & ab eius cœmeteriis, atriis, clauſtro, & quocumque eiuſdem loco non ſeiuncto, item ſi ab Oratoriis legitima auctoritate erectis, ab Epiſcoporum palatiis, a Regularium Conventibus, eorumque ambitu clauſo, aliquem hominem quis per vim extrahat. III. Si quis hominem occidat, vel per vim ſanguinem effundat humanum; ſi quis voluntariam pollutionem, ſive manifeſtam, ſive occultam, exerceat. IV. Si qui mercatus, negotiationes, & convivia peragant in Eccleſiis, ſcænas aperiant, ludos, & turpia colloquia habeant. V. Si quis in Eccleſia furetur. Diſputant tamen Theologi, ſit ne ſacrilegium furari non ſacrum, puta crumenam, in loco ſacro. Verum, omiſſis Caſuiſtarum quorumdam diſſidiis, id tenendum eſt quod ſtatutum legimus a Pontifice Ioanne VIII. in cap. *Quiſquis* XVII. quæſt. IV. *Sacrilegium committitur auferendo ſacrum de ſacro, vel non ſacrum de ſacro, ſive ſacrum de non ſacro.* Lex perſpicua eſt, quæ nulla ſolida eludi interpretatione valet. Quicumque ergo diviti in Eccleſia pecunias furto aufert, ſacrilegium perpetrat. Si furto ſurripiantur res traditæ Eccleſiæ, aut in cuſtodiam, aut ad ornatum eiuſdem, pariter ſacrilegium committitur.

VI. Qui actus internos vitioſos exercet, contrahit ne ſacrilegii malitiam? Qui extra locum ſacrum habet voluntatem occidendi, furandi, fornicandi in loco ſacro, ſacrilegium committit: quia actus interior, & exterior ſunt eiuſdem ſpeciei. Et hæc opinio communior eſt. Qui vero in loco ſacro conſtitutus deliberat fornicari, furari, occidere in loco non ſacro, a ſacrilegio immunis eſt, eo quod actus iſti exteriores ſacrilegi non ſunt. Actibus autem mere internis non violatur ſanctitas loci. Hæc opinio valde communis eſt. Verum, quod loco principii ſtatuit, videlicet actibus internis templi ſanctitatem non violari, difficultatem mihi ingerit. Siquidem templum inſtitutum eſt, ut eo in loco peculiari cultu Deum adoremus, non modo externo, ſed potiſſimum interno, ut Deo non minus animum quam corpus ſubmittamus. Cur ergo qui animum polluit in hoc ſacro loco, ſacrilegio non inquinatur? Quare non mihi videtur adeo manifeſtum eſſe ut a ſacrilegio immunis ſit quicumque ſive interius, ſive exterius in Eccleſia delinquit.

VII. Tertia ſpecies eſt ſacrilegium reale, quo res ſacra, a perſona, & loco diſtincta, indigne tractatur. Quæ ſint res ſacræ, iam indicatum eſt ſupra: & dividuntur in quatuor veluti gradus. Primum veniunt ſacramenta; deinde vaſa ſacra, imagines ſacræ, Sanctorumque reliquiæ; poſt ornamenta Eccleſiæ, ſeu miniſtrorum, ut ſunt caſulæ, vela, & cetera eiuſmodi; quarto demque loco collocantur bona mobilia, aut immobilia miniſtrorum ſuſtentationi deputata, ut decimæ, primitiæ &c. Quocirca qui ſacramenta irreverenter pertractat, ea aut recipiendo, aut miniſtrando, ſacrilegio graviſſimo inficitur; aut ſi quis eadem proii-

ciat, conculcetque. Licet Chriſtus Dominus ſit realiter in euchariſtia, non ideo tamen indigna eiuſdem tractatio dicitur ſacrilegium in ipſius perſonam ſanctiſſimam: quia non eſt ibi per modum corporis in propria ſpecie, quemadmodum eſt in cælo. Idcirco indigna euchariſtiæ tractatio dicitur ſacrilegium in rem, non in perſonam. Grave quoque ſacrilegium committeret qui vaſa ſacra adhiberet ad potandum, & veſtes ſacras converteret in propria indumenta, aut indigne ſcinderet, laceraretve.

VIII. Iſthuc quoque pertinet abuſus verborum ſacræ Scripturæ. Quare qui verba ſacra detorquent ad hæreſes evulgandas, firmandaſque; qui eadem profanis cantionibus immiſcent, aut eiſdem abutuntur ad libellos famoſos compingendos, ad res profanas exprimendas, ſacrilegi ſunt. Iſtorum ſacrilegos auſus reprimit Synodus Tridentina his verbis ſeſſ. IV. *Poſt hæc, temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quæque convertuntur, & torquentur verba, & ſententiæ ſacræ Scripturæ, ad ſcurrilia ſcilicet, fabuloſa, vana, adulationes, detractiones, ſuperſtitiones impias, & diabolicas incantationes, divinationes, ſortes, libellos etiam famoſos; mandat, & præcipit ad tollendam huiuſmodi irreverentiam, & contemptum, ne de cetero quiſquam quomodolibet verba Scripturæ ſacræ ad hæc, & ſimilia audeat uſurpare; ut omnes huius generis homines, temeratores, & violatores verbi Dei, iuris, & arbitrii pœnis per Epiſcopos coerceantur.* Quare ſacrilegi ſunt qui in quibuſdam civitatibus Italiæ in more fere poſitum habent ſacra verba uſurpare ad exprimendos Concionatorum, & aliarum perſonarum defectus; & qui præfatos libellos legunt, diſtribuuntque, a culpa immunes haud ſunt. Sacrilegii item rei ſunt pictores qui ſacras imagines indecore, & meretricia nuditate depingunt. Sacrilegio rurſus fœdantur qui ſacras imagines vel reliquias frangunt, dilacerant, aut conterunt.

IX. Omiſſione quoque perpetrari ſacrilegium valet. Iſtius ſacrilegii rei ſunt non raro Sacriſtæ, dum negligunt debita vigilantia ſacra chriſmata, & euchariſtiam cuſtodire, clavibus adhibitis iuxta ſacrorum canonum præſcripta; dum corporalia, vaſa ſacra, altaria, veſtimenta eccleſiaſtica nitida, & munda non ſervant, ſed maculata, lurida, fœdaque, non raro ad incruentum ſacrificium peragendum adhibenda porrigunt. Sacrilegii rei itidem ſunt, ſi corrumpi in pixide ſacras particulas negligenter ſinant.

X. Eſt ne ſacrilega omiſſio receptionis, vel adminiſtrationis ſacramentorum tempore debito, ſeu urgente præcepto? In utramque partem diſputant Theologi. Adfirmant nonnulli, eo quod debita ſit ſacramentis reverentia: unde qui illam exhibere negligit, ſacrilegus dicendus eſt. Probabilior videtur ſententia negans: quoniam, dum quis ſacramentum non percipit, nullam ſacræ rei iniuriam irrogat; ſed præceptum dumtaxat recipiendi ſacramenta tranſgreditur. Ob hanc ra-

rationem qui omittit ſacrum die feſto, non reputatur ſacrilegus; ſed præcepti tantum violator. Debita utique eſt ſacramentis reverentia, ita ut, dum recipiuntur, aut miniſtrantur, digne & ſancte tractentur. Ceterum, dum neque miniſtrantur, neque ſuſcipiuntur, non apparet ratio cur dicendum ſit, eadem indigne tractari.

XI. Quodnam peccatum ſit ſacrilegium inquirunt Theologi: & omnes fatentur, genere ſuo letale eſſe; eoque gravius, quo ſanctior eſt res ſacra quæ violatur. Veniale poteſt eſſe aut ob materiæ parvitatem, aut propter inconſiderationem. In confeſſione ſemper exprimenda eſt circumſtantia ſacrilegii.

XII. Pœnæ conſtitutæ in ſacrilegos duplicis ſunt generis. Aliæ ſunt pecuniariæ, aliæ ſpirituales. Pœnæ pecuniariæ ante iudicis ſententiam non infliguntur. Pœnæ vero ſpirituales, in quas ipſo facto ſacrilegi incurrunt, ſunt ſequentes. Excommunicatio lata in Clericorum percuſſores; item in eos qui immunitatem eccleſiaſticam violant, bona Eccleſiæ uſurpant, tributa imponunt perſonis eccleſiaſticis, eaſque ad forum laicum deducunt; & tandem in eos qui effringunt Eccleſiæ ianuas ad res ſacras diripiendas. Aliæ pœnæ infligi valent iudicis arbitrio.

CAPUT III.

DE BLASPHEMIA.

Quid, & quotuplex ſit blaſphemia.

I. VArias blaſphemiæ definitiones tradunt Doctores, quæ tamen omnes in idem recidunt, eumdemque produnt ſenſum. D. Auguſtinus *Lib. II. de Mor. Manich. cap.* XI. prolixum habet de blaſphemia ſermonem, eamque his verbis deſcribit: *Eſt autem blaſphemia, cum aliqua mala dicuntur de bonis. Itaque iam vulgo blaſphemia non accipitur, niſi mala verba de Deo dicere.* Preſſius eam definit D. Thomas 2.2. quæſt. XIII. art. I. *Blaſphemia eſt derogatio divinæ bonitatis.* Idque bifariam accidit. Primum affingendo Deo quod nec habet, nec habere poteſt. Secundo ab eo removendo quo carere nequit. Hoc autem fieri poteſt vel intellectu tantum, vel ſimul etiam affectu pravo. Si corde dumtaxat fiat, erit blaſphemia cordis; ſi foras erumpat in verba, erit blaſphemia oris. Quando ſcelus iſtud mente ſolum concipitur, affingendo vel removendo aliquid a Deo modo dicto, opponitur confeſſioni fidei informi; ſi addatur improba cordis affectio, opponitur fidei caritate formatæ.

II. Advertendum ex Caietano *in comment. in hunc art.* tripliciter derogari di-

vinæ bonitati poſſe. Primo intellectu tantum, falſa de Deo opinando. Secundo addendo falſæ opinioni voluntatis deteſtationem. Tertio denique ſine falſa opinione exercendo ſolam deteſtationem voluntatis, ut fere accidit inter Chriſtianos. Deinde blaſphemia poteſt eſſe cum fide, & ſine fide; ſive ea verbum interius habeat adiunctum, ſive exterius. Poteſt enim quis, credens Deum omnipotentem, velle dicere ſecum, ut iniuriam Deo faciat, quod Deus non poteſt. Tandem peccatum infidelitatis opponitur fidei; blaſphemia vero oppoſita eſt confeſſioni fidei, non autem fidei ex genere ſuo. Blaſphemia proprie in verbis, ſecus in factis ſita eſt. Quod autem D. Paulus inquit ad Tit. I. *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant*; & D. Petrus Epiſt. II. cap. II. *Per quos via veritatis blaſphematur*, non exprimunt blaſphemiam preſſe acceptam.

III. Communis diviſio blaſphemiæ eſt in hæreticalem, & ſimplicem. Hæreticalis eſt quæ mentis aſſenſu Deo affingit aliquid, vel ab eodem quidquam illius quod illi convenit, removet: ut ſi quis effutiat, Deus eſt iniuſtus, non eſt omnipotens, non eſt bonus. Simplex eſt quæ abſque mentis aſſenſu, ſed ſola voluntatis pravitate aliquid Deo affingit, vel imprecatur: ut ſi quis dicat, Maledictus ſit Deus. Docere communiter Theologi ſolent, quod blaſphemia hæreticalis committitur adfirmando, & ſimpliciter imprecando. Verum adverte, quod blaſphemia minime eſſet hæreticalis, ſi quis diceret, Deus eſt iniuſtus, quando interiore mentis aſſenſu id minime crederet. Ad hæreſim enim requiritur actus intellectus cum pertinacia. Forum exterius reum hæreſis talem damnaret: quia reapſe exterior prolatio hæreticalis eſt; & de internis iudicium eſt ſoli Deo reſervatum. Vix tamen accidere ſolet, niſi per ſubreptionem, quod hæ propoſitiones adfirmantes, *Deus eſt iniuſtus, eſt inſipiens*, ſint abſque mentis aſſenſu. Ideo ſicuti natura ſua hæreticæ ſunt, ita fere ſemper hæreticales ſunt, & abſolute ſemper ceu hæreticales reputandæ ſunt ab illis qui eaſdem audiunt. Itaque, quando blaſphemia eſt cum falſo mentis aſſenſu tantum, habet comitem hæreſim; quando eſt cum voluntatis deteſtatione tantum, imprecando, optando Deo malum, habet adiunctum odium; quando demum coniungitur cum falſa mentis aſſenſione pravus voluntatis affectus, tunc eſt blaſphemia omnium ſceleſtiſſima. Prima opponitur fidei, ſecunda caritati, tertia fidei ſimul, & caritati.

IV. Dividitur rurſus blaſphemia in eam quæ eſt in Deum, & in eam quæ eſt in Sanctos. Illa immediate Deum, hæc Sanctos ſpectat. Inſuper alia eſt *enuntiativa*; ut ſi quis dicat, *Ad iniuriam Dei hoc volo facere*: alia *deteſtativa*; ut ſi dicas, *Pereat Deus*: alia *irriſoria*; ut illa, *Vah qui deſtruis templum Dei*: poſtrema *iniuriatoria*; ut dum quis blaſphemando iurat, *Pereat Deus, ſi ita non eſt*.

V. Quæſt. I. *Differt ne ſpecie blaſphemia in Deum ab ea quæ eſt in Sanctos?* Reſp. Negant Salmanticenſes *tractat.* XXI. *cap.* III. *punct.* 10. *num.* 124. pro qua ſen-

ſententia laudant Caietanum, Bannez, Dianam, Sanchez, Azorium, Bonacinam, & alios. Rationem aſſignant, quod blaſphemia peccatum ſit religioni oppoſitum. Religio una eſt. Ergo una blaſphemiæ ſpecies. Id confirmant paritate iuramenti, quod unius ſpeciei eſt, ſive per Deum, ſive per Sanctos iuretur.

VI. Oppoſita ſententia mihi eſt probabilior. Nam, licet una ſit virtus religionis, plura tamen vitia ſpecie diſtincta eidem opponuntur. Porro quod præfatæ duæ blaſphemiæ ſpecie differant, ex definitione ipſius blaſphemiæ evincitur. Siquidem blaſphemia eſt derogatio bonitatis divinæ. Porro divina bonitas haud eſt univoca Deo, & Sanctis; quin bonitas quæ eſt in Deo, pluſquam genere differt a bonitate quæ eſt in Sanctis. Illa infinita eſt, hæc finita; creata hæc, increata lla; cauſſa illa, effectus hæc. Præterea blaſphemia opponitur honori, & cultui qui debetur perſonæ in quam blaſphemia iactatur. Sed cultus Dei pluſquam ſpecie differt a cultu omnium creaturarum. Cultus Dei eſt latriæ, cultus Sanctorum eſt duliæ, & B. Virginis hyperduliæ. Porro hi cultus pluſquam ſpecie differunt. Ergo & blaſphemiæ. Tandem definitio blaſphemiæ per ſe primo convenit iniuriæ quæ Deo irrogatur, & ſecundario iniuriæ quæ ſit reliquis Sanctis. Hanc defendunt P. Paulus Comitolus *Lib. IV. quæſt.* IX. Leander *tract.* I. *quæſt.* XIX. ubi pro eadem laudat Sanchez, Aragon, Hurtadum, & alios.

VII. P. Suarez *Tom. I. de Relig. tract.* III. *Lib. I. cap.* VI. *num.* 19. peroptime addit, quod ut ut res iſta ſit, id verum habet in confeſſione explicandum eſſe, fuerint ne blaſphemiæ in Deum, in Virginem, vel in Sanctos. Hoc fatentur etiam laudati Salmanticenſes *loc. cit. num.* 125 cum Sanchez, Bonacina, & aliis. Quare ferenda non eſt nimia laxitas P. Thomæ Tamburini hæc ſcribentis Lib. II. Meth. Confeſs. cap. III. *Quamvis probabilius ſit cum Suarez, & Sanchez, blaſphemias contra Deum, contra Beatiſſimam Virginem, & contra Sanctos, differre ſpecie; tamen, cum probabile ſit ex Azorio apud Dianam non differre, ſatis erit, ſi in confeſſione aperiatur numerus blaſphemiarum; nec explicare opus erit &c. fuiſſe contra Deum, vel Beatiſſimam Virginem, vel contra Sanctos.*

CAPUT IV.

De gravitate blaſphemiæ, & de blaſphemiis ex habitu, & ira.

I. QUæſt. I. *Eſt ne blaſphemia genere ſuo peccatum mortale?* Reſp. Adfirmat communis ſententia. Siquidem blaſphemia opponitur divinæ bonitati, cuius eſt derogatio, & caritati in Deum. *Quæcumque* (inquit Angelicus 2. 2. quæſt. XIII. art. 2.) *caritati repugnant, ex ſuo genere ſunt peccata mortalia. Blaſphemia autem*

ſecundum genus ſuum repugnat caritati divinæ, quia derogat divinæ bonitati. Confirmat D. Thomas ſuam ſententiam ſacræ Scripturæ auctoritate: *Qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur*: Levit. cap. XXIV. Pœna autem mortis non infligitur, niſi ob mortale flagitium. Numquam ergo ex parte materiæ blaſphemia erit peccatum veniale, eo quod materia iſthæc parvitatis gradus minime excipiat; quamquam blaſphemia una in genere mortalis ſceleris gravior altera ſit. D. Auguſtinus *Lib. contra mendacium cap.* XIX. hæc de blaſphemia ſcribit. *Peius eſt blaſphemare quam peierare: quoniam peierando falſæ rei adhibetur teſtis Deus; blaſphemando autem de ipſo falſa dicuntur Deo. Tanto autem eſt quiſque inexcuſabilior, ſive periurus, ſive blaſphemus, quanto magis ea quæ peierando, vel blaſphemando aſſerunt, falſa noverunt eſſe, vel credunt.*

II. D. Ioannes Chryſoſtomus hom. XCV. in Pſalm. *Nihil magis impium quam adverſus Deum blaſphemia*: & in illud Apoſtoli, *Modico vino utere*, I. ad Tim. cap. V. *Blaſphemia nihil peius. Nullum gratiarum actioni par bonum*. D. Antoninus II. Part. tit. VIII. cap. VII. *Blaſphemia*, inquit, *eſt graviſſimum peccatum. Et ratio eſt ſecundum Thomam, quia blaſphemia opponitur confeſſioni fidei, & ideo habet gravitatem infidelitatis; & aggravatur, ſi ſuperveniat deteſtatio voluntatis; & adhuc magis, ſi prorumpat in verba, ſicut laus fidei augetur per confeſſionem, & dilectionem. Unde, cum infidelitas ſit maximum peccatum ſecundum genus ſuum, ita etiam blaſphemia. Unde & gloſſa Iſaiæ* XVIII. *dicit, quod omne peccatum blaſphemiæ comparatum levius eſt, & quantum quidem ad obiecta peccati gravius eſt quam homicidium: quia blaſphemia eſt directe contra Deum, homicidium contra proximum.*

III. Quæſt. II. *Eſt ne blaſphemia peccatum omnium maximum?* Reſp. Salmanticenſes *tract.* XXI. *cap.* III. *punct.* 10. *num.* 122. negant genere ſuo blaſphemiam eſſe peccatum graviſſimum; docentque eſſe levius hæreſi, odio Dei, & deſperatione. Et hanc opinionem contendunt eſſe D. Thomæ, atque Theologorum communem. Quid iudicio meo dicendum ſit, paucis aperiam.

IV. Blaſphemia perfecta, quæ errorem habet intellectus, & Dei odium, ſive divinæ bonitatis deteſtationem, eſt omnium maximum ſcelus: quoniam ſub hac conſideratione opponitur fidei, & caritati. Blaſphemia quæ oritur ex Dei odio, quamvis errorem hæreſis non includat, eſt hæreſi peior. Quippe propria eſt damnatorum, & opponitur caritati, ac laudi divinæ: caritas autem perfectior eſt fide informi. Poſtremo blaſphemia genere ſuo ipſa hæreſi gravior eſt. Quia licet non habeat falſam intellectus aſſenſionem, habet tamen pravam erga Deum voluntatem, & includit infidelitatem, eamque auget, ut docet D. Thomas art. 3. *Blaſphemia... habet in ſe gravitatem infidelitatis: & aggravatur peccatum, ſi ſuperveniat deteſtatio voluntatis; & adhuc magis, ſi prorumpat in verba; ſicut & laus fidei augetur per dilectionem, & confeſſionem. Unde cum infidelitas ſit maximum peccatum,*

ſe-

ſecundum ſuum genus, conſequens eſt quod etiam blaſphemia ſit peccatum maximum ad idem genus pertinens, & ipſum aggravans. Loquitur hic D. Thomas de blaſphemia ſecundum genus ſuum. Sententiam hanc defendunt D. Antoninus *loc. cit.* Navarrus *in Sum. cap.* XII. *num.* 82. Tabiena *verb.* Blaſphemia *num.* 5. Armilla *verb.* Blaſphemia *num.* 2. Comitolus *Lib. IV. quæſt.* IX. *cap.* V.

V. Quæſt. III. *Peccat ne qui ex inveterata conſuetudine, & habitu pravo blaſphemat?* Reſp. Laxitas quorumdam Caſuiſtarum in hac quæſtione horrorem ingerit. P. Thomas Tamburinus *Lib. II. in Decal. cap.* VI. *ſ.* 4. *num.* 17. hæc ſcribit. *Verba contra Deum in ebrietate, vel phreneſi, vel ex inadvertentia orta ex inveterata conſuetudine, blaſphemiæ nequaquam ſunt.* Idem docet *Lib. III. Meth. Confeſſ. cap.* III. *ſ.* 3. *num.* 22.

VI. Hanc Tamburini laxiſſimam opinionem exſcribit, & docet Leander a SS. Sacramento *tract.* I. *de iuram. diſp.* V. *quæſt.* XVII. his verbis: *Qui ex habitu blaſphemat abſque plena, & ſufficienti advertentia ad peccatum mortale, tunc non committit novum peccatum mortale, ſed ſolum peccavit in cauſa, quatenus non abſtulit conſuetudinem, ad quam advertit.* Laudat pro hac opinione Bonacinam, Filliucium, Toletum, Sanchez, Tamburinum, & alios.

VII. Quæſt. IV. *Peccat ne mortaliter qui inadvertenter blaſphemat, quique ita habitualiter diſpoſitus eſt, ut etiam ſi adverteret, blaſphemaret?* Reſp. Audi Leandrum *loc. cit.* ſumma, atque horrenda laxitate *probabilizantem*. Novæ adhibendæ ſunt voces ad inauditum exprimendum doctrinæ genus. *Probabilius* (nedum probabiliter) *reſpondeo, nec illum peccare mortaliter actu in propoſito caſu. Nam, ut quis actu peccet, novumque peccatum committat, non ſufficit quod ſit habitualiter diſpoſitus, & proclivis ad peccandum; ſed requiritur neceſſario quod actualiter, & in actu ſecundo ſit: quia Deus, inquit S. Auguſtinus contra Semipelagianos, non imputat nobis quod faceremus, ſi hoc vel illud occurreret; ſed quod actu facimus. Alioquin homines dediti luxuriæ, vel avaritiæ, qui data opportunitate conſenſum præbent his peccatis, ſemper actualiter peccarent; quod omnino eſt falſum.* Citat pro hac ſua laxa opinione Valentiam, Sanchez, Filliucium, Laimanum, Trullenchum & alios. Vide noſtram ſecundam Epiſtolam Theologico-Moralem, & Decretum S. Officii contra librum iunioris cuiusdam, continentem propoſitiones falſas & ſcandaloſas, quæ, ut ego quidem arbitror, ſunt illæ quæ propugnant tactus mamillares, & blaſphemias ex inveterata conſuetudine prolatas tamquam licitas.

VIII. Quis hæc legere, aut exſcribere valet, quin commoveatur, & excandeſcat? Vitio ne vertendum, ſi ut odium in ſimilia monſtra concitemus, verbis aliquantulum aſperioribus, amarulentiſque uſi fuerimus? Hæc quippe non tam confutatione quam deteſtatione reiicienda ſunt. Auctor iſte, ut ſuis laxitatibus velum obtenderet, patronum advocat Auguſtinum; & tanto Doctori tam monſtroſum er-

Digitized by Google

rorem impingere non erubeſcit. Quid iſthuc pertinet hæreſis Semipelagianorum de peccatis conditionatis? Hæccine bona fides in Patribus laudandis, nullo indicato nec verbo, nec loco? Sermo ne in præſens eſt de futuris conditionatis? Nonne quæſtio propoſita eſt de eo qui *actu* blaſphemat ex habitu inadvertenter? Qui ex inveterata libidine fornicatur inadvertenter, numquid a fornicationis reatu liber eſt? Quid ergo effutit, hinc conſequi luxuriæ deditum hominem ſemper actualiter peccare, quia data opportunitate conſenſum præberet? Anne dicimus nos, peccare actu illum qui ſpiritu blaſphemiæ animatus in blaſphemiam non erumpit?

IX. Paucis ergo quæſtiunculæ reſpondemus, reum eſſe blaſphemiæ qui ex habitu, per pœnitentiam non ſublato, ſeu retractato, verba profert blaſphema, quamquam inconſiderate, & inadvertenter. Quoniam inconſiderata blaſphemiæ prolatio voluntaria eſt in illa habituali diſpoſitione ad blaſphemandum, etiam ſi adverteret. Peccatum ergo haud eſt conditionatum, ſed abſolutum: & voluntarium adeſt indirectum, atque interpretativum, ut de ſchola loquuntur Theologi. Porro ad peccandum ſatis eſt voluntarium indirectum. Igitur qui aſſuetus eſt blaſphemiæ, nec conatur conſuetudinem evellere, peccat; quamvis non intelligat ſe blaſphemare. Siquidem qui habitu pravo devinctus eſt, eumque non deteſtatur, implicitam habet deliberationem. Peccat ergo peccatum mortiferum, quoties blaſphemat; tametſi ad blaſphemiam animum non advertat vel ob iracundiæ impetum, vel ob eiuſdem habitus propenſionem. Qui vero non eſt aſſuetus blaſphemare, ſi ex lapſu linguæ verbum proferat blaſphemum, ad ſenſum verborum non advertendo, ita quod ſi adverteret, certo talia verba non proferret; non peccabit, ſaltem graviter, quia tunc blaſphemia erit ſolummodo materialis. Quem habitus blaſphemandi pœnitet, quique laborat pro extirpanda conſuetudine, ſi nulla prævia cogitatione in blaſphemiam incidat, leviter tantum peccabit.

X. Quæſt. V. *Blaſphemia ioco prolata eſt ne peccatum mortiferum?* Reſp. Communis ſententia diſtinctione utitur. Si iocus non auferat a blaſphemia rationem contumeliæ, aut irreverentiæ in Deum, ſemper erit peccatum mortale. Si iocus eiuſmodi ſit, quod omnibus expenſis tollat a blaſphemia rationem convicii, & contumeliæ in Deum, tunc non erit peccatum mortale. Sic docet Leander *quæſt.* XIV. pro qua opinione citat *Caſtrumpalaum*, *Tamburinum*, *Baſſæum*, *Sanchez*, & alios.

XI. Inanis, futiliſque eſt mihi diſtinctio iſthæc. Anne iocandum, nugandumque cum Deo, & contra Deum eſt, ac ſolatii cauſſa in ipſum blaſphema verba eructanda? Qui fieri poteſt ut iocus blaſphemiam exuat omni contumeliæ, conviciique reatu in maieſtatem divinam? Quin iocus non minuit, ſed auget blaſphemiæ iniquitatem: etenim mea ſententia qui deliberato animo ioci cauſſa blaſphema ver-

Digitized by Google

verba profert, peius peccatum peccat quam qui ex ira, aut alia paſſione blaſphemat. Quid quippe ſceleſtius in mentem venire poteſt quam ſola iocandi gratia infinitam Dei maieſtatem verbis blaſphemis, & contumelioſis conſcindere? Quid vero a ratione tam alienum quam dicere, blaſphemias, & convicia in Deum, quia ioco prolata, culpæ reatum minuere? Hæc mihi vera ſunt, dum quis deliberato animo veram blaſphemiam in Deum contorquet. Secus dicendum, dum quis verba profert, quæ, licet preſſe accepta blaſphemiam redoleant, iuxta tamen ſenſum communem blaſphema non ſunt; ut dum homines aliquam feminam *deam*, ſuamque *divam* appellant. Quamvis enim attribuere creaturis quod Deo tantum convenit, blaſphemia ſit enormis; eiuſmodi nihilominus locutiones tamquam hyperbolicæ ab omnibus habentur, nulloque modo blaſphemiæ reputantur. Ab eis tamen abſtinendum hominibus eſt, eoſque pudere deberet infimum omnium rationalium animal tali nomenclatura inſignire.

XII. Aliam Leandri laxitatem confutare iuvat, potiſſimum quia eam ipſam affingit D. Thomæ. Hæc porro ſcribit Auctor iſte quæſt. XVI. *Si vero blaſphemet aliquantulum, iudicium rationis ſequendo, non tamen plenum, & omnino deliberatum, tunc peccabit, ſed ſolum venialiter, etiam caſu quo indeliberatio orta fuerit ex cauſa iniuſta, & illicita, Sic Navarrus ex S. Thoma 2. 2. quæſt. XIII. art. 2.* Leander imponit tum Navarro, tum D. Thomæ. Navarrus quippe loquitur de eo qui ex ira, omnem prævertente rationem, blaſphemat, & pro hac opinione laudat D. Thomam; ſecus de eo qui advertens aliquo modo ſe blaſphemare, reprimere linguam negligit: tunc enim ob negligentiam reprimendi linguam, advertendique in re adeo gravi, & ob defectum auferendi cauſſam illicitam inconſiderationis, graviter peccat, ut dictum ſupra eſt.

C A P U T V.

De variis blaſphemandi formulis in Deum, & Sanctos.

I. Iurare ſerio per falſos deos, per Iovem, per Mercurium &c. blaſphemia eſt; quia cultus Deo ſoli, aut Sanctis propter Deum debitus, tribuitur falſis diis, & dæmonibus. Qui vero ioci cauſſa, & animo deridendi, non colendi falſos deos, iurat per Iovem, non blaſphemat, nec culpam perpetrat. Blaſphema verba ſunt illa quibus fides, ſeu ea quæ fide divina credenda ſunt, negantur; ut, dum quis dicit: *Renego Deum, ſacramenta, Mariæ virginitatem* &c. Blaſphemiæ quoque ſunt eæ omnes quæ derogant divinæ omnipotentiæ; ut dum quis effutit, *Velit, nolit Deus, hoc fiet*; vulgo, *al diſpetto di Dio*. Laudare Deum verbis obſcœnis,

nis, aut per Chriſti, Sanctorumque membra pudenda iurare, blaſphemiæ ſunt. Iurare vero per membra honeſta Chriſti, ut per caput, per corpus, non eſt blaſphemia. Et quia Chriſtus Deus eſt, abſolute iuramenta Chriſtianorum, *per caput*, *per corpus Dei*, non ſunt blaſphema: quia ſciunt, creduntque Chriſtum eſſe Deum. Attamen, quia ſcandali plena ſunt eiuſmodi iuramenta, potiſſimum infidelibus; & quia vix umquam eiuſmodi præciſiones fiunt ab iis qui iurant; ideo ſeveriſſime increpandi ſunt eiuſmodi iuratores, arcendique a ſacramentis, donec ſeſe emendaverint. Maxime vero tamquam blaſphemi habendi illi ſunt qui indignabundi exclamant, *O ſangue di Dio! o corpo di Dio!* Et quamquam Caſuiſtæ diſtinguant indignationem in Deum ab ea quæ eſt in hominem quem alloquuntur iurantes; & quod in primo, ſecus in ſecundo caſu blaſphemia ſit: attamen mihi certius eſt quod abſolute eiuſmodi iuratores, tamquam blaſphemi, habendi ſint. Quod etiam docet P. Suarez *Tom. I. de Relig. tract.* III. *Lib. I. cap.* VI.

II. Blaſphemia itidem eſt diabolum enuntiare omnipotentem, aut ſanctum. Amatam puellam deam vocitare, ut iam diximus, communiter non eſt blaſphemia: quia reapſe deitas eidem non tribuitur: indignæ tamen locutiones iſtæ ſunt. A blaſphemiæ quoque reatu immunia ſunt hæc verba: *Sub hoc fato natus ſum: ſic erat in fatis: ſic futurum erat*: quia modus loquendi eſt minime negans contingentes eventus, nec neceſſitatem abſolutam inducens; ſed ſenſus communis eſt quod ſic a Deo conſtitutum erat ut eveniret, indemni permanente libertate humana. Blaſphema non ſunt eiuſmodi verba: *Poter di Dio*, *Poſſanza di Dio*, *Può far Dio*: quia homines hæc enuntiantes verba, non deridet, ſed admirantur Dèi potentiam. Negant quoque plures hanc eſſe blaſphemiam: *Al diſpetto di quel becco che mi mantiene, e mi ſoſtiene al mondo*: quod latine dicitur: *Invito illo hirco qui me alit, ſuſtinetque in hoc mundo, ſic agam*. Verum mihi hæc indefinita locutio vehementem ingerit præſumptionem blaſphemiæ: qui enim abſolute homines nutrit, & conſervat in mundo, ſolus Deus eſt.

III. Quæſt. I. *Sunt ne blaſphemiæ eiuſmodi locutiones: Non credo Deum, Nego Deum, Crucem, Evangelia, ſacramenta, ſi ita non eſt?* Reſp. Negat Tamburinus *Lib. II. in Decal. cap.* VI. *§.* 4. *num.* 22. Sed ſententia adfirmans communis eſt, & vera: quia negatur exiſtentia Dei in præſentia, licet ſub futura conditione; quæ conditio tamen non afficit negationem, ſed rem futuram. Blaſphemi quoque ſunt qui iurant per vitam Dei, vel Sanctorum, inquientes: *Pereat Deus, ſi ita non eſt*. Dum tamen dicunt, *Per vitam Dei ſic eſt*, ſecundum aliquos non blaſphemant, nec iuramentum execratorium, ſed aſſertorium pronuntiant; quemadmodum non blaſphemat qui dicit, *Vivit Deus*. Verum, ſicuti in foro exteriori eiuſmodi iuramenta ut blaſphema iudicantur; ita in foro quoque interiori cenſenda ſunt, niſi expreſſa intentio iurantis conſtet quod nec Deo optet vitam, ſciens eſſe immutabi-

bilem; nec in diſcrimen illam adducat, quaſi capax ſit pereundi. *Vivit Deus* formula iurandi eſt in Scripturis adhibita, nec blaſphemiam ullam includit. Eiuſmodi vero formulæ, *Hoc ita verum eſt ſicut Evangelium, ſicut Deus, ſicut Chriſtus natus eſt ex Virgine*, non ſunt blaſphemiæ ſecundum aliquos Caſuiſtas, qui iurantis intentionem obtrudunt. Verum perperam opponitur intentio, quando locutiones obvium blaſphemum ſenſum natura ſua offerunt. Porro recenſitæ formulæ reapſe blaſphemæ ſunt: æquant enim creatam veritatem divinæ veritati; & quod proprium Dei eſt, creaturæ tribuunt. Blaſphemiæ hæreticales ſunt eiuſmodi verba: *Per corpus Dei Patris: Per eius barbam: Per alas Spiritus ſancti*. Res clara eſt.

IV. Quæſt. II. *Qui falſum iurat, eſt ne blaſphemus?* Reſp. Adfirmant aliqui. Sed contraria ſententia vera eſt, quam tradit D. Thomas 2. 2. quæſt. XIII. art. 3. ad 2. *Qui peierat, non dicit, aut ſentit aliquid falſum de Deo, ſicut blaſphemus; ſed Deum adhibet teſtem falſitatis, non tamquam æſtimans Deum eſſe falſum teſtem, ſed tamquam ſperans quod Deus ſuper hoc non teſtificetur per aliquod evidens ſignum*.

V. Quæſt. III. *Qui eodem impetu iracundiæ profert plures blaſphemias, unum ne, an multiplex peccatum committit?* Reſp. P. Leander de more abſolute probabilius aſſerit, hunc blaſphemum iratum unum duntaxat perpetrare peccatum: laudatque plures Auctores, & tandem concludit: *Vide de hac materia ſapientiſſimum, & amiciſſimum Amadeum Guimenium tract. de pœnit. prop. 7.* Viden' Caſuiſtarum eloquentiam in reciprocis elogiis? Libellum extollit P. Leander laxitatibus, erroribus, impoſturiſque plenum, toties a ſancta Sede anathemate lato confixum. Ad quæſtionem reſpondeo, expendendas eſſe circumſtantias temporis, perſonæ, conſuetudinis blaſphemandi. Si enim ira ſit diuturna, puta per quadrantem, in quo blaſphemus valeat advertere, poſſitque, ſi velit, iram comprimere; quis ambigit plura eſſe peccata? Verum quæſtio iſthæc levioris momenti eſt. Pro praxi enim ſatis eſt ut blaſphemus explicet temporis diuturnitatem, animi furentis impetus blaſphemos, & conſuetudinem blaſphemandi.

CAPUT VI.

De pœnis in blaſphemos conſtitutis, & de eorum iudicibus.

I. IN veteri lege capitis pœna plectebantur blaſphemi. *Qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo, ſive ille civis, ſive peregrinus fuerit*. Lev. XXIV. Pariter ius civile commune ultimo ſupplicio puniendos blaſphemos omnes decernit. Quamvis leges iſtæ, ad hanc quod attinet ultimam capitis pœnam, deſuetudine evanuerint; tamen regna, & princi-

pa-

patus omnes graviſſimis ſuppliciis plectere blaſphemos ſolent. Alicubi plebeii blaſphemi primum vapulant verberibus, poſt ferro candenti eorum labia ſignantur, tertio linguæ illorum præciduntur. Alibi publicæ deriſioni, & infamiæ blaſphemi exponuntur. Ius canonicum *cap.* Statuimus *de maledictis*, blaſphemos ſeptem diebus dominicis ante fores Eccleſiæ adſtare iubet, dum ſacra peraguntur, ultimoque die dominico, pallio poſito, nudis pedibus, ligatos corrigia circa collum, publico aſpectui ſeſe exhibere; & ſeptem ſextis feriis, antequam ingrediantur Eccleſiam, in pane, & aqua ieiunare. Quæ ſi præſtare neglexerint, & viventes ab ingreſſu Eccleſiæ prohibeantur, & poſt obitum eccleſiaſtica ſepultura priventur. Concilium Lateranenſe *ſeſſ.* IX. *cap. Ad abolend.* Clericos blaſphemos prima vice unius anni fructuum beneficii mulcta plectit: poſtea eos a beneficio repellit: tandem eoſdem inhabiles declarat ad eccleſiaſticos quoſcumque proventus. Laicis vero nobilibus prima vice viginti, ſecunda quinquaginta ducatorum mulctam imponit, poſtremum nobilitate deiectos pronuntiat. Plebeii qui bis blaſphemaverint, ante fores Eccleſiæ, ignominioſa mitra capiti impoſita, adſtare debent. Si vero aſſueti blaſphemiis fuerint, ad triremes, aut carceres damnantur.

II. Quæſt. I. *Qui blaſphemos audit, aſtringitur ne eoſdem ad iudicem deferre?* Reſp. Affirmat communis ſententia: idque præcipiunt & Iulius III. in ſua conſtitutione, cuius initium eſt *In multis*, & Concilium Lateranenſe *loc. cit.* his verbis: *Quicumque blaſphemantem audierint, eum verbis acriter obiurgare tenentur, ſi citra periculum ſuum id fieri poſſe contingat; eumque deferre, vel notificare apud iudicem eccleſiaſticum, vel ſæcularem intra triduum debeant; quod, ſi plures dictum blaſphemantem ſimul audierint, ſinguli eum accuſare teneantur; niſi forte omnes convenerint, ut unus pro cunctis tali officio fungatur.* Plura hic dicenda occurrerent ſuper hac denuntiatione; quæ tamen lubet ad alium locum remittere. Illud dumtaxat urgebo, cuique mandatam eſſe fraternam correctionem; atque, ſi hæc ſatis non ſit, dicendum Eccleſiæ. Correctionem ſæpius omittimus vel ob profectus deſperationem, vel carnalis prudentiæ obtentu. Prudentia opus eſſe non inficior in corrigendis fratribus; ſed ſimul cavendum moneo ne amor terrenarum rerum, mundani reſpectus, & commoditatum rationes larvam induant chriſtianæ prudentiæ. Si audis blaſphemum ira percitum, poſt ſedatam iram illum corripe. Aliquando correctio illico fieri debet, blaſphemantis qualitate inſpecta. Si blaſphemiæ hæreticales fuerint, iudici legitimo denuntiandi ſunt, ut pontificiis præceptis fiat ſatis. Iudices porro hæreſum aut Inquiſitores ſunt, aut Epiſcopi. Verum de hoc plura ſuo loco.

III. Quæſt. II. *Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum blaſphemis?* Reſp. Si blaſphemiæ ſint ſimplices, ab eiſdem valet Confeſſarius pœnitentem abſolvere: quia præfatæ blaſphemiæ communiter non ſunt reſervatæ. Poteſt tamen Epiſcopus

Digitized by Google

pus has quoque blaſphemias ſimplices reſervare; qua reſervatione poſita, nequiret Confeſſarius abſolutionem impertiri.

IV. Blaſphemia quandoque exterius eſt hæreticalis, quatenus verba prolata hæreſim produnt; & tamen blaſphemus nullum internum errorem, dum eam evomuit, in mente habuit: ideo in hoc caſu communis ſententia docet, in foro interiori poſſe Confeſſarium regularem abſolvere pœnitentem, ſicut a ſortilegio, a magia, a maleficio; dummodo error in mente non fuerit. Qua de re vide Salmanticenſes *tract.* XXI. *cap.* III. *punct.* 10. *num.* 131. Verum de hoc in tractatu de pœnitentia.

V. Quæſt. III. *Quam pœnam imponere Confeſſarius blaſphemis pœnitentibus debeat?* Reſp. Concilium Lateranenſe ſtatuit, blaſphemos abſolvendos non eſſe, niſi graviſſima pœnitentia a Confeſſariis impoſita. Hæc ſunt verba Concilii *ſeſſ.* IX. *§.* Ad abolendam: *In foro pœnitentiæ nemo blaſphemiæ reus abſque graviſſima, ſeveri Confeſſarii arbitrio iniuncta, pœnitentia poſſit abſolvi*. Reſpondent recentiores Probabiliſtæ, hoc decretum haud eſſe uſu receptum. Idque verum habet. Si enim graviſſimis pœnis ſubiicerentur blaſphemi, ut Concilium præcipit, & æquitas iudicii poſtulat; non adeo frequenter ſanctum Dei nomen blaſphemaretur. At, quia Confeſſarii non pauci, ſicut a ceteris flagitiis, ita a blaſphemiarum criminibus, levi iniuncta ſatisfactione, fictos pœnitentes abſolvunt; ideo ſcelera cuiuſque generis graſſantur, atque inundant terram omnem. Verum aliud eſt quod decretum præfatum non ſit uſu receptum, ſeu quod reapſe Caſuiſtæ, & Confeſſarii non pauci iuxta illius præſcriptum ſeveriſſimas pœnitentias blaſphemis minime imponant: aliud eſt quod decretum illud obſoleverit. Hoc nos negamus contra Leandrum *diſp.* V. *quæſt.* LXVI. Salmanticenſes *tract.* XXI. *cap.* III. *punct.* 10. *num.* 132. Caſtropalaum *diſp.* II. *punct.* 2. *§.* 3. *num.* 2. Sanchez *Lib. II. in Decal. cap.* XXXII. *num.* 44. alioſque plures. Si ab his quæras, cur hoc decretum non vigeat, non ſervetur; reſpondent, quia non eſt uſu receptum. Hæc eſt unica eorum ratio: quæ ſi conſiſteret, actum eſſet conclamatumque de omnibus legibus, quæ uſu, ſeu executione a tranſgreſſoribus non recipiuntur. Nonne quo gravior eſt Dei offenſa, eo gravior eſſe debet pœnitentia, & ſatisfactio? Nonne Tridentinum Concilium præcipit, ut pro criminum qualitate pœnitentiæ iniungantur? Cum blaſphemia ſit graviſſimum ſcelus; cur blaſphemis hominibus graviſſima pœnitentia, ut Concilium iubet, imponi non debet? Lex cum divina, tum naturalis hanc proportionis æqualitatem præſcribit. Vides, chriſtiane Lector, quo tendat benignitas Caſuiſtarum? Præſcriptioni, & deſuetudini obnoxias facit vel ipſas divinas, naturaleſque leges. Apage tam crudelem benignitatem. Caveant ergo Confeſſarii abſolutionem impertiri, quin dignis pœnis pœnitentes blaſphemos ſubiiciant.

VI. Quæſt. IV. *Qui conſuetudine blaſphemandi tenentur, debent ne abſolvi, antequam a conſuetudine prava receſſerint?* Reſp. Affirmat de more Leander *diſp.* V.

quæſt.

quæſt. lxvii. probabilius ſibi eſſe abſolvendos blaſphemos, ſi vere de peccatis doleant, tametſi ſæpius admoniti non reſipuerint: & pro hac ſua opinione laudat *Sanchez*, *Caſtropalaum*, *Hurtadum*, *Trullenchum*, & alios. Quam ſit opinio iſthæc laxa, nemo non videt. Laxitatis notam omnem ſe effugere credunt, dum dicunt: Si *vere* de perpetratis blaſphemiis doleant. At, quo fundamento præſumere potes, pœnitentem ſincero affici dolore, ſi, repetita admonitione ſpreta, ad meliorem frugem minime ſe recepit, nullumque emendationis argumentum exhibuit? Reputet ergo ſerio Confeſſarius, quo ſtudio, qua induſtria, & diligentia blaſphemi cohibere linguam curaverint. Perpendat, num executioni mandaverint remedia quæ blaſphemis pro emendatione ab aliis Confeſſariis præſcripta fuerunt. Si profectum, ſi ſtudium emendationis in pœnitente perſpexerit, abſolvere eum poterit. Si ſecus, differat abſolutionem, & remedia, quibus a blaſphemiis ſe abſtineat pœnitens, rurſus iniungat. Inveterata conſuetudo momento temporis extirpari penitus nequit. Paullatim ergo debet infringi, & interrumpi, ut tandem, diligentia maxima adhibita, omnino evellatur. Eleemoſynam, ſi conditio pœnitentis permittat, toties faciendam ſtatim præſcribat, quoties ipſum blaſphemare contigerit; vel tot cruces lingua ſuper nudam humum ſignandas, aliamve ſimilem, aut aſperiorem pœnitentiam imponat. Hac via ſi pœnitentes vere doleant, cito ſeſe emendabunt: ſic unius, aut alterius hebdomadæ ſpatio ſeſe emendatum quiſque reperiet. Recenſita Leandri, & aliorum ſententia proſcripta eſt ab Innocentio XI. in hac propoſitione: *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, licet emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt deneganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat, ſe dolere, & proponere emendationem*. Iuniores Caſuiſtæ noſtri, ut conſulant laudatis Theologis, de more clamitabunt aut ab aliis etiam Theologis ſimilia doceri (quod ſi verum eſt, & illi reiiciendi ſunt] aut minus ſincere iſtorum opiniones relatas eſſe. Quam cantionem valde rancidulam pluries ut ridiculam propulſavimus.

VII. Verum plura de hoc, dum de occaſione proxima ſermo erit. Ea nunc indicabo quæ docet Comitolus *Lib. IV. cap.* ix. *quæſt.* ix. Primum pœnitentes ſuos blaſphemiis in Deum, & in B. Virginem aſſuetos, triginta, quadraginta, quinquaginta vicibus plus minuſve, genibus flexis & nudis, terra tacta, recitare cogebat ille ſeptem pſalmos pœnitentiales, & litanias cum precibus. Præcipiebat eoſdem decies a Deo, & B. Virgine, Sanctiſque veniam ſupplices petere: decies ſingulis diebus crucem lingua deſignare in terra, pectuſque decies percutere. Hæc, & ſimilia blaſphemis imponere Confeſſarii poterunt, ut blaſphemos a blaſphemandi conſuetudine exſolvant. Si divites ſint, pro ſingulis blaſphemiis, aut periuriis viginti ſolidos in eleemoſynam dare iubeant. Si pauperes, viginti crucibus lingua in terra deſignatis, ad tot preces recitandas obligent. His aut ſimilibus modis adverſus peſſimum blaſphemandi vitium erit aliquo pacto conſultum.

L I-

Digitized by Google

LIBER QUARTUS
IN DECALOGUM.
DISSERTATIO PRIMA
DE VOTO.
PROOEMIUM.

VOTA quæ Deo homines nuncupant, ad primum Decalogi mandatum attinent. Votorum ſanctitas, ac pietas ſuapte natura perſpicuæ ſunt. Colitur quippe Deus votis noſtris, & de acceptis beneficiis grati animi noſtri argumenta exhibentur. Modo ad impetrandam divinam clementiam, gratiaſque obtinendas; modo ad deliniendam, placandamque iuſtitiæ ſeveritatem vota noſtra Deo offerimus. Hæc ſunt præcipua chriſtianæ religionis officia, ac ſervitutis noſtræ erga Deum argumenta. Inſita eſt animis noſtris hæc propenſio, aut in calamitatibus divinum auxilium votis implorandi, aut pro beneficiis acceptis ad divinæ maieſtatis gloriam votorum tabellis templa ornare. Antequam Deus ſcriptam legem nobis traderet, Patriarcha Iacob vota ſua Deo obtulit. *Votum vovit dicens: Si fuerit Deus mecum* &c. Gen. XXVIII. Vates Iſaias, ceu inſignem populi Dei prærogativam, votorum immolationem deſcribit dicens: *Colent eum in hoſtiis, & in muneribus; & vota vovebunt Domino, & ſolvent:* cap. XIX. Quid quod ipſe Marcus Tullius frequentia Paganorum vota, & tabellas, quas in templis deorum appendebant, aut qui naufragio evaſiſſent, aut qui inſigne aliquod beneficium obtinuiſſent, indicat? Atque hinc deorum colligit providentiam, mundique gubernationem. Sic enim Diagoram amicum alloquentem inducit: *Tu, qui deos putas humana negligere, nonne animadvertis ex tot tabellis pictis, quam multi votis vim tempeſtatis effugerunt, in portumque ſalvi pervenerunt?* Lib. III. de nat. deor. ſub finem.

De votis ergo tractationem hoc in Libro ſuſcepturus, difficultates omnes expendam quas Theologi diſcutere ſolent. Vota monaſtica indicta in præſens prætereo, eaque ad tractatum de ſtatu religioſo remitto. De votis ergo generatim acceptis ſermo erit.

CA-

CAPUT I.

Hæreticorum errores adverſus vota.

I. PRimi inter hæreticos, qui vota damnarunt, appellantur *Lamperiani*. Hi vota omnia reiiciebant, eo quod illa neceſſitatem, & coactionem inferre hominibus effutiebant. Hanc impietatem diu conſepultam effoderunt *Pſeudoapoſtoli*, quibus manus porrexit Ioannes VViclephus. Lutherus VViclephi diſcipulus impudentius magiſtris ſuis hæreſim hanc evulgavit. In vota tamen monaſtica præ ceteris ſuas evomuit blaſphemias. Idcirco, dum de illis ſermo erit, impia illius ſophiſmata refutabo. Ioannes Calvinus, qui & VViclephi, & Lutheri præcipuos errores adoptavit, ſuiſque propriis intermixtos auxit, & peſtilentiorem invexit hæreſim, *Lib. IV. Inſtit. cap.* XIII. adverſus votorum nuncupationem, quam temerariam vocat, calamum atra bile ſua, & impotenti livore tinctum acuit. In duas integrum caput partes tribuit; in quarum priore de votis in genere, in poſteriore de votis monaſticis agit. Sub initium luget, deploratque Eccleſiam, Chriſti Ieſu inæſtimabili ſanguinis pretio in libertatem vindicatam, ingenti votorum, ac traditionum pondere oppreſſam eſſe, & crudeli tyrannide dilaniatam. De more in Catholicos contorquet improperia viliſſima, ſcurrilia dicteria, commenta audaciſſima, quæ ſtili elegantia, & eloquentiæ, qua inique abutitur, floribus reſpergere conatur. Sed quo eſt in dictionis ſuæ cortice politior, eo eſt in veritatis inveſtigatione dementior. Modo vota omnia improbat, modo nonnulla ſuſcipit: nunc vota temere emiſſa tantum, nunc etiam quæ caute, & deliberato animo fiunt, damnat. Eo tamen conatus ſuos collineat, ut Catholicorum vota omnia ad ſuperſtitionem, & idololatriam amandet. Pauca delibabo ex multis quæ ſcribit, ut ipſiuſmet doctrina, & verbis impudentiæ, ac cæcitatis ipſum revincam.

II. Itaque *num.* 4. *loc. cit.* inquit Calvinus. *Vini abſtinentiam ſi ita voves, quaſi in ea ſubſit aliquid ſanctimoniæ, ſuperſtitioſus es; ſi in alium finem non perverſum reſpicis, nemo poteſt improbare.* Quis eſt, ſaltem Chriſtianorum, qui in vini abſtinentia quidquam ſanctimoniæ recognoſcat, optimo quovis alio fine ſublato? Abſtinent Turcæ vino, abſtinent plurimæ aliæ nationes, vini carentia cogente. Nemo dixerit, abſtinentiam vini ſanctimoniam continere: nemo ſaltem ſanæ mentis eam vovet, quaſi in ea aliquid ſanctitatis ſubſiſtat. Sed qui eam vovet Deo, eam veluti medium aſſumit, quo & propriam comprimat concupiſcentiam, eamque ſpiritui ſubiiciat; & ſecurius ſe diſponat ad legem Dei ſervandam, atque facilius uberiuſque a Deo auxilia cæleſtia, quibus ſuos coercere appetitus poſſit, obtineat. Huc ſpectant Catholicorum vota. Quid itaque hæreſiarcha calumniatur Ca-

Catholicos Deo abſtinentias, & ieiunia voventes? Non in ieiuniis ſanctimoniam agnoſcimus; ſed ieiunia ad animæ ſanctimoniam comparandam adhibemus. Ieiunia, ſi in Dei gloriam dirigantur, ſi theologicis virtutibus, caritate potiſſimum, animentur, ſancta dicimus: quia inſtrumenta ſunt quibus animæ ſanctitas vel acquiritur, vel augetur. Quid iſthic ſuperſtitionis?

III. Quatuor votorum genera diſtinguit Calvinus, quorum duo præteritum tempus reſpectant, quibus vel noſtrum erga Deum gratum animum pro acceptis beneficiis teſtamur, vel ob perpetrata delicta ipſi a nobis pœnam exigentes, divinam vindictam emollire ſtudemus. Priora gratiarum actionis, poſteriora pœnitentiæ exercitia etiam vocat. Alia duo tempus futurum inſpiciunt, nempe quibus aut cautiores reddimur circa malum commiſſum, aut ad bonum excitamur. *Quæ in futurum tempus* [inquit num. 5.] *conferuntur vota, partim eo tendunt ut reddamur cautiores, partim ut quibuſdam veluti ſtimulis ad officium excitemur. Videt aliquis ſe adeo proclivem eſſe in certum vitium, ut in re alias non mala ſibi temperare nequeat, quin protinus in malum delabatur: nihil abſurdum faciet, ſi eius rei uſum ad aliquod tempus ſibi voto præcidat. Quemadmodum, ſi quis periculoſum ſibi eſſe hunc, vel illum corporis ornatum agnoſcat, & tamen cupiditate illectus vehementer appetat; quid melius faciat, quam ut frenum ſibi iniiciendo, hoc eſt neceſſitatem abſtinendi imponendo, ſeſe omni dubitatione liberet? Similiter, ſi quis vel obliviosus ſit, vel piger ad neceſſaria pietatis officia, cur non ſuſcepto voto & memoriam expergefaciat, & pigritiam excutiat? In utroque ſpeciem eſſe pædagogiæ fateor; ſed eo ipſo quod ſunt infirmitatis adminicula, a rudibus & imperfectis non ſine utilitate uſurpantur. Proinde quæ ad unum ex his finibus reſpiciunt vota, præſertim in rebus externis, legitima eſſe dicemus, ſi modo & Dei approbatione ſint ſuffulta, & vocationi noſtræ conveniant, & ad facultatem gratiæ nobis a Deo datæ ſint limitata.*

IV. Hæc longius forte quam par erat referre volui, ut non aliunde quam ex ipſo Calvino argumenta repeterem, quibus illius maledicum obſtrueretur os adverſus Catholicorum vota. Cum enim ſub initium ſui capitis de votis quæ in catholica Eccleſia fiunt, ſermo illi eſſet, hæc protulit. *Porro, quo melius pateat graviſſimam perniciem ex votis invectam eſſe, principia iam ante poſita teneant lectores. Docuimus enim primum, quidquid ad vitam pie, ſancteque inſtituendam deſiderari poteſt, in lege eſſe comprehenſum . . . Hinc exoritur de votis dubitatio, quæ præter expreſſum Dei verbum fiunt, quo loco ſint habenda.* Dicat nunc nobis Calvinus, num expreſſo Dei verbo in Scripturis habeatur quod quis poſſit vovere abſtinentiam & ab epulis ſelectis, & a ſplendido ornatu. Dicat, ſi expreſſum Dei verbum ſit ut oblivioſi, & pigri vota ſuſcipiant, quibus, pigritia excuſſa, ſolertiores ſint in perſolvendis Deo debitis pietatis officiis. Dicat, unde ipſe cognoſcere valeat quod eiuſmodi vota Deo probata ſint, & vocationi congrua, & divinæ gra-

tiæ dono aptata. Sunt ne hæc omnia expreſſo Dei verbo definita? Si ait; quid ergo adverſus Catholicos obgannit, quod vanos votorum cultus Deo exhibeant, expreſſo Dei verbo repugnante. Si neget; quid ergo Catholicos carpit, quod ea Deo voveant quæ explicite in Scripturis non habentur? Quid plura? Si vota Deo diſplicerent, profecto nequaquam præciperet eorumdem obſervationem, quemadmodum reipſa præcipit Eccleſ. v. *Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis, & ſtulta promiſſio.* Item Pſal. xciv. *Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua.* Rurſus Pſal. lv. *Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea.*

V. Ut hæc apertiſſima teſtimonia eludant quoquo modo Lutherani, & Calviniſtæ, concedunt vota emitti ad tempus definitum poſſe, ſecus in perpetuum: quia, inquit Calvinus loc. cit. num. 6. *Si perpetuo voto te obſtrinxeris, aut magna moleſtia, tædioque ſolves, aut etiam diuturnitate fatigatus violare aliquando audebis.* Alteram prodit rationem, quod eiuſmodi vota perpetua repugnent chriſtianæ libertati: quo nihil dici poteſt inſulſius. Nam, ſi non repugnant vota temporaria Chriſtianorum libertati; cur repugnabunt perpetua? Cedo: ubi eſt in Scriptura expreſſum Dei verbum, quod licitum ſit Deo nuncupare vota temporaria, ſecus perpetua? Quin perpetuitas votorum vel ex ipſa Scriptura clariſſime colligitur. Votum enim perpetuum Anna Samuelis mater Deo dicavit. I. Reg. 1. *Cum eſſet Anna amaro animo, oravit ad Dominum flens largiter, & votum vovit dicens: Domine exercituum, ſi reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ.... dederiſque ſervæ tuæ ſexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius.* Quod votum adeo gratum Deo fuit, ut voventis petitionem continuo exaudierit. Si mater de filio votum perpetuum nuncupare Deo poteſt; quanto magis poteſt filius ipſe de ſe ipſo; cum plus iuris quiſque filiorum quam mater in ſemetipſum habeat? Ceterum, ut Calvini ſophiſma penitus convellatur, ſervitus peccati ea eſt quæ filiorum Dei libertati repugnat; ſecus ſervitus iuſtitiæ, & honeſtatis, ut inquit Apoſtolus Rom. vi. *Liberati autem a peccato, ſervi facti eſtis iuſtitiæ.* Libertas itaque novæ legis libertas eſt a peccatis, & a graviſſimo vitiorum iugo. Huic vero chriſtianæ libertati non modo non repugnant quæ nos Deo devinciunt; quin eamdem perficiunt, ut expreſſe ait Auguſtinus Lib. de quant. anim. cap. xxiv. *Hæc eſt vera, hæc eſt perfecta, hæc ſola religio, per quam Deo reconciliari pertinet ad animæ, de qua quærimus, magnitudinem, qua ſe libertate dignam fecit. Nam ille ab omnibus liberat cui ſervire omnibus utiliſſimum eſt, & in cuius ſervitio placere, perfecta ſola libertas eſt.* Vota quæ Chriſtiani omnes in baptiſmate etiam iuxta Calvinum emittunt, perpetua ſunt; & non idcirco chriſtianæ libertati officiunt. Matrimonii vinculum perpetuum eſt, & gravius quocumque voto; & nihilominus libertati per Chriſtum donatæ minime repugnat. Cur ergo repugnabit votum? Non intelligunt miſeri quod

Digitized by Google

quod ſervire Deo regnare eſt. Utique non raro & moleſtum, & laborioſum eſt reddere Deo vota nuncupata. Sed hoc evenit tum in temporariis, tum in perpetuis promiſſionibus. Quid quod Calvinus ipſe ſuadet emiſſionem votorum ad excutiendam pigritiam, ad calcaria iniicienda torpidæ voluntati? Contingere quidem poteſt in non paucis eorumdem violatio. Quid inde? Nonne prævidebat Chriſtus & difficultatem ſuæ legis, & innumeras eiuſdem tranſgreſſiones? Abſtinuit ne propterea ab illius promulgatione? Si difficultas ſervandæ promiſſionis, aut violandæ periculum abſterrere homines deberent a promittendo; nulla umquam pacta, nulla fœdera, nulla promiſſa fieri poſſent. Tandem, ſubdit Calvinus, vota Deo placere, & eſſe actus religionis, cum fiunt de rebus ab ipſo Deo præceptis; ſecus vota de rebus non præceptis. Ubique ſibi contradicit. Vota quæ ipſe concedit ut licita, de abſtinentia a vino, a lautitiis, & vota ad excutiendam pigritiam, & ſimilia, non ſunt de rebus præceptis. Vota quæ nuncuparunt Patriarcha Iacob, Anna, & plures alii in ſacra Scriptura recenſiti, non de rebus præceptis, ſed liberis fuerunt, ut legenti cuique conſtat. Et tamen hæc vota Deo placuiſſe, inde colligitur, quod eorum ſolutionem ſevere exigebat. Sed in re aperta amplius non eſt immorandum, eo vel maxime quod de his plura dicturi ſumus, cum de votis monaſticis ſermo recurret.

C A P U T II.

Recenſentur opiniones damnatæ, & laxiores nonnullorum recentiorum.

I. Inter propoſitiones Michaelis de Molinos proſcriptas ab Innocentio XI. Summo Pontifice duæ ſunt quæ votorum materiam ſpectant. Prima habetur num. 3. dictarum propoſitionum, eſtque ſequentis tenoris. *Vota de aliquo faciendo ſunt perfectionis impeditiva.* Altera eſt num. 64. *Præpoſitis obediendum eſt in exteriore, & latitudo voti obedientiæ Religioſorum tantummodo ad exterius pertingit. In interiore vero aliter ſe res habet, quo ſolus Deus, & director intrant.* Ambæ propoſitiones aperte repugnant ſancto Dei verbo. Capite ſuperiore oſtenſum eſt ex Iſaia cap. XIX. Deum coli hoſtiis, & votis. *Vota vovebunt Domino, & ſolvent.* Ex quo patet primæ propoſitionis damnatæ falſitas. Alteram quoque reprobat D. Paulus Hebr. XIII. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis: ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Si pro animabus rationem reddere præpoſiti debent, earumdem regimen, & cognitionem habeant neceſſum eſt. Sed de hoc plura ſuo loco. Nunc recenſendæ ſunt quædam opiniones aliquorum recentiorum, quæ nimis laxæ nobis videntur.

II. „ Num coniugatus impeditus ad petitionem debiti ob votum, aut inceſtum, „ aut cognationem ſpiritualem, poſſit petere, quoties vehementibus carnis ſtimulis „ agitur, ne periculo exponatur in gravia luxuriæ peccata labendi?.... Affirmati- „ vam ſequor, ſi ita vehementibus carnis ſtimulis coniugatus agitetur, ut proxi- „ mo periculo ſe exponat incidendi in peccatum fornicationis, vel aliud turpius, „ niſi debitum petat... quia cum ex obſervatione voti periculo proximo quis ex- „ ponatur incidendi in aliqua peccata luxuriæ intrinſece malæ, & tunc non ob- „ ſervatio voti (ſcilicet petere debitum a propria uxore) non ſit intrinſece ma- „ lum, manifeſtum eſt nec votum, nec obſervationem voti eſſe de re meliori &c. „ Hæc, & longe plura in hanc rem *doctiſſimus P. Quintanadvenas*.... Perdiffici- „ le mihi videtur nunc negare omnem practicam probabilitatem ſententiæ P. „ *Quintanadvenæ*....' Ita *expertiſſimus Caſiſta Gobat*, cui ego merito aſſentior. „ P. Patritius Sporer *tract.* III. *in* 2. *præcep. Decal. cap.* II. *ſec.* 2. *§.* 3. *num.* 65. *pag.* 234. Vide infra *cap.* V. *num.* 12.

III. „ An votum caſtitatis, vel Religionis, vel non nubendi factum ab eo cui „ ſalubrius eſt matrimonium ob incontinentiam, ſit validum, impediatque matri- „ monium licite iniri? Negativam ſententiam, videlicet neque eſſe validum tale „ votum, nec matrimonium impedire, ſuadere poteſt quis his argumentis... Quia „ votum caſtitatis, vel Religionis factum ab eo quem carnis moleſtiæ, & frequen- „ tes ruinæ antecedunt, non eſt de materia ſatis idonea ac iuſta; immo potius „ contra conſilium D. Pauli.

„ Idem forte docerent Auctores huius ſententiæ in caſu quo alicui, dictis tribus „ votis, aut aliquo eorum emiſſis, conſultius eſſet ob frequentes carnis tentatio- „ nes, & lapſum in res venereas ſupervenientes matrimonium contrahere.... quia „ quod ante emiſſum votum efficit ut res promiſſa ſit inepta voti materia, ſi eo „ emiſſo ſupervenit, tollit voti obligationem.... *ergo iidemet lapſus irritabunt vota* „ *antecedentia*.... Hæc opinio eſt *probabilior ſpeculative*.... Sed ego probabiliter „ reſpondeo eſſe prædictam opinionem practice etiam loquendo aliqualiter proba- „ bilem, *tutoque amplecti poſſe*. Ratio eſt, quia probabile eſt (quidquid immerito „ dubitet Diana) quod id quod hic & nunc eſt ſpeculative probabile, ſit etiam „ practice... *Ergo hic, & nunc talis opinio etiam practice erit probabilis. Ergo tuto* „ *amplecti poteſt ab eo cui ſalubrius eſt matrimonium quam ob ſuam incontinentiam* „ *ſunt vota religionis, vel caſtitatis &c. Ergo abſque diſpenſatione poterit matrimo-* „ *nium inire*. Sic expreſſe tenuit præfatus Ioannes Sanctius." Leander a SS. Sa- cramento *tract.* IX. *de Matrim. diſput.* XXIII. *quæſt.* II. *&* III. *pag.* 324. *&* 325. Vide infra *cap.* V. *num.* 17.

IV. „ Aliquando votum tauros agitandi in Sanctorum honorem poteſt eſſe vali- „ dum, etiam in Hiſpania... Unde in Hiſpania videmus canonizationes Sancto- „ rum

Digitized by Google

„ rum ſolemnizari agitationibus taurorum, ultra ſolemnitates proceſſionum, Miſſa-
„ rum, & ſimiles." Ioannes Martinez de Prado *Tom. II. cap.* xxxi. *§.* 4. *ſummario num.* 30. & in fine illius num. *pag.* 640. vide infra *cap.* v. *num.* 11.

V. „ Votum in gratiarum actionem pro actu turpi iam facto validum eſt." Leander *tract.* ii. *de voto diſp.* iv. *quaeſt.* xxxi. *pag.* 341. ex Filliucio *tract.* xxvi. *de voto cap.* ii. *quaeſt.* vi. *num.* 54.

VI. „ Quid de voto abſtinendi a vino? Obligat ſub gravi culpa, ne bibatur in
„ ea quantitate quae vino temperate utentibus ſufficeret pro una comeſtione." Caſtropalaus *tractat.* xv. *diſput.* i. *punct.* 12. *num.* 21. *pag.* 72. Vide *diſſ.* ii. *cap.* vi. *num.* i.

VII. „ Probabile eſt eum qui vovit virginitatem, non teneri ad perpetuam ca-
„ ſtitatem; ſed tantum ad ſervandam integritatem carnis, quam illa vox virgini-
„ tatis proprie ſignificat." Marin *tract.* ix. *diſp.* iii. *ſec.* 2. *num.* 39. ex Burgh. *cent.* i. *caſ.* 59. Vide *diſſ.* ii. *cap.* vi. *num.* 22.

VIII. „ Si voviſti redimere iacturam temporis, comprehendiſti ludum etiam mo-
„ deratum, itemque luſum pro alio: quia vere luderes cum iactura temporis. Po-
„ teris tamen per alium ludere, licet aſpiciendo perdas tempus.... Si eo fine vo-
„ viſti, ut vitares rixas, blaſphemias, iuramenta... licebit tibi ludere nomine alieno,
„ vel per alium; immo & ludere licebit per alium; licet haec incommoda timean-
„ tur, quia reipſa non ludis." La Croix *Lib. III. par.* i. *num.* 454. *pag.* 175. ex Tamburino, Palao, & aliis. Vide infra *cap.* v. *quaeſt.* xvi. *num.* 48. *& ſeq.*

CAPUT III.

Voti notio. Quae illius conditiones, ut licitum, & validum ſit.

I. ANtequam notionem, ſeu definitionem voti prodo, diverſam vocabuli iſtius, ſeu vocis ſignificationem praemitto. Voti nomen a verbo *vovere* proficiſcitur. Porro vovere idem eſt quod promittere, non cuique, ſed Deo, aut Sanctis. Promittere, ſpondere, polliceri, verba ſunt, quibus vel hominibus, vel Deo animi noſtri deſideria pandimus, & obligamus. Vovere autem proprie ſignificat quidquam Deo nuncupare: quia votum actus eſt religionis, quo Deum colimus. Votum ſaepius pro deſiderio accipitur. Quapropter votorum compotes appellantur illi qui ſua aſſequuntur deſideria. Vota facere idem non infrequenter ſonat quod precari, avere, & optare; & pia deſideria vota dicuntur, atque pro ipſo voluntatis propoſito nonnumquam uſurpantur. Ex his variis ſignificationibus genuinam voti notionem ſta-

Digitized by Google

ſtatim damus, ut in limine diſputationis id de quo tractandum eſt, ſiat compertum.

II. D. Raymundus *in Sum. tit. de voti tranſgreſſ.* hanc exhibet voti finitionem *§. 1. Votum eſt alicuius boni cum deliberatione facta promiſſio.* Hæc definitio parum diſtat ab altera quam ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. tradunt communiter Theologi, quæ eſt eiuſmodi: *Votum eſt promiſſio deliberata, & ſpontanea Deo facta de re meliori.* Quinque conditiones pro vero voto aſſignari ſolent. Prima eſt deliberatio, qua intellectus expendit, ponderatque onus ſuſcipiendum. Secunda eſt propoſitum; ſeu voluntas promittendi, ſe obligandi, & exequendi promiſſum. Tertia eſt promiſſio ipſa, quæ quædam locutio practica intellectus nuncupari ſolet. Quarta, quod hæc promiſſio fiat Deo, cui ſoli, ut infra dicetur, vota preſſe accepta nuncupantur. Quinta, quod ſit promiſſio de meliori bono, hoc eſt de re Deo grata, ſeu de bono ſupererogationis, quod præceptum non ſit; ſi votum ſtrictim, & præciſe accipiatur: quamquam, ut infra dicetur, votum quoque de re præcepta eſſe poſſit, quatenus res præcepta conſtituitur a vovente religionis materia; & ſub hoc titulo nuncupari poteſt melius bonum, ſeu opus ſupererogationis. Sed, ut dixi, dum de voti materia ſermo infra redibit, fuſius ex D. Thoma hæc conditio explicabitur.

III. Indicatæ conditiones explicandæ ſunt. Et primum omnium advertendum eſt, nulla verba, aut ſigna requiri ut votum perficiatur, ut docet Angelicus *loc. cit.* & D. Antoninus II. Part. tit. XI. cap. II. *Non tamen*, inquit, *eſt neceſſaria expreſſio vocis in promiſſione; ſed ſufficit promiſſio corde facta.* Ideo enim in promiſſione homini facta voces, ſigna, aut nutus, quibus interna animi ſenſa manifeſtentur, neceſſaria ſunt, quia homo non videt ea quæ in corde ſunt, ſicut ea videt Deus. Quocirca humana promiſſio, ut accipiatur, verbis, aut ſignis indiget; ſecus votum Deo factum. Hoc tamen dictum ſit, ut voti naturam explicemus. Ceterum in praxi expediens ſemper erit, & ad firmiorem memoriam, & ad maiorem voti declarationem, verbis votum exprimere, ut legitur feciſſe David Pſal, LXV. *Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea.*

IV. Diſputant non leviter Theologi, in quo actu aut intellectus, aut voluntatis voti eſſentia ſita ſit. Ab hac difficultate paucis nos expediemus. Inter omnes convenit, plures actus ad votum prærequiri tum ex parte voluntatis, tum ex parte intellectus. Si voti eſſentiam ſpectes, in actu intellectus practici conſiſtit. Votum enim lex privata eſt, qua quis ſe Deo ad aliquid agendum devincit; atque ad illius honorem, & gloriam, quod faciendum ſibi imponit, ordinat, & dirigit. Dirigere autem, & ordinare actus eſt intellectus imperantis; ſecum tamen defert propoſitum voluntatis. Quomodo autem propoſitum voluntatis moventis præcedat ipſum actum intellectus, alibi dicetur, cum actuum internorum ſeries delineabitur.

V.

Digitized by Google

V. Quæſt. I. *Quænam deliberatio requiratur ad votum?* Reſp. Omnes ad unum affirmant, neceſſariam eſſe deliberationem ad vovendum. Verum, quia deliberatio, ſeu libertas alia eſt imperfecta & ſemiplena, alia perfecta & plena; locus eſt quæſtioni, utra ex his ad votum neceſſaria ſit. Communiſſima ſententia eſt, ad votum neceſſariam eſſe plenam, perfectamque deliberationem. Hæc autem perfecta deliberatio in eo ſita eſt, quod vovens ſit plene ſui compos, quod advertat, & cognoſcat id quod promittit. Ad hanc perfectam plenamque deliberationem neceſſaria minime eſt longa, & diuturna diſcuſſio omnium circumſtantiarum. Neque huic perfectæ deliberationi officit quæcumque animi perturbatio, vel commotio; ſed ea ſolum quæ mentem obnubilat, lumenque rationis aufert. Alioquin, ſi quæcumque animi commotio tolleret deliberationem voto neceſſariam, pauca reperirentur vota valida: quandoquidem plurima vota fiunt vel in ſpiritu devotionis, vel vehementi alicuius rei deſiderio impellente, vel iræ, aut timoris impetu ſtimulante: quæ omnia, licet occaſiones, non tamen cauſſæ ſunt emittendi votum. Ea ergo libertas quæ vel ad committendum peccatum, vel ad perficiendum contractum, aliudve grave negotium ſufficit, ad votum quoque emittendum ſatis eſſe non dubitatur. Quare dupliciter conſiderari poteſt deliberatio, & ut opponitur ſubreptioni, ſeu motui ſubitaneo, quem primo primum vocant; & ut affert ſeveram diſcuſſionem omnium mediorum quæ vel promovere, vel remorari rem deliberatam poſſunt. Deliberatio primo modo accepta neceſſaria ad votum eſt; ſecus ſecundo modo.

VI. Quæſt. II. *An vota repentina debeant impleri?* Reſp. Vota, licet repente fiant, valida ſunt, quando, ut dictum eſt, ex deliberata voluntate profluunt. Imprudentia tamen eiuſmodi vota laborant. At, ſi valida ſunt, dubio procul obligationem inducunt. Ceterum talis repentina emiſſio iuſtam præbet cauſſam impetrandi vel diſpenſationem, vel commutationem. Quod aliquem, emiſſo voto, confeſtim pœniteat eiuſdem, non inde infertur votum invalidum eſſe: quia non raro diſplicent nobis plura, illico ac facta ſunt, quamvis ex perfecta deliberatione concepta & parta ſint. Si tamen votum ex vehementi aliqua perturbatione, ſive iræ, ſive timoris proceſſiſſet, eiuſdemque ſtatim pœniteret voventem; argumentum non leve eſſet, votum invalidum fuiſſe. Ceterum regula præciſa aſſignari nequit. Deliberatio ſiquidem actus internus eſt, eaque vel ipſi voventi non ſatis ſemper perſpecta. Ex ſignis igitur externis tantum illa colligi poteſt: adeoque ex variis coniecturis, & circumſtantiis valida, vel invalida declaranda ſunt eiuſmodi vota. Una dumtaxat regula certa eſt, quod vota quæque nonniſi cum magna ponderatione, & diſcuſſione fieri debent. Sunt namque privatæ leges, quæ, antequam ferantur, ad ſeverum examen omnium circumſtantiarum debent revocari. Quare dicimus cum communiſſima Theologorum ſen-

tentia, peccare, ſaltem venialiter, eos qui levi conſideratione vota magni momenti emittunt. Quo enim maior eſt onus ſubeundum, eo exigitur maturior conſideratio, ſeverior diſcuſſio, & prudentior conſultatio. Quapropter dicitur Eccli. v. *Diſplicet Deo infidelis, & ſtulta promiſſio*. Stulta promiſſio appellatur quæ prudentia, & conſultatione caret.

VII. Quæſt. III. *An quandoque mortale peccatum committat qui præcipitanter votum magni momenti edit; & an votum ſic cum peccato emiſſum validum ſit?* Reſp. Gravitas cuiuſque inconſiderantiæ ex negotii peragendi momento maiori aut minori ſumitur. Votum genere ſuo grave negotium eſt cum Deo initum. Poteſt leve fieri ob materiæ levitatem. Sed, ſi materia gravis ſit, graviſſimum ſemper exiſtit. Erit itaque culpabilis omiſſio debitæ conſiderationis plus minuſve, prout maioris aut minoris momenti fuerit votum emiſſum. Peccatum tamen mortale numquam, mea ſententia, contingere poſſe dicerem. Tunc autem peccatum mortale accidere defendunt Sanchez, Suarez, & Leſſius, cum vovens experientia edoctus prævidet, ſe tranſgreſſurum fore votum quod emittit abſque debita conſideratione. Hanc opinionem reiiciunt Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* I. *punct.* I. *ſ.* I. *num.* 13. eo quod periculum tranſgrediendi votum occurrere pariter poteſt in voto deliberatione perfecta emiſſo, ob voventis fragilitatem. Subdunt vero peccatum mortale contingere poſſe, cum præcipitanter vovens ſe ſe periculo exponit impoſſibilia, aut illicita promittendi. Talia enim Deo promittere, peccatum grave eſt. Ergo peccatum itidem grave erit ſe ſe periculo ſimilia promittendi exponere. Huic vero periculo ſe exponit qui inconſulto, & præcipitanter vovet, tale periculum prævidendo.

VIII. Ego tum primam, tum ſecundam opinionem cenſeo falſam. Nonne conſentiunt omnes, ad votum perfectam, plenamque requiri deliberationem? Qui ergo præcipitanter, & ſemiplena deliberatione vovet, nihil vovet. Si defectus plenæ deliberationis excuſat a voto, potiori iure excuſabit a præfato periculo. Quid? An ne imperfecta erit deliberatio comparate ad votum, plena vero reſpectu periculi? Sed hæc paradoxa ſunt. Qui enim pleno lumine, & deliberata voluntate prævidet periculum, videt quoque id quod vovet. Si autem inconſideratio eiuſmodi eſt quæ libertatem, plenamque deliberationem impediat; vovens nihil vovet. Quomodo ergo verum habet quod dicunt Salmanticenſes, hunc ſcilicet voventem ſe exponere periculo promittendi illicita, vel impoſſibilia; ſi nihil vovet, nihilque promittit ob neceſſariæ, plenæque deliberationis defectum? Peccat itaque ſolum venialiter, eo quod ad peccatum mortale plena deliberatio neceſſaria eſt. Quod vero non peccet mortaliter, dum poſt experientiam violati voti iterum vovet, etiam patet. Nam ſic vovens ſemper votum emittit eo fine ut Deo cultum exhibeat, ut ſe a vitiis coerceat. Solius ergo imprudentiæ, & incon-

conſiderantiæ crimen eſt, quod venialis malitiæ limites non excedit. Avocandi ergo ſunt homines ab eiuſmodi votis, inſtruendique, ut antequam vota Deo nuncupent, ſerius recogitent vires ſuas, propenſiones, circumſtantias, ſtatumque proprium expendant. Quod attinet ad ſecundam quæſiti partem, cum votum plena deliberatione emittitur, licet ex aliquo iræ, timoris, alteriuſve paſſionis motu, tamquam ex occaſione ortum ducat, & conſequenter aliqua culpa contingat; nihil impedit quominus votum validum ſit, & ad illud implendum vovens teneatur: quia eiuſmodi culpa nec tollit deliberationem ad votum neceſſariam, nec votum ipſum inficit.

IX. Quæſt. IV. *An, quando votum eſt de re levi, & obligat ſolum ſub veniali, ſufficiat ſemiplena deliberatio?* Reſp. Adfirmant aliqui, quos inter referunt Salmanticenſes *loc. cit. num.* 15. D. Antoninum *II. Par. tit.* XI. *cap.* 11. *notab.* 6. Sed falſo: quia ſolum dicit, quod votum ſubitum non obligat ad peccatum perfectum, nec ad bonum perfectum. Verum, utcumque res ſe ſe habeat, reſpondeo ad nullum votum, quantumlibet in materia leviſſima, ſufficere ſemiplenam deliberationem. Votum enim quodlibet lex eſt privata, cuius naturam materiæ ſive magnitudo, ſive parvitas minime variat. Votum iſtud ſuapte natura graviter obligat. Admiſſo etiam, quod ratione materiæ levis obligationem inducat levem (cuius oppoſitum infra docebimus) hoc minime impedit quominus vera lex ſit privata, quæ neceſſario exigit perfectam deliberationem. Peccatum veniale (ut ſolvatur contrariæ opinionis argumentum) committi poteſt ſola ſemiplena deliberatione præcedente, quia actus ſuo genere imperfectus eſt in linea moris; at votum quodcumque natura ſua, quacumque materiæ, ſive magnæ, ſive parvæ, conſideratione ſublata, quid perfectum eſt in religionis negotio: & idcirco perfectam expoſcit libertatem.

X. Quæſt. V. *An ad votum ſufficiat deliberatio, ſeu libertas virtualis?* Reſp. Negat Angles *II. Part. quæſt. de voto artic.* 1. *diff.* 3. *concl.* 1. ubi aſſerit neceſſariam eſſe deliberationem actualem. Sed Auctor iſte nullam promit rationem. Ex alia parte illius opella, quam in morum materia edidit, parum illi auctoritatis conciliat. Communiſſima ſententia tenet, ſufficere deliberationem virtualem contentam in actibus præcedentibus; dummodo in actu ipſo emittendi votum ſui compos ſit vovens: ſi enim aut ebrius, aut dormiens eſſet, certe votum nullum foret. Hæc virtualis deliberatio ſufficit in omnibus actionibus humanis, in quibus actualis rara eſt ob mentis noſtræ imbecillitatem. Sic intentio virtualis ſufficit ad perficienda ſacramenta. Quare qui exacto adprobationis anno in aliquo Novitiatu, ut vocant, cum deliberatione profitendi ſtatum religioſum, accedit ad oratorium vota nuncupaturus, quamquam reipſa, & actualiter non cogitet de votis, quia alio diſtractus eſt, profeſſio, & vota valida ſunt, ut communiter Theologi docent.

XI.

XI. Quæſt. VI. *An propoſitum firmum, ſit votum, vel aliquam inducat obligationem?* Reſp. Canoniſtarum aliqui docent ſolum propoſitum ad votum ſufficere. Communis Theologorum, & Canoniſtarum ſententia eſt contraria: quia propoſitum nil aliud eſt quam voluntas aliquid faciendi. Prærequiritur utique propoſitum ad votum; ſed in eo voti natura non conſiſtit. De ſecunda quæſiti parte non una eſt Theologorum ſententia. Quod inter omnes convenit, eſt, nullius propoſiti, quamlibet efficacis & validi, tranſgreſſionem mortalem eſſe. Diſſidium eſt de culpa veniali. Non pauci enim, ut Leſſius *Lib. II. cap.* XL. *dub.* 4. *num.* 22. Angelica *ver. Votum* 1. Prado, Raphael de la Torre 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *art.* 1. *diſp.* VII. & alii docent, fractionem propoſiti veniali culpa non carere: & afferunt illud D. Bernardi epiſt. IX. *Quiſquis maius bonum ſubire proponit, bonum minus, quod potuit, ſibi illicitum fecit*: & illud D. Gregorii: *In conſpectu Dei cadit qui a bono propoſito reſilit*. Alii contra propugnant, nullum in violatione propoſiti committi peccatum, eo quod propoſitum obligationem nullam inducit: quæ ſententia mihi probatur, ſi ſola propoſiti natura inſpiciatur. Ideo namque homines abſtinent a voto plurium rerum, & de iis tantum propoſitum eliciunt, ut liberi remaneant, valeantque pro libito conſilium mutare. In iis enim quæ libere ſibi homines imponunt, eorumdem intentio ſpectanda eſt. Porro intentio eorum qui proponunt quidquam agere, ea eſt, ut a neceſſitate quacumque liberi maneant. Hæc doctrina eſt D. Thomæ hic artic. 1. ad 3. *Dicendum, quod ille qui mittit manum ad aratrum, iam facit aliquid; ſed ille qui ſolum proponit, nondum aliquid facit; ſed quando promittit, iam incipit ſe exhibere ad faciendum, licet nondum impleat quod promittit; ſicut ille qui ponit manum ad aratrum, nondum arat, iam tamen ponit manum ad arandum*. Hac D. Thomæ doctrina ſoluta manent quæ opponi ſolent. Patres pro propoſito votum ſæpiſſime uſurpant. Quoties Auguſtinus voti violationem indicat, a propoſito cadere tranſgreſſores ait. Eodem modo Bernardus, & Gregorius loquuntur. Quod poſtea ſubdunt, inconſtantiæ, levitatis, & infidelitatis argumentum eſſe propoſiti facti fidem frangere, falſum eſt. Nam idcirco, ut diximus, quiſquam proponit, & non vovet, ut ſibi libertas ſemper adſit a propoſito recedendi. Nemo tamen negare auſit, ut ego arbitror, aliquam contingere culpam, ſi abſque ulla cauſſa quis a bono propoſito recedat. Non ea quidem ratione quod obligationem, quam nullam eſſe diximus, propoſiti violet; ſed ob illud generale principium, quod non proficere in via Domini deficere eſt. Quare quiſque curare debet ut id quod propoſuit, exequatur; niſi rationes occurrant quæ oppoſitum ſuadeant. Et licet non ſit lex urgens, neque fidelitatis debitum aſtringat; mutatio tamen difficillime a cuiuſque inconſtantiæ, & volubilitatis labe purgari poteſt. Et huc fortaſſe ſpectat prima ſententia: & hoc in ſenſu eam reprobare minime valemus.

XII.

Digitized by Google

XII. Quæſt. VII. *An in promiſſione natura voti ſita ſit ; & quomodo a propoſito promiſſio hæc differat ?* Reſp. Communiſſima Theologorum ſententia eſt, votum promiſſione perfici, & in eadem eſſentiam voti conſiſtere. Idcirco votum definitur promiſſio facta Deo. Ratio ſumitur ex ipſa Scriptura, quæ votum per promiſſionem deſcribit. Dicitur enim Deuter. XXIII. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere... facies ſicut promiſiſti.* Item Eccleſ. v. *Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere : diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio :* & infra : *melius eſt non vovere quam poſt votum promiſſa non reddere.* Votum igitur in Scriptura per promiſſionem explicatur. Votum ergo promiſſio eſt. Omnes pariter aſſerunt, promiſſionem hanc diſtinctam eſſe a propoſito eamdem promiſſionem præcedente. Ut porro diſtinctio clarior evadat, utriuſque notiones promendæ ſunt. Promiſſio hoc pacto finiri ſolet : *Actus quo quis intendit aliquid facere ſub obligatione exhibita alteri.* Hæc finitio communis eſt, ſeu naturam promiſſionis in communi acceptæ exponit. Voti namque promiſſio particularis eſt *actus quo quis ſe ſe obligat ad aliquid præſtandum in Dei cultum*; propoſitum autem eſt deliberatio aliquid faciendi : ſeu, ut communiter dicitur, propoſitum procedit ex deliberatione rei faciendæ ; promiſſio vero ex deliberatione acceptandæ obligationis, ſibique eam imponendi. Diſputant Theologi, ad quam animæ potentiam ſpectet promiſſio. P. Suarez *Lib. I. cap.* XIII. fuſo calamo hanc verſat quæſtionem, quam nos præterire expediens iudicamus, eo quod nullius momenti ipſa nobis appareat. Dumtaxat cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *artic.* 1. dicimus, promiſſionem ad intellectum pertinere : eſt enim practica locutio, ſeu imperium, quo ad Deum ſe homo dirigit, quove ſe illi aſtringit. Per votum enim, quod in promiſſione ſitum eſt, homo ad Deum ſe ſe erigit. Dirigere autem, & ordinare ad intellectum, non ad voluntatem, ſpectat; quidquid in oppoſitum aſſerat Suarez cum Scoto, quorum nunc obiectiones taceo, quia tanti non ſunt, ut plus otii in illis excutiendis terere debeam.

XIII. Quæſt. VIII. *Quodnam propoſitum requiratur, ut votum validum ſit?* Reſp. Omnes ad unum fatentur neceſſitatem propoſiti ad voti valorem. Diſſidium aliquod ſolummodo eſt de qualitate propoſiti, ſeu intentionis, & deliberationis. Nam propoſitum voventis diverſo modo conſiderari poteſt. Primo, ſi deliberate ſolis verbis promittat, & voveat; ſed animum deliberatum habeat non vovendi. Secundo, ſi quis habeat propoſitum vovendi, & ſe ſe obligandi ; ſed ſimul deliberatam habeat voluntatem non exequendi promiſſum. Tertio modo vovens conſiderari poteſt, quatenus animum, ſeu propoſitum habet promittendi, & implendi promiſſum, ſed abſque animo ſe ſe obligandi.

XIV. Communis ſententia eſt, eum qui primo modo vovet, nullum emittere votum, quia ſolum vult verbis ludere. In iſtius opinionis confirmationem Salman-

manticenſes *tract.* XVII. *cap.* I. *punct.* I. *§.* 3. *num.* 19. promunt hanc D. Thomæ auctoritatem ex IV. Sent. diſt. XXXVIII. quæſt. I. art. I. quæſtiunc. I. ad 2. *Promiſſio quandoque fit ore, & non corde; & talis quoad Deum non eſt votum*. Hæc D. Thomæ auctoritas truncata eſt, quæ Doctoris mentem minime exprimit, ſubdit enim Angelicus immediate: *& ideo oportet addere ſpontanee*. Cur hoc? Audi rationem: *Quamvis homo non poſſit cogi ſufficienter ſimpliciter ad promittendum; poteſt tamen cogi coactione quadam interpretativa ad exteriorem promiſſionem, ſicut & ad alia opera voluntatis exteriora, non autem ad promiſſionem interiorem*. Sententia ergo S. Thomæ eſt, quod ſi quis coactus verba exteriora quæ votum præferunt, emitteret, votum nullum ederet: quia coacta promiſſio exterior, ſi voluntatem poſitivam non promittendi habeat vovens, ludicra, & umbra promiſſionis eſt. Ceterum, ſi quis poſitivum deliberatum animum promittendi haberet, atque hac deliberata voluntate ſponte, & libere verba voventia exprimeret, licet alia intentione interiore nollet ſe obligare; tunc ſatis probabile nobis videtur, hunc votum edere, quia intentio, ſeu propoſitum illud internum efficax promiſſionem, & votum continet, & ſecum neceſſario defert voluntatem ſe ſe obligandi. Libere namque vult, & deliberate promittit, ſeu deliberate votum profert, quicumque ſerio, & deliberato animo, nullo cogente, verba voventia pronuntiat. Intentio autem interna, qua renuit vovens ſe ſe obligare, inefficax eſt, quæ elidere priorem non poteſt. Verum quia quæſtio metaphyſica eſt, quæ in utramque diſputari partem valet, ideo a fuſiore diſcuſſione abſtineo. Illud unum pro praxi ſubdo, eum qui deliberato animo abſque ulla exteriore vi, vel metu votum verbis ederet, cum interiori propoſito non vovendi, excuſari non poſſe, in omnium, ut ego quidem arbitror, ſententia, a quacumque culpa. Si enim promiſſio ludicra, & fallax hominibus facta expers culpæ haud eſt; quanto magis vitioſa erit promiſſio fallaciæ, & doli plena Deo facta?

XV. Qui ſecundo modo vovent, nempe cum animo promittendi, & ſe obligandi, ſed cum voluntate non implendi promiſſum, quamvis Valentia *Tom. III. in* 2. 2. *diſ.* VI. *quæſt.* VI. *punct.* I. dicat, eiuſmodi non eſſe votum; communiſſima tamen ſententia eſt, ſic voventes verum elicere votum: quoniam voti eſſentia perficitur voluntaria promiſſione, veroque animo ſe ſe obligandi. Votum lex eſt privata, quam legiſlator cum voluntate ſe obligandi abſque voluntate exequendi, rogare peroptime valet. Poſterius autem propoſitum non implendi ineſficax eſt, nequitque elidere duo priora promittendi, & ſe ſe obligandi, ſeu ipſum imperium practicum, quo votum imperatur, & dirigitur in Dei cultum. Quapropter qui ſponſalia promittit, qui ordines ſacros ſuſcipit cum voluntate contrahendi, ſuſcipiendi, & ſe ſe obligandi, valide contrahit, valide ordines ſacros ſuſci-

Digitized by Google

ſcipit, & ad implenda promiſſa aſtringitur; tametſi voluntatem implendi non habuerit. Sed hæc vix in praxi occurrunt.

XVI. D. Thomas ait, quod Obiicies. promiſſio ex propoſito faciendi procedit. Deficiente ergo propoſito faciendi, deficit ipſa promiſſio. Voluntas namque implendi promiſſum ipſam conſtituit promiſſionis eſſentiam: ergo eſſentiam quoque voti ingreditur. Quid plura? Nonne ſi quis homini promitteret, ſtatimque ſubderet ſe non habere animum implendi, illuſor, non promiſſor, haberetur?

XVII. Reſp. D. Thomas, cum ait promiſſionem procedere ex propoſito faciendi, loquitur de promiſſione perfecta; &, cum ait ad votum tria requiri, nempe deliberationem, propoſitum, & promiſſionem, ſermonem habet de voto iuxta rectam, communemque vovendi normam. Cum autem deeſt aliqua conditio, quæ nec voti, neque promiſſionis eſſentiam ingreditur, non deſtruitur votum, ſed imperfectum dumtaxat reſtat. Porro conditio implendi promiſſa, ſeu votum, nullo modo ingreditur ſive promiſſionis, ſive voti naturam; ſed extima eſt, & adventitia: ideoque votum deſtruere nequit. Quod ſubditur, extra rem eſt. Utique, ſi quis promitteret, & confeſtim ſubderet, ſe nolle implere promiſſum, non verus promiſſor, ſed illuſor haberetur. Si vero ſincere, & deliberate promitteret, uti nunc ſermo eſt, promiſſis ſtare, & eadem implere cogeretur.

XVIII. Qui tertio modo vovet, voto aſtringitur. Qui enim ſincere, & deliberato animo vovet, & promittit, reipſa vult ea omnia quæ in ipſo voto, & promiſſione neceſſario includuntur. Porro in vero voto, & promiſſione includitur obligatio exequendi rem promiſſam. Eo modo quo quis deliberate vult aliquam cauſſam, eadem voluntate vult effectum qui neceſſario cauſſam illam conſequitur. Qui deliberate ſtupam igni adiicit, anne reſpuere poteſt uſtionem? Hanc ſententiam propugnat Sotus *Lib. VII. quæſt.* 1. *artic.* 2. Prado *Tom. II. cap.* XXXI. *quæſt. num.* 22. Aragon 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *artic.* 1. pluresque alii. Pro contraria vero opinione dimicant Suarez *Lib. I. cap.* III. *num.* 7. Azorius *I. Part. Lib. XI. cap.* XIII. *quæſt.* IX. Sanchez *Lib. IV. cap.* 1. *num.* 27. Leſſius *Lib. II. cap.* xl. Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* II. *num.* 12. Trullench *dub.* 1. *num.* 12. Valentia *diſput.* VI. *quæſt.* 1. *punct.* 1. Salmanticenſes *tractat.* XVII. *cap.* 1. *punct.* 1. *§.* 6. *num.* 24. Ratio iſtius ſententiæ eſt, quod qui apponit conditionem contra ſubſtantiam contractus, nullum efficit contractum. Præterea votum lex eſt privata, quæ ultra intentionem legiſlatoris non obligat. Quæſtio iſthæc de lana caprina eſt, atque inter nugas reiicienda: quia aut hypotheſis eſt chimerica; aut prior ſententia vera eſt. Facta namque poſitione qua quis velit revera vovere, & promittere, immo quod reipſa voveat, & promittat: admiſſa, inquam, hac vera, & ſincera voluntate, quæ iam erupit in actum vovendi, & promittendi, poſterior voluntas velleitas eſt, quæ nequit priorem voluntatem efficacem elidere. Ceterum, quia vix,

vix, ac ne vix quidem concipi poteſt quod homo ſui compos velit ſincere, & deliberato animo vovere, & promittere, ſimulque velit ſe ſe non obligare; ideo quæſtionem ceu inanem prætermittimus.

CAPUT IV.

Explicatur ultima definitionis voti particula, promiſſio facta Deo, *ut palam fiat, quo ſenſu dicatur, vota Sanctis fieri, & Prælatis.*

I. QUæſtio hæc diſputatur & adverſus hæreticos, & inter Catholicos. Hæretici recentiores, Lutherani, & Calviniſtæ, quemadmodum omnem cultum Sanctis adimunt, ſic nulla vota, nulla promiſſa in Sanctorum honorem quocumque in ſenſu dicari poſſe defendunt abſque idololatriæ reatu. Eraſmus in colloquio inſcripto *Naufragium*, navigantium vota deridenda propinat: & quamquam debacchari videatur contra vota inconſulta, atque mortis timore edita ab illis qui, ut ſe ab undarum faucibus eripiant, ad divos confugiunt; nihiloſecius impudentiſſime prorſus non modo vota, ſed & ipſas preces Sanctis oblatas ludibrio traducit, Sanctos ipſos impetit, Virginem Sacratiſſimam a nautis invocatam in præſidium ſpernit, & tamquam navigationis ignaram non poſſe ſuccurrere naufragis deblaterat. Venerem, non Virginem, mari præſidere effutit; & plura alia evomit adverſus D. Thomam, Vincentium, & Catharinam Senenſem, quæ vel referre piget. Alibi palam feci Sanctos colendos, invocandoſque a nobis eſſe. Nunc tantum de votis ſermo eſt. Non negamus Eraſmo, eiuſque gregalibus, plura vota inconſulta eſſe, atque humano timore extorta quandoque Sanctis nuncupari. Sed aliud eſt votorum abuſus, aliud ipſa vota deteſtari.

II. Catholici omnes adverſus hæreticos docent, vota aliquo in ſenſu Sanctis nuncupari poſſe, huncque morem antiquiſſimum eſſe in Eccleſia, ut colligitur ex Euſebio *Lib. XIII. præp. evangel. cap.* VII. qui nomine omnium Chriſtianorum ad Martyrum monumenta convenientium ait: *Nos veræ pietatis milites* (hoc eſt Martyres) *ut Dei amicos honorantes ad monumenta illorum accedimus, votaque illis facimus, tamquam viris ſanctis, quorum interceſſione ad Deum non parum iuvari profitemur.* Theodoretus *Lib. VIII.* Græcis repræſentat vota, ſeu illorum membrorum ſimulacra quorum ſanitatem Sanctorum patrocinio a Deo acceperant claudi, cæci, aliique id genus infirmi. Inquit enim: *Pie, fideliterque precatos ea maxime conſequi quæ deſiderant, teſtantur illa quæ votorum rei perſolvunt: nam alii quidem oculorum, alii vero pedum, alii manuum ſimulacra ſuſpendunt ex argento, aureve confecta.* Plura alia promere poſſem, niſi obvia penes Theologos

Digitized by Google

gos eſſent. In præſentia modum potius explicabimus quo Sanctis nuncupari vota ſolent.

III. Omiſſis itaque variis dicendi modis, qui magis nobis probatur, ille eſt quem tradit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 5. *ad* 3. ubi decernit vota ſoli Deo proprie fieri his verbis. *Ad tertium dicendum, quod votum ſoli Deo fit; ſed promiſſio etiam poteſt fieri homini: & ipſa promiſſio boni quæ fit homini, poteſt cadere ſub voto, inquantum eſt quoddam opus virtuoſum. Et per hunc modum intelligendum eſt votum, quo quis vovet aliquid Sanctis, vel Prælatis; ut ipſa promiſſio facta Sanctis, vel Prælatis cadat ſub voto materialiter, inquantum ſcilicet homo vovet Deo ſe impleturum quod Sanctis, vel Prælatis promittit.* Duæ itaque promiſſiones, ſin verbis, ſaltem reipſa diſtinguendæ ſunt. Altera eſt qua quis aliquod opus in honorem Sancti ſe facturum promittit: atque hæc promiſſio votum non eſt, ſed voti materia. Altera promiſſio eſt Deo facta, qua quis Deo ſpondet ſe ſervaturum id quod in Sanctorum honorem promiſit: & in hac ſecunda promiſſione votum conſiſtit. Hinc conſequitur, vota ſoli Deo, ſi preſſe loquendum ſit, nuncupari ſub Sanctorum auſpiciis: quoniam votum actus eſt religionis, cultuſque latriæ, qui ſoli Deo debetur. Hæc ſola brevis, & perſpicua S. Thomæ doctrina profligat omnia Lutheranorum, & Calviniſtarum commenta contra vota Sanctis nuncupata.

IV. Hæc quæ dicta ſunt, non impediunt quin ipſis Sanctis vota nuncupari dicantur, ſi vota in latiori ſignificatu uſurpentur. Nam voti nomen latius patere, nec ad ſolius religionis actum reſtringi, vel ipſi fateri coguntur hæretici: ſiquidem & pia deſideria, & preces vota ſæpiſſime appellantur tum in Scripturis ſanctis, tum in communi modo loquendi, tum in ipſorum Ethnicorum ſcriptis. Non eſt ergo quod cavillentur hæretici, nos idololatriæ crimen perpetrare, cum vota Sanctis nuncupamus; ſi aperte teſtamur vota quæ illis dicamus, non eſſe vota proprie dicta, & actus religionis, ſeu latriæ; ſed longe inferioris conditionis. Sacrificium numquam offertur Sanctis: quia nomen ſacrificii non eſt adeo amplum, ſicut nomen voti. In communi namque omnium exiſtimatione ſacrificium ſignificat oblationem ſoli Deo debitam; neque extenditur ad ſignificanda munera quæ creaturis offeruntur, ſicuti extenditur votum. Vota ergo Deo nuncupamus, tamquam primo, & ſupremo omnium bonorum largitori in grati animi argumentum pro acceptis beneficiis, vel pro impetrandis; Sanctis vota offerimus tamquam interceſſoribus, per quos a Deo beneficia facilius nos accepturos confidimus.

V. Quando ergo Catholici vovent B. Virgini, Sancto Auguſtino, Sancto Benedicto, Sancto Franciſco, Sancto Dominico, ſenſus genuinus eſt, quod voveant Deo coram iſtis Sanctis, tamquam teſtibus, patronis, & adiutoribus ad imploranda divina ſubſidia, quibus vota facta valeant implere. Quid, amabo, iſthic idolola-

latriam ſapit? Similiter qui obedientiam Prælato promittit, qui xenodochio miniſtrare, aut quidquam offerre vovet, Deo vovet; licet promittat obedire Prælato: quæ promiſſio, ut Prælatum ſpectat, votum non eſt; ſed voti materia: nec præfato voto xenodochium honorare vovens intendit, ſed Deum; quamquam votum Deo factum in utilitatem dirigat ipſius xenodochii.

VI. Obiicies. Nonne cum vota Sanctis nuncupamus, Sanctos ipſos honoramus, & colimus? Vota ergo noſtra Sanctos ipſos ſpectant: & conſequenter non ſoli Deo, ſed etiam Sanctis vota noſtra offerimus. Reſp. Patet ex dictis ſolutio. Deo ſoli vota preſſe accepta, ut in Scripturis ſanctis accipiuntur, nuncupamus. Sanctis promiſſa offerimus, quæ vota non ſunt, ſed votorum materies. Sanctos honoramus, & colimus, tamquam votorum noſtrorum teſtes, & interceſſores, ſeu impetratores auxiliorum a Deo, quibus vota implere valeamus. Caietanus addit, Sanctis non fieri vota, ſi conſiderentur ut creaturæ ratione præditæ; ſed prout Deus in iiſdem per gloriam inhabitat, & reſidet: ita ut vota quæ fieri Sanctis dicuntur, fiant Deo in Sanctis reſidenti. Quæ ſolutio non recedit a doctrina D. Thomæ, ut indicat Suarez *Lib. I. cap.* XVI. *num.* 4. Nam Caietanus hac ſolutione, ſeu diſtinctione confirmat doctrinam ſancti Doctoris. Si enim vota quæ nuncupantur Sanctis, fiunt Deo reſidenti in Sanctis, planum eſt vota præciſe accepta fieri ſoli Deo. Cultus autem qui offertur Sanctis his votis in lata ſignificatione acceptis, quæ veræ ſunt dumtaxat promiſſiones, non proficiſcitur a religionis virtute, neque eſt latriæ cultus, ſed tantum duliæ. Clarius: non eſt cultus mere civilis, & humanus; neque eſt cultus latriæ ſoli Deo, tamquam ſupremo, ſolique Numini, omnium bonorum principio, & largitori, debitus; ſed eſt cultus ſacer, qui *duliæ* vocari ſolet, quem Sanctis propter ſingularem excellentiam qua a Deo donati ſunt, offerimus. Et, dum illis eiuſmodi vota nuncupamus, non recognoſcimus illos tamquam gratiarum, & auxiliorum diſtributores; ſed tamquam mediatores, & interceſſores apud Deum, & Ieſum Chriſtum Filium eius, qui verus & unicus mediator, & redemptor noſter eſt. Omnes etenim ſive Angeli, ſive Sancti, virtute dumtaxat meritorum Ieſu Chriſti apud Deum pro nobis intercedunt. Quod poſtea aures obtundunt, eadem ratione qua Sanctis in cælo regnantibus offeruntur vota, offerri quoque poſſe iuſtis in terra degentibus, inane ſophiſma eſt. Iuſti namque qui in terris nobiſcum degunt, non ſunt in gratia, nec in gloria confirmati: modo ſunt, modo poſſunt non eſſe ſancti. Præterquam quod certo nobis non conſtat, quemquam hac mortali carne indutum eſſe ſanctum; ſed pie tantum de aliquo credimus. Certo autem ſcimus tales eſſe homines cum Deo in cælis regnantes: certo ſcimus numquam illos ſanctitatem amiſſuros; ſed eſſe in gratia, & in gloria æternum confirmatos.

CA-

CAPUT V.

De materia voto ſubiecta. Vera intelligentia illius particulæ de bono meliori *exponitur. Votum non nubendi validum declaratur. Opinio Leandri, & aliorum, docentium votum caſtitatis fieri nullum ob ſupervenientes tentationes, & lapſus, refutatur ut laxa, & improbabilis.*

I. CONvenit inter omnes, materiam voti debere eſſe aliquid honeſtum, poſſibile, liberum, non indifferens, nec maius bonum impediens. In quolibet namque voto duæ occurrunt actiones, quarum altera materialis eſt, qua fit votum, ut ieiunare, ſacrificare &c. altera formalis, quæ eſt promiſſio exequendæ actionis materialis; & hæc promiſſio Deo facta actus eſt religionis: quæ omnia in ſequentibus quæſtiunculis explicabuntur.

II. Quæſt. I. *An ea quæ ſunt lege ſive humana, ſive divina præſcripta, poſſint eſſe materia voti?* Reſp. Pro ſententia negante Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* I. *punct.* 2. *num.* 30. allegant S. Antoninum *II. P. cap.* 11. *ſ.* 1. Sylveſtrum *verb.* Votum I. *quæſt.* IV. Sed adfirmare oportet eiuſmodi Auctores lectos non fuiſſe a Salmanticenſibus; cum illi oppoſitum omnino doceant: ſolum quippe cum D. Thoma diſtinguunt rem præceptam, ſeu neceſſariam, a materia libera: & ſtatuunt, opus ut neceſſarium non eſſe materiam voti, ſecus ut liberum. Quodlibet autem præceptum, ſive humanum, ſive divinum, licet neceſſarium ſit neceſſitate ſalutis, quatenus ſine eo ſalus obtineri nequeat; liberum tamen eſt, & quia homo illud reſpuere, & quia novo titulo illius obſervationi aſtringi poteſt. Seu brevius, duplicem diſtinguunt neceſſitatem, abſolutam unam, quæ voto repugnat; & alteram neceſſitatem finis, quæ neceſſitas opus abſolute liberum imponit, & ad ſummum neceſſarium dumtaxat ob alicuius finis aſſecutionem. Hæc eſt doctrina D. Thomæ 2.2.quæſt. LXXXVIII.art. 2. *Quia votum promiſſionem voluntariam importat, neceſſitas autem voluntatem excludit; id quod eſt abſolute neceſſarium eſſe, vel non eſſe, nullo modo ſub voto cadit: ſtultum enim eſſet, ſi quis voveret ſe eſſe moriturum, vel ſe non eſſe volaturum. Illud vero quod non habet abſolutam neceſſitatem, ſed neceſſitatem finis, puta quia ſine eo non poteſt eſſe ſalus, cadit quidem ſub voto, inquantum voluntarie fit, non autem inquantum eſt neceſſitatis.* Hanc doctrinam defendunt D. Antoninus, Sylveſter, Angelus *verb.* Votum *num.* 1. & Tabiena *verb.* Votum *num.* 2.

III. Sententia communiſſima docet, ea omnia quæ lege ſive divina, ſive civi-

Digitized by Google

li, ſive eccleſiaſtica præcipiuntur, eſſe poſſe materiam voti. Hæc ſententia clare eruitur ex ſacra Scriptura: ſiquidem dicitur Pſal. cxviii. *Iuravi, & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ*. Ex iure quoque canonico, ut ex *cap.* Ego *de iur. iurand.* & *cap.* Cum Eccleſiis, & *cap.* Significaſti *de electi.* Conſenſu quoque omnium nationum id conſtat. Nam communiter non Chriſtiani modo, verum etiam Ethnici, fœdera, pacta, contractus, ad quorum obſervationem aſtringuntur homines iure naturali, & divino, confirmant iuramentis. Quid ni ergo & votis? Sive enim votis, ſive iuramentis illa firmentur; vinculum ſuperadditur religionis. Unde ipſimet barbari, ſi iurata pacta infringunt, duo crimina ſpecie diverſa, alterum adverſus religionem, alterum adverſus iuſtitiam, ſe ſe committere arbitrantur. Ratio tandem evidens eſt. Opus ſub præcepto impoſitum abſolute liberum eſt, & ſolum dicitur neceſſarium neceſſitate finis, ſeu obligationis: quam neceſſitatem vocat ipſe Tabiena neceſſitatem conditionatam, ſeu ſuppoſitionis, quæ non excludit libertatem. Nihil ergo obſtat quominus novo religionis vinculo nos aſtringamus ad præſtandum opus quod eſt ſub præcepto impoſitum. Præceptum namque nullo modo aufert a voluntate libertatem; immo eam ſupponit. Cur ergo non poterit idem opus præceptum fieri voti materia; ita ut quod eſt titulo legis vel divinæ, vel humanæ debitum, alio titulo, nempe religionis, debeatur? Auctorum citatio ſuperfluit: quia communiſſima ſententia eſt.

IV. Quæſt. II. *An promiſſio quæ fit in baptiſmatis ſuſceptione, renuntiandi diabolo, & pompis eius, ſit votum?* Reſp. S. Raymundus *titul. de tranſgreſ. pag.* 54. ait: *Votorum alia neceſſitatis, alia voluntatis. Vota neceſſitatis dicuntur ea ad quæ implenda omnis homo neceſſario tenetur, ſive voveat, ſive non, ut abrenuntiare diabolo, & omnibus pompis eius . . . & ad hæc ſe obligat quilibet in baptiſmo: unde, quotieſcumque poſtea peccat mortaliter, eſt tranſgreſſor huiuſmodi voti: ergo tenetur agere pœnitentiam pro illo peccato, & præterea pro tranſgreſſione. Sed dic, quod non eſt ſibi imponenda pœnitentia tamquam pro diverſis mortalibus, ſed tamquam pro uno ex circumſtantia tranſgreſſionis voti aggravato.* Ex his colligitur, Raymundum promiſſionem baptiſmalem habere utique pro voto, ſed amplo in ſenſu accepto; cuius tranſgreſſio non conſtituit peccatum mortale ſpecie diverſum, ſed ſolum peccatum intra ſuum genus gravius. Idem docet D. Thomas in IV. diſt. xxxviii. art. 2. quæſt. 1. ad 3. *Tranſgreſſio voti communis non facit ſpeciale peccatum, ſed addit peccato ſpecialem deformitatem. Magis enim peccat baptizatus eodem genere peccati.* Idem docet S. Antoninus *II. P. titul.* 11. *cap.* 11. *§.* 1. Caietanus 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 2. *dub.* 2. & communiter Theologi. Poteſt ergo promiſſio facta in baptiſmate votum appellari, quamvis in ſenſu amplo: quod votum legis tranſgreſſionem peculiaris deformitatis labe reſpergit.

V. Quæſt. III. *Quomodo intelligenda ſit illa particula, De bono meliori?* Reſp. Dupli-

plici modo poteſt aliquid maius, vel melius bonum nuncupari. Primo comparate ad aliud bonum: puta melius eſt eleemoſynam elargiri pauperi quam ieiunare; melius eſt ſuccurrere puellæ periclitanti quam alteri pauperi nullo animæ periculo expoſito. Secundo modo comparate ad contrariam omiſſionem eiuſdem boni; ut melius eſt dare eleemoſynam quam non dare; melius eſt ieiunare quam non ieiunare; melius eſt ſervare caſtitatem quam non ſervare. Ut autem aliquid ſit idonea voti materia, ſufficit ut hoc ſecundo modo ſit bonum melius. Quoniam, ſi neceſſe foret ut bonum quod eſt voti materia, eſſet melius comparate ad aliud bonum, ſequeretur nullum votum validum futurum, niſi foret de opere omnium bonorum perfectiſſimo. Auctores non ſatis clare hac de re loquuntur. Salmanticenſes duas ſententias ceu contrarias referunt: quarum altera docet, melius bonum eſſe debere abſolute, & quocumque modo liberum, ut eſt opus ſupererogationis; altera ſuſtinet, id non exigi; ſed ſatis eſſe quod ſit melius bonum quam eius contradictorie oppoſitum, ſive ſit ſupererogationis, ſive præcepti. Diſcrepantia harum ſententiarum nulla eſt, ſi Auctorum mens ſincere exponatur. Nam D. Thomas cum aliis, dum aſſerit materiam voti eſſe opus ſupererogationis, loquitur de voti materia preſſe, & ſtricto in ſenſu accepta, ut clare ſe ſe explicat in IV. diſt. XXXVIII. quæſt. 1. art. 1. quæſtiunc. 2. *Si votum accipiatur ſecundum propriam ſui rationem, eſt proprie de bonis illis ad quæ non omnes tenentur, quæ ſupererogationis ſunt: & ideo dicuntur meliora bona, quia ſuperadduntur illis bonis ſine quibus non eſt ſalus; & ideo votum proprie acceptum dicitur eſſe de meliori bono.* Nec propterea excludit Angelicus opera præcepra a voti materia; ſed aperte illa includit 2. 2. quæſt. LXXXVIII. art. 2. *Illud vero quod non habet abſolutam neceſſitatem, ſed neceſſitatem finis, puta quia ſine eo non poteſt eſſe ſalus, cadit quidem ſub voto, inquantum voluntarie ſit.* Illud vero quod nullo modo eſt neceſſarium, *propriiſſime cadit ſub voto*, concludit ibidem Angelicus. Paucis rem habeto. Opera conſilii, ſeu ſupererogationis, ſunt *propriiſſime*, ut inquit Angelicus, materia voti: & reipſa communiter homines vota edunt de iis quæ conſilii ſunt. Opera vero præcepta ſunt materia ſufficiens votorum, ſeu de iis quoque fieri vota poſſunt. Ab hac D. Thomæ doctrina nemo recedere iure valet; & certe, ut mihi colligere licuit, nemo recedit. Nam D. Thomas concedit præcepta ipſa ſub novo titulo eſſe voti materiam; conſilia vero evangelica, vel quæ ad eadem reducuntur, magis proprie, ſeu, ut ipſe ait, *propriiſſime* eſſe opera voto ſubiecta. Quis hæc in controverſiam advocare auſit?

VI. Quæſt. IV. *An validum ſit votum de materia oppoſita conſiliis?* Reſp. Certum penes omnes eſt, ea omnia quæ conſiliis evangelicis abſolute acceptis oppoſita ſunt, non eſſe votis ſubiecta, ceu aptam votorum materiam; & conſequenter nulla eſſe vota non ieiunandi, non mutuandi, non elargiendi eleemoſynam, non

ingrediendi Religionem, & id genus ſimilia. Eiuſmodi enim Deo placere nequeunt, cum maiori perfectioni comparandæ ſint impedimento : idque expreſſe docet D. Thomas *quæſt.* lxxxix. *art.* 7. *ad* 2. Contingere tamen circumſtantiæ tales poſſunt ut opus quod abſolute eſt oppoſitum conſiliis, non ſit iiſdem oppoſitum : puta non mutuare proximo abſolute opponitur conſilio evangelico; at non mutuare in tali, aut tali occaſione poteſt eſſe opus non contrarium, ſed conſentaneum conſilio evangelico, ut infra fuſius explicabitur. Si quis obfirmate, & pervicaciter voveret omittere opera conſiliorum; peccaret mortaliter, quia conſilia contemneret evangelica. Accedit quod frequenter conſilia quædam ob aliquam circumſtantiam tranſeunt in præcepta. Qui autem levitate, vel ignoratione ductus ſimilia vota ederet, venialis culpæ limites non tranſiliret. Hæc communia ſunt penes Auctores.

VII. Quæſt. V. *An votum contrahendi matrimonium ſit validum?* Reſp. Invalidum eſt iuxta communiſſimam Theologorum ſententiam : eſt enim de actu conſilio evangelico oppoſito. Dices : Si quis iuravit puellæ alicui ſe eam in ſponſam ducturum, iurationem profecto implere tenetur : quid ni ergo & tale votum? Rationis diſcrimen per ſe patet. Sponſalia iurata acceptata fuerunt a puella ; & propterea ex iuſtitia promiſſor eadem implere debet. Votum Deo nuncupatum de matrimonio contrahendo non acceptatur a Deo. Quid, ſi quis promitteret ſe ducturum in ſponſam puellam pauperem, aut meretricem? Neque in hoc caſu votum valeret : quia paupertas puellæ non vincit maius bonum cælibatus : nec matrimonium eſt medium per ſe ordinatum, aut omnino ſufficiens ad ſalutem ſpiritualem meretricis in tuto collocandam. Secus dicendum, ſi quis voviſſet ſe ducturum in ſponſam puellam a ſe defloratam; aut ſi voviſſet ſe ducturum meretricem, poſita conditione quod matrimonium contrahere aliquando velit : tunc enim utrumque votum valeret. Valeret quoque votum de matrimonio contrahendo, quoties, quod rariſſime contingit, matrimonium neceſſarium eſſet ad bonum commune Reipublicæ, & Principatus, ad pacem firmandam inter Principes, ad hæreticorum converſionem, ad Eccleſiæ catholicæ amplificationem. In his enim poſitionibus non tam matrimonium, quam bonum commune eſset voti materies. Et hæc omnia communia ſunt.

VIII. Quæſt. VI. *An qui concupiſcentiæ ſtimulis exagitatus vovet matrimonium ſe contracturum, ut fornicationes, alioſque libidinis actus vitet, valide voveat?* Reſp. Duæ ſunt extremæ ſententiæ. Prima adfirmat, votum eiuſmodi validum eſſe, facta poſitione quod vovens nolit, aut nequeat aliis remediis uti ad carnis impetus cohibendos. Quoniam, inquiunt Auctores iſtius ſententiæ, matrimonium conceſſum eſt in remedium concupiſcentiæ, dicente Apoſtolo : *Melius eſt nubere quam uri.* Melius ergo erit uti tali remedio ; & conſequenter melioris boni erit votum de tali

tali matrimonio contrahendo. Id confirmari ex eo poteſt quod ſi quis habens concubinam, voveret aut ingredi Religionem, aut ducere concubinam, teneretur in omnium ſententia intra annum ingredi Religionem, ſi illam non duceret in uxorem. Denique homo fragilis, frequenter libidini ſuccumbens, niſi habeat impedimentum, iure naturæ tenetur contrahere matrimonium in remedium concupiſcentiæ, ut plura peccata vitet, facta poſitione quod nolit, aut nequeat aliis uti remediis. Hanc ſententiam defendunt Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* I. *punct.* 2. *§.* 2. *num.* 4. & pro eadem laudant Bellarminum *Lib. II. de Monach. cap.* XIV. Sed falſo: nam Bellarminus ſolum aſſerit quod alicui perſonæ interdum melius eſſe poſſit nubere; & conſequenter votum valere; ut ſi nubat ob bonum commune Reipublicæ, & alia momenta ſupra indicata. Nec verbum ibi habet de voto nubendi in remedium concupiſcentiæ. Laudant etiam Navarrum in *Manuali cap.* XI. Sed error eſt: eſt enim XII. *num.* 43. *verſ.* 13. at neque hic Auctor, ſaltem hoc in loco citato, quidquam habet hac de re. Laudant præterea Villalobos, Bonacinam, Lopez, Trullenchum, & Caietanum, qui reipſa hanc defendunt opinionem, quibus accedit Sylvius 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *art.* 2. *concl.* 6. & plures alii.

IX. Contraria ſententia mihi videtur probabilior, nempe votum præfatum invalidum eſſe: & primum id ex doctrina D. Thomæ clare eruitur. Docet namque Angelicus matrimonium in officium naturæ, proliſque educationem inſtitutum; ad concupiſcentiam vero frenandam indulgentia permiſſum eſſe. In IV. diſt. XXXI. quæſt. II. art. 2. ad 2. *Si aliquis per actum matrimonii intendat vitare fornicationem in coniuge, non eſt aliquod peccatum, quia hoc eſt quædam redditio debiti, quod ad bonum fidei pertinet; ſed ſi intendat vitare fornicationem in ſe, ſic eſt ibi aliqua ſuperfluitas, & ſecundum hoc eſt peccatum veniale; nec ad hoc eſt matrimonium inſtitutum, niſi ſecundum indulgentiam, quæ eſt de peccatis venialibus.* Et profecto Apoſtolus ait: *Qui non ſe continent, nubant: melius eſt enim nubere quam uri*, ſeu fornicari, ut Patres explicant. Quod ſi matrimonium in concupiſcentiæ remedium eſt dumtaxat permiſſum ad indulgentiam; nemo negare auſit, invalidum eſſe votum illud quod pro obiecto habet non bonum melius, ſed bonum adeo imperfectum cui annexum eſt peccatum veniale. Verum, prætermiſſa hac opinione in præſentia, quam in tractatu de matrimonio fuſius diſcutiemus, ſententiam noſtram argumento evincimus validiſſimo.

X. Omnes Theologi ſuſtinent, votum contrahendi matrimonium abſolute emiſſum invalidum eſſe; idque fatentur ad unum omnes contrariæ ſententiæ Auctores. Ergo potiori iure invalidum erit votum contrahendi matrimonium in remedium concupiſcentiæ. Probo conſequentiam. Matrimonium in remedium concupiſcentiæ contrahendum, licet admittamus bonum eſſe, nemo tamen negaverit bonum quoddam eſſe longe inferius bono matrimonii contracti in officium naturæ. Ergo, ſi

 iſtius,

iſtius, potiori iure illius invalidum votum erit. Cur matrimonium ineundum ad naturæ propagationem votum impedit? Quod non ſit bonum? Abſit: eſt enim ſacramentum magnum in Eccleſia: ſæpe, & frequentiſſime conſulitur. Cur ergo? Quia impedit maius bonum, nempe vitam cælibem, ad quam vovens divini Spiritus afflatu vocari valet. At iſtud maius bonum non ne æque impeditur per matrimonium contrahendum ad concupiſcentiæ ardorem extinguendum? Ergo aut concedendum, validum eſſe votum contrahendi matrimonii abſolute accepti, & in naturæ officium; aut ſi id negatur, uti reapſe omnes negant, negandum quoque, validum eſſe votum ineundi matrimonii in remedium concupiſcentiæ. Denique, etiam emiſſo eiuſmodi voto, immo poſt matrimonium ratum, non conſummatum, Religionem ingredi vovens valet. Nullum ergo undequaque eſt votum iſtud.

XI. Argumenta contrariæ ſententiæ ſua ſponte corruunt. Concedimus nunc, matrimonium ob ſolius concupiſcentiæ remedium bonum eſſe, homini potiſſimum vexato carnis ſtimulis. Concedimus huic fragili homini matrimonium bonum, aptumque eſſe remedium. Quid inde? Si diceremus, votum invalidum eſſe, quia matrimonium in remedium concupiſcentiæ non eſt bonum; argumentum quidquam evinceret. Sed dicimus, matrimonium iſtud non eſſe aptam voti materiam: quia licet bonum ſit, impedit tamen maius bonum: quod ſatis eſt ad infringendum voti valorem. Alioqui, ſi votum foret validum quod eſt de re bona, potiori iure validum eſſe deberet votum de matrimonio contrahendo in officium naturæ: quod ſane maius bonum eſt quam matrimonium ineundum in concupiſcentiæ extinctionem. Quod ſecundo opponunt loco Salmanticenſes, ineptum prorſus eſt. Si quis votum emitteret furandi, votum nullum eſſet: quia furtum materia inepta voti eſt, non tantum quia minus bonum, ſed quia res mala eſt; ducere autem concubinam in matrimonium genere ſuo bonum eſt, quamquam maius bonum impedire valeat. Diſcrimen ergo evidens eſt, mirandumque a viris Theologis hæc obtrudi potuiſſe. Quod ultimo loco adiiciunt, non eſt maioris momenti. Nam etiam admiſſo quod quis teneatur iure naturæ contrahere matrimonium, ut peccata vitet libidinis; minime hinc infertur, hunc poſſe ſeſe in ſtatu conſtituere reſiſtendi Spiritui ſancto per votum, quo impediatur aſſentiri vocationi ad altiorem ſtatum. Advertant ergo ſophiſticam ratiocinationem. Poteſt quis matrimonium contrahere, ut peccatum declinet libidinis. Concedamus etiam quod quandoque ad id teneatur; quamquam neſcio an occurrere eiuſmodi debitum poſſit, cum plurima alia ſuppetant luxuriæ remedia. Ceterum nemo poteſt voto ſe ineptum reddere ad amplectendum perfectiorem ſtatum, ad quem vocari a Deo valet. Exempla quæ præfati Salmanticenſes *num.* 45. produnt, alibi ſub examen inducemus. Hanc noſtram ſententiam defendunt Sotus *Lib. VII. quæſt.* 1. *art.* 3. Prado *Tom. II. cap.* XXXI. *quæſt.* 11. *§.* 5. *num.* 50. Ioannes a S. Thoma 2. 2. *diſp.* XXIX. *art.* 7. *concl.* 4. Aragon. 2. 2.
quæſt

quæſt. lxxxviii. *art.* 2. Ioannes a Cruce *de voto dub.* 2. *concl.* 4. Caſtropalaus *tract.* xv. *diſp.* 1. *punct.* 8. *num.* 14. Sporer *tract.* iii. *in* 2. *præcep. Decal. cap.* 11. *ſec.* 2. *num.* 61. Layman *Lib. IV. tract.* iv. *cap.* 11. *num.* 12. Quamquam hi tres ultimi, Palaus, Layman, & Sporer, potius in contrariam ſententiam concedunt: inquiunt enim ſecundum virtualem hypotheſim, quod homo fragilis alia remedia adhibere nolit, votum obligans eſſe. Nihil tamen producunt quod ex dictis ſolutum non maneat.

XII. Quæſt. VII. *An coniugatus, impeditus a petitione debiti ob votum, aut inceſtum, aut cognationem ſpiritualem, poſſit petere, quoties vehementibus carnis ſtimulis agitur, ne periculo exponatur in gravia luxuriæ peccata labendi?* Reſp. P. Patritius Sporer, qui hunc proponit caſum tract. iii. in 2. præcep. Decal. cap. 11. ſec. 2. §. 3. num. 65. *Affirmativam*, inquit, *ſequor*. Et hoc pacto ſuam probare contendit concluſionem, cuius propria verba referre iuvat, ne illi imponere videamur. „ Probatur (ait) in illo qui poſt matrimonium, vel ante illud vovit caſtitatem. „ Quia ſicut votum ex communi DD. cum S. Thom. debet eſſe de re meliori, „ ita etiam obſervatio voti. Sed votum, & eius obſervatio in prædictis circum„ ſtantiis non ſunt de re meliori. Ergo non obligant. Maior eſt certa... Minor eſt „ certa: quia cum ex obſervatione voti, periculo proximo quis exponatur inci„ dendi in aliqua peccata luxuriæ intrinſece malæ, & tunc non obſervatio voti „ (ſcilicet petere debitum a propria uxore) non ſit intrinſece malum, manifeſtum „ eſt nec votum, nec obſervationem voti eſſe de re meliori &c. Hæc & longe „ plura in hanc rem *doctiſſimus P. Quintanadvennas*, cui ſubſcribit *expertiſſimus Ca-* „ *ſiſta Gobatius*. "

XIII. Opinio iſthæc, ut ego quidem arbitror, non modo improbabilis, ſed pace *doctiſſimorum*, & *expertiſſimorum* Caſuiſtarum tantorum, laxa nimium eſt, & ad omnia vota de medio tollenda viam aperit latiſſimam. Quippe conceptis verbis docent iſtius opinionis patroni, votum non obligare eum qui adverſus voti obſervantiam ſenſuum rebellione ad committenda flagitia ita pertrahitur, ut in proximo ſe ſentiat conſtitutum periculo votum violandi. Nulla ergo erunt omnia caſtitatis vota, quoties homines voventes petulca prurigine ad fornicandum, & adulterandum irritantur? Poterunt ergo coniugati voto, vel alio vinculo a debiti petitione prohibiti, debitum petere, ut vitent libidinis crimina? Cur? Quia non obſervatio voti non eſt intrinſece quid malum; cum non obſervatio voti ſit petere debitum, quod eſt bonum. Quidni ergo poterunt tum Monachi, tum Clerici ſæculares ardore peruſti concupiſcentiæ matrimonium contrahere; cum matrimonium etiam in remedium concupiſcentiæ inire non minus ſit bonum quam bonum eſt petere debitum ad eamdem concupiſcentiam ſedandam? Cur, quæſo, invalidum erit votum in coniugato ad libidinem prono? Cur in hoc homine obſervatio voti non eſt de re

I iiij me-

meliori! Quia hæc obſervatio iuncta eſt periculo proximo prolabendi in libidinem. Sed eidem proximo periculo libidinis adnexa eſt obſervatio voti monachalis. Non ergo tunc erit de meliori bono. Non ergo validum erit tale votum.

XIV. Quid ad hæc? Fortaſſe, quod votum caſtitatis monachale, & Clericorum ſolemne, coniugatorum vero ſimplex eſt. At diſcrimen iſtud extraneum prorſus eſt, & ad propoſitum noſtrum ineptum. Nam tam votum ſolemne quam ſimplex debent eſſe de meliori bono, ut omnes fatentur. Sed, iuxta doctiſſimos Quintanadvennas, Gobatios, & Sporerios, quando coniugatus homo voto adſtrictus ſtimulis carnis urgetur acutiſſimis, eſtque in periculo proximo illud violandi, votum tunc non eſt de meliori bono. Ergo, ſi in coniugato non eſt de meliori bono, neque in Presbytero, neque in Monacho eidem periculo proximo votum erit de bono meliori. Quod ſi hoc votum non obſtat quominus coniugatus petere debitum valeat, quia petitio debiti bona eſt; cur votum officiet quin Monachus, vel Presbyter contrahere matrimonium valeat, cum matrimonium inire bonum ſit? Sed mittamus vota ſolemnia Religioſorum, & ad vota ſimplicia oratio noſtra converratur. Nulla ergo erunt vota caſtitatis quæ tot Catholici emittunt, quoties in proximo reperiuntur periculo libidinis? Nulla, inquiunt. Audi ſequentem caſum.

XV. Parthenius adoleſcens vehementer libidinoſis vexatur tentationibus, & frequenter eis ſuccumbit: & quamvis inde advertat ſtatum coniugalem multo utiliorem ſibi futurum quam cælibem, facit tamen votum caſtitatis, idque graviter violat, ut illud iam vellet non eſſe factum. Quæritur, utrum hoc votum ſit validum? Reſp. Probabile eſt illud votum non eſſe validum: quia, omnibus conſideratis, non eſt de meliori bono. Ita P. Adamus Burghaber *centur.* I. *Selector. Caſuum caſu* 66. P. Patritius Sporer *loc. cit. num.* 64.

XVI. Recenſita opinio laxa eſt, nulloque modo probabilis. Demus enim, imprudens eſſe votum præfatum; hæc tamen imprudentia non tollit quin caſtitas voto promiſſa ſit apta voti materies; neque deliberatam voventis electionem aufert. Experitur vovens frequentes in libidinem lapſus; nihiloſecius deliberate vult vovere caſtitatem. Unde ergo colligendum eſt, votum iſtud nullum eſſe? Ex voti violatione repetita? Si ita foret, pauca vota valida eſſent. Docet quoque Martinus Bonacina laudatam opinionem *diſp.* IV. *quæſt.* II. *punct.* I. *num.* 26. Subdit tamen petendam eſſe diſpenſationem. Quid feſtivius? Votum nullum eſt; impetranda eſt tamen diſpenſatio. Quem effectum pariet diſpenſatio hæc, ſi votum nullum eſt? A quo vinculo abſolvi debet vovens, ſi nullo vinculo obſtringitur? Sed laxiora ſuperſunt.

XVII. Quæſt. VIII. *An votum caſtitatis, Religionis, vel non nubendi, cui ſalubrius eſt matrimonium ob incontinentiam, ſit validum, impediatque matrimonium licite iniri? Item*

Item an nulla evadant eiuſmodi vota ſemel emiſſa ob ſupervenientes libidinis vexationes? Reſp. Leander *tract.* IX. *de matrim. diſp.* XXIII. *quæſt.* II. *&* III. docet ſequentia. „ Negativam ſententiam, videlicet neque eſſe validum tale votum, nec ma„ trimonium impedire, ſuadere poteſt qnis his argumentis. Primo votum ineundi „ matrimonium eſt validnm in illis quibus ſalubrius iudicatur fore ut matrimonium „ ob incontinentiam ineant, eo quod ſit de meliori bono reſpectu voventis: ergo „ prædicta vota huic contraria, ſunt de minori bono reſpectu illius voventis: ergo „ irrita. Patet: quia duæ res contradictoriæ nequeunt in eodem legitima materia „ eſſe, & pro eodem tempore." Acuta quidem, & robuſta dialectica. Sed audiamus ſecundum argumentum. „ Votum (ſubdit) caſtitatis, vel Religionis factum „ ab eo quem carnis moleſtiæ, & frequentes ruinæ antecedunt, non eſt de mate„ ria ſatis idonea, & iuſta; immo potius contra conſilium D. Pauli I. Cor. VII. „ dicentis: *Quod ſi non ſe continent, nubant: melius eſt enim nubere quam uri.*"

XVIII. Utrum eiuſmodi principia faveant Luthero, Calvinoque, obgannientibus adverſus Catholicorum vota, quod ſint humanæ fragilitati importabilia, & lumborum ardoribus contraria, ceteri videant. Ad primam rationem quod attinet, quam ut certam ponit Leander, iam ſupra demonſtravimus eam falſam eſſe. Lex quam opponit contradictionis, perperam applicatur. Ex ea enim ſolum eruitur quod idem non poſſit ſimul eodemque tempore duo vota contraria, ſeu *contradictorie* oppoſita, nempe votum nubendi, & votum non nubendi edere; vel votum nubendi, & votum caſtitatis. Qui votum caſtitatis emittit, tametſi carnis illecebris irretitus, votum illud eligit ut inſtrumentum cohibendi carnis rebellionem. Materia ſuapte natura eſt quid melius; & vovens ut ſibi expedientius remedium reputat. Si oppoſitum votum nubendi eliceret, contrarium quoque iudicium efformaret. Quare cum materia, nempe caſtitas, ſit ſuapte natura voto idonea, utpote melius bonum, eo ipſo quod a vovente ut talis reputatur, non poteſt fieri inepta voti materia vel in ipſo homine libidinis periculo obnoxio, etiam admiſſo quod, ſi contrarium iudicium efformaret, poſſet edere votum nubendi. Hæc tamen contra ſophiſticam rationem dicta ſunt. Verum, ut iſtius opinionis laxitas magis pateat, antequam propius ad eam impugnandam accedo, placet laxiora quæ idem Leander cum nonnullis aliis docet, ob oculos ponere.

XIX. Pergit porro Leander, inquiens, non ſolum invalida eſſe vota facta tempore quo quis calore libidinis uritur, verum etiam illa quæ, licet tempore tranquillitatis, & concordiæ carnis cum ratione facta ſint, evadunt tamen ob ſupervenientes tentationes, ſenſuumque rebellionem inepta voti materia. *Quia*, inquit, *quod ante emiſſum votum efficit ut res promiſſa ſit inepta voti materia, ſi eo emiſſo ſupervenit, tollit voti obligationem. At ſic eſt quod in ſententia horum Doctorum frequentes lapſus in venerem irritant vota Religionis, caſtitatis &c. Ergo iidemmet*

lapſus

lapſus irritabunt eadem vota antecedentia. Hanc poſtea ſententiam ad examen vocans, inquit quod ſit *probabilior ſpeculative*. Probabilior, nedum probabilis ſpeculative tamen. Quid practice? In hac linea eſt probabilis, quin & tuta. *Sed ego* (ait ibi quæſt. III. pag. 325.) *probabiliter reſpondeo, eſſe prædictam opinionem practice etiam loquendo, aliqualiter probabilem, tutoque amplecti poſſe... Ergo abſque diſpenſatione poterit matrimonium inire.*

XX. Audiſtin'? Eſt aliqualiter probabilis præfata opinio: ergo *tuto amplecti poteſt*. Gradatim incedunt Probabiliſtæ. Primum aliqua ſubtiliſſima excogitant ratiocinia, quibus velum probabilitatis ſpeculativæ prætendant propriæ opinioni. Deinde velum iſtud ſubtiliſſimum pluribus involvunt reflexionibus, quibus illud adeo craſſum, ſolidumque efficiunt, ut pro ſecura morum regula illud obtrudant. Præfata opinio, inquit Leander, *practice tuta eſt*. Pro hac opinione illud afferri poteſt quod iuxta graves Auctores votum nubendi validum ſit ob evitandam fornicationem: ergo votum non nubendi, ſeu caſtitatis invalidum erit. Conſequentiam negat Sylvius 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *art.* 2. *concl.* 6. quia licet homini fragili minus expediat cælibatus, quando liber eſt, nulloque voto obligatus; ſi tamen eouſque pertingat, ut eidem cælibatui ſe voto devincire velit, tunc cælibatus illi utilior erit quam matrimonium. Ioannes Marin *Tom. II. tract.* IX. *diſp.* II. *ſec.* 6. *num.* 79. reſpondet, validum eſſe votum nubendi conditionate acceptum; ideſt, ſi vovens nolit alia eligere media. Verum nihil eiuſmodi ratio ad nos, qui oppoſitum docuimus, pertinet. Ideo, his miſſis,

XXI. Expendamus breviter principia, & conſecutiones ſententiæ iſtius. Illud primum omnium animadvertendum eſt, caſtitatem, & Religionis amplexum, ſecundum omnes Catholicos eſſe aptam, immo potiſſimam votorum materiam, Auctores præfatæ opinionis id affirmant; ſed ſimul contendunt quod in circumſtantiis veneris pulſantis, & urentis animum illius qui votum emiſit, caſtitas evadat hic & nunc materia inepta, eo quod ſalubrius ſit matrimonium. Ego tamen inquiro, cur caſtitas his in circumſtantiis evadat incongrua voti materia. An quia ſit homini fragili, & vexato carnis ſtimulo impoſſibilis? Si aſſeris, hæreticus es. Deus enim non permittit nos tentari ſupra vires noſtras, eiuſque cæleſti ſubſidio omnia vincere poſſumus. An inepta ſit, quia res ardua, & obſervatu difficilis? Sed omnia conſilia evangelica, votis ſubiecta, ardua, & difficillima ſunt. Et de caſtitate ſpeciatim loquens Servator noſter Chriſtus Dominus teſtatur, non omnes capere verbum iſtud. Cur ergo inepta eſt voti materia caſtitas reſpectu hominis fragilis, & in libidinem proni? Quia matrimonium ſalubrius eſt huic homini fragili, & veneri obnoxio. Iſthic tota ſophiſticæ argutationis vis latitat. Si ex hominum fragilitate, & in malum proclivitate colligenda eſſet aptitudo materiæ voto ſubiiciendæ, actum de omnibus votis eſſet. Natura ipſius

ipſius victimæ voto ſupponendæ conſideranda eſt: &, ſi genere ſuo, ſuaque indole melior fuerit, apta erit voti materies. Cum Theologi dicunt, votum eſſe de *meliori bono*, num illud melius bonum comparate ſumunt ad hunc, ant illum hominem carnis ardoribus obnoxium? Nemo ſanæ mentis hoc dixerit. Quod ergo melius bonum ſuapte natura eſt, voti quoque materia eſt; quamquam huic, vel illi homini ex propria iniquitate minus ſalubre evadat. Plura ſunt quæ homini ſalubria aliquando forent, ut ſeminis effuſio voluntaria, fornicatio, & alia non pauca. Scio hæc genere ſuo mala eſſe; ideoque non multum urgere. Sed verum itidem eſt caſtitatem genere ſuo meliorem eſſe matrimonio, & conſequenter ex fragilitate hominis privati nullo modo effici poſſe deteriorem. Fragilitas, & propenſio hominis in venerem id ad ſummum efficere poteſt, ut hic homo imprudenter caſtitatem voveat; &, ſi prius conſilium petat, Theologus debeat ei diſſuadere talis voti emiſſionem, ad removenda ab ipſo plurima peccandi pericula; at numquam efficere poteſt ut caſtitas inepta ſit materia voti, & votum ipſum invalidum ſit, quoties homo deliberate, & ſponte ſua tale votum emiſerit. Quod voti materies melius bonum eſſe debeat abſolute, & per ſe, minime reſpectu huius, vel alterius voventis, docet Maior *in IV. diſt.* XXXVIII. *quæſt.* 1. *col.* 2. idque adprobat Sanchez *Lib. IV. Sum. cap.* VIII. *num.* 10. Et ego addo, id a nemine negari iure poſſe. Quod ſi conceptis verbis Doctores omnes hanc explicationem non exhibent, illam omittunt, quia ſuperfluam putant; cum res per ſe ſit ſatis perſpicua. Illa tamen ex communi omnium doctrina colligitur.

XXII. Confirmatur falſitas iſtius laxæ opinionis. Homo fragilis, & in libidinem prolabens poteſt ne, divino fultus auxilio, carnis impetus coercere, caſtitatem ſervare, atque victoriam de impuro ſpiritu reportare? Hoc de fide eſt. Ex ſua ergo malitia libidini inſervit. Ergo ex illius malitia caſtitas evaderet materia inepta voti, ſi votum ob illius in libidinem lapſus foret nullum. Quis porro auſit obtrudere, hominum iniquitatem rerum ordinem pervertere, atque opera quæ genere ſuo ſanctiora ſunt, de gradu deiicere, & deteriora reddere poſſe? Quis Catholicorum id dixerit? Sit ergo hominis in libidinem impotens proclivitas, ſint frequentes lapſus in eamdem; numquam tamen efficere poterunt ut caſtitas ſit incongrua voti materia, ut votum eiuſmodi caſtitatis ſit invalidum, poſito quod deliberato animo emiſſum fuerit.

XXIII. Accedit quod homini ardore libidinis æſtuanti plurima alia remedia ſuppetunt præter matrimonium, & ſæpe validiora, ut preces, ieiunia, labores, & alia non pauca, quibus compeſcere impulſus valet concupiſcentiæ. Immo qui ſine ſedandæ ſitis libidinoſæ matrimonium contrahunt, tribulationem, ut ait Apoſtolus, carnis patiuntur; & ſitis non extinguitur ſemper, ſed augetur; niſi amor caſtitatis coniugalis, concupiſcentiæ, ad alias aquas ex aliis ciſternis epotandas

Digitized by Google

das provocantis, ſtimulis obſiſtat, & reluctetur. Cum ergo plurimis aliis modis ſcopulos ſalacis concupiſcentiæ declinare quiſque valeat; perperam opponitur matrimonium ut quid ſalubrius homini a caſtitate nimis alieno ob ſuam in libidinem inclinationem. Hæc omnia veriſſima ſunt. Ceterum, etiam dato quod hic & nunc huic homini magis congrueret matrimonium, omnibus inſpectis circumſtantiis: non ideo neque hac in poſitione conſequitur caſtitatem fieri ineptam voti materiam, invalidumque fore de illa votum, ut iam demonſtratum eſt.

XXIV. Tandem extrema iſtius opinionis laxitas, quæ communi Eccleſiæ catholicæ ſenſui infeſtiſſima eſt, ex iis quæ Leander adiicit, evidentius apparet. Non ſolum etenim ſubdit Leander, invalidum eſſe votum quod Chriſtiani emittunt, dum experiuntur libidinis tyrannidem, & frequentes lapſus; verum etiam eo laxitatis prolapſus eſt, ut aliorum Auctorum nomine inferat, nullius quoque valoris evadere vota quæ homo emiſit tempore quo libidini minime erat obnoxius; ſi tentationes graves ſuperveniant, atque vovens in proximo periculo incontinentiæ, & prolabendi in libidinem conſtituatur. Rationem quam aſſignat, dedimus ſupra *num.* 7. illamque Leander exſcripſit ſyllabatim ex Sanchez *Lib. IV. cap.* VIII. *num.* 9. familiaris eſt enim huic Caſuiſtæ exſcriptoris profeſſio. Quod ideo dico, ut colligat lector, parum deferendum eſſe illius doctrinæ. Non ſolum enim laxiores aliorum Auctorum ſententias ambabus ſuſcipit ulnis; ſed ipſe quoque aliquid laxius adiicit, & laxitatis confinia amplificat, atque dilatat; ut ex hac ipſa opinione conſtat. Ledeſma, Sancius, Martinus de S. Ioſeph, & alii nonnulli docuerunt, incontinentiam præcedentem invalidum efficere votum. Leander vero addit, incontinentiam *ſupervenientem* votum iam emiſſum irritare: & inſuper quod alii tamquam *ſpeculative* probabilem opinionem vendiderunt, ipſe tamquam *practice* probabilem, immo *tuto* amplectendam lectoribus ſuis proponit benigniſſimus Scriptor. Hanc eamdem opinionem defendit Leander a Murcia Capucinus *in diſquiſ. moral. Lib. II. diſp.* 11. *reſol.* 23. *num.* 5. his verbis. „Colligitur „ ex communi Doctorum ſententia, quod, ſi poſt votum emiſſum materia eiuſ„ dem voti efficiatur *inepta*, *vel impoſſibilis*, fit etiam votum irritum, & invali„ dum; etiamſi prædictum votum ſimplex ſit caſtitatis, vel Religionis.... Nec „ vero eſt iudicandum, quod aliqui autumant votum eſſe debere de meliori bo„ no in ſe, & non de eo quod melius eſt voventi: tum quia hoc eſt contra „ communem omnium ſententiam, tum quia manifeſte eſt contra conſilium Apo„ ſtoli &c. " dicentis: *Melius eſt nubere quam uri*. Non eſt ergo ſolus Lutherus effutiens caſtitatem eſſe impoſſibilem. Probabiliſta hic noſter rotundo ore non modo ait, ſed ſupponit ex communi Doctorum, caſtitatem ob ſupervenientes tentationes fieri ineptam, & impoſſibilem voti materiam. Utique Doctores aſſerunt omnes, votum nullum eſſe, illius materia impoſſibili reddita. Sed quod ſupervenien-

Digitized by Google

nientes tentationes, & lapſus in venerem, impoſſibilem reddant caſtitatem, hæreſis eſt Lutherana. Quod vero ſubdit, eſſe *contra communem omnium ſententiam*, *& contra conſilium Apoſtoli*, quod voti materia ſit melius bonum in ſe, & non voventi, nimiam ſapit audaciam, & impoſturam. Quoniam hinc infertur, communem omnium ſententiam eſſe, votum nullum effici ob ſupervenientes tentationes, quia tunc caſtitas non eſt melior voventi: quod aperta falſitas eſt, cum potius communiſſima ſententia catholicorum Theologorum ſit, votum iſtud validum eſſe. Ut ergo ſophiſma iſtius Auctoris evaneſcat, animadvertas oportet, quod alibi diximus *num.* 19. nempe votum eſſe de meliori bono, quod & genere ſuo tale eſt, & hominibus quoque divino auxilio inſtructis melius evadit. Si hoc melius bonum accipiendum foret, & metiendum ex fragilitate carnis, & iniquitate ipſius voventis; actum eſſet de omnibus fere votis. Quare male P. Claudius La-Croix *Lib. III. part.* 1. *dub.* 3. *num.* 409. reiicit ſententiam Sanchez, Valentiæ, & aliorum, qui noſtram tuentur opinionem, adhæretque Gobatio, & Moyæ, qui certe in hoc aberrant, dum volunt quod res promiſſa ſit melior voventi per comparationem ad illius propenſionem in venerem, & lapſus in fornicationem. Vera namque ſententia habet quod res promiſſa, voto ſubiicienda, ſit melior ſuo genere, & ipſi voventi auxilio divino freto, ſeu illi qui, ſicut ceteri Chriſtiani, poteſt, ſi velit, caſtitatem ſervare. Clarius rem explico. Lex divina congrua eſt, & ſuavis generi humano divinis auxiliis ſuffulto. Hominum pravitate, & malitia aſperum, graviſſimumque evadit iugum lex iſta. Quid inde? Utique votum eſt de meliori bono, non ſolum abſolute, ſeu relate ad hominem (ſolus quippe homo vota edit) ſed relate ad hominem chriſtianum gratia cæleſti inſtructum, bene moratum, ſuæ æternæ ſalutis ſitientiſſimum; non relate ad hominem petulcum, ſalacem, brutalem.

XXV. Quantum laxitatis, immo deformitatis præferat opinio laudata, nemo non videt. Primum univerſo Eccleſiæ catholicæ ſenſui repugnat. Semper enim conſuetudo obtinuit ut qui vota caſtitatis emiſerunt, diſpenſationem a ſummo Pontifice obtineant: quam Pontifex concedere minime ſolet, niſi aliqua iniecta commutatione. Nonne perridicula eſſet eiuſmodi diſpenſatio, ſi votum nullum foret? Nonne iſte Eccleſiæ perpetuus, & maniſeſtiſſimus mos ſatis eſſe debuiſſet ad coercendam nimiam iſtorum Caſuiſtarum licentiam? Nonne multum audaciæ præfert quod pauci Caſuiſtæ auſint univerſalem Eccleſiæ conſuetudinem abolere? Abolent autem, quantum per illos eſt, dum conceptis verbis ſcribunt, voto caſtitatis obſtrictum Chriſtianum poſſe abſque diſpenſatione matrimonium inire.

XXVI. Conſecutiones quæ ex hac laxiſſima ſententia proficiſcuntur, indicandæ obiter ſunt; ſi tamen maniſeſtatione egent, quandoquidem ſponte ſua ſe ſe in cuiuſque oculos ingerunt. Facta namque poſitione quod ſupervenientes difficultates,

tes, carnis moleſtiæ, ſenſuum rebelliones antiquare, irrita facere, diſcindere valeant vota ſemel valide emiſſa; nemo eſt qui non videat quæ hinc conſequuntur. Nonne hinc infertur, nulla prorſus fore plurima vota? Quis eſt ex innumera multitudine voventium, qui difficultates, moleſtias, rebellioneſque carnis non ſentiat? Et tamen plurimi, divino opitulante Numine, a lapſibus abſtinent, de carne, & concupiſcentia triumphos reportant. Quod ſi aliqui propria culpa ſuccumbunt; anne ob iniquitates ſuas immunes erunt a voti vinculo? Si moleſtiæ, rei arduitas, frequentes lapſus vota ſimplicia caſtitatis diſſolvunt; cur non & ſolemnia? AEque enim hæc ac illa aptam expoſcunt materiam. Si caſtitas inepta eſt voti ſimplicis materia, quidni & ſolemnis? Quis non videt hinc conſequi, hæreticos argumentum ſumere poſſe ſacrilega honeſtandi matrimonia Lutheri, Buceri, aliorumque ſimilium. Salubrius fore matrimonium cenſuit Lutherus, non ob aliam rationem, niſi ob ſummam difficultatem, &, ut ipſe blaſphemavit, impoſſibilitatem ſervandi caſtitatem. Et licet maximum diſcrimen ſit inter ſolemne votum & ſimplex; in hoc tamen conveniunt quod materiam aptam, & congruam habeant. Quod ſi difficultates, moleſtiæ, frequenteſque tranſgreſſiones ſatis ſunt ad efficiendam caſtitatem materiam ineptam pro voto; eadem ratione ſufficient ad antiquanda cetera vota. Vehementes cupiditates pecuniarum, moleſtia quam affert earumdem privatio, & frequentes tranſgreſſiones voti paupertatis nullum efficient votum iſtud: idemque dicendum de obedientiæ voto. Itaque ſalubrius hic & nunc erit poſſidere divitias quam venditis omnibus nudum Chriſtum ſequi; ſalubrius erit ſui iuris eſſe quam aliis ſubiici; ſalubrius erit ventrem implere quam ieiunare. Ne multa: hæc doctrina, qua aſſeritur *supervenientes difficultates, moleſtias, tranſgreſſiones crebras reddere rem promiſſam materiam ineptam pro voto, & votum ipſum diſſolvere, irritumque facere*, ſicut de medio tollit fere omnia vota, ita etiam promiſſa omnia inter homines infringit, ac humanum abrumpit commercium. Quandoquidem, ſi recenſita obſtacula vota Deo nuncupata diſſolvunt, eo quod materiam mutant; quidni & promiſſa inter homines facta eodem titulo infringent? Neque alicuius momenti eſt quod ſubdit Leander *cit. quæſt.* 11. nempe quod non relinquitur cuiuſque iudicio ferre ſententiam, num omnibus circumſtantiis inſpectis ſalubrius ſit matrimonium contrahere; ſed tantum iudicio pii, & prudentis Confeſſarii, nempe perdocti Caſuiſtæ. Nugæ iſtæ ſunt, vanique fuci, qui minime laxiſſimæ doctrinæ horrorem obtegere valent, aut imminuere. Quin verus iudex tentationum, moleſtiarum, & lapſuum in venerem nemo peritior eſt illo qui talia experitur. Poſito ergo quod recenſita incommoda nulla efficiant emiſſa vota, ut contendunt Caſuiſtæ laudati; iam quiſque nullum votum ſuum iudicare poterit. Ad ſummum conſulere poterit Confeſſarium aliquem qui pro magiſtris habeat Leandrum, Moyam, ſicet

cet

cet proſcriptum, La-Croix, Gobatium, ceteroſque in uno docendi genere conſentientes.

XXVII. Dicimus ergo, valida prorſus eſſe vota antedicta, dummodo deliberate fuerint emiſſa; ſive tentationes ſupervenerint, ſive anteceſſerint, ſive comitentur; ſive moleſtiæ, & lapſus frequentes ſint, ſive rari. Eiuſmodi caſtitatis, ſive alterius voti ſervandi obſtacula, difficultates, & pericula ſolum quandoque cauſſæ ſunt congruæ impetrandi diſpenſationem, ſi emiſſis iamdiu votis adveniant: vel, ſi vota antecedant, viroque prudenti innotuerint, æquiſſimam rationem præbebunt, ut, attenta hominis infirmitate, eidem abſtinentia a voto, ceu bonum ipſi ſalubrius, perſuadeatur. Neque confugiendum puto ad doctrinam illam quam tradit P. Sanchez *Lib. IV. cap.* VIII. *num.* 10. quamque adoptant Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* 1. *punct.* 2. *§.* 2. *num.* 44. nempe quod caſtitatis voto devincti ſpectari poſſunt vel ut homines ſingulares, vel ut ſunt communitatis Eccleſiæ membra. Porro, licet melius ſit nubere huic homini, ut ſingularis perſona eſt; non tamen id verum habet, ſi conſideretur ut eſt Eccleſiæ pars: quia ſub hac conſideratione gratius Deo eſt tale votum. Cur? Quia, inquiunt Salmanticenſes, *ad bonum Eccleſiæ plurimum refert quod adſtrictus voto caſtitatis... eo iudicetur adſtrictus: alias votum tam arduum, tamque in Eccleſia celeberrimum, facillimo negotio corrueret*. Ego dicerem, ad bonum Eccleſiæ pertinere, ut adſtrictus voto caſtitatis iudicetur adſtrictus, ſi reipſa eſt adſtrictus. Quoniam Eccleſiæ bonum veritate, non falſitate nititur. Laudata doctrina, ſi clarius, & preſſius exponatur, hunc prodit ſenſum: Votum caſtitatis emiſſum ab homine fragili, validum eſt, ſi hic homo vovens conſideretur ut pars communitatis Eccleſiæ; eſt autem invalidum, nullumque, ſi conſideretur ut homo privatus: quoniam homini ut privato melius eſt nubere; ut membro Eccleſiæ, ſalubrior eſt caſtitas. Quæ diſtinctio arbitraria eſt; quin, ut mihi videtur, falſa, & Eccleſiæ iniurioſa. Videtur namque ex illa inferri, ad bonum commune Eccleſiæ ſpectare quod votum caſtitatis validum ſit; licet in privatis fidelibus non ſit reipſa validum, licet privatis fidelibus ſalubrius ſit matrimonium: quod quam falſum ſit, nemo non videt.

XXVIII. Exemplum, quo Salmanticenſes *num.* 45. contendunt illuſtrare doctrinam ſuam, pariter nobis valde implexum, ne omnino falſum dicamus, videtur. *Quare*, inquiunt, *erit validum illud votum* ſolemne caſtitatis, *cum ſit melius voventi nubere quam vinculo voti adſtrictum tot lapſibus ſubiacere? Quia, ut pars eſt illius Religionis, melius eſt quod votum in ſuo robore perſiſtat, ne pluribus ſcandalis, & relaxationibus aditus pateſiat*. Idem docet Leander a Murcia *in diſquit. moral. Lib. II. diſp.* 11. *reſol.* 24. Etiam hæc doctrina ſaltem involuta nimis eſt, & ſenſibus erroneis expoſita. Idcirco namque validum ſolemne caſtitatis votum defendere videtur in Religioſo fragili, & lapſibus obnoxio, ut ſcandala, quæ alioquin ſequeren-

rentur, ſi votum nullum eſſet, vitentur, & bonum Religionis ſartum tectum conſiſtat: non quod reipſa reſpectu talis perſonæ privatæ validum votum ſit. Hæc porro, ut indicavimus, falſa ſunt: quoniam voti valor ab his reſpectibus, & relationibus non pendet; ſed a deliberatione voventis, qui materiam ſuo genere aptam, & congruam ſervandam eligit. Iſti Probabiliſtæ anſam non levem hæreticis præbent carpendi vota monaſtica, atque eadem traducendi, tamquam onus humanas vires excedens. Si enim, ut contendit Leander a Murcia cum ſuis Caſuiſtis, votum ſolemne caſtitatis validum eſt, licet vovens in libidinem prolabatur, & continenter carnis rebellione vexetur, propter perfectionem ſtatus, propter ſcandala, & perturbationes, quas Religio cuius vovens membrum eſt, ſubiret, & ob plures Religioſos, qui clauſtra relinquerent, ſeque Religioſos non eſſe dicerent: valida ergo erunt vota ſolemnia ob politicos ſolum reſpectus, ob extrinſeca quædam damna vitanda. Supervenientes tentationes, & lapſus in venerem nullum efficiunt votum ſimplex caſtitatis. Cur? Quia amplius non eſt melius bonum voventi. Eiuſmodi tentationes, & lapſus non efficiunt irritum votum caſtitatis ſolemne. Cur? Quia eſt melius bonum voventi, ut eſt pars, & membrum Religionis, quæ, ſi votum fieret irritum, multis malis ſuccumberet. Minus malum eſt per iſtos Doctores quod privatus damnetur, quam quod Religio ſcandalis ſit obnoxia. Hæc ſunt conſectaria quæ profluunt ex hac laxiſſima, & penitus improbabili opinione. Doctrina autem communiſſima omnium catholicorum Doctorum eſt (quidquid fabuletur Leander a Murcia cum altero ſuo Leandro, aliiſque paucis) quod votum ſive ſimplex, ſive ſolemne caſtitatis validum eſt: quia ſemper eſt de meliori bono & abſolute, & reſpectu voventium: licet enim ex aliquorum malitia & iniquitate reddatur difficilis eiuſdem obſervantia, numquam tamen impoſſibilis fit. Semper quippe ſive ſimplicia, ſive ſolemnia vota obſervari valent. Si voventes ea non obſervent, ex eorum pravitate ſola contingit.

XXIX. Auctores iſti homini fragili, & veneri ſubiecto ſtatim ut quid ſalubrius matrimonium proponunt; perinde ac ſi alia remedia nulla forent. Quid, ſi homo iſte æſtu libidinis ardens nuberet, eiuſque unica uxor ſatis illi non foret ad impuram ſitim extinguendam; permitterent ne illi uxorem alteram? Minime profecto: quia naturali iure id vetitum eſt. Quid, ſi voto ſolemni caſtitatis ſit obſtrictus? At tunc, inquiunt, conſideratur ut membrum Religionis. Quid, ſi matrimonio contracto, tot impudicitiis obnoxius hic homo fieret, ut matrimonium eſſet illi occaſio innumera perpetrandi flagitia? Quid, ſi omnibus penſatis, ſalubrius illi foret votum caſtitatis? Reſponſio obvia eſt, quod matrimonium ſua natura validum, ex contrahentium malitia infringi nequit; neque ex impotenti hominum libidine multiplicandas uxores eſſe; neque irritandum votum ſolemne ob voventium malitiam. Quidni ergo idipſum dicendum & de voto ſimplici caſtitatis?

XXX.

XXX. Antequam huic quæſtioni finem facio, iuvat recenſere iudicium quod in hanc opinionem a me hactenus oppugnatam fert P. Matthæus Moya *in Qq. ſelec. tract.* 11. *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *de vot. & iuram.* Hanc controverſiam prolixe verſat tribus paragraphis. Primo in paragrapho refert Auctores diſputantes ſuper valore voti emiſſi ab eo qui, antequam voveat, proclivis in venerem eſt; & veriorem pronuntiat opinionem illam quæ validum eſſe votum propugnat. Tum in paragrapho ſecundo in medium affert ſententiam quæ ſuſtinet votum diſſolvi, & irritum fieri per ſupervenientem in res venereas proclivitatem. Auctores iſtius ſententiæ appellat doctiſſimos, ut ſuperlativum encomium quid ponderis tribuat opinioni. Pro eadem allegat doctiſſimos Dominicanos *Dominicum Baltanam*, *Sylveſtrum*, *Tabienam*, qui ſolum docent fieri nullum votum, quoties illius materia evadat inepta, vel impoſſibilis. Quod autem caſtitas voto Deo adpromiſſa ex propenſione ſuperveniente in venerem, fiat inepta, & obſervatu impoſſibilis, nemo eorum dixit. Tandem in paragrapho tertio ſuam ſtatuit opinionem, & ait: Quamvis opinio propoſita *ſ.* 1. valde probabilis ſit, contrariam tamen tenendam cenſeo. Conſequenter valde probabilem iudicat quoque ſecundam, quam *ſ.* 2. *num.* 14. neceſſario profluere ex prima indicat: & reipſa eam non impugnat; ſed cum ſuis argumentis illam lectoribus proponit. Et qui olim ſub larva Amædei Guimenii laxas opiniones evulgaverat, nunc ſub ſplendido probabilitatis colore recudit, atque patronum Leandrum doctiſſimum vocat; cum pateat merum eſſe collectorem. Quod non idcirco affero, ut gloriam doctiſſimi viri ad invidiam perducam; ſed ne lectores ex fallaci doctrinæ ſplendore hebetentur. Convulſis ergo tot ſophiſticis argutationibus, dico, votum ſemper validum eſſe, quando habet conditiones quas omnes requirunt, nempe quod ſit emiſſum ab homine ſui compote, libero, & voluntate deliberata, atque de bono meliori: quod bonum melius illud dicitur quod ſuapte natura tale eſt; ſecus per comparationem ad fragilitatem, vel iniquitatem hominum voventium. Nulli hominum caſtitas impoſſibilis eſt: quiſque, Dei gratia adiutus, illam ſervare valet. Si quis eam violat, eius culpæ, & pravæ voluntati vertendum eſt. Quoties ergo vere caſtitatis votum homo emiſit, quantumlibet carnis ſtimulis vexetur, voto ſemper adſtrictus manet, illudque ſervare tenetur.

XXXI. Obiicies. Id quod ante votum emiſſum efficit ut aliquid nequeat eſſe voti materia congrua, efficit quoque ut non ſit voti congrua materia, ſi poſt emiſſum votum ſuperveniat. Atqui fragilitas, & propenſio vehemens in venerem ante emiſſum votum efficit ut caſtitas non ſit apta voti materia; quemadmodum plures, graveſque Theologi docent, ſuſtinentes votum emiſſum ab eiuſmodi homine fragili contrahendi matrimonium validum eſſe, & invalidum caſtitatis votum: quæ ſententia ut nimium laxa reiici nequit. Ergo neque illa quæ ſuſtinet, ſupervenientem proclivitatem nullum reddere votum emiſſum. Reſp. Prima propoſitio

abſolute accepta, de qua infra, falſa eſt. Admittamus præcedentem propenſionem in venerem impedire ne votum validum ſit; quod ego tamen minime concedo: non inde profecto ſequitur quod ſuperveniens fragilitas abolere valeat votum ſemel emiſſum, & quod ſemel valorem obtinuit. Quoniam tunc ſolum illa propoſitio vera eſt, quando id quod ſupervenit, reddit materiam voto promiſſam aut impoſſibilem, aut voventi noxiam. Continentia homini voto eius obſtricto neque noxia per ſe, neque impoſſibilis efficitur: ideo nequit ſola difficilis illius obſervantia votum ſemel validum irritare. Plus namque requiritur ad abrogandum votum quod valide emiſſum fuit, & aliquoties executioni mandatum, quam ad impediendum ne valide emittatur. Hæc dicta ſint in qualemcumque excuſationem illorum Auctorum qui docent præcedentem fragilitatem votum nullum reddere. Ceterum ego aperte defendo, neque antecedentem, neque ſupervenientem fragilitatem poſſe caſtitatis votum abrogare, & irritum prorſus efficere.

XXXII. Quæſt. IX. *An validum ſit votum de non vovendo*? Reſp. Invalidum eſſe hoc votum abſolute acceptum omnes fatentur: quia non eſt de meliori bono; immo de re mala, utpote divino honori contraria, cum vota Deo nuncupare res Deo grata ſit. Nulla ergo erit obligatio faciendi oppoſitum, nempe non vovendi. Validum vero eſſet votum, quo quis decerneret, ſeu voveret, ſe numquam votum aliquod emiſſurum, niſi coram teſtibus, Confeſſario, vel ſcripto; ut ſic præcipitem, nimiumque celerem voti emiſſionem, ſeu nuncupationem vitaret. Hæc namque deliberatio votum non impedit; ſed congruam, immo prudentem vovendi rationem includit. Quamnam culpam poſtea committeret qui iſtius circumſtantiæ votum frangeret, non una eſt ſententia: alii mortalem, venialem ceteri eſſe contendunt. At maxime ex circumſtantiis id erit colligendum. Si enim quis non curaret votum factum, ſi illud nauci faceret; dubio procul peccaret graviter. Si vero quis aliquo rationis momento ductus votum, omiſſa circumſtantia ſub voto ſibi impoſita, ederet, non videretur talis tranſgreſſio letalis. Quid vero ſi ſtatuiſſet, votum a ſe emittendum, nullum fore, quoties deſcriptæ conditiones ſervatæ non fuerint? Tunc votum nullum eſſet. Eſt enim votum privata lex: vovens eſt legiſlator. Eo ipſo igitur quod is nolit ſuum votum valere, niſi talibus circumſtantiis, alioquin iuſtis, definitum, reipſa non valet.

XXXIII. Quæſt. X. *An votum non petendi diſpenſationem, commutationem, aut irritationem ſit validum?* Reſp. Duæ ſunt oppoſitæ Auctorum ſententiæ. Fatuum, nullumque eſſe eiuſmodi votum, tenet prima ſententia, quam defendunt Sotus *Lib. VIII. quæſt.* 1. *art.* 9. *prope fin.* Sanchez *Lib. IV. cap.* VIII. *num.* 21. Leander *tract.* 1. *diſp.* XXXV. *quæſt.* 111. Fagundez *Lib. II. Decal. cap.* XXI. *num.* 12. Bartholomæus a S. Fauſto *Lib. I. Theſaur. quæſt.* lxxxiv. & lxxxv. Trullenchus *Lib. II. cap.* 11. *dub.* 5. *num.* 20. Tamburinus *Lib. III. cap.* 5. §. 4. *num.* 8. & alii. Quoniam

hoc

hoc votum abſolute conceptum non eſt de meliori bono : ſiquidem aliquando contingere poteſt quod utilius ſit diſpenſationem petere quam non petere. Immo nolle umquam in quocumque caſu diſpenſationem petere, genere ſuo quid malum eſt. Malum enim ex quocumque defectu conſurgit. Hinc vota numquam mutuandi, fideiubendi, & his ſimilia invalida ſunt : quia eiuſmodi vota abſoluta plures comprehendunt caſus in quibus melius erit fideiubere, mutuum dare, diſpenſationem petere, & plures itidem alios caſus in quibus oppoſitum erit neceſſario faciendum. Idcirco, cum malum ex quocumque defectu conſurgat, vota præfata habent obiectum malum, nedum melius bonum ; & propterea nulla ſunt.

XXXIV. Altera ſententia valere præfatum votum ſuſtinet, non tamen obligare; cum utilius animæ aliquando poſſit eſſe diſpenſationem petere. Hanc defendunt Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* II. *punct.* I. *num.* 18. Suarez *Lib. II. cap.* XI. *num.* 6. Filliucius *tract.* XXIII. *cap.* II. *quæſt.* XI. *num.* 65. Palaus *tract.* XV. *diſp.* I. *punct.* 8. *§.* 5. *num.* 4. Azorius *Lib. XI. cap.* XIX. *quæſt.* XV. Sed hic Auctor loco citato de hac quæſtione non loquitur; ſed de voto non petendi diſpenſationem niſi a Romano Pontifice. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* I. *punct.* 2. *§.* 2. *num.* 50. hanc ſecundam ſententiam propugnant, & præter citatos Auctores referunt quoque Sylveſtrum *verb.* Votum 2. *quæſt.* XIV. & D. Antoninum *II. P. tit.* XI. *cap.* II. *§.* 9. Verum D. Antoninus nec verbum de ſuo promit; ſed ſolum exſcribit ſententiam propriis verbis conceptam Richardi *in IV. diſt.* 38. Quem Auctorem vel ipſi Salmanticenſes pro contraria allegant opinione; & conſequenter pro eadem ſententia debuiſſent quoque D. Antoninum allegare; cum non niſi ipſam ſententiam fere eiſdem verbis Richardi tranſcribat, nihilque de ſuo addat, ut legenti patebit. Sententia autem Richardi, & S. Antonini eſt, votum præfatum validum eſſe, quoties utilius animæ ſit diſpenſationem non petere; invalidum vero, quoties utile ſit animæ diſpenſationem petere : niſi expreſſa intentio voventis ſit quod, ſi votum a ſe emiſſum in aliquo caſu non obligat, in nullo obliget : tunc enim abſolute votum nullum eſſet. Hæc ſunt verba tum Richardi, tum S. Antonini. *Si aliquis vovet aliquid quod in uno caſu poteſt eſſe utile ad ſalutem, & in alio caſu inutile, obligatur ad obſervationem voti in illo caſu in quo eſt utile ad ſalutem; quamvis non in illo caſu in quo eſt ad ſalutem inutile; niſi fuerit intentio voventis quod, ſi non obligat in omni caſu, quod obliget in nullo.* Quod apud S. Antoninum legitur *in illo*, mendum typographi eſt. Hæc opinio in praxi ſecuriſſima eſt : quandoquidem certum eſt apud omnes quod votum de non petenda diſpenſatione abſque legitima cauſſa a ſummo Pontifice validum ſit. Quin invalida, aut ſaltem illicita eſt diſpenſatio abſque legitima cauſſa tum in petente, tum in concedente. Deinde certum eſt, admiſſo etiam valore voti abſolute emiſſi de numquam petenda diſpen-

ſatione, poſſe voventem tuta conſcientia ad ſuperiorem recurrere pro diſpenſatione voti, iuſta occurrente cauſſa diſpenſationis; cum Auctores defendentes voti valorem fateantur non obligare in eventu quo animæ utilius foret petere diſpenſationem: nemo enim nec ſibi, nec ſuperiori adimere hanc facultatem poteſt. Quia ſubiectio ſubditi reſpectu ſuperioris, & poteſtas ſuperioris in ſubditum, ius eſt quod per ſubſequens votum auferri nequit. Nullum ergo votum impedire valet quin ſubditi, legitima occurrente cauſſa, ſuum adeant ſuperiorem. Quare, ſi vis rationis ſpectetur, prima ſententia probabilior videtur. Tutius tamen eſt ſponſionem factam ſervare, & ſolum urgente evidenti cauſſa diſpenſationem petere. P. Sanchez docet, quod licet quis votum emiſerit non petendi diſpenſationem a primo voto, non tamen elicuit votum non petendi diſpenſationem ab hoc ultimo; & ſic, impetrata diſpenſatione ultimi, remanet diſpenſabile primum: aut, ſi edidiſſet votum non impetrandi diſpenſationem huius ultimi, numquam votum edere poteſt non impetrandi diſpenſationem ab hoc quod poſtremo loco adiicit, etiamſi in infinitum multiplicaret vota ſua. Verum hanc votorum repetitionem, ut fabuloſam, & otioſorum ſomnia, reiicio. Non diſpenſatione, ſed elleboro indigent qui ſimilia delirantes imaginantur.

XXXV. Quæſt.XI. *An qui votum edunt non petendi commutationem, poſſint petere diſpenſationem, aut irritationem?* Reſp. Negant Sanchez, & Trullench *loc. cit.* quia qui excludit commutationem, potiori iure excludit diſpenſationem. Adfirmat ſecunda ſententia, quam defendunt Prado *cap.* XXXI. *num.* 67. Leander *quæſt.* V. Tamburinus *cap.* XV. *§.* 4. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* I. *punct.* 2. *§.* 2. *num.* 52. Extenſio obligationis res facti eſt, omnino pendens a voventis arbitrio. Si vovens commutationis privilegio renuntiavit, non ideo cenſetur renuntiaſſe diſpenſationi: quia unum ſeparare ab alio poteſt. Utique qui reſpuit commutationem, prudenter præſumitur & diſpenſationem reiicere. Ceterum, cum e contrario verum etiam ſit quod vovens valeat ſe privare facultate petendi commutationem, & retinere libertatem petendi diſpenſationem; idcirco ex intentione voventis res colligenda eſt. Poſſunt namque occurrere cauſſæ tales ob quas impetrare expediat diſpenſationem, & non commutationem; tametſi non id frequenter contingat.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

Res indifferentes, inutiles, vitioſæ, impoſſibiles non ſunt voti materia. Variæ quæſtiunculæ explicantur.

I. UT a rebus auſpicemur indifferentibus, & vanis, convenit inter Theologos, nihil quod inutile, vanum, vel indifferens ſit, poſſe ſubiici voto. Inquit enim D. Thomas 2. 2. quæſt. LXXXVIII. art. 2. ad 3. *Vota vero quæ ſunt de rebus vanis, & inutilibus, ſunt magis deridenda quam ſervanda.* Si quis tamen voveret eiuſmodi res inutiles, venialiter tantum peccaret; ut ſi quis voveret ſe non ingreſſurum forum, non aſcenſurum equum, cum illo homine non locuturum, non abſciſſurum ſibi ungues, & capillos, ac cetera id genus, quæ genere ſuo, circumſtantiis ſublatis, ſunt abſolute inepta voti materia. Plura tamen quæ genere ſuo indifferentia, & inutilia ſunt, poſſunt ob circumſtantias occurrentes fieri utilia, & apta voti materia. Ingreſſus in talem domum, colloquium cum tali homine, aſcendere equum ſunt res indifferentes. At ſi ingreſſus in talem domum ſecum deferat periculum obviam habendi mulierem ad libidinem provocantem, ſi colloquium cum tali homine provocet ad prava, ſi equi aſcenſus occaſio malorum ſit; tunc, cum a vovente ob finem honeſtum vota eduntur de vitandis his rebus, talibus poſitis circumſtantiis, omnino valida exiſtunt. Ut tamen res quæ ſuapte natura indifferentes ſunt, induant rationem honeſtatis, & bonitatis, ſatis minime eſt quod vovens ſua arbitraria intentione res illas in bonum aliquem finem dirigat: qua de cauſſa nullum eſt votum quo mulier promittit die ſabbati non nere, non coquere panem, non ſuere, & ſimilia: quia abſtinentia ab hoc, vel illo opere res vana eſt: ſecus, ſi promitteret abſtinere ab omnibus operibus ſervilibus, ut liberius Deo vacare poſſet. Requiritur ergo quod in ipſis rebus vovendis appareat aliqua proportio cum fine intento a vovente; & quod res vovenda, circumſtantiis ſaltem inſpectis, revera aliquo modo ad aſſequendum finem illum conducat eo tempore quo votum emittitur: quia, ſi res ſubiicienda voto non eſt utilis voventi eo tempore quo votum editur, ſed vana, vel indifferens, licet aliquo alio tempore poſſit eſſe utilis, votum nullum eſt. Ingreſſus in hanc domum, in qua periculum feminæ provocantis ad venerem reperitur, materia apta eſt, ut fieri poſſit votum evitandi talem domum periculi plenam. Si, ſublato omni periculo, tale votum emitteretur, nullum tunc foret: quia eo tempore materia indifferens eſſet, & conſequenter voto incongrua.

II. Quæſt. I. *An votum alicuius rei cuius executio peccatum eſt, validum ſit?*

Reſp. Eiuſmodi quæſtiunculæ diſcuſſio ſuperflua videtur. Quis namque ignorat, voti materiam honeſtam eſſe debere, licitam, & ipſi Deo, cui offertur, gratam? Id optime évincit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 2. Porro, ſi oblatio victimæ culpam includit, nec licita poteſt eſſe, nec Deo, qui peccatum odit, grata, & accepta. Hæc omnia clara ſunt, nullaque egent enucleatione. Sed quædam opponuntur quæ aliquod faceſſunt negotium: ideo quæſtio propoſita eſt, ut diſſolvantur.

III. Obiicies 1. Iephte vovit ſe immolaturum Domino quemcumque primum obvium habuiſſet e domo ſua, ſi ex Ammonitis victoriam reportaret. Et reipſa, victoria obtenta, domum revertens, filiam, quæ ipſi in occurſum venerat, immolavit Domino, ut habetur *Iud.* xi. & tamen in Sanctorum cenſum perſcribitur ab Apoſtolo Paulo *Hebræor.* xi. Falſum ergo eſt votum de rebus illicitis, & vetitis nullum eſſe.

IV. Duæ præcipuæ ſunt reſponſiones quibus diſſolvi hoc argumentum ſolet. Altera eſt Lyrani, & aliorum recentiorum, qui negant Iephte Deo filiam ſuam immolaſſe occiſione corporis; ſed docent illam Deo conſecraſſe morte ſpirituali, & civili, quatenus illam ab hominum ſeiunxit conſortio, & perpetuæ virginitati ſervandæ aſtrinxit: quæ conſecratio, quoniam irrevocabilis erat, mors vocari poteſt; quemadmodum conſecratio agri, animalis, & hominis mors vocatur *Levit. ult.* Quod confirmari poteſt. I. Iephte vir prudens, atque bene moratus erat, & in lege verſatus; proindeque ritus populorum idololatrarum, proprios filios immolantium, minime ignorabat: eo vel magis quod bimeſtre habuit ſpatium, quo Sacerdotum Principem conſulere poterat. II. Iephte ex afflatu cæleſti Spiritus ſancti votum emiſit: ipſa namque Scriptura teſtatur, quod *factus eſt ſuper Iephte Spiritus Domini... & votum vovit Domino.* III. Filia Iephte plangendi virginitatem, non mortem ſuam, ſpatium petiit: & ubi nos in noſtra Vulgata legimus Iudic. xi. verſ. 40. *Mos increbuit in Iſrael... ut poſt anni circulum conveniant in unum filiæ Iſrael, & plangant filiam Iephte*, Sanctes Pagninus ex Hebræo reddit, *Ut alloquerentur filiam Iephte*, lætitiæ cauſa. Addunt, non potuiſſe Iephte ignorare legem quæ ſolis Sacerdotibus privilegium ſacrificandi adiudicabat. Hæc recentiorum cogitata ſpecioſa ſunt, ſuaque fruuntur probabilitate.

V. Altera reſponſio verior eſt, & omnium antiquorum firmata iudicio, qui revera Iephte occidiſſe filiam ſuam docent. Ambroſius *Lib. III. cap.* xii. Hieronymus *Lib. I. adverſ. Iovin. cap.* xiii. Auguſtinus *quæſt.* xlix. *in Lib. Iudicum*, Chryſoſtomus *hom.* xiv. *ad popul. Antioch.* Theodoretus *quæſt.* xix. *in Lib. Iudic.* D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 2. & *in IV. diſt.* xxxviii. *quæſt.* 1. *num.* 1. *quæſtiunc.* 2. *ad* 3. &, ut brevi dicam, veteres omnes, Tertullianus, Iſidorus & Pe-

Digitized by Google

Peluſiota, & Hiſpalenſis, Iuſtinus Martyr eamdem tuentur ſententiam; in quam concedunt pariter graviores Theologi recentiores, Abulenſis, Soto, Serrarius, Azorius, & plurimi alii, quos mitto.

VI. Hæc reſponſio de vera corporali occiſione clare eruitur ex ipſa Scriptura, quæ eludi ſine vi aperta minime poteſt. Sic enim habetur Iud. xi. verſ. 30. & 31. *Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocauſtum offeram Domino.* Ubi iſthic vel veſtigium ſpiritualis conſecrationis? Vovit offerre quidquid primum ſibi de foribus domus ſuæ occurriſſet. Ponamus quod eidem beſtia occurriſſet: ſacrificaſſet ne illam oblatione ſpirituali? Neque plura fecit vota, unum nempe pro oblatione animantium, aliud pro hominum ſacrificio. Ergo votum illud unicum, quo omnem primo egredientem, ſibique primitus occurrentem complectebatur tamquam victimam ſacrificii, fuit votum veræ & cruentæ immolationis. Id confirmatur item ex eo quod tum minime holocauſtorum ſpiritualium uſus obtinebat, ſed ſola cruenta ſacrificia offerebantur.

VII. Ad rationes oppoſitæ opinionis facilis reſponſio eſt. Ad primum dico Iephte virum quidem fuiſſe bene moratum, prudentemque; peccare nihiloſecius potuiſſe, & reipſa tunc peccaſſe. Nec mirum. Si in Angelis ſuis Deus pravitatem reperit; quidni & in hominibus, quamtumlibet moratis? Illius peccatum ignorantiæ fuit contra ius naturale, qua deceptus exiſtimavit Deo acceptum futurum ſanguinarium ſacrificium propriæ filiæ. Ignorantiæ eius occaſio fortaſſis eſſe potuit & exemplum Abrahæ parati ad filii occiſionem, & vicinarum gentium ritus, filios, filiaſque immolantium. Quibus exemplis deceptus, firmiter ſibi perſuaſit, hominum ſacrificium Deo fore pergratum: & idcirco ſapientum conſilium capere neglexit. Ad ſecundum aliqui reſpondent, per Spiritum Domini intelligendum eſſe ſpiritum fortitudinis, quoniam forti animo prælium committere deliberavit. Angelicus *loc. cit. ad* 2. ait: *Factus eſt ſuper eum Spiritus Domini: quia fides, & devotio ipſius, ex qua motus eſt ad vovendum, fuit a Spiritu ſancto: Propter quod ponitur in catalogo Sanctorum, & propter victoriam quam obtinuit, & quia probabile eſt eum pœnituiſſe de facto iniquo, quod tamen aliquod bonum figurabat.* Ad tertium dicendum, filiam Iephte non petiiſſe deflere mortem, quam parata erat lubenti animo occumbere; ſed virginitatem infecundam, & ſterilem, quam ſterilitatem fere ipſa morte amariorem mulieres hebrææ reputabant. Et ſane, ut Abulenſis obſervat, ſi ſacrificium fuiſſet ſolius virginitatis, cum fuiſſet perpetuum, non duos menſes, ſed totius vitæ ſuæ ſpatium planctui deſtinaviſſet. Duos ergo menſes dumtaxat planxit præcedentes diem mortis ſuæ. Ad interpretationem Pagnini, licet viri ſummi, dicimus, nullum ex omnibus an-

K iiij ti-

Digitized by Google

tiquis interpretibus textum illum vertere per verbum *alloqui*, ſed *plangere*. Quod ſi etiam hanc verſionem ſequi velimus; non idcirco a vera ſenrentia recedere cogimur. Quoniam dici poſſet, filias Iſrael acceſſiſſe quotannis ad alloquendam filiam Iephte, non præſentem verbis, ſed lacrymis abſentem, figuris apoſtrophe, aut proſopopeiæ adhibitis. Ad ultimum dico, Iephte credidiſſe, ſacrificia quæ præter legis præſcriptum offerebantur, a quocumque immolari potuiſſe.

VIII. Obiicies 2. Validum eſt votum quo quis promittit ſe non peccaturum niſi cum tali ſemina. Sed in hoc voto peccatum includitur. Ergo falſum eſt, votum de re illicita, & vitioſa nullum eſſe. Primam propoſitionem docet Sanchez *Lib. IV. cap.* VI. *num.* 22. his verbis. *Votum emiſſum Deo non peccandi niſi cum certa ſemina, quandoque eſt validum, quandoque irritum. Validum eſſet, ſi amore continentiæ ſervandæ emitteretur; exciperet autem vovens illam feminam, eo quod ſe valde proclivem ad fornicandum cum illa expertus, non auſus eſt illam in voto comprehendere, vel noluit ſe omnino ad continentiam obligare. At ſi eo voto ſe devinciret eo fine, quia turpi illius feminæ amore captus intendit ab aliis ſe abſtinendo, potentior eſſe ad frequentiorem coitum; vel quo illi placeret, & vehementius ab illa redamaretur, dum noſſet amore illius id votum illum emiſiſſe: ſic diſtinguendum eſt. Si ille malus finis ſit finis rei promiſſæ, votum eſſet irritum; ſi autem is malus finis eſſet ſolius voti finis, eſſet validum.* Clamabis, lector prudens, eiuſmodi phantaſtica & ridicularia inventa indigna eſſe ut in chriſtianam invehantur Theologiam. Non repugno. Sed quia invecta reperimus, ea excutienda exiſtimavimus. Non modo Sanchez, ſed etiam alii votum iſtud validum ſuſtinent, Martinez de Prado *cap.* XXXI. *quæſt.* 11. *§.* 8. *num.* 102. Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* 11. *punct.* 4. *§.* 1. *num.* 2. Trullench *Lib. II. cap.* 11. *dub.* 5. *num.* 4. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* 1. *punct.* 2. *§.* 4. *num.* 63.

IX. Reſp. Omnes recenſiti Auctores, qui ſententiam Sanchez ſecuti ſunt, cum eodem ſuſtinent, votum præſatum rem bonam includere, nempe continentiam. Quoniam contendunt illi, in tali oblatione non includi peccandi voluntatem. Si enim voluntas includeretur peccandi; nullum & illi ipſi votum eiuſmodi faterentur. Quod ſatis eſt ad veritatem communis ſententiæ, videlicet votum quodcumque de rebus illicitis nullum eſſe. Si autem quæras, quid ipſe ſentiam de hac opinione; candide fateor, mihi eam non probari. Quoniam hæc deliberatio non peccandi niſi cum tali ſemina, iuxta communem ſenſum, vel includit reipſa voluntatem peccandi cum tali femina (exceptio namque contrariam firmat regulam) vel, ſi non includit, vanæ, & Theologorum diſputationibus indignæ eiuſmodi hypotheſes ſunt, potiſſimum in re venerea, in qua præciſiones metaphyſicæ non ſunt reipſa adeo faciles. Quis, amabo, ſanæ mentis ſimilia vota emittet: Voveo me non peccaturum niſi cum tali ſemina? Ut mea præfert opi-

nio

nio, ſoli Caſuiſtæ ſimiles hypotheſes formant: quoniam communes naturæ inſtinctus minime permittunt homines Deo ſimilia vota nuncupare. Præfatum namque votum, Voveo me non peccaturum niſi cum tali femina, ſimillimum eſt huic, Voveo me non te occiſurum niſi cum tali gladio. Quis porro auſit talia ſupremo Numini vota dicare?

X. Obiicies 3. Si quis voveret immoderatas vigilias, ieiunia, macerationes, & ſimilia; vel eadem ſervare obſtrictus eſſet, vel petere diſpenſationem. Et tamen huiuſmodi illicita ſunt, utpote naturali legi cuſtodiendæ vitæ contraria. Ergo vota de illicitis valent. Reſp. D. Thomas hanc exhibet reſponſionem 2. 2. quæſt. lxxxviii. art. 2. ad 3. *Maceratio proprii corporis, puta per vigilias, & ieiunia, non eſt Deo accepta, niſi inquantum eſt opus virtutis: quod quidem eſt inquantum cum debita diſcretione fit, ut ſcilicet concupiſcentia refrenetur, & natura non nimis gravetur: & ſub tali tenore poſſunt huiuſmodi ſub voto cadere.*

XI. Quæſt. II. *An votum agitandi tauros in honorem alicuius Sancti ſit validum?* Reſp. Adfirmat Martinez de Prado *Tom. II. cap.* xxxi. *num.* 30. Pro ratione Hiſpanorum morem in medium adducit. Feſta namque Sanctorum Iacobi, Ioannis Baptiſtæ, & Annæ taurorum agitationibus celebrari ſolent. Si igitur civitas votum ederet tauros exagitandi, inflectendi, & torquendi in maiorem alicuius Sancti honorem; non apparet ratio cur votum illud validum non eſſet.

XII. Hæc relata opinio improbabilis, & falſa eſt, ſuperſtitionem ſapit, atque indigna eſt ut vel in diſputationem a Theologo adducatur. Quandoquidem, prout iam ſupra indicatum eſt, ut actio aliqua congrua ſit voti materies, minime ſatis eſt ut voventis intentione in finem bonum dirigatur. Si actio aliqua per ſeipſam evadere nequit bona, & ſacra, Deoque grata, voto ſubiici nequaquam poteſt. Abſtinentia a cibo quid indifferens eſt; ſed ad frenandam concupiſcentiam directa, ut expeditius Deo inſerviamus, actio bona, & virtutis temperantiæ fructus evadit. Taurorum agitatio vix inter opera indifferentia collocari poteſt. Quænam amabo relatio agitationis tauri ad ſacrum Sanctorum cultum? Quid quod Concilia, Toletanum ultimum *act.* iii. *decret.* xxvi. Bracharenſe ultimum *act.* v. *par.* ii. *cap.* viii. Summi Pontifices Pius V. in ſua *conſtitutione motu proprio* edita, quæ habetur *in Bull. Tom. II.* Gregorius XIII. & Clemens VIII. ut videre licet apud Quaranta, verbo *Torneamenta*, taurorum agitationes fieri diebus feſtis prohibent? Reſpondet Prado, prohiberi utique taurorum agitationes diebus feſtis; ſecus diebus præcedentibus, aut ſubſequentibus. Næ egregia interpretatio? Incredibile videtur quod Theologi, alioquin docti, ut ſane eſt laudatus Prado, poſſint ſimilia commenta in medium promere, & tamen illa proferunt; & ego eadem recenſeo, ut colligat lector fidendum minime eſſe; ſine magno examine, recentiorum,

Digitized by Google

rum, cuiuſcumque ſint inſtituti, auctoritati. Quod idcirco admoneo, ut confirmem quod millies dixi, repetendumque ſæpius eſt, me neque amore erga unum Ordinem, neque odio in alterum, ſed ſolo veritatis ſpiritu ſive Dominicanorum ſive Carmelitarum, ſive Ieſuitarum, ſive Minorum, ſive cuiuſque Inſtituti Caſuiſtarum opiniones quas laxas reputo, aut perridiculas, refellere.

XIII. Quod opponit Prado, Hiſpanos ſolitos eſſe diebus ſanctorum Iacobi, Annæ, & aliorum torneamenta exercere, nullius momenti eſt. Neque enim omnes populorum mores conſecrari valent. Iiſdem diebus ſaltant promiſcue viri, & mulieres, theatra frequentant, & comædias repræſentant. Validum ne propterea votum erit adeundi theatra, & comædias frequentandi? Nullo ergo modo valet præfatum votum; quin opinio illud defendens nimium laxa nobis videtur, ac penitus improbabilis.

XIV. Quæſt. III. *An validum ſit votum quo mulieres vovent non pectere capillos tali, aut tali die?* Reſp. D.Thomas *in IV. diſt.* XXXVIII. *quæſt.* I. *art.* I. *quæſtiunc.* 2. *ad* 2. reſpondet, *quod talia vota mulierum ſunt ſortilegia magis quam vota. Sunt enim reliquiæ quædam idololatriæ, ſecundum quam obſervabantur dies, & menſes: & ideo pro non votis habenda ſunt, & peccant talia voventes.* Nulla quoque ſunt vota abſtinendi a carnibus aſſis in die S. Laurentii. Valida tamen forent vota, ſi eſſent de abſtinentia ab omni cibo igne decocto. Valida item ſunt vota utendi veſtibus vilibus, & aſperis: & validum quoque eſſe poteſt votum quod edunt mulieres adhibendi veſtes albas in honorem B. M. V. in ſignum ſpecialis virginitatis, ut docet Sanchez *Lib. IV. cap.* VII. *num.* II. & adprobat Sotus *Lib. VII. quæſt.* I. *art.* 3. *circa* 2. *concl.* Niſi tamen ſpecialis adeſſet circumſtantia, nulla ego pronuntiarem eiuſmodi vota de ferendis veſtibus ſolo colore diverſis. Si vero coloris diverſitati addatur aſperitas, & vilitas, valida omnino eſſe ſuſtineo: quia tunc ſunt pœnitentiæ, & humilitatis inſtrumenta. Primo autem modo ſunt quid tantum indifferens.

XV. Quæſt. IV. *An votum nocturnarum vigiliarum, & non ingrediendi mare, validum ſit?* Reſp. Votum iſtud ſuapte natura validum eſt: quia nocturnæ vigiliæ, quibus divinæ laudes celebrantur, Deo gratæ ſunt. Propter abſurda quæ alicubi conſequebantur, prohibitæ fuere: idcirco iis in locis votum nullum eſſet, utpote de re prohibita. Votum non ingrediendi mare, genere ſuo nullum eſt, ſicut votum non equitandi, non ingrediendi talem, aut talem domum. Si circumſtantiæ occurrerent cavendi peculiare periculum, quod voventi imminere ſolet; tunc validum eſſe poſſet, ut communiter Auctores docent.

XVI. Quæſt. V. *An votum emiſſum de re bona ob finem pravum validum ſit?* Reſp. Duplicem finem communiter Theologi diſtinguunt in præſentia: alterum *intrinſecum* rei promiſſæ, alterum *extrinſecum* eidem rei. Finis *intrinſecus* rei promiſſæ

miſſæ is eſt qui per ſe rem promiſſam conſequitur, ſeu ex eadem re natura ſuâ profluit; ut ex pœnitentia ſacramentali conſcientiæ purgatio, ex ieiunio carnis compreſſio. Hic finis dicitur quoque alio vocabulo *finis operis*. Finis *extrinſecus*, qui etiam *finis operantis* appellatur, nullam naturalem connexionem habet cum re promiſſa, ſed ei a vovente affingitur; quatenus vovens rem promiſſam, ipſumque votum eligit ut medium ad conſequendum finem ſibi præſtitutum; ut ſi quis eleemoſynam voveret, ut dignitatem aliquam obtineret; voveret Religionem, ut naufragium vitaret, vitamque ſuam a morte ſervaret. Hic finis *operantis*, ſeu *voventis* nuncupatur. Rurſus finis alius vocatur *cauſſa finalis movens*, ſeu *motiva*; alius cauſſa *impellens*, ſeu *impulſiva*. Illa *movens* dicitur ſine qua te obligare minime velles; illa vero impellens, ſeu *impulſiva* nuncupatur quæ animum iam motum, & paratum ad agendum, ad celeriorem, & expeditiorem urget executionem. Quibus poſitis, communiter dicunt, invalidum eſſe votum rei bonæ, quæ aſſumitur tamquam inſtrumentum, ſeu medium, ad conſequendum pravum finem: quoniam tunc non offertur Deo res bona, ut eſt in ſe, ſed ut conducit ad pravi finis conſecutionem; ut ſi voveas eleemoſynam, ut aſſequaris uſum malum mulieris. Si vero finis pravus non afficiat rem promiſſam, neque per illam obtinendus ſit, ſed ſit tantum finis ipſius promiſſionis, ſeu voventis; tunc validum votum eſt: ut ſi voveres Religionis ingreſſum, ut commodius viveres, votum validum eſſet: quia commodior vita non eſt finis operis promiſſi, ſed ipſius promittentis; ſeu, ut optime explicat Caietanus 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *art.* 2. eſt finis ipſius applicationis ad vovendum. Non enim ſic vovens ordinat profeſſionem ſuam ad vitam delicatiorem; ſed hæc vita delicatior excitat, & applicat voventem ad profitendum. Idem dicito de eo qui profiteretur, ut placeret alicui ſcelerato. Vota eiuſmodi, dicit Caietanus, bona ſunt; ſed applicatio eſt diabolica. Quare qui ſic vovent, indubitate peccant. Caietanum ſequuntur communiter Doctores, ut videre poteris apud Salmanticenſes, qui citant Palaum, Candidum, Navarrum, Sotum, Bonacinam, Suarez, Toletum, Azorium, Valentiam, Pradum. Sed candide fateor, ut mihi videtur, omnes obſcure loquuntur, ipſique Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* 1. *punct.* 2. *§.* 4. *num.* 65. *& ſeq.* ſatis implicite, & confuſe rem verſant, non ſecus ac ceteri.

XVII. Eiuſmodi igitur diſtinctiones, quibus ſtatuunt, non valere votum de re bona, quando finis malus eſt *finis rei promiſſæ*, ſeu *voto dicatæ*; valere vero, ſi finis malus ſit *finis ipſius voventis*, ſeu *operantis*, ſeu *per emiſſionem voti intentus*, ut aiunt Salmanticenſes *num.* 66. non valere inſuper, ſi finis malus voti referatur ad Deum pro malo fine obtinendo: eiuſmodi, inquam, diſtinctiones, licet abſolute veræ ſint, & optimæ; applicatæ tamen ad diſcernenda vota valida ab invalidis, obſcuritatem, & confuſionem pariunt, niſi clarius adhuc multo explicentur.

Quod,

Quod ut ego præſtem, quoad per me fieri poteſt, ſequentes concluſiones ſubiicio.

XVIII. *Votum editum propter pravum finem, ſeu ob finis pravi conſecutionem, ſemper malum, & irritum eſt.* Hæc aſſertio a nemine negari poteſt. Quoniam votum hoc modo acceptum, nempe ut inſtrumentum ad comparandum finem pravum, ſemper malum eſt. Quod autem malum eſt, Deo placere nequit. Confirmatur, & luculentius evincitur. Votum actus eſt religionis. Actus porro religionis ex aliquo motivo divini cultus oriri debet. Sed quod ex fine pravo oritur, nullo modo ex religione, divinique cultus motivo aliquo proficiſcitur. Ergo votum ob pravum finem editum, irritum eſt. Hæc omnia clara ſunt. Rem præ omnibus diſerte explicat Sotus *Lib. VII. quæſt.* 1. *art.* 3. *dub.* 1. quem ſequitur Azorius, & alii communiter: quorum tamen plerique Soti doctrinam magis impeditam reddunt. Referam ipſius Soti verba.

XIX. Si quis (inquit) hanc faceret oblationem: Voveo dare eleemoſynam propter inanem gloriam, tunc vocula *propter* moderari poteſt aut verbum *dare*, aut verbum *voveo*. Et quidem priori modo obiectum ipſum voti, quod eſt *dare*, refertur in malum finem, a quo datio ipſa contaminatur, ac depravatur; & eiuſmodi votum nullum eſt. Nam dare propter vanam gloriam eſt malum obiectum. Exemplum ſecundi. Si quis dicat: Voveo eſſe Sacerdos propter beneficium expiſcandum: præpoſitio *propter* non modificat *rem*, quæ eſt eſſe Sacerdotem, ſed verbum *voveo*. Haud enim poſt Sacerdos, aut miles effectus, opera facit ſuæ religionis, puta nec orat, nec celebrat, nec obedit propter malum finem, ſicut qui dat eleemoſynam propter inanem gloriam; ſed tamen profeſſus eſt propter malum finem. Votum ſic factum tenet. Et ratio eſt, quia obiectum eius res licita eſt, & bona, ſcilicet eſſe militem, aut Sacerdotem.

XX. Hæc doctrina, quam præ aliis Sotus clarius exponit, adhuc implexa mihi videtur. Nam, ſi quis voveret ſuſceptionem Sacerdotii propter aſſecutionem pinguis beneficii, eodem modo tale votum nullum mihi videretur, ac votum eleemoſynæ propter inanem gloriam. Nam, licet quis Sacerdos effectus non ordinet actus orandi, celebrandi, & ſacrificandi ob malum finem (quod ſolum evincit, hunc rite Sacerdotem ordinatum ſuas functiones licite exercere) attamen, ſi ſtatum ipſum elegerit ceu medium, & inſtrumentum ad obtinendum pingue patrimonium, tum ſtatus iſte, qui voti obiectum fuit, habuiſſet finem malum: eo quod res ſpiritualis ad rem temporalem obtinendam detorta res mala evadit; ſicuti eleemoſyna propter vanam gloriam facta. Senſit & ipſe Sotus obviam difficultatem, ob quam tale argumentum ſibi ipſe opponit. Ad rei autem, inquit, perſpicaciorem intellectum arguitur. Sicut dare eleemoſynam propter vanam gloriam, peccatum eſt, & corrupto fine ire ad Eccleſiam, puta ad ſollicitandam puellam;

ſic

Digitized by Google

ſic & malo fine votum facere. Ergo, ſicut votum primi generis eſt malum, quia de malo obiecto; ſic & votum ſecundi generis, quia malum habet finem. Quod ſi utrumque malum eſt, fit ut neutrum teneat.

XXI. Reſpondet ille. „ Pro ſolutione (inquit) apprime in præſenti materia no„ tandum eſt, quod lectorem minus attentum fallere valde poſſet: *nempe non eſ„ ſe in univerſum verum quod omne votum illicitum, & malum, ſit irritum*, neque „ hoc a nobis aſſertum eſt; ſed hoc tantum, quod omne votum de obiecto malo „ eſt irritum, & caſſum. Concedimus ergo quod vovens Sacerdotium, aut Reli„ gionem malo fine, peccat quidem vovendo; tamen quia votum bonum habet „ obiectum (nam etſi votum referatur in malum finem, tamen obiectum non re„ fertur in eumdem) votum tenet. Negatur igitur poſtrema conſequentia: Vo„ tum factum malo fine malum eſt: ergo non obligat: ſicut ſi haberet malum „ obiectum: quoniam res Deo devota bona eſt, licet malo fine dicata. “ Hactenus Sotus, quem, ut dixi, ſequuntur ceteri Theologi communiter.

XXII. Hæc reſponſio mihi non probatur, niſi clarius explicetur. Ut minus enim phraſi non ſatis congrua concepta, & exhibita eſt. Et primum omne *votum malum* irritum ego reputo: nec video quomodo hoc negari a Soto, vel a quocumque Theologo poſſit. Quod enim malum eſt, actus religionis non eſt; & quod actus religionis non eſt, votum eſſe non poteſt. Accedit, omne votum verum, gratum eſſe Deo; ſed nullum malum, ſive grave, ſive leve, gratum Deo eſt: ergo univerſim verum eſt quod omne votum illicitum & malum ſit irritum. Si enim, ut dictum eſt, natura voti tota in eo eſt poſita quod ſit res grata Deo; ſane conſequitur, nullam rem quæ Deo diſpliceat, poſſe votum Deo gratum extare; omne autem malum Deo diſplicet: ergo nullum votum malum validum eſt.

XXIII. Ut ergo Soti doctrina conſiſtat, explicatione eſt opus. Finis malus duobus modis reſpectu voti conſiderari poteſt. Primo ut cauſſa finalis primaria movens, & influens, & ad quam votum ipſum, ceu medium quo finis in executione obtineatur, vovens dirigit: & hoc modo votum ſemper irritum eſt: quia malum eſt. Quamquam etenim res promiſſa, ſeu obiectum voti bonum ſit, ut aiunt, *materialiter*; malum tamen evadit *formaliter* propter ordinis perverſitatem in finem pravum. Secundo finis malus ut cauſſa quam *concomitantem* vocat, conſiderari poteſt: & ſub hac conſideratione non influit in votum; neque votum propter hunc finem pravum editur: ac proinde votum ipſum non vitiat, non inquinat, ſed in ſua bonitate ſpecifica relinquit. Hic vero finis, qui reſpectu voti concomitans eſt, reſpectu voluntatis voventis cauſſa finalis, & influens eſt: atque idcirco inficit, inquinatque voventem. Et hoc ſane dicere Sotus voluit. Quoniam, tametſi prius dixerat, non omne votum *malum*, & *illicitum* eſſe irritum, ſtatim ſubdit,

quod

quod vovens Sacerdotium, aut Religionem malo fine, peccat quidem vovendo; tamen, quia votum bonum habet obiectum, votum tenet: tenet, inquam, ſi non ordinetur ad finem pravum, tamquam ad cauſſam finalem, propter quam fiat votum. Nam etiam eleemoſyna bona eſt; & tamen, ſi ad vanam gloriam dirigatur, tamquam ad cauſſam finalem, mala evadit; & votum de eadem propter hunc finem irritum eſt. Ceterum, ſicuti teneret votum eleemoſynæ, quod publice ederes coram aliis, ut videreris, & gloriam quamdam captares: quia hæc inanis gloria votum ſolummodo comitatur, illudque non vitiat; cum in illud non influat, ſed inquinet ſolum voventem: eodem prorſus modo valida ſunt vota Religionis, ſuſcipiendi ordines ſacros, baptiſma, & ſimilia, quæ ita emittuntur, ut fines vani interdum ea comitentur: quia eiuſmodi fines non ſunt cauſſæ moventes, & influentes in ipſum votum, ſed tantum influentes in voluntatem voventis, quam inficiunt. Similes fines non vocantur in ſcholis *cauſſæ motivæ*, ſed *cauſſæ impulſivæ*; ſeu ſunt veluti *conditiones* quæ faciliorem reddunt voti emiſſionem. Quare, licet vovens peccet vovendo, attamen votum validum eſt: quia votum ex officio, ſeu obiecto bonum eſt, opus Deo gratum, & a religionis virtute procedens. Votum autem quod ita aſſumitur, ut ſit inſtrumentum aſſequendi finem pravum, vitiatur a fine pravo, & evadit malum, atque adeo irritum. Omne enim votum quod illicitum, & malum eſt, inane, ac irritum eſſe dubitari non poteſt. Idque confirmatur ex eo quod, dum votum edimus ad finem aliquem comparandum, tum ad Deum reipſa preces fundimus, ut talis finis nos compotes reddat. Sed oratio, prout a Theologis communiter definitur, *eſt petitio rerum decentium a Deo*. Porro magnam committeremus irreverentiam erga Deum, ſi quid quod Deum non deceret, peteremus ab ipſo. Ergo quicumque finis, pro quo obtinendo Deum irreverenter oramus, votum irritat. Quapropter vota adeundi chorum ob lucrandas diſtributiones, aſſumendi ordines ſacros propter divitias, & pingues reditus percipiendos, irrita ſunt, quoties eiuſmodi fines ſunt veræ cauſſæ moventes; ſecus, ſi ſint tantummodo circumſtantiæ allicientes.

XXIV. Quæſt. VI. *An votum offerendi Deo munus bonum ob effectum malum iam obtentum, vel obtinendum, validum ſit? V. G. Voveo me tot Miſſas celebraturum, tot eleemoſynas erogaturum, ſi ex lite, bello, aut ludo iniuſto victor evaſero; ſi beneficium ſimoniace obtinuero; ſi fratrem occidero, ut illius hæreditatem acquiram; ſi in furto, aut homicidio non fuero comprehenſus; ſi filium ex adulterio, aut concubinatu ſuſcepero*. Reſp. Diffident Auctores ſuper deciſione quæſtionis propoſitæ, pluribuſque oppoſitis modis aggrediuntur eius enodationem. Sylveſter *verb.* Votum 2. *quæſt.* 11. *dicto* 3. docet invalidum eſſe votum, ſi conditio deſideretur a vovente; validum vero, ſi conditio reſpuatur. Suarez *Lib. II. de voto cap.* v. *num.* 4. Navarrus *cap.* xii. *num.* 31. & Sanchez *Lib. IV. cap.* vi. *num.* 17. docent, quod, ſup-

ſuppoſita voluntate belli, & acceſſus ad concubinam, ſeu poſitis his veluti conditionibus, valeat votum: quia in hac poſitione votum non ordinatur ad bellum. Caſtropalaus *diſp.* 1. *punct.* 8. *§.* 3. *num.* 3. dicit, primum votum non valere, ſi finis expectetur obtinendus mediis præfatis votis; contra valere, ſi bellum, & acceſſus ad concubinam ſpectentur ceu conditiones. Deinde ſubdit, verius eſſe non valere præfata vota, quæ emittuntur ante ſuſceptum filium ex adulterio, vel victoriam reportatam ex bello; valere autem, ſi fiant poſt ſuſceptum filium, & victoriam, in gratiarum actionem. Caietanus 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 2. Tabiena *verb.* Votum 2. *in fin.* docent, vix contingere poſſe ut vota præfata non ordinentur ad malum; atque adeo nulla eſſe. Sanchez *loc. cit.* adfirmat, aliquando id poſſe evenire; & conſequenter pluribus in caſibus vota valere. Salmanticenſes *tract.* xvii. *cap.* 1. *punct.* 2. *§.* 3. *num.* 69. abſolute pronuntiant, eiuſmodi vota valida eſſe; atque pro hac ſententia citant *Fagundez*, *Candidum*, *Leſſium*, *Raphaelem de la Torre*, *Trullenchum*, *Bonacinam*, *Laymanum*, *Suarez*, *Tradum*, *Leandrum*, *Caietanum*. Sed de more non omnino ſincere: nam plures ex citatis Auctoribus ambigue, & variis hypotheſibus poſitis loquuntur.

XXV. Miſſis variis Theologorum placitis, dico 1. *Præfata vota impetratoria pro effectu futuro conditioni turpi annexo invalida ſunt*. Hæc aſſertio mihi videtur certa, ſi loquamur de his votis, prout communiter, & in praxi a Chriſtianis eduntur. Nam cum Chriſtiani vovent Deo eleemoſynas, & Miſſarum celebrationes, ſi ex bello, ex duello iniuſto evaſerint victores, reipſa votum dirigunt ad conſequendam victoriam iniuſtam, ideſt ad malum finem: quod ſecundum omnes votum nullum reddit. Quamvis ergo admitterem quod iuxta metaphyſicas abſtractiones Theologorum quorumdam, acumini ſubtiliſſimarum cogitationum fecundo indulgentium, valida forent præfata vota; nulla tamen ſunt, prout reipſa fiunt. Porro in præſentia nullus eſt, nec eſſe debet ſermo de votis quæ ſecundum arbitrarias hypotheſes ſibi efformant Caſuiſtæ non pauci: quia de rebus, non de commentis, eſt nobis agendum. Quod autem Chriſtiani talium votorum auctores eadem revera ad finem malum dirigant, ex ipſis verbis quibus vota præfata concipiuntur, manifeſtum efficitur. Nam qui dicit, *Voveo eleemoſynam*, *ſi fratrem occidero*, *ut illius hereditatem acquiram*; *ſi beneficium ſimoniace obtinuero*; *ſi in homicidio*, *aut furto non fuero comprehenſus* [hæc ſunt vota quæ proponunt Salmanticenſes] qui, inquam, ſic dicunt, & vovent, votum aſſumunt ut medium quo furtum, homicidium, & fratricidium facilius feliciuſque exequantur. Hæc vota omnino ſimillima ſunt illis muneribus quæ homines cupidi alicuius privilegii a Principe vel Magnate obtinendi miniſtris offerunt hac conditione: *Si gratiam*, *favorem*, *&* *privilegium obtinuerimus*; *ſi e carceribus exierimus*; *ſi pœnam ob perpetratum homicidium nobis infligendam evaſerimus*,

Digitized by Google

mus ; hi aurei , quos ad veſtram ſecuritatem penes hominem fide dignum depoſuimus , veſtri erunt. Quis negaverit eiuſmodi munera eo pertinere ut illi homines id obtineant quod percupiunt ? Et quamvis phraſibus amœnioribus, & expreſſionibus ad iuſtitiam , & innocentiam magis accommodatis uterentur ; quis nihilominus inficias iret , talium munerum finem unicum eſſe privilegiorum illorum conſecutionem ? Simile igitur procul dubio & de præfatis votis iudicium ferendum . Si voventes Dei cultum ſpectarent ; nullo modo vota ſua conditionibus furti, homicidii, victoriæ iniuſtæ illigarent . Cur ergo eiuſmodi conditionibus vota ſua induunt ? cur ? Niſi quia hæc ipſa tamquam voti finem intendunt , ſeu tamquam finem per vota aſſequendum ? Non ſic res habet , inquiunt ; ſed ut incolumes voventes evadant ; quæ res bona eſt : ſeu vovent Deo munera bona , illique grata , quæ ſupponunt conditiones, & effectus malos : quia , inquiunt , ſuppoſito furto , homicidio , occiſione fratris , beneficio ſimoniace obtento , eleemoſyna bona eſt : idcirco votum illius validum erit . Iterum dico, eiuſmodi eſſe præciſiones , & abſtractas hypotheſes Caſuiſtarum , qui pro arbitrio illas efformant . Nemo negat eleemoſynam bonam eſſe ; ſed eleemoſynam alligatam recenſitis conditionibus malam eſſe cordatus quiſque fatetur . Negant illi quod non ſit ad eas obtinendas directa. At ego melius adfirmo, eo quod homines voventes non otioſe illigant vota præfatis conditionibus : ſi enim eleemoſynam , Miſſaſve abſque ulla relatione ad eaſdem conditiones Deo offerrent ; vota ſua abſolute Deo nuncuparent , conditionibus recenſitis neglectis , atque prorſus omiſſis. Reſtat ergo præfata vota huiuſmodi pravis conditionibus illigata , quia mala certiſſime ſunt, valorem nullum habere . Hanc noſtram ſententiam docet Sotus *Lib. VII. quæſt.* 1. *art.* 3. *dub.* 1. *aſſ.* 3. Sanchez vero *Lib. IV. cap.* VI. *num.* 17. hæc ſcribit : *At iure optimo dicunt* Caietanus , Tabiena , & Valentia *moraliter loquendo vix eſſe poſſibile ut homo non dirigat votum ad tale malum*. Eadem docet Ioannes Marin *Tom. II. tract.* IX. *ſec.* 4. *num.* 55. Neque alicuius momenti eſt quod opponunt, nempe ſtipulationes pactas cum hominibus pro aſſequenda re etiam iniuſta iure naturæ valere . Quoniam poteſt homo, ut ait Sotus, ab homine turpe obſequium recipere, & pro eodem illi mercedem rependere . Quis vero dixerit a Deo quemquam turpe patrocinium recipere poſſe , & pro eodem ſibi collato vota pendere ? Abſurda hæc maxima ſunt.

XXVI. Dico 2. *Votum pro actu turpi iam facto in gratiarum actionem Deo nuncupatum invalidum eſt , & Deum dedecens* . Concluſio hæc mihi certa videtur, & communis eſt, ut inquit Caſtropalaus *tract.* XV. *diſp.* 1. *punct.* 8. *§.* 3. *num.* 4. ubi hæc habet : *Communior ſententia defendit , hoc votum invalidum eſſe , & blaſphemum*. Referre namque grates Deo pro actu turpi eſt repræſentare Deum tamquam auctorem, & adprobatorem illius turpitudinis pro cuius aſſecutione illi vo-

ta

ta penduntur : quod quam horrendum ſit, patet. Quare mirari ſatis non ſubit, Leandrum auſum fuiſſe tranſcribere ex Filliucio *tractat.* XXVI. *cap.* II. *quæſt.* VI. *num.* 54. in ſuo *tractatu* II. *de voto diſp.* IV. *quæſt.* XXXI. hæc verba : *Dico tertio, votum in gratiarum actionem pro actu turpi iam facto, validum eſt*. Quandoquidem licet in ſenſu aliorum Auctorum ſuam, & Filliucii concluſionem explicet ; nihilominus concluſio ſic expoſita blaſphema ſemper eſt, & ſcandalum parit. Et quidem Theologorum nullus umquam aſſeruit, validum eſſe votum in gratiarum actionem pro facto turpi ; ſed diſputant validum ne ſit, an invalidum de effectu, ſeu termino actionis turpis. Sed ſatis feſtivum eſt quod addit Filliucius ibidem, nempe ſuam ſententiam Suarez docere *Lib. II. de voto cap.* V. *num.* 19. ex Caietano ; cum Suarez doceat, Caietanum potius oppoſitum ſentire. En verba Suarez : *Aliquibus non placet hæc aſſertio* (nempe de valore voti) *putant enim eamdem eſſe rationem, ſive victoria præceſſerit, ſive expectetur : quæ videtur eſſe opinio Caietani. Nam eiuſdem malitiæ exiſtimat eſſe vovere in gratiarum actionem, & ad impetrandum.* Quod & ipſe Leander advertit. Ceterum id quod magis diſplicet, eſt, quod iſti collectores caſuum ex Theologis clariſſimis, qualis alios inter Suarez eſt, tranſcribunt id omne quod laxitati favere poteſt; & deinde exceptiones quibus præfati Theologi ſuas concluſiones prudenter reſtringunt limitantque, ſilentio non raro prætereunt. P. Suarez, licet doceat votum de effectu conſecuto ad actionem turpem validum eſſe, ſubdit tamen duas limitationes neceſſarias eſſe : alteram, quod effectus conſequens actionem iniuſtam honeſtus ſit, & licite retineri poſſit; alteram, quod actio gratiarum ſeparetur a voto. Lege ipſum num. 22. *Oportet tamen huic aſſertioni duplicem limitationem adhibere*. Porro, tametſi ſatis obſcure loquatur, nihilominus confert non parum ad confirmandum id quod modo indicavi, videlicet recentiores caſuum collectores non paucos Theologorum ſententias truncatas referre, idque ſilentio obducere quod neceſſario foret recenſendum. Et tamen caſuiſticæ Theologiæ patroni haud erubeſcunt nobis ſimiles truncationes adſcribere, omni, & apertiſſima veritate repugnante.

XXVII. Dico 3. *Votum factum in gratiarum actionem ob victoriam ex bello iniuſto, & ob lucrum ex ludo pariter iniuſto, invalidum eſſe*. Ratio evidentiſſima eſt. Lucrum ex victoria iniuſti ludi perceptum, regnique acquiſitio per victoriam ex bello iniuſto reportatam iniuſte retinentur, atque in eorumdem poſſeſſione iniuſta, habentis malitia perſeverat. Patet igitur conſecutio, & veritas aſſertionis. P. Caſtropalaus *tractat.* XV. *punct.* 8. *§.* 3. *num.* 4. contrariam defendit ſententiam his verbis : *Verius videtur hoc votum per ſe validum eſſe : ſic expreſſe Suarez Tom. II. Lib. II. de voto cap.* V. *num.* 19. *quia non eſt cenſendus agere gratias pro victoria iniuſta ex parte qua iniuſta fuit, & a ſe proceſſit ; ſed pro*

illa victoria, quatenus a Deo proceſſit. Secundum hanc rationem bonum quid eſt, & honeſtum. Ergo in eius laudem votum offerri poteſt. Hanc rationem exſcribit Leander *diſput.* IV. *quæſt.* XXXI. qui tamen addit, ſi victoria admittat materiam capacem, ideſt effectum bonum.

XXVIII. Si hæc doctrina *Caſtropalai* vera foret, nullum eſſet ſcelus, nullumque flagitium, pro cuius executione non poſſemus Deo in gratiarum actionem vota nuncupare. Non ſolum actio iniuſtæ victoriæ, ſed omnes aliæ actiones flagitioſæ, & ſceleſtæ ab homine procedunt ſecundum totam malitiam, & a Deo ſub ratione entis. Si ergo licitum eſt grates Deo rependere ob victoriam iniuſtam, non qua parte iniuſta eſt, ſed qua parte a Deo procedit; eadem ratione licitum erit Deo vota noſtra offerre pro adulterio, pro homicidio, pro furto, non ea parte qua mala ſunt, & ab homine perpetrantur; ſed ea parte qua entia phyſica ſunt, & a Deo proficiſcuntur. Sed, quod magis miror, eſt: quod adducat in patrocinium iſtius ſententiæ auctoritatem Suarez: inquit enim; *Sic expreſſe Suarez.*

XXIX. Ut alterum habeas argumentum doctrinæ caſuiſticæ, verba Suarez iſthuc tranſcribo. Suarez ergo *num.* 19. allegato a Caſtropalao, ſtatuit, votum in gratiarum actionem pro iniuſta victoria validum eſſe, ſi effectus conſequentes victoriam iniuſtam boni ſint, & honeſte poſſint retineri. Ceterum, ſi victoriam iniuſtam conſequatur iniquus effectus, ut iniuſta civitatis acquiſitio, tum votum iniquum erit. En illius verba ibidem num. 21. *Si autem Rex inferat iniuſtum bellum alteri, & comparata victoria regnum uſurpet, quod iuſte retinere non poteſt; tunc dico, votum in gratiarum actionem pro tali regno obtento iniquum eſſe, & invalidum. Quia, licet actio iniqua phyſice videatur iam finita, & præterita; moraliter tamen durat... ergo hæc gratiarum actio eſt impia: ergo & votum de illa præſtanda invalidum eſt. Oportet ergo ut gratiarum actio ſit pura, & bonum, ut ita dicam, purum, ideſt non habens admixtam perſeverantiam iniuſtam, vel aliam ſimilem iniquitatem.*

XXX. Ut ergo potuiſſet Caſtropalaus ſibi adſciſcere patrocinium Suarez in confirmationem propriæ ſententiæ, debuiſſet cum eodem diſtinguere duplicem effectum victoriam conſequentem, alterum iuſte retinendum, alterum iniuſte poſſidendum. Debuiſſet uti principiis Patris Suarez, qui docet, tunc gratiarum actionis votum eſſe validum, quando ſpectat *bonum purum, non habens admixtam perſeverantiam iniuſtam, vel aliam ſimilem iniquitatem.* E contrario Caſtropalaus contendit, gratiarum actionis votum eſſe validum pro ipſa *victoria iniuſta, non ex parte qua iniuſta fuit, ſed pro illa victoria quatenus a Deo proceſſit.* Quodcumque lenimentum huic adiicias principio, ut ego quidem arbitror, nullo modo ſatis mederi illi vales. Quoniam hinc conſequitur, nullam eſſe actionem adeo turpem

pro

Digitized by Google

pro qua non poſſit, ut dictum eſt, gratiarum actionis votum Deo dicari. Quia quævis actio, quantumlibet impia, accipi poteſt & ut eſt a Deo, & ut a peccatore procedens. Quare pro Auctoris huius excuſatione dicendum, quod, licet illius locutio ſit implexa, & minus cauta; nihilominus non aliud intelligere voluit, niſi quod tale votum Deo dicatum validum ſit, non quatenus eſt de victoria iniuſta, ſed quatenus eſt de bono effectu conſequente victoriam iniuſtam, puta votum pro incolumitate ſecuta ex bello iniuſto. Qua de cauſſa error potius in modo loquendi quam in re ipſa reputandus eſt.

XXXI. Dico 4. *Votum factum pro filio qui ſuſceptus eſt ex concubina, pro incolumitate ex duello reportata, validum eſt.* Obiectum iſtius voti res bona eſt, & honeſta; licet actionem turpem ac flagitioſam ſupponat. Filius enim, quocumque modo conceptus ſit, & ſanitas ſeu incolumitas, quacumque tandem ratione habeatur, ſunt res honeſtæ, & bonæ, pro quibus licitum eſt Deo grates agere. Hæc ſententia communis eſt. Eam defendunt Sotus *Lib. VII. quæſt.* I. *art.* 3. *dub.* 1. Marin. *tract.* 9. *diſp.* 11. *ſec.* 4. *num.* 58. Sanchez *Lib. IV. cap.* VI. *num.* 13. & omnes communiter, ne tempus teram ſingulos recenſendo.

XXXII. Validum quoque votum eſt puniendi proprium flagitium; ut ſi dicas: *Si commiſero tale crimen, tantam erogabo eleemoſynam, vale dicam ſæculo, ieiunabo* &c. Siquidem eiuſmodi vota ſunt opera pœnitentiæ, quibus vindicta ſumitur de patrata iniquitate. Ita omnes.

XXXIII. Quæſt. VII. *An votum rei bonæ ob finem indifferentem, & ob finem aſſequendi res temporales, validum ſit?* Reſp. Abſolute loquendo communiſſima ſententia docet, votum ob finem indifferentem irritum eſſe, & inane: quia finis indifferens vanus eſt. Porro finis ad quem ordinatur votum, eidem voto ſpeciem tribuit. Igitur, ſi vanus eſt finis, vanum quoque conſequitur eſſe votum in talem finem directum. Quare nullum eſt votum ieiunandi, ut ſumptibus parcas. Contra, ſi ob fines indifferentes obtentos votum in gratiarum actionem Deo dicares, validum tunc votum foret: quia tunc finis voti non eſſet res indifferens; ſed gratiarum actio, quæ non indifferens, ſed optima eſt.

XXXIV. Similiter nullum eſt votum ob finem aſſequendi res temporales, ſi vovens in illis ſiſtat, & ultra intentionem ſuam non erigat in aliquem finem bonum altiorem. Quando ergo res voto promiſſa, ſeu materia eiuſdem voti dirigitur ad conſecutionem rerum temporalium tamquam ad finem, irritum eſt votum ob rationem aſſignatam: quia morales actus ſpeciem capiunt a fine. Quare, ſi finis indifferens eſt & vanus, vanæ quoque ſunt actiones eumdem finem ſpectantes. Ceterum, ſi ſermo ſit de votis quæ in praxi a Chriſtianis communiter fiunt ob res temporales obtinendas, ea valida ſunt: quia hæc vota communiter diriguntur ad conſequenda bona temporalia ab ipſa infinita Dei liberalitate, & ſæpe

Digitized by Google

per Sanctorum impetrationem. Porro ſimilium intentionum, ſeu votorum finis optimus eſt. Valida ergo erunt talia vota. Similium votorum non pauca exempla occurrunt in Scripturis. In *Gen.* XXVIII. Iacob votum edidit pro felici peregrinatione. *I. Reg.* I. Anna votum Deo dicavit pro filio obtinendo. His namque votis Deum ut ſupremum, & unicum omnium bonorum datorem, voventes venerantur: idcirco vota huiuſmodi valida ſunt. Hæc quoque ſententia communiſſima eſt.

XXXV. Quæſt. VIII. *Quodnam peccatum committat qui quod malum eſt, Deo votis promittit?* Reſp. Malum quod quis Deo vovet, poteſt eſſe tale vel ex parte rei promiſſæ, quatenus res ipſa in ſe mala eſt; vel ex parte finis ad quem vovens rem dirigit, qui, ſi malus eſt, votum vitiat. Si malum quod voto promittit, ſit malum mortaliter, peccatum erit mortale. Immo ſi vovens non modo Deo illud malum faciendum promittat, ſed verum etiam propoſitum habeat illud exequendi; duo peccata mortalia perpetrat: alterum, quia Deo rem malam offert, ac ſi Deus rem pravam gratam haberet; alterum ob propoſitum perpetrandi id quod peccatum mortale eſt. Quod ſi malum veniale tantum fuerit; venialem quoque culpam committet qui talem rem vovebit, ut communiter Auctores docent. Ceterum diſtinguendum videtur. Aut enim vovens ex quadam ignorantia ductus, rem venialiter malam Deo vovet; & tunc venialiter tantum peccare, etiam ipſe concedo: aut vovens reipſa ſcit rem vovendam malam eſſe, & nullo modo Deo gratam, atque nihilominus vult eam voto Deo conſecrare; & in hac hypotheſi eum peccare mortaliter dico: & eſt communior opinio, quam docent Sanchez *Lib. IV. cap.* VI. *num.* 9. Bartholomæus a S. Fauſto *Lib. I. cap.* XLII. Trullenchus *Lib. II. cap.* II. *dub.* 5. *num.* 9. Ioannes a S. Thoma 2. 2. *diſp.* XXIX. *art.* 4. Leander *diſp.* IV. *quæſt.* XXXVI. Prado *cap.* XXXI. *quæſt.* XXII. *§.* 8. *num.* 10. Caietanus *verb. Vot. §.* 2. Raphael de la Torre 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *art.* 1. *diſp.* 1., Caſtropalaus *diſp.* II. *punct.* 8. *§.* 3. *num.* 9. Suarez *Lib. II. cap.* IV. *num.* 2. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* I. *punct.* 2. *§.* 4. *num.* 72. Iſti pro contraria ſententia citant D. Antoninum *II. Par. tit.* XXX. *cap.* IV. *§.* I. Leander quoque, qui laborem ſibi vindicavit corrigendi menda citationum, laudat D. Antoninum ex Prado. Verum ſecunda pars Summæ D. Antonini tota concluditur duodecim titulis. Titulus in quo de voto agit, eſt undecimus, qui duo tantum in capita tribuitur. Sed hæc per tranſennam. Ratio autem communis noſtræ ſententiæ eſt per ſe obvia. Qui enim deliberato animo offert Deo rem quam advertit eſſe malam, ex ſe teſtimonium exhibet, quo oſtendit Deum acceptatorem eſſe iniquitatis. Hoc autem blaſphemiam ſapit.

XXXVI. Quæſt. IX. *An qui votum faceret peccandi mortaliter ſine animo implendi, peccaret mortaliter?* Reſp. Dubio procul mortaliter peccaret iſte peccato ſacri-

le-

Digitized by Google

legii, & irreverentiæ contra Deum, ac mendacii contra veritatem. Idem dicendum de eo qui ſic voveret ſine intentione ſe ſe obligandi, ob eamdem rationem. Eſtque opinio communis.

XXXVII. Quæſt. X. *An res impoſſibilis ſit voti materia?* Reſp. Aliquid impoſſibile dupliciter dicitur: primo abſolute, & ſuapte natura; ſecundo comparate ad perſonam: ſeu aliud eſt impoſſibile phyſice, & per ſe; aliud moraliter, & relate ad hunc vel illum. Materia voti non ſolum debet eſſe poſſibilis phyſice, & abſolute; ſed oportet ut poſſibilis ſit moraliter ipſi voventi. Quoniam vovens executioni mandare debet id quod promittit. Ergo neceſſe eſt ut res exequenda illius poteſtati ſubiaceat. Res evidens eſt, nullumque eſt ſuper eadem diſſidium.

XXXVIII. Quæſt. XI. *An votum partim de re impoſſibili, partim de poſſibili, ſeu de materia partim apta, & partim inepta, validum ſit?* Reſp. Ut clare propoſita quæſtio reſolvatur, tribuenda in partes eſt. Illud primo penes omnes certum eſt, quod, ſi vovens expreſſa & manifeſta intentione coniungeret ſimul rem ineptam, & aptam in hunc finem ut unam ſine altera offerre nollet, votum nullum eſſet; & ſic vovens peccaret: quia abſolute promitteret rem impoſſibilem, eo ipſo quod nollet partem poſſibilem abſque impoſſibili implere. Illud etiam certum eſt quod, ſi materia quæ voto promittitur, ſit ſuapte natura dividua, cuius una pars ab altera minime pendeat, tunc votum validum eſt; & vovens partem voto aptam implere obſtringitur: atque in hoc communiter Theologi conveniunt cum D. Thoma, qui 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *art.* 3. *ad* 2. ait: *Si illud quod quis vovit, ex quacumque alia cauſa impoſſibile reddatur, debet hoc facere quod in ſe eſt, ut ſaltem habeat promptam voluntatem faciendi quod poteſt*. Exemplis res clarior fiet. Voviſti centum aureos in eleemoſynam diſtribuendos: non potes erogare niſi quinquaginta: ad hos elargiendos teneris. Voviſti caſtitatem, & uxorem duxiſti: ad non petendum debitum obſtringeris. Voviſti ieiunare per menſem: non potes niſi quindecim, niſi decem, niſi quinque diebus &c. his paucis diebus ieiunare debes. Non potes in ieiunio quod voviſti, abſtinere a carnibus, potes vero a pluribus comeſturis: unicam refectionem ſervare debes; quidquid de hoc ultimo ſcribat Caſtropalaus *diſ.* 1. *punct.* 8. *ſ.* 1. *num.* 10. Si ultimum exemplum demas, opinio communis eſt, immo fere omnes, quæ diximus, docent. Difficultas in eo vertitur, quænam materia dividua dicenda ſit. Nam alicuius materiæ diviſibilitas, & poſſibilis unius partis ab altera ſeparatio pervia eſt; ut ex allatis exemplis patet. Aliquæ vero materiæ hanc poſſibilem diviſionem, & ſeparationem aperte non produnt. Quid autem de eiuſmodi rebus voto Deo conſecratis dicendum ſit, ex ſequentibus conſtabit.

XXXIX. Quæſt. XII. *An qui vovit ædificare Eccleſiam, ſi nequeat totam, ad partem teneatur, aut in alia Eccleſia capellam conſtruere, vel quodpiam aliud Eccleſiæ offer-*

offerre? Reſp. Tamburinus *Lib. III. in Decal. cap.* XV. *§.* 5. *num.* 1. eiuſmodi voventem ad nihil obligat: quia, inquit, materia ſuapte natura eſt indiviſibilis. Secus, ſi vovens expreſſe voviſſet partem, quando totam non poſſet: tunc enim, ait, ad partem teneretur. Idipſum docet Sanchez *Lib. IV. cap.* X. *num.* 7. Caſtropalaus *diſp.* 1. *punct.* 8. *num.* 10. Leander *tract.* 1. *diſp.* IX. *quæſt.* XXXII. Patres Salmanticenſes citant pro contraria ſententia D. Thomam, & alios graviores, antiquioreſque Theologos; deinde concludunt punct. 2. *§.* 5. num. 77. *Sed dicendum eſt non teneri.* Salmanticenſes Patres in ſuo egregio curſu Theologiæ ſcholaſticæ religioni ſibi vertunt in ipſis ſpeculationibus, in quibus ſine ſalutis diſpendio in utramque partem diſputari poteſt, a S. Thoma vel latum unguem recedere: verum non raro oppoſitam viam inſiſtunt iidem præſtantiſſimi Patres in altero moralis Theologiæ opere, cum & a D. Thoma ſæpe recedant, & laxiores quandoque opiniones colligant, ac propugnandas aſſumant.

XL. His ergo miſſis, dicimus, eum qui abſolute vovit ædificare Eccleſiam, teneri ad partem, quando non poteſt totam: & ſi pars alicubi inutilis foret, in alia Eccleſia capellam, ſive quid aliud in aliquo templo, quod in cultum Dei cedat, conſtruere debet. Hanc ſententiam aperte docet D. Thomas in *IV.* Sent. diſt. XXXVIII. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 1. *ad* 1. *Si quis dives voverit ædificare Eccleſiam, quod poſtmodum perficere non poſſit, paupertate ſuperveniente, non obligatur ex voto ad implendum. Sed tamen in hoc diſtinguendum eſt dupliciter: uno modo quia vel omnino factus eſt impotens; & tunc non tenetur ſimpliciter ad hoc quod vovit; vel eſt factus impotens ad totum perficiendum, quamvis non ad partem; & tunc ad illud quod poteſt, remanet obligatus.* Sylveſter *verb.* Votum 2. *quæſt.* 1. Navarrus *cap.* XII. *num.* 19. Prado *cap.* XXXI. *quæſt.* 11. *§.* 9. *num.* 118. Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* 11. *punct.* 4. *num.* 3. P. Ioannes Marin, cuius opus proſcriptum eſt, *tract.* IX. *diſp.* 11. *ſec.* 8. *num.* 113. ſcribit hanc D. Thomæ ſententiam ſic intelligendam eſſe, ut ſi conſtet de intentione expreſſa voventis ad ſe obligandum etiam diviſim, tunc ad partem tenetur; ſecus dicendum, ſi de hac intentione non conſtet. Hæc interpretatio, quam exhibuerat etiam Sanchez, arbitraria eſt, nulloque fulta principio. Si conſtaret de expreſſa voventis intentione, diſputationi locus non eſſet. Verum mirum haud eſſe debet eiuſmodi Auctores ſimiles prodere interpretationes, quia conſentaneæ ſunt eorum principiis: illi enim in favorem voventis votum interpretandum contendunt potiſſimum in rebus dubiis: quod principium expreſſe improbatur a D. Thoma, ut infra videbimus. Salmanticenſes vero rationem cur a ſententia S. Thomæ receſſerint, produnt: aiunt namque, quod Eccleſiæ, & capellæ conſtructiones non ſint *moraliter eiuſdem rationis*: inſuper quod Eccleſia eſt corpus individuum, minime potens ſeparari in partes. Quare, ſi totius Eccleſiæ conſtructio ſit impoſſibilis, ad nihil vovens tenetur.

XLI.

Digitized by Google

XLI. His ergo interpretamentis miſſis, regulam aſſigno, quæ licet contraria ſit regulis recentiorum Caſuiſtarum, veroſimilior nihilominus videtur, & eruitur ex ipſo D. Thoma. *Quando executio partis ſeparatæ a toto ſecundum prudentum exiſtimationem cedit in honorem Dei, & hanc partem vovens implere poteſt; ad eam implendam tenetur: ſecus quando pars ſeparata non cedit in Dei honorem*. Quare non probo abſolute quod ait Bonacina, nempe debere hunc voventem ædificare partem Eccleſiæ, quia forte alii, viſo principio Eccleſiæ, ad complendum inceptum ædificium excitabuntur. Ego ſane non conſulerem voventi ut huic fortuito eventui ſuas committeret pecunias; neque cenſeo id cedere in honorem Dei: quoniam pars Eccleſiæ ſola ad nihil valet, niſi compleatur tota. Inchoare autem hanc partem ea ſola ſpe quod alii, viſo principio, ſint opus conſummaturi, nihil aliud eſſe videtur, niſi expenſas fortunæ committere, quando alia non occurrant fundamenta. In mea itaque regula conſulto inſerui illas particulas *ſecundum prudentum exiſtimationem*. Porro tum ego dicerem, ſecundum prudentum exiſtimationem partis Eccleſiæ conſtructionem in honorem Dei redundare, quando reipſa alii parati eſſent, vel coniecturæ moraliter certæ, aut valde probabiles ſuppeterent, alios fideles ad perficiendam fabricationem opem fore laturos. In tali poſitione concederem utique, voventem teneri ad partem, quamvis non ad totum: & hoc communi prudentis pietatis, & rationis ſenſui ſummopere conſentaneum videtur. Pariter ad capellam, ſeu oratorium erigendum teneretur vovens, quando id poſſet, & iuxta prudentes chriſtianæ pietatis æſtimatores ædificium capellæ, ſeu oratorii in divinum cultum, & fidelium utilitatem recideret. Qua ergo ratione adverſarii concedunt, voventem centum in eleemoſynam teneri ad quinquaginta, quando non poteſt centum; eadem concedere debent, voventem ædificare totam Eccleſiam teneri ad partem, aut ad capellam, ſeu oratorium, quando non poteſt totum; dummodo prudens pietas iudicet partem, vel capellam in Dei cultum, & Chriſtianorum utilitatem cedere. Secus dicendum, quando executio partis ſuperflua, & omnino inutilis foret. E. g. voviſti peregrinationem ad domum Lauretanam, non potes totum iter conficere, non teneris ad partem: quia pars itineris ad finem voti inepta prorſus eſt, ſicuti ineptam diximus conſtructionem partis Eccleſiæ, quando ſpes non adeſſet ut alii opus inceptum perficerent.

XLII. Rationes adverſariorum ſeipſis corruunt. Quod enim dicunt Salmanticenſes, non eſſe actus eiuſdem rationis Eccleſiam, & capellam, perridiculum eſt: quia hic ſermo non eſt de rebus phyſicis, ſed moralibus. Porro eadem virtus religionis impellit ad ædificium capellæ, ac Eccleſiæ. Utique capella, & Eccleſia diſtinguuntur tamquam totum, & pars. In eadem tamen, ut ita dicam, linea moris reperiuntur. Decem, & centum ad diverſam numeri ſpeciem pertinent. Ergo qui non poteſt centum, non debet decem? Eiuſmodi ſpeculationes in morum

præceptis tradendis vanæ ſunt, & inutiles. Falſum eſt quod tota Eccleſia ſit corpus individuum. Quot Eccleſias in dies non videmus inceptas., & non conſummatas? Ego ipſe non paucas vidi quarum ſola maior capella ædificata eſt : in qna tamen cultus Dei promovetur, & fidelium ſpiritualis profectus non parvus colligitur. Falſa quoque eſt regula Sanchez, & Marin. nempe ex expreſſa intentione voventis colligendam eſſe illius obligationem. Quippe, cum voventis intentio expreſſa eſt, locus non relinquitur diſputationi. Debitum ergo voventis ex illins facultate, & ex rei voto promiſſæ conditione ernendum eſt. Quando igitur execntio partis rei promiſſæ iuxta pios prudenteſque æſtimatores promovet finem voventis, nempe cultum Dei, aut pietatem fidelium, in eodem genere in qno eſt totum quod promiſit; tunc ad hanc partem exequendam vovens dubio procul obſtringitur.

XLIII. Quæſt. XIII. *Quando votum eſt de materia mixta, partim bona, & partim mala, ad quid vovens tenetur?* Reſp. Materia voti pluribus modis mixta eſſe poteſt: vel qnia pars una eſt poſſibilis, impoſſibilis altera; & de hoc ſatis dictum eſt: aut quia partim eſt bona, & partim mala; ut ſi quis voveat Religionem, quo res Cœnobii furetnr: vel quia eſt partim indifferens, & partim bona; nt ſi promittas te profecturnm Romam, & eleemoſynam erogaturum: vel ratione finis materia mixta eſſe poteſt, qui partim bonus, partim indifferens ſit; ut ſi voveas eleemoſynam ad ſubveniendum pauperi, & acquirendas divitias quin illas in Deum dirigas. Plures alias poſitiones prætereo. Ex dictis autem patet reſponſio ad omnia. Nam, quando materia partim apta eſt, & partim inepta, & qnando ex duobus finibus unus eſt bonus, alter indifferens, & ineptus, validum eſt votum, ſi inxta prudentes æſtimatores ſeparatim fines impleri poſſint; dummodo non conſtet de expreſſa contraria intentione voventis, nt dictum eſt.

XLIV. Quæſt. XIV. *An votum diſiunctive factum, cuius altera pars apta, altera inepta ſit, puta dum voves aut Religionem, aut furtum, validum ſit?* Reſp. Si votum revera ſit diſiunctivum, itaut vovens ad neutram partem ſe volnerit obligare determinate, ſed indifferenter, aut ad unam, aut ad alteram æqno modo; abſolute votum nullum & irritnm eſt. Quoniam qui ſic vovet, vi talis voti non magis ad partem aptam quam ineptam tenetur. Ergo votum, quod de meliori bono determinate eſſe debet, invalidum eſt. Idem dicito, quando diſiunctio cadit ſupra duplicem finem, quorum unus ineptns, alter aptus eſt. Immo qui ſic vovet, peccat. Sed caſus ſub his terminis metaphyſicus eſt. Quis enim, niſi ſtultus auſit ſic vovere, ut neutram determinate partem velit? Aut quis adeo ſit impius ut partem criminis plenam voveat? Quare in praxi eiuſmodi vota, quæ diſiunctiva videntnr, ſunt tantum conditionata; ſeu potius ſunt duo vota, unum irritum, quia de re vana, aut mala; alterum validum, quia de meliori bono: ut ſi quis

ira

ira percitus tale votum emitteret: Voveo me vindicaturum iniuriam mihi irrogatam, aut Religionem ingreſſurum: hoc votum non eſt diſiunctivum; ſed eſt votum conditionatum, quod niſi ſumpſerit vindictam, velit ingredi Religionem: ſeu potius ſunt duo vota, primum abſolutum ſumendi vindictam, quod eſt irritum; alterum conditionatum amplectendi religioſum ſtatum, quod, impleta conditione, obligat, cum ſit de meliori bono. Quando autem dubium eſt, an ſimilia vota ſint diſiunctiva, vel conditionata, dico decernenda eſſe vota illa conditionata, & valida quantum ad partem aptam, conditione expleta; quidquid in oppoſitum ſentiat P. Marin. *loc. cit. num.* 128. quia nemo præſumendus eſt malus, niſi probetur: malus autem foret, & peccans qui votum diſiunctive eliceret de re bona, & mala æquo modo. In votorum vero materia, quando dubia occurrunt, tutior pars eſt eligenda; ut infra fuſius adverſus eumdem Marin. alioſque recentiores Caſuiſtas demonſtrabo.

XLV. Quæſt. XV. *An votum eundi Romam nudum valeat?* Reſp. D. Antoninus *II. Part. tit.* XI. *cap.* 1. *§.* 3. dicit: *Votum autem de eundo nudum, non videtur multum commendabile, quia nec honeſtum, & periculoſum tempore hiemali, & ideo potius eſt commutandum*; ideſt, ut indutus honeſte votum impleat. Validum itaque votum eſt, eo quod pars principalis voti bona ſit; ſolumque modus *acceſſorius* malus eſt, & propterea omittendus. Navarrus tenet oppoſitum *cap.* XII. *num.* 39. Sed D. Antonini opinionem tuetur Sanchez *Lib. IV. cap.* X. *num.* 13. & eidem accedit Marin. *loc. cit. num.* 119. & hæc ſententia vera eſt.

XLVI. Quæſt. XVI. *An votum non ludendi validum ſit?* Reſp. Sententia communis eſt, validum eſſe: quia eſt de meliori bono. Nam ludus aut conſiderari poteſt ut eſt quid fortuitum in ordine ad lucrum, & iacturam, & ut eſt malorum origo, ſicut reapſe communiter eſt; & tunc dubio procul validum eſt votum non ludendi: aut conſideratur ludus ut modus oblectationis, & levandi animi cauſſa aſſumptus ſecundum eutrapeliæ regulas; & tunc abſtinentia a ludo ex amore pœnitentiæ, & mortificationis proficiſcitur, & conſequenter votum eius de meliori bono eſt: ergo validum. Quod ſi contingeret animi recreationem futuram eſſe in aliquo caſu neceſſariam ad ſanitatem, tunc ceſſaret pro tali eventu voti obligatio. Neque verum eſt quod inquit Tamburinus *Lib. III. cap.* XV. *§.* 4. *num.* 3. nempe quod ſi ludus, recreatio, cibus delicatus *in ſpeciali caſu eſſent animæ tuæ utiliora, vota de abſtinendo ab illis non valerent*. Hæc, inquam, doctrina mihi vera non videtur. Nam plures vota eliciunt abſtinendi a carnibus, quarum uſus quandoque in ſpeciali caſu eſt neceſſarius; nec propterea vota redduntur invalida. Dicendum ergo, quod vota ſimilia in *ſpeciali caſu* non obligant; ſicut de qualibet lege, & præcepto dicitur. Verum ex hoc quod in caſu ſpeciali non obligent; male infertur vota huiuſmodi invalida prorſus evadere. Quando ergo materia

Digitized by Google

teria voti abſolute conſiderata, & ſpectatis circumſtantiis quæ communiter occurrunt, eſt de meliori bono; vota ſemper valida ſunt; quamvis caſus ſpeciales occurrant in quibus obſervantia voti non ſit de meliori bono; & tunc votum non obliget. Sed validum ſemper manet: &, caſu ſpeciali ſublato, voti obligatio rurſus urgere proſequitur.

XLVII. Poſito quod votum non ludendi validum ſit, plures caſus reſolvendi ſuperſunt. Et primo quidem, ad quid teneatur qui vovit non ludere, puta chartis. P. Gobatius *tractat.* XI. *num.* 524. & P. La Croix *Lib. III. part.* I. *num.* 453. reſpondent, voventem huiuſmodi non teneri abſtinere niſi a ludo immoderato, quando abſolute vovit, nihil cogitando de immoderato, & periculoſo ludo: quia, inquiunt, votum in dubio explicari debet in favorem voventis. Pro hac opinione P. Claudius La Croix citat Bonacinam, Dianam, Tamburinum: & profitetur innumeros alios laudare pro opinione defendente, votum dubium explicandum eſſe in favorem voventis. Verum hæc ſententia P. Claudii La Croix duplici ex capite nobis falſa eſt. Primo quia vota dubia non in favorem voventis, ſed in tutiorem partem ſunt interpretanda. Secundo quia qui vovit non ludere chartis, iuxta communem ſenſum ab omni chartarum ludo abſtinentiam promiſit; cum ludus iſte ſuapte natura periculoſus ſit, & idcirco a canonibus ſacris vetitus comperiatur. Diſtinctio autem ludi moderati, & immoderati caſuiſtica eſt, ſeu a Caſuiſtis inventa, quæ in mentem voventium vix, ac ne vix quidem venit. Qui enim vovent non ludere chartis, abſolutam abſtinentiam ab omni chartarum ludo ſpondere intendunt. Quapropter præfata diſtinctio unice ad extenuandam voti obligationem videtur invecta. Concedit tamen La Croix, te debere abſtinere etiam a moderato ludo, ſi expreſſe in voto tuo illum comprehendiſti. Papæ! Egregia ſane admonitio.

XLVIII. Citatus Auctor, ut votum non ludendi accommodet inclinationi voventis, contendit ex fine voti colligendum eſſe, num excluſeris etiam ludum moderatum, & an voveris etiam te non luſurum pro alio. Nam, inquit ille, ſi voto intendiſti vitare iacturam pecuniæ tuæ, excluſiſti ſolum ludum immoderatum. Quare infert, te ludere poſſe & pro alio, & pro te luſu moderato; immo & per alium, tradendo ei pecuniam, & aſpiciendo: niſi aliter conſtet de mente tua. Si chriſtiani homines germana pietate ac virtute præſtantes legerent has caſuiſticas diſtinctiunculas, vix profecto a riſu ſe continerent. Repono itaque, niſi conſtet expreſſe te diſtinxiſſe, dum votum edidiſti, ab omni ludo chartarum te debere vi voti abſoluti abſtinere: tum quia cum votum privata lex ſit, de eo pariter recte habet celeberrimum dictum: *Ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus*: tum etiam quia materia voto promiſſa, nempe integra a ludo abſtinentia, confert plurimum ad innumera peccatorum pericula declinanda: tum

Digitized by Google

tum denique quia votum in tutiorem partem ſemper interpretandum eſt. Falſum eſt inſuper quod inquit La Croix, voventem non ludere, dum per alium ludit. Quia qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur. Non minus falſum eſt quod loco citato pergit docere La Croix cum Caſtropalao, & Tamburino, nempe, dum voviſti non ludere, ne tempus teras, te poſſe *per alium ludere, licet aſpiciendo perdas tempus*. Audiſtin'? Licet perdas tempus, ludendo aliena manu votum non fregiſti; ſi autem propria manu ludis, votum fregiſti. Peracuta revera, & mirifica Theologia. Manifeſtam laxitatem non vacat longius improbare.

XLIX. Si voviſti, inquit P. La Croix *loc. cit. num.* 454. eo fine non ludere, *ut vitares rixas, blaſphemias, iuramenta... ludere licebit per alium, licet hæc incommoda timeantur, quia reipſa non ludis*. Hæc opinio laxiſſima eſt: quia, præter rationes adductas, accedit periculum frequentiſſimum blaſphemiarum, iuramentorum, & rixarum. Et tamen P. La Croix eiuſmodi monſtra ut certas morum regulas obtrudit.

L. Quæſt. XVII. *An validum ſit votum numquam peccandi?* Reſp. Ut reſponſio clara ſit, diſtinctione eſt opus. Si votum ſit abſtinendi ab omni peccato mortali, validiſſimum eſt: quia non ſolum eſt de meliori bono; ſed eſt, divina opitulante gratia, de re moraliter poſſibili. Nam præcepta divina omnibus poſſibilia ſunt. Ita communiter omnes. Si autem votum ſit abſolutum, excludens quæcumque peccata, tum mortalia, tum venialia collective accepta; & conſtet de hac expreſſa voventis intentione; tunc votum nullum eſt: quia materia voti, ſic collective accepta, eſt moraliter impoſſibilis humanæ imbecillitati. Quoties ergo vovens ſpectat abſtinentiam omnium peccatorum tum venialium, tum mortalium per modum unius obiecti; tunc votum nullum eſt ob rationem datam. Quandoquidem in hac poſitione non valet regula: *Qui non poteſt totum, debet partem implere*: quia vovens expreſſe excludit hanc diviſionem, quando expreſſe collective vovet totam materiam indiviſim. Vovens enim legiſlator eſt, qui pro arbitrio ſibi eiuſmodi obligationes valet imponere. Eſtque communis opinio, quam docent Sanchez *Lib. IV. cap.* V. *num.* 10. Sotus *Lib. VII. quæſt.* I. *artic.* 3. Ioannes a S. Thoma 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *diſp.* XXIX. *artic.* 5. Sayrus *Lib. VI. cap.* III. *num.* 10. Valentia 2. 2. *diſ.* VI. *quæſt.* VI. *punct.* 2. Aragonius 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *artic.* 2. *dub.* 2. *concl.* 4. Salmanticenſes *tract.* XVII. *punct.* 2. *§.* 5. *num.* 82. Ledeſma *tract.* X. *cap.* II. *concl.* 3. Navarrus *cap.* XII. *num.* 65. Toletus *Lib. IV. cap.* XVII. *num.* 10. & alii.

LI. Præfata autem ſententia vix in praxi locum habet: quia fere nemo vovens expreſſa intentione comprehendit utramque materiam per modum unius æquo modo, nempe tam mortalia, quam omnia venialia peccata. Communiter namque voventes intendunt vitare omnia mortalia, & venialia, quoad permiſerit,

rit humana fragilitas. Propterea ut plurimum ſimilia vota valida ſunt: quia vitare omnia mortalia cuique poſſibile eſt: & quantum ad hanc partem votum ſervandum eſt, iuxta illam iuris regulam 37. in 6. *Utile per inutile vitiari non debet*. Quapropter eiuſmodi vota, quando non conſtet evidenter de contraria intentione voventis, ut valida ſunt cenſenda: quia, quando quis vovet duas res ſeparabiles iuxta communem prudentum exiſtimationem, quarum una poſſibilis ſit, impoſſibilis moraliter altera, valet votum reſpectu partis poſſibilis. Hanc ſententiam defendit P. Marin. *tract.* IX. *diſp.* II. *ſec.* I. *num.* 10. qui laudat Suarez *Lib. II. cap.* II. *num.* 2. & 12. Leſſium *Lib. II. cap.* XL. *dub.* 7. *num.* 31. Caſtropalaum *punct.* 8. *num.* 9. Gobat. *tract.* XI. *num.* 76. Et hæc opinio tenenda eſt etiam in dubio: quoniam actus in dubio præſumitur factus ſecundum eius naturam, ut commune habet axioma.

LII. Si votum ſit de vitandis omnibus peccatis diviſive, aut mortalibus, aut venialibus, ita ut vovens ad neutram partem determinate ſe ſe obliget, nullum eſt: quia vi talis voti vovens non magis vult partem aptam quam ineptam: qua de cauſſa dictum eſt ſupra, nullum eſſe ſimile votum: Voveo me celebraturum Miſſam, aut ſaltaturum.

LIII. Quæſt. XVIII. *An validum ſit votum vitandi omnia peccata venialia?* Reſp. Ut huic quæſtiunculæ clare reſpondeamus, quæ communia ſunt, præmittamus oportet. Validum itaque votum eſt vitandi aliquod genus peccandi venialiter, puta mentiendi. Quia hoc moraliter poſſibile eſt. Sic docet Azorius *Lib. XI. cap.* XIII. *quæſt.* IV. Leſſius *Lib. II. cap.* XL. *dub.* 7. *num.* 31. Suarez *Lib. II. cap.* III. *num.* 4. Sanchez *Lib. IV. cap.* V. *num.* 18. Caſtropalaus *punct.* 8. *num.* 11. Marin. *tractat.* IX. *diſ.* II. *ſec.* 2. *num.* 11. Sanchez tamen ſuſtinet votum vitandi omnia venialia in cogitationibus luxuriæ, vel iudiciis temerariis, vel in cibo, & potu, vel in verbo otioſo eſſe invalidum: quia, inquit, eſt de re moraliter impoſſibili. Oppoſitum docent communiter alii. Diſſidium tanti non eſt, ut prolixior de eo fieri debeat diſputatio. Pro praxi ſimilia vota non ſunt conſulenda. Si vero facta ſcrupulis voventem torqueant; diſpenſatio, aut commutatio impetranda eſt, ut periculum peccandi vitetur.

LIV. Communiſſima autem ſententia eſt, votum vitandi omnia peccata, non ſolum collective (quod certum eſt apud omnes) ſed etiam diviſive, nullum eſſe. Quoniam votum de re moraliter impoſſibili nullum eſt. Huiuſmodi autem eſt votum vitandi omnia peccata venialia. Siquidem non poſſe hominem omnia venialia peccata cavere, auctoritate patet Tridentini Concilii, dicentis ſeſſ. VI. canon. XXIII. *Si quis dixerit hominem iuſtificatum poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia; anathema ſit.*

LV.

Digitized by Google

LV. Non deſunt qui oppoſitum ſuſtineant; quorum etiam argumenta ſatis valida ſunt. Inquiunt namque, votum iſtud non obligare ad aliud quam ad id cui iam obſtricti ſumus: ſiquidem omnes tenemur vitare omnia peccata venialia. Ergo votum de his vitandis validum erit. Confirmatur. Votum iſtud non obligat in actu ſecundo ad aliquid moraliter impoſſibile: quia ſolum obligat in actu ſecundo pro hoc inſtanti, tum pro alio, & ſic deinceps. Non eſt autem quid moraliter impoſſibile vitare omnia peccata venialia in inſtanti determinato. Votum ergo iſtud obligat ad rem promiſſam implendam eo modo quo impleri poteſt. Sic vovens conſtruere templum, non tenetur ædificare hodie totum templum; ſed hodie unam, cras alteram partem. Eodem modo vovens vitare omnia peccata venialia, hodie tenetur vitare hodierna, cras craſtina. Præterea eodem modo obligat hoc votum quo obligat lex; ſed lex obligat ad aliquid poſſibile in actu ſecundo: ergo & votum. Votum enim lex eſt privata. Porro quam legem meliorem, prudentioremve ſibi imponere valet homo præ illa quæ ſimillima eſt divinæ legi. Amor enim iſtius divinæ legis in nobis prudens eſt. Ergo & votum illam adamuſſim exequendi prudens dicendum erit. Accedit quod tam difficile eſt iuvenem in ſæculo commorantem, & undique illecebris multis pellectum, non peccare letaliter, quam difficile eſt Religioſum non peccare venialiter. Si valet primum votum; quidni & ſecundum? Nonne iuxta Sotum *in IV. diſ.* XVIII. *quæſt.* III. Azorium, Sanchez, Caſtropalaum, La Croix *num.* 404. validum votum eſt confitendi omnia venialia: quia intelligitur de illorum confeſſione quæ mediocri diligentia adhibita memoriæ occurrunt? Idem ergo dicendum & de voto illa vitandi. Tandem, iuxta ſuperius dicta, validum eſt votum cælibatus emiſſum ab homine fragili, licet ſuorum relapſuum experientiam habeat: eo quod abſolute continere ſe poteſt, & ex ſua malitia labitur. Neque enim voti materia metienda eſt fragilitate, & malitia voventis; ſed bonitate generica, & comparate ad hominem divinæ gratiæ auxiliis inſtructum. Quapropter dictum etiam eſt, matrimonii votum in tali homine invalidum eſſe, eo quod impediat maius bonum cælibatus. Momenta igitur hæc, ſi recte probant cælibatus voti valorem, procul dubio itidem voti alterius numquam peccandi venialiter valorem evincunt.

LVI. Argumenta hæc ſpecioſa ſunt, &, ſi vis metaphyſici ratiocinii ſpectetur, ſatis valida. Ceterum, ſi ad Conciliorum, & Scripturarum canones revocentur, languida ſunt, & infirma. Anathema Tridentinum in eos contorquet qui aſſerunt, ſine ſpeciali auxilio poſſe quempiam in tota vita ſua omnia venialia vitare. Scriptura teſtatur, Deum in Angelis ſuis pravitatem reperire; neminemque eſſe mundum a ſorde. Legem divinam, quæ omnia venialia prohibet, venerari, & pro viribus exequi debemus; ſed minime tam ſublimi legi aliam debemus addere,

dere, quæ pondus aggravet, augeatque. Quid humanæ naturæ humeri ferre valeant, ſolus ſupremus eiuſdem effector novit; idcirco ſolus ille legem rogare potuit de ſingulis venialibus declinandis. Nec valet paritas de voto mortalium criminum: quia reipſa homines bene morati, communibuſque divinæ gratiæ ſubſidiis adiuti, mortalia vitant: nullusque canon reperitur qui doceat, aliquem hominem toto tempore mortalia omnia vitare non poſſe; quemadmodum de venialibus docet Tridentinum. Non valet igitur paritas a mortalibus ad venialia. Demum cuilibet homini, quantumvis fragili moraliter poſſibilis eſt cælibatus; dummodo remedia quæ Scripturæ, & Patres præſcribunt, velit executioni mandare. Sunt autem fuga mulierum, illecebrarum, & ſpectaculorum; abſtinere a pravis libris, colloquiis ſcurrilibus, & omnibus denique occaſionibus, quas chriſtiana prudentia vitare ſuadet. Nec ſat eſt declinare ſcopulos: adhibenda quoque adminicula ſunt, ut crebræ preces, meditatio æternitatis, gehennæ, paradiſi, paſſionis Chriſti Domini, ieiunia, afflictiones, abſtinentiæ, vigiliæ. Hæc validiora ſunt remedia ad continentiam ſervandam, quam matrimonium ad naturæ propagationem a Deo inſtitutum. At ſervare votum numquam peccandi venialiter non eſt in hominis poteſtate; quantumvis conatus omnes ſuos adhiberet: vitare ſiquidem omnia venialia peccata pendet ex ſpeciali divinæ gratiæ privilegio, quod nullus hominum prudenter ſibi valet polliceri. Ne multa: vota omnia prudentiæ, non poſſibilitatis legibus dirigenda ſunt. Et quamvis in metaphyſica diſputatione propugnari poſſet valor voti de vitandis venialibus, in praxi tamen nec conſulenda, nec permittenda eſſent eiuſmodi vota, peculiari afflatu divini Numinis ſublato.

LVII. Vota quæ referuntur a quibuſdam inſignibus pietate perſonis emiſſa, ex peculiari divino inſtinctu fuiſſe contendimus. Votum ſanctæ Thereſiæ *efficiendi ſemper quidquid perfectius intelligeret*, aliquid eſt maius multo quam votum non peccandi venialiter. Votum etiam quod edidit piiſſimus P. de la Colombier, quod eius ſermonibus typis editis præmiſſum legitur, ſublimius eſt voto vitandi culpas veniales: adeo namque excellens eſt, ut, quoties illud legi, toties incredibili quodam ſtupore correptum me ſenſerim, & peculiari venerationis affectu erga pium virum me pertractum expertus ſim. Refert quoque Gobat votum P. Ludovici de la Puente, viginti annis ante mortem editum, *numquam peccandi venialiter deliberate*: aliaque ſimilia vota monaſtica hiſtoria ſuppeditat. Quæ vota omnia ex ſpeciali Spiritus ſancti ductu facta fuiſſe fatentur omnes. Et de ſancta Thereſia aſſerit Gregorius XV. *Deo conſiliante* illam votum ſuum ediſſe.

LVIII. Quæſt. XIX. *Quid dicendum de his duobus votis?* Mater innuptam filiam gravidam agnoſcit. Familiam ex illius partu infamiam paſſuram prævidens, vo-

Digitized by Google

votum emittit donandi B. Virgini mille nummos aureos, ſi filia ante partum moriatur: E contrario filia vovet, niſi illi nubat a quo compreſſa fuit, cuiuſque alterius viri nuptias ſe repudiaturam: quoniam matrimonii pactio cum amatore ſuo ante corporum commixtionem interceſſerat. Reſp. Hunc caſum proponit P. Comitolus, docetque matris votum impium eſſe: quod per ſe notum eſt. Quippe votum iſtud mortem filiæ, & partus qui ex illa egredi deberet, pro fine immediato habet. Fuga infamiæ per ſe bona eſt; at mala evadit, ſi medio vitioſo intendatur: quia malitia medii inficit finem, ut ex dictis conſtat. Quamvis ergo infamiæ periculum declinare res bona & optima ſit; iniqua tamen redditur in caſu poſito ex pravitate medii, deſiderio ſcilicet mortis filiæ. Votum filiæ honeſtum, & ratum eſt. Quia, ſi finis nubendi illi cui ſe ſe ſpoponderat, inſpiciatur, bonus eſt. Si cælibatus quoque, quem promittit, amatore ſuo in matrimonium non ducto, conſideretur, bonus itidem non ambigitur.

CAPUT VII.

De votorum diſtinctione, & multitudine.

I. PLura dicturi ſumus de votorum diſtinctione, dum argumentum ſtatus religioſi in manus occurret. In præſentia pauca libabimus. Primo tribui votum ſolet in *abſolutum*, *conditionatum*, & *pœnale*. Deinde in *ſolemne*, & *ſimplex*. Tertio in *neceſſarium*, & *liberum*, ſeu in *commune*, & *ſingulare*. Quarto in *reale*, *perſonale*, & *mixtum*. Tandem in *adfirmans*, & *negans*; in *perpetuum*, & *temporale*; in *reſervatum*, & *non reſervatum*; in *publicum*, & *occultum*; in *expreſſum*, & *tacitum*, ſeu in *mentale*, & *vocale*. Hæ ſunt diviſiones quas paſſim offendes penes omnes Auctores.

II. Votum *abſolutum* eſt, dum quidquam voves ab omni conditione actum ſuſpendente expeditum: ut ſi dicas, *Voveo caſtitatem*. *Conditionatum* appellatur cui conditio aliqua affigitur, qua interveniente, obligatio conſurgit voti implendi: ut ſi infirmus dicat: *Voveo duo ieiunia in pane & aqua, ſi convaluero, ſi ex hoc periculo liber evaſero*. *Pœnale* eſt, quando, ut rem promiſſam obſerves, adiicis pœnam ſubeundam; ut ſi dicas: *Voveo diſciplinam uſque ad ſanguinis effuſionem, ſi luſero, ſi illam domum laqueorum plenam ingreſſus fuero*. Quod votum nuncupatur conditionatum pœnale. Differt autem a puro conditionali: quia in iſto non apponitur conditio ut pœna, ſed ut conditio; in illo per modum pœnæ conditio adiicitur.

III. Antequam ultra progredior, pauca dicenda ſunt de variis conditionibus quæ votis affigi poſſunt. Nam aliæ ſunt conditiones generales, & neceſſariæ; aliæ pe-

Digitized by Google

peculiares, & liberæ. Conditiones generales, & neceſſariæ, quæ ſuapte natura præſupponuntur, votum conditionatum haudquaquam conſtituunt: cuiuſmodi ſunt, *Si vixero, ſi Deo placuerit, ſi ſuperior non irritaverit, ſi cras orietur ſol*, ut habetur in *cap.* Beata Maria XXVII. *quæſt.* II. Similiter conditio quæ eſt de præterito, aut præſenti, non reddit votum conditionatum; ſed abſolutum relinquit, perinde ac ſi non eſſet appoſita. Ratio eſt, quia conditio proprie dicta ſuſpendit contractum ex futuro eventu; conditio autem de præterito, aut præſenti nihil ſuſpendit; ut ſi dicas: *Voveo ieiunium, ſi pater meus mortuus eſt, ſi nunc vivit*: quia, veritate conditionis poſita, obligatio voti non ſuſpenditur, ſed viget, & voventem adſtringit. Sic communiter docent Auctores. Poſſet tamen aliquando votum appellari conditionatum reſpectu voventis, ſi cognitio eventus conditionis futura eſſet; atque adeo votum morti, vel vitæ patris illigatum fuiſſet. Sed hæc vocum diſſidia ſunt. Abſolutum quoque votum appellaut quod fit cum animo ſuſpendendi executionem ad futurum tempus; ut ſi dicas: *Voveo ingreſſum in Religionem, ſi pater obierit, ſi vigeſimum annum attigero, ſi curriculum ſtudiorum abſolvero*. Illa ſiquidem particula *ſi* eumdem prodit ſenſum ac *quando*. Abſolute enim voves Religionem amplectendam determinato tempore. Abſolutum quoque eſſe defendunt eiuſmodi votum, *Promitto ingredi Religionem, ſi frater maior natu habuerit filios*, Salmanticenſes *loc. cit. punct.* 3. *num.* 88. quia, aiunt, abſolute intendis Religionem: nec præfers ſucceſſionem fratris Religionis obligationi; ſed illius dumtaxat executioni. Verum hæc opinio mihi falſa videtur, ſi ſpectemus vel ipſam conditionis notionem, quam promunt non modo Auctores communiter, ſed ipſimet Salmanticenſes. Illa enim conditio appellatur quæ actum ſuſpendit, donec ipſa ponatur. Atqui ille qui illigat ingreſſum in Religionem futuræ fratris ſui ſucceſſioni, vere futuræ, & incertæ ſeu fortuitæ conditioni votum ſuum affigit. Cur ergo conditionatum non erit? Quare conditionatum revera eſſe defendunt Suarez *Lib. VI. cap.* XXII. *num.* 6. Sanchez *Lib. IV. cap.* XL. *num.* 83. Pontius *Lib. VIII. cap.* IX. *num.* 18.

IV. Obiiciunt Salmanticenſes. Qui promittit ſe Religionem ingreſſurum, ſi frater maior natu filios habuerit, ex affectu ad Religionem votum emittit; nec præfert ſucceſſionem fratris obligationi Religionis, ſed illius executioni: ergo votum eſt abſolutum. Subdunt deinde, quod, ſi vovens dicat: *Promitto ingredi, ſi ex infirmitate convaluero, ſi ex periculo evaſero, ſi in tale peccatum lapſus fuero*: votum illud foret conditionatum. Reſp. Non video cur conditionatum ſit hoc poſterius, abſolutum vero primum: quin oppoſitum ſentiendum exiſtimo. Ratio namque quæ promitur, falſa apparet. Non præfert Religioni ſucceſſionem fratris, qui fratris ſucceſſioni ingreſſum in Religionem illigat? Quæro: ſi frater natu maior filiis careret, teneretur ne vovens Religionem ingredi? Minime gentium profecto;

ctio; quemadmodum non teneretur qui ſecundo modo voveret, ſi appoſitæ conditiones deficerent. Vere igitur præfert ſucceſſionem fratris Religioni; ſi, deficiente ſucceſſione, non intendit Religionis ingreſſum.

V. Celebris diviſio eſt voti in *ſolemne*, & *ſimplex*. *Solemne* nuncupatur quod in conſpectu Eccleſiæ fit, & ab eadem acceptatur. *Simplex* vero quod a privata perſona quaſi in occulto emittitur. An eiuſmodi vota ſpecie differant, an iure divino, vel eccleſiaſtico, pro rei dignitate de ſtatu religioſo omnia diſcuſſa reperies.

VI. Votum *neceſſarium* eſt illud quod omnes in baptiſmate emittunt, diabolo, mundique pompis renuntiantes: quod ideo neceſſarium dicitur, quia eſt de obſervantia evangelicæ legis ad ſalutem neceſſaria. Non eſt tamen votum proprie dictum, ut ſupra indicavimus. Votum *liberum* illud eſt quod quis ſponte edit de re non neceſſaria ad ſalutem, ut ſervare caſtitatem; aut, ſi neceſſaria res eſt, & ex præcepto præſcripta, libere vovens ad illam ſe obſtringit novo vinculo voti; quod potuiſſet omittere.

VII. Rurſus votum aliud eſt *commune*, aliud *particulare*. Aliqui, ut Bonacina, commune votum appellant quod a communitate, vel ab omnibus editur; particulare autem quod quiſque pro arbitrio emittit. At communiter Auctores votum commune idem ac neceſſarium, & particulare idem ac liberum eſſe docent: & eſt vera opinio.

VIII. Votum *reale* eſt illud quo externa res aliqua Deo offertur, *perſonale* quo actio, vel omiſſio ad perſonam attinens obligatur; *mixtum*, quo utrumque promittitur, nempe & res externa, puta eleemoſyna, & actio voventem afficiens, ut peregrinatio, ieiunium ſimul cum eleemoſyna. Ita omnes. Similiter omnes aſſerunt, votum *adfirmativum* eſſe illud quo ſpondetur quidquam poſitivum faciendum, v. g. eleemoſyna; *negativum*, quo aliquid negativum, ut abſtinentia a carnibus, a ludo, a peccato, promittitur.

IX. Votum *perpetuum* illud eſt quod durat uſque ad mortem voventis; uti eſt votum erogandi eleemoſynam ſingulis menſibus per totam vitam: & iſtud dicitur *perpetuum* reſpectu vinculi obligationis afficientis voventem. Poteſt autem alio modo eſſe perpetuum, ſcilicet ex parte materiæ poſt mortem voventis duraturum; ut eſt votum ædificandi cœnobium, aut noſocomium, in quo perpetuo alantur Religioſi, vel pauperes ægrotantes. Dici etiam ſolet votum *perpetuum per ſe*, quando nimirum fuerit abſolute prolatum, & perpetuitas ex natura rei intelligatur; ut dum quis vovet caſtitatem, Religionem &c. quia etſi nihil perpetuitatis habeatur expreſſum; tamen iuxta communem ſenſum *per ſe* intelligitur perpetuitas. Vocatur vero perpetuum *per accidens*, quando ſuapte natura hanc perpetuitatem non præfert; ſed ex intentione, aut verbis voventis colligenda eſt;

ut votum ieiunandi, eleemoſynam erogandi &c. *Temporaneum* dicitur quod ad certum definitum tempus durat; puta votum ieiunandi ſemel in hebdomada per annum unum. Omnia communiſſima ſunt.

X. Vota *reſervata* ea dicuntur in quibus Prælati immediati & inferiores facultate diſpenſandi carent; ſed talis poteſtas Prælato ſuperiori dumtaxat reſervatur: *non reſervata* dicuntur illa quorum relaxatio Prælatis immediatis etiam, ac inferioribus competit. Votum *expreſſum*, & *formale* eſt quod conceptis verborum formulis editur: *tacitum*, vel *virtuale*, ſeu *implicitum* illud eſt quod non verbis expreſſis emittitur, ſed ex aliis arguitur, quando nempe peragitur aliquid cui votum affictum eſt; ut eſt caſtitatis votum, quod Subdiaconi Eccleſiæ catholicæ emittunt ſacros ordines ſuſcipientes. *Publicum* vocatur quod fit palam; *occultum* quod fit ſecreto. Hæc omnia facilia, & communia ſunt penes omnes.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

QUANTA SIT VOTI OBLIGATIO. DE VOTO DUBIO, INDETERMINATO, METU, VEL ERRORE EXTORTO, CONDITIONALI, ET POENALI.

GRAVES occurrunt in hac diſputatione quam aggredior, difficultates excutiendæ: &, quod non leve faceſſit negotium, in aliquibus maioris momenti adverſus plurimos novos Caſuiſtas pugnandum erit. Stabunt tamen a nobis antiquitas, & ratio, ut confidimus: quamquam plurimæ tractandæ quæſtiones non antiquæ, ſed novæ ſint, Patribus incognitæ; & utilior eſſet eorumdem ignoratio quam notitia. Ceterum, ut lector noſter in promptu habeat quæſtiones quæ tractari ab aliis ſolent, idcirco operæ pretium iudicavi eaſdem diſcutere.

C A P U T I.

Obligatio voti exponitur. Cuiuſnam virtutis ſit, religionis, an alterius. Detur ne materiæ parvitas; & an hæc obligatio ad alios tranſire valeat.

I. Veritas fidei eſt, votum obligationem inducere, ut vovens id quod promiſit, exequatur. Id perſpicue præſcribitur Deut. XXIII. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: & ſi moratus fuerit, reputabitur tibi in peccatum*. Quod confirmat D. Thomas 2. 2. quæſt. LXXXVIII. art. 3. in IV. diſt. XXXVIII. quæſt. I. art. 3. quæſt. I. & quodlib. III. art. 12. *Maxime obligatur homo ad hoc quod impleat vota Deo facta: hoc enim pertinet ad fidelitatem quam homo debet Deo. Fractio autem voti eſt quædam infidelitatis ſpecies. Unde Salomon rationem aſſignat, quare ſint vota reddenda: quia diſplicet Deo infidelis promiſſio*. Hæc obligatio ſuapte natura gravis eſt, eiuſdemque tranſgreſſio ex genere ſuo peccatum mortale eſt: etenim inquit D. Thomas in IV. loc. cit. *Qui votum rite factum prætermittit, mortaliter peccat: quia fidem quam cum Deo iniit, frangit*. Ex ſequenti quæſtiuncula res clarior fiet.

Digitized by Google

II. Quæſt. I. *An voti obligatio pertineat ad virtutem fidelitatis, ſeu religionis; an etiam ad illam virtutem ad quam attinet materia promiſſa?* Reſp. Primo certum eſt obligationem voti pertinere ad virtutem religionis, ſeu fidelitatis: quia votum eſt actus religionis, quo Deo cultus latriæ exhibetur.

III. Obiicies. Fidelitas erga homines non obligat ſub mortali. Ergo, ſi votum ad virtutem fidelitatis pertinet, non ſub mortali, ſed ſub veniali obligabit. Reſpondetur, utique fidelitatem in promiſſionibus hominibus factis, & ab iiſdem non acceptatis, non obligare ſub mortali, quia hæc fidelitas ſiſtit intra ſuos limites veracitatis. At fidelitas quæ in obligatione votorum elucet, eſt Deo per virtutem religionis conſecrata; religio autem ſub mortali obligat: ideo diſpar eſt ratio.

IV. Diſſidium penes Auctores eſt, utrum hæc voti obligatio non modo ad religionem pertineat, verum etiam ad illam ipſam virtutem ad quam ſpectat res voto promiſſa. E. g. voviſti ieiunare, & ieiunium frangis: peccas ne adverſus religionem, voti obligationem frangendo, & ſimul adverſus virtutem temperantiæ? Prima, & vera ſententia negat, obligationem voti ad utramque virtutem pertinere: quoniam qui opus conſilii, ſeu ſupererogationis vovet, non aliam ſibi imponit obligationem quam illam quæ ex promiſſione Deo facta oritur. Hæc autem obligatio, tota quanta eſt, a virtute oritur religionis, & fidelitatis. Nec enim vovens novam ſibi adiicere temperantiæ legem præter illam quæ limites præſcribit cibi, & potus, intendit; quamquam ex affectu ad temperantiam, quam ſibi proficuam, & Deo gratam reputat, voveat tale ieiunium. Id evidens ſatis eſt ex communi voventium ſenſu. Nulla igitur obligatio eſt in voto ſpectans ad aliam virtutem præter religionis, & fidelitatis obligationem.

V. Contraria ſententia defendit, præſatam obligationem voti pertinere cum ad religionem, tum ad virtutem illam ad quam reducitur res promiſſa; ita ut frangens votum ieiunii duo peccata committat, alterum contra religionem, alterum contra virtutem temperantiæ. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* I. *punct.* 4. §. *num.* 102. pro hac opinione citant Valentiam 2. 2. *diſp.* VI. *quæſt.* VI. *punct.* 3. *quæſt.* I. *concl.* 3. Sayrum *Lib. VI. cap.* VI. *num.* 8. Sanchez *Lib. IV. cap.* XI. *num.* 6. Bonacina *diſp.* IV. *punct.* 5. §. 4. *num.* XI. At revera Sanchez, & Bonacina abſolute hanc opinionem non docent; ſed ſolum contendunt quod, quando vovens intenderet ſe obligare ex peculiari rectitudine illius virtutis ad quam voti materia ſpectat, in hac hyhpoteſi vovens duo peccata admitteret; ſecus, quando abſolute voveret ſine hac expreſſa intentione, & ſine peculiari affectu ad præſatam materiam. Et certe, ſi vovens expreſſe intenderet hanc duplicem obligationem ſibi imponere, duo peccata committeret votum frangendo, unum contra votum, alterum contra virtutem, cuius obligationem ſibi ſervandam aſſumpſit ex debito. Nec video cur Salmanticenſes ne-

negent, poſſe voventem ſibi actum temperantiæ ſub gravi culpa contra talem virtutem ſervandum imponere; ita ut actum illum omittens & contra votum, & contra eamdem virtutem peccet. Sicut enim ad aliquod opus ſupererogationis exequendum poteſt homo per votum ſub gravi culpa ſe obligare; ita poteſt ſub gravi culpa ſe ſe obligare ad exercendum actum aliquem temperantiæ. Neque hoc eſt pervertere rerum naturas. Rerum naturæ ſubiiciuntur in genere moris humanæ deliberationi in iis in quibus non apparet aliqua repugnantia; quemadmodum hic nulla prorſus apparet. Nonne ſiquidem datur præceptum ieiunii obligans ſub mortali? Cur nequit Chriſtianus tale ieiunii præceptum ſibi ipſi imponere ſponte ſua, & libera voluntate? Atque in hypotheſi qua aliquis expreſſe talem ſubiret gravem obligationem, & huic obligationi votum adiiceret, nemo certe negaverit eum in caſu tranſgreſſionis duplex flagitium perpetraturum, ſaltem ex conſcientia erronea. Verum, hoc verbali diſſidio miſſo,

VI. Prima ſententia vera eſt, illamque defendunt Caietanus 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *art.* 5. *dub. ult.* Suarez *Lib. V. cap.* III. *num.* 3. Caſtropalaus *diſp.* I. *punct.* II. *num.* 8. Trullench. *Lib. II. cap.* II. *dub.* 12. *num.* 23. Immo hanc eamdem ſententiam tuentur Sanchez, & Bonacina, quoties vovens expreſſe non intendat aſſumere duplicem obligationem.

VII. Obiicies pro citata contraria opinione. Votum lex privata quædam eſt; & vovens legiſlator ſui iuris eſt. Sed legiſlator præcipiens actum alicuius virtutis, puta temperantiæ, obligat præcepto illius virtutis. Ergo idem de voto. Nonne violans ieiunii votum ſimul infidelis eſt, & intemperans, ſicuti & caſtitatis voti tranſgreſſor? Idque confirmatur. Nonne tranſgreſſor voti aſtringitur in confeſſione voti materiam manifeſtare? Hoc communiter docent Theologi. Porro, ſi ſolius infidelitatis peccatum adverſus religionem in tranſgreſſione contingeret, ſatis eſſet dicere in confeſſione: *Peccavi contra votum in materia gravi:* quin opus foret materiam voti explicare. Reſp. Votum eſt lex privata, qua vovens ſibi onus imponit aliquid efficiendi. Quare id quod primo & per ſe vovens ſpectat, eſt obligare ſeipſum ad offerendum medio voto cultum Deo, exequendo hanc vel illam actionem, quam iam ſupponit honeſtam voti materiam. At lex imponit neceſſitatem in materia quam præſcribit, ſeu reddit materiam neceſſariam, eamque in ſuo virtutis orbe, ut ita dicam, & ſphæra relinquit, & media tali materiei honeſtate homines ſubditos virtuoſos efficere contendit. Limites temperantiæ ab ipſa natura præſcripti ſunt. Lex quæ vult homines virtute temperantiæ præditos, conſtituit neceſſitatem temperantiæ: & hoc eſt quod lex per ſe ſpectat. Ceterum qui ieiunii votum Deo dicat, ſuapte natura, & per ſe non reſpicit, ſeu non intendit addere neceſſitatem honeſtati materiæ ſubiiciendæ voto; ſed ſuppoſita honeſtate illius materiæ, eam aſſumit tamquam inſtrumentum, quo Deo cultum exhibeat:

& hoc eſt quod votum per ſe ſpectat. Si concedatur quod violans ieiunium ſimul etiam temperantiam violet, non infertur peccare contra virtutem temperantiæ letaliter, ſed ſolum venialiter; quemadmodum peccaret qui obſtrictus voto non eſſet. Ceterum mihi haud diſplicet ſententia P. Suarez *Lib. V. cap.* 111. *num.* 12. & Caſtropalai *punct.* 11. *num.* 9. qui docent, poſſe quempiam votum ieiunii tranſgredi, quin limites tranſiliat temperantiæ. Ad ultimum multi Auctores reſpondent, non teneri ad manifeſtandam materiam voto ſubiectam; ſed ſatis eſſe manifeſtare tranſgreſſionem voti in materia gravi: de quo lege Sanchez *Lib. IV. cap.* XI. *num.* 24. Nos vero dicimus, neceſſariam eſſe confeſſionem circumſtantiarum quæ peccatum aggravant, ut ſuo loco oſtendemus, ſaltem ut miniſter prudens iudicium neceſſitatis medicinæ applicandæ efformare valeat.

VIII. Quæſt. II. *Maioris ne meriti ſit opus aliquod voti lege ſibi exequendum ſumere, an ſine voto?* Reſp. Adfirmanter reſpondet Angelicus Doctor 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *art.* 6. *& III. contr. Gent. cap.* CXXXVIII. *& alibi*. Plures promit rationes, quarum tres hic indicabo. I. Actus ſublimioris virtutis laudabilior, atque excellentior eſt. Opus quod vi voti ſit, a virtute religionis proficiſcitur. Ergo, ſi cetera paria ſint, maioris meriti eſt. II. Qui opus ex voto peragit, maius munus Deo offert quam qui ſine voto idem opus efficit ad Dei gloriam: qui enim votum ſibi imponit, Deo libertatem ſuam dicat, atque arctiore vinculo Deo ſe aſtringit. Quam rationem ſenſibilem reddit hac ſimilitudine. Qui arborem ſimul cum fructibus donat, plus donat quam qui ſolos fructus tribueret. Pariter qui voto libertatem ſuam, ſimulque opus Deo conſecrat, Deo plus offert quam qui ſolos plantæ, libertatis ſcilicet, fructus daret. Hinc eſt quod qui facit opus ex voto, duo implet conſilia, alterum operis, alterum voti, quod etiam ſub conſilio cadit. III. Opus voti lege factum proficiſcitur ex voluntate magis firmata in bono. Ergo opus illud maiore fruitur bonitate: firmitas namque maior in bono magis cæleſtis felicitatis perpetuæ firmitudini accedit.

IX. Si ergo voti naturam, & meritum, ſi utilitatem quam ex voto capimus, ſerio conſideremus; neceſſario debemus inferre id quod *loc. cit. ex* 2. 2. *art.* 5. docet Angelicus, nempe expediens admodum eſſe vota Deo dicare: quia maxime expedit nobis operari ex voluntate in bono firmata, & excellentiora munera Deo offerre. Nonnullas ſibi opponit difficultates ipſemet Angelicus.

X. Obiicies. Non expedit frequenter iurare: ergo neque frequenter vovere. Ideo enim frequens iuratio vetita eſt, quia ſecum profanationem divini nominis defert, & periculum periurii; ſed idem in voto periculum timendum eſt: ergo &c. Reſp. Diſcrimen aſſignat ipſe D. Thomas *quæſt.* LXXXIX. *art.* 5. Iuramentum inſtar medicinæ ſumitur, quo humanæ fragilitati ſubſidium feratur: nec iuramentum ſuapte natura, & neceſſitate ſecluſa, bonum eſt: divini namque nominis uſur-

Digitized by Google

uſurpatio ſola neceſſitate ſit licita. Contra, votum genere ſuo bonum eſt, & eo melius, quo magis liberum a quacumque neceſſitate. Quapropter non eſt expectanda quæpiam neceſſitas, ut eiuſdem fiat uſus; ſed abſolute, & quaque indigentia ſecluſa, Deo offerri valet. Dum iuramento utimur, Dei nomine, ſeu maieſtate, & reverentia utimur. Dum vovemus, non Deo utimur, ſed Deo cultum, & reverentiam exhibemus. Et quamquam etiam in iuramento cultus Dei emicet; nihilominus tunc ſolum Deus honoratur, cum urgente neceſſitate illius nomen aſſumitur ad veritatis confirmationem. Quare ſine hac neceſſitate non colitur, ſed profanatur divina maieſtas.

XI. Ad id quod additur de violationis periculo, reſpondet idem Angelicus *quæſt.* lxxxviii. *art.* 4. *ad* 2. divinitus more ſuo. Duplex nempe periculum diſtinguit: unum quod ex natura ipſius facti, alterum quod ex culpa hominis oritur. Exemplum primi eſt. Si pons ſit ruinoſus, tranſitus vitandus eſt: quia ex tali ponte periculum imminet. Exemplum vero ſecundi eſt, ſi pons ſolidus ſit, ac firmus, & homo per illius extrema latera tranſire velit: quia tunc periculum non ex ponte, ſed ex ipſo homine proficiſcitur. Votum igitur ſuper firmo voluntatis propoſito colendi Deum fundatur; quin firmat in bono voluntatem ipſam. Totum autem periculum violationis non ex voto, ſed ex hominis culpa procedit. Sermo eſt enim de voto prudenti, quod homo divino fretus auxilio emittit, quodve ſervaturum ſe confidit, gratia Dei opitulante. Non quodvis ergo periculum fortuitum retrahere nos debet ab opere; alioquin numquam ingredi cymbam, vel navim, numquam equum aſcendere deberemus.

XII. Quæſt. III. *An parvitas materiæ in voto detur?* Reſp. Voti obligationem ſuapte natura gravem eſſe, & ſub mortali, iam dictum eſt. Illius tranſgreſſionem levem fieri poſſe ex imperfecta deliberatione, ex animi ſubreptione, nemo eſt qui inficietur. Ex hoc enim capite lex quæque leviter violari poteſt. Difficultas in hoc vertitur, fieri ne poſſit levis eiuſmodi tranſgreſſio voti ex ipſius materiei parvitate; quemadmodum furtum ex levi ablatione rei alienæ leve crimen evadit. Materiæ parvitas, aut gravitas non ſumitur ſemper ex ipſa re quæ promittitur, ſed etiam ex ipſis circumſtantiis, potiſſimum ex fine. Nam ſæpe materia poteſt eſſe levis in ſe ipſa, & gravis ratione finis; ut in libro de legibus dicetur.

XIII. Quæ communia ſunt præmitto. Si materia parva tota & integra voti materies non ſit, ſed partialis; puta, voviſti recitare Roſarium integrum, & omittis unam decadem; tunc tranſgreſſio levis eſt ratione parvitatis materiæ, quæ comparata ad totum levis in communi exiſtimatione reputatur. Non eſt autem audiendus P. Claudius La Croix, qui *Lib. III. part.* 1. *num.* 148. nimis laxe contendit, integrum Roſarium omittere levem eſſe materiam; quamvis poſtea adfir-

met peccaturum mortaliter eum pœnitentem qui totum Roſarium omitteret in ſatisfactionem a Confeſſario impoſitum. Cuius rei diſparem hoc pacto rationem aſſignat : quia recitatio Roſarii a Confeſſario taxata, imponitur per modum pœnæ: & cum vaide pœnoſum ſit recitare totum Roſarium, ideo materia gravis reputatur. Per votum vero exhibetur cultus Deo, qui non videtur eſſe notabilis in recitatione Roſarii. Eadem recitatio, ut a miniſtro ſacro impoſita, eſt gravis, quia pœnalis; ut vero ſanctificata per votum, evadit levis? Lepida ſane hæc ratiocinandi methodus, quæ paſſim in Caſuiſtis quibuſdam occurrit. Immo recitatio per votum conſecrata gravior, & ſublimior evadit : quoniam a nobiliori virtute elicitur. Laudat La Croix pro ſe Tamburinum *Lib. I. Decal. cap.* 1. *§.* 3. *num.* 21. Sed Tamburinus oppoſitum aperte docet ibi. En illius verba. „ Voviſti coronam B. „ Virginis ſex decennariis conſtantem : duo decennaria comparatione dictæ coro„ næ cum ſint tertia pars, videntur non modica materia : at quia ad finem in„ tentum, ideſt ad cultum Virginis, id modice nocet, ſi cetera quatuor decenna„ ria recitentur, *veniale erit duo tantum omittere.* “ La Croix præter Tamburinum laudat etiam Sporer, diſcipulum Tamburini. Sed Sporer de more Tamburini doctrinam tranſcribit, ut videre eſt *tract.* I. *cap.* V. *§.* 4. *num.* 30. Hinc collige neceſſitatem legendi Auctores in fonte. Difficultas ergo eſt de materia integra voti.

XIV. Quæſt. IV. *An tranſgreſſio voti ſit mortalis, quando tota illius materia, licet abſolute parva, omittitur?* Reſp. Sententiam adfirmantem docet Caietanus 2. 2. *quæſt.* lxxxix. *art.* 7. *dub.* 1. Armilla *verb.* Iur. *num.* 12. Tabiena *verb.* Iurare *quæſt.* x. Toledus *Lib. IV. cap.* XVII. tutiorem eam appellat Corduba *quæſt.* clxxxviii. Ratio eſt, quia tranſgreſſio voti ſuapte natura gravis eſt. Quare, cum deliberato animo violatur, integram promiſſam materiam omittendo, eſt completa tranſgreſſio; atque adeo mortalis. Hæc ratio non multum urget : quia plura ſunt præcepta iuris naturalis, & divini, quæ ſuapte natura obligant ſub mortali; & tamen tranſgreſſio deliberata, & completa in levi materia, puta in furto unius oboli, venialis eſt. Aliam rationem produnt ſumptam a paritate iuramenti promiſſorii, cuius violatio etiam in materia levi gravis eſt, & numquam levis. Verum neque hæc ratio omnino convincit. Primo quia alia eſt voti, alia iuramenti natura; cum iuramentum in invocatione divini nominis ad confirmationem veritatis ſitum ſit. Porro gravis iniuria Deo irrogatur, quoties in confirmationem falſitatis invocatur. Secundo quia circa iuramenta habetur principium certum, & firmum in periurio aſſertorio, quod in omnium ſententia grave peccatum eſt, ſic Eccleſia ipſa definiente adverſus mollioris doctrinæ patronos. Ex quo principio valide, ut mihi videtur, arguitur ad evincendum, periurium quoque promiſſorium mortale ſemper eſſe, ut nos infra probabimus. Simile autem ſtabile fundamentum in voto non habemus. Quare ſententia quæ defendit, quodlibet periurium, ſive aſſertorium,

ſive

ſive promiſſorium, eſſe peccatum mortale, mihi probabilior, & vera eſt; hæc vero de voto ambigua.

XV. Contraria ſententia communior eſt, quam defendunt Sotus *Lib.VII. quæſt.* II. *art.* I. Navarrus *Sum. lat. cap.* XII. Henriquez *Lib.V. cap.* XX. *num.* 4. Aragon. 2. 2. *quæſt.* lxxxvIII. *art.* 3. *dub.* I. Azorius *Lib.XI. cap.* XV. *quæſt.* IV. Ioannes a S. Thoma 2. 2. *quæſt.* lxxxvIII. *art.* 8. *concl.* I. Trullench. *Lib.II. cap.* II. *dub.* 22. *num.* 5. Suarez *Lib.V. cap.* IV. *num.* 9. Sanchez *Lib.IV. cap.* XII. *num.* 5. Bonacina *diſp.* IV. *punct.* 5. §. 4. *num.* 3. Palaus *tract.* XV. *diſp.* I. *punct.* II. *num.* 6. Sporer *tract.* III. *in II. Decal. cap.* II. *ſec.* 3. *num.* 82. La Croix *Lib. III. part.* I. *num.* 448. Marin. *tract.*IX. *diſp.* III. *ſect.* III. *num.* 10. Diana *coordinatus Tom.VIII. tract.* IV. *reſol.* 10. Ledeſma *Tom.II. tract.* X. *cap.* III. *dub.* I. Antoine *tract. de vir. cap.* III. *quæſt.* IV. VVigandt *tract.* X. *exam.* 3. *num.* 3. ubi ſuſtinet periurium promiſſorium grave eſſe, & diſcrimen aſſignat eius a voto, Paulus a Lugduno *tract.* IV. *differ.* II. *art.* 2. *quær.* 3. Felix Poteſtas *Tom.I. par.* II. *num.* 1820. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* I. *num.*113. aliique plures. Ratio iſtius ſententiæ obvia eſt. Votum, ut ſæpius dictum eſt, lex eſt privata, quæ ad omnium aliarum legum ſimilitudinem obligat iuxta gravitatem materiæ; aliæ autem leges in materia levi leviter tantum obligant: idem ergo de voto dicendum eſt. Et hoc confirmatur ex paritate materiæ partialis, cuius omiſſio levis eſt, quia levem irrogat irreverentiam Deo. Ergo, cum tota voti materia levis ſit, omiſſio pariter illius levis erit.

XVI. Hæc ſecunda ſententia mihi tum ob rationem, tum ob auctoritatem vera videtur, ſi abſolute accipiatur. Id ſolum addere liceat, hoc vix in praxi locum habere. Quoniam communiter homines, dum votum edunt, quidquam in communi exiſtimatione grave Deo offerunt tum ob finem, tum ob ipſius voti dignitatem. Quis enim prudens ſerio, & deliberato animo votum ederet recitandi unicum *Pater, & Ave*, aut *terram bis oſculandi*, aut quid ſimile? Certe homines communiter materiam gravem voto dignam Deo ſpondent. Si enim quempiam puderet vel ipſis hominibus in aliqua dignitate conſtitutis leviſſima offerre munuſcula, niſi neceſſitas, aut paupertas in aliquo caſu ad id urgeret; quanto magis homines pudeat oportet talia Deo vota nuncupare quorum materia adeo parva ſit, ut omiſſio, ſive voti violatio, levis poſſit exiſtimari? Quod confirmari valet inſuper ex communi principio legis, quæ ſuapte natura graviter obligat. Quemadmodum enim nullus legiſlator legem aliquam condit in ſola levi materia; ſic nullus vovens, prudenter & communiter loquendo, votum edit cuius materia ſit undequaque levis. Quare in praxi vix occurret caſus in quo quis abſque gravi culpa voti alicuius obſervantiam omittat. Quandoquidem, quamvis materia voti levis appareat, ratione tamen finis intenti a vovente gravis erit ſemper. V. g. voviſti recitare unum *Pater, & Ave* quotidie ad ſedandam graviſſi-

viſſimam tentationem, quia devotionem hanc expertus es ceu medium efficax, ne tentationi ſuccumbas. Tunc ratione iſtius finis, ſi quotidie omitteres præfatæ precis recitationem, a culpa gravi non auderem te eximere: quod forte nec citati Auctores negarent, eo quod talis materia ob finis circumſtantiam gravis evadit. Simile quippiam habetur in omnibus votis quorum materia abſolute inſpecta levis apparet. Omnis enim qui prudenter vovet, id præſtat aliquo gravi rationis momento ductus: & conſequenter res promiſſa, ſin in ſe, in fine ſaltem gravis erit. Admiſſa autem hypotheſi, quod voti materia eſſet undequaque levis; tunc concederem etiam tranſgreſſionem voti levem futuram. Sed hoc vix umquam in praxi occurrere ſuſtineo: quod ideo repeto, ut miniſter pœnitentiæ cautus ſit, & providus, ſeduloque perpendat non tantum levitatem materiæ, ſed finis potiſſimum gravitatem.

XVII. Quæſt. V. *An vovens poſſit graviter ſe obligare in materia levi, aut leviter in materia gravi?* Reſp. Ad primam quod attinet partem, quando materia omni ex parte levis eſt, communis opinio aſſerit, non poſſe voventem, etiamſi vellet, ſeſe obligare ſub culpa gravi. Quoniam nec legiſlator ullus poteſt in materia omnino levi ſub gravi culpa ſubditos obligare: quia eiuſmodi voluntas iniqua eſſet, & contra naturæ ordinem, ut communiter Theologi docent. Ergo nec vovens, privatus utique ſui legiſlator, id præſtare valebit. Et hæc, inquam, ſententia communiſſima eſt. Sotus *Lib. VII. quæſt.* II. *art.* I. Petrus Ledeſma *Tom. II. tract.* X. *cap.* III. *dub.* 2. Sanchez *Lib. I. de matr. diſp.* IX. *num.* 6. Diana *coord. Tom. VIII. reſol.* 12. Vaſquez I. 2. *Tom. II. diſp.* CLVIII. *cap.* IV. *num.* 34. Raphael de la Torre *quæſt.* LXXXVIII. *art.* 5. *diſp.* VI. *num.* 8. Prado *cap.* XXXI. *quæſt.* IV. *ſ.* 3. *num.* 36. Ioannes a S. Thoma 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *diſp.* XXIX. *art.* 8. Marin. *tract.* IX. *diſp.* III. *ſect.* 3. *num.* III. Leander *tract.* II. *diſp.* III. *quæſt.* IX. & alii communiter.

XVIII. De ſecunda quæſiti parte diſſident acriter Auctores, & in duas extremas abeunt ſententias. Quarum prima docet, in materia ſuapte natura gravi non poſſe voventem leviter ſe obligare. Quandoquidem, licet quiſque poſſit vovere, aut non vovere, in poſitione tamen quod votum edere velit, obligationis limitatio non remanet amplius in illius poteſtate. Obligatio naturam voti conſequitur veluti eiuſdem proprietas. Ergo qui vult votum, velle debet illam obligationem quæ eſt propria voti. Sed obligatio propria voti in materia gravi gravis eſt. Ergo qui vult votum in materia gravi, debet graviter ſe obligare. Confirmatur. Qui vult votum, vult eadem voluntate obligationem quæ votum conſequitur. Ergo qui vult votum in materia gravi, vult gravem obligationem. Deinde probatur a ſimili ex iuramento. Eſt quidem in poteſtate hominis iurare, vel non iurare. At poſito quod velit quis iurare, non eſt in poteſtate iurantis velle

velle ſe obligare ad confirmandam veritatem medio iuramento ſolum ſub veniali; ſed tenetur intentionem, & voluntatem ſuam naturæ iuramenti aptare. Idem ergo de voto dicendum eſt. Tandem, ſi in voventis animo poſitum eſſet voti obligationem limitare, poſſet qui Religionem profitetur, ſub veniali ſe votis illis obligare; poſſet qui ſacris ordinibus initiatur, ſub levi culpa caſtitatis voto ſe aſtringere; poſſet qui matrimonium contrahit, ad reddendum debitum levem ſibi imponere obligationem: quæ omnia falſa ſunt. Hanc ſententiam docent Sotus *de iuſt. Lib. VII. quæſt.* II. *art.* I. *in fin. cor.* Corduba *quæſt.* clxxxviii. *punct.* I. Raphael de la Torre 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 5. *diſp.* vi. *num.* 4. Monteſinos I. 2. *de leg. diſp.* xxiii. *quæſt.* ix. *num.* 159. Pontius *Lib. XII. de ſponſ. cap.* II. *num.* 12. Martinez de Prado *Tom. II. cap.* xxxi. *quæſt.* iv. *§.* 2. *num.* 8. Vaſquez I. 2. *diſp.* clviii. VVigandt *tract.* x. *exam.* 3. *num.* 32. *reſ.* 4.

XIX. Secunda ſententia ſuſtinet, poſſe voventem pro arbitrio in materia gravi ſub culpa levi ſe obſtringere. Probant primo D. Thomæ auctoritate, qui ait 2. 2. quæſt. lxxxviii. art. 10. *Ille qui vovet, ſtatuit ſibi legem*. Sed lex, quantumvis in gravi materia præcipiat aliquid, poteſt ex intentione legislatoris leviter ſolum obligare. Idem ergo & de voto dicendum. Quod inſuper ex eodem D. Thoma confirmatur. Siquidem *loc. cit. art.* 3. *ad* 3. inquit: *Obligatio voti ex propria voluntate, & intentione cauſatur. Unde dicitur Deuter.* xxiii. *&c.... Et ideo ſi in intentione, & voluntate voventis eſt obligare ſe ad ſtatim ſolvendum, tenetur ſtatim ſolvere*. Ergo ex intentione voventis metienda eſt gravitas obligationis. Poſtremo ita arguunt. Vel eſt poſſibile vovere in tali materia obligando ſe ſolum ſub veniali; vel non. Si primum; ergo, quando expreſſe vovens velit ſub veniali ſe obligare, reipſa obligatio erit ſub veniali. Si ſecundum; non erit verum votum, & ſic vovens nullo modo manebit obligatus. Hanc ſententiam defendunt Suarez *Lib. IV. cap.* iv. *num.* 5. Molina *de iuſtit. diſ.* cclxii. *num.* 8. & 12. Caſtropalaus *tract.* xv. *diſp.* I. *punct.* II. *num.* 4. Filliucius *tract.* xxvi. *cap.* III. *num.* 80. Diana *III. Par. tract.* vi. *reſol.* 91. Bonacina *diſ.* iv. *punct.* 5. *§.* 2. *num.* 7. Trullench *Lib. II. cap.* II. *dub.* 12. Sanchez *Lib. IV. cap.* I. *num.* 27. & 30. Baſſæus *verb.* Votum 3. *num.* 4. Leander *tract.* II. *diſp.* III. *quæſt.* viii. Salmanticenſes *tract.* xvii. *cap.* I. *punct.* 4. & alii non pauci.

XX. Prior ſententia probabilior eſt: illius etenim argumenta valida ſunt. Rationes vero ſecundæ opinionis infirmæ ſunt, & ſophiſmatis laborant. Ad duo ſiquidem capita reducuntur, ſeu potius ad unum, nempe ad voluntatem humanam, quæ poteſt vovere, & non vovere. Diſtinguendum itaque eſt, ſicuti diſtinguunt Auctores prioris ſententiæ. Poteſt homo vovere, & poteſt non vovere. At, poſitione facta quod revera voveat, in illius facultate minime eſt obligationis quantitatem minuere, & pro libito coarctare. Poteſt homo accedere, vel non

non accedere ad ignem. At, acceſſu poſito, calefactio neceſſario ſequitur. Nec eſt quod opponas, ignem natura ſua calefacere, etiam renuente voluntate; votum autem non obligare niſi ex voluntatis conſenſu, cum voti obligatio tota pendeat a libertate voventis. D. Thomas, & omnes Theologi concedunt, votum pendere a voluntate, & ab intentione voventis, qui poteſt aut non vovere, aut vovere pro tempore futuro, & non præſenti. At poſito quod pro tempore præſenti ſe obligaverit, non poteſt, inquit Angelicus, differre ſolutionem pro tempore futuro. Hoc, & non amplius dicit Angelicus. Quod votum lex privata ſit, ſolum infert quod poſſit vovens illam ſibi imponere, vel non imponere; minime vero quod valeat naturam obligationis pervertere. Qua ratione prioris ſententiæ Auctores negant communiter, legislatorem poſſe in materia gravi leviter obligare. Et quamquam eorum aliqui id concedant, ut VVigandt, Gonetus, & alii de legislatore; tamen negant de vovente: atque diſcrimen aſſignant: quia votum ſit Deo, ut ſuperiori, qui novum ius acquirit in voventem iuxta naturam promiſſionis: quare ſine Dei voluntate nequit obligatio relaxari: lex vero reſpicit ſubditum, quem legislator pro nutu arctius, vel mitius ligare valet. Inſuper obligatio voti proxime iuris divini eſt; legis vero humanæ obligatio non niſi remote ad ius pertinet divinum.

XXI. Ut omnis auferatur fallacia, animadvertas oportet, Theologos aſſerentes votum eſſe legem privatam, non hoc in ſenſu id aſſerere, quod homo privatus inſtituat legem voti; ſed quia homo vovens libere ſuſcipit talem legem. Lex voti in ipſa Scriptura inſtituta eſt. Sed Deus ad illam fideles non obligat; eam tantum conſulit. Verum ſi homo ſemel amplecti velit hoc conſilium vovendi, nequit ullo pacto naturam pervertere iſtius legis divinæ. Porro natura iſtius legis eſt ut in materia gravi, ſicuti omnes aliæ leges divinæ, graviter obliget. Aliis divinis legibus neceſſario homo ſubiicitur. A voti lege liber eſt. Sed ſi ſemel hanc legem obſervandam libere ſibi ſumit, naturam illius obligationis mutare nequit. Aliud eſt legem novam condere; aliud eſt legem iam factam ſibi ſervandam libere imponere. Etiam admiſſo quod legislator legem novam ſtatuens valeret pro arbitrio obligationis gravitatem temperare; non inde tamen infertur, idem præſtare poſſe etiam illum qui factam legem ſibi ſolum ſervandam imponit. In voto igitur duplicem diſtingue obligationem: alteram *facti humani*, alteram *iuris divini*. Prima pendet a voluntate hominis, ſecus altera. Obligatio quæ eſt iuris divini, pendet a voluntate humana *præſuppoſitive*: quia ſcilicet ſupponit voluntatem humanam libere amplecti velle votum. Verum, hac poſitione facta, nullo modo obligatio iuris divini, quæ naturam voti neceſſario conſequitur, pendet a voluntate humana: quæ, ſi poteſt reſpuere votum, nequit tamen voti neceſſariam proprietatem minue-

Digitized by Google

nuere, & pro arbitrio ſibi attemperare; qnod exemplis permultis poſſet fieri compertum.

XXII. Confirmatur. Nequit vovens in materia levi ſe graviter obligare, ut fatentur omnes ſecundæ opinionis Auctores. Cur? Quia, inquiunt, nequit vovens rerum naturas permntare: quia rationalis debet eſſe voventis promiſſio: ſtultam namqne promiſſionem Deus reſpuit, & execratur. Irrationabilis autem, & iniqua eſſet, ſi in materia quæ ſuapte natura levis eſt, imponeret gravem obligationem. Non pendet ergo a voluntate voventis obligationis incrementum: pendebit autem illius diminutio? Cur nequit in materia levi obligationem augere; poteſt vero in materia gravi eamdem minuere? Cur in materia levi iniqua eſſet augendi voluntas; iuſta vero in gravi materia diminuendi poteſtas? Quodnam, amabo, rationis diſcrimen? Verba reponi poſſunt, ſed ſolutio nulla. Quia, ſi in materia levi vovens tenetur ſe ſe ad rerum naturas conformare, illiſque ſuam attemperare voluntatem; eodem omnino, & quaſi potiori iure idipſum præſtare tenebitur in materia gravi.

XXIII. Dilemma quod Salmanticenſes opponunt, nullius eſt momenti. Dicimus namque, poſſibile non eſſe hominem votum edere ſub culpa levi in materia gravi. Si ita res habet, inquiunt, non erit vernm votum; & ſic nnllo modo manebit obligatns vovens. Quod ſi ita eſt, iam cauſſa cadunt: quoniam reipſa dicimus non poſſe reperiri votum in materia gravi cum obligatione levi. Iſthuc ſpectat diſputationis ſtatus. Si ergo ipſi concedunt ſic voventem in materia gravi cum animo ſe leviter obligandi, non edere verum votum, iam colligitur, nullum verum votum reperiri in materia gravi cum ſola obligatione levi. Ceterum nos dicimus hominem qui deliberato animo emittit votum, qui vere vovere intendit, & reipſa vovet, votum veriſſimum elicere, licet habeat voluntatem non ſe obligandi niſi ſub culpa veniali. Cur hoc? Quia prima voluntas eliciendi votum, ſeu quæ reipſa votum parit, efficax eſt. Hæc efficacitas effectu proditnr, manifeſtatur, conſpicitur. Poſterior voluntas velleitas eſt inefficax, quæ cum impedire nequeat prioris voluntatis partum potiſſimum, nempe votum, neque impedire valet proprietates neceſſarias eiuſdem voti naturam conſequentes. Qui enim impedire nequit eſſe, neque impedire poteſt id quod neceſſario eſſe illud conſequitur. Hæc omnia clara ſunt.

XXIV. Reſponſio quam exhibent ad paritatem de iuramento, deqne aliis votis, & contractibus, ſatis ſolida non videtur. Dicunt, quemque liberum eſſe ad ſacros ordines ſuſcipiendos, ad contrahendnm matrimonium: at, poſita voluntate qua velit ordinibus initiari, uxorem ducere, liber amplius homo non eſt, nt poſſit pro ingenio obligationem limitare. Quoniam, inquiunt, pro homine initiando ſacris ordinibus, vel profitentem Religionem, adeſt lex eccleſiaſtica: ceteri

teri contractus, ut ſponſalia, matrimonium &c. ſunt utrimque oneroſi. Hæc omnia gratis dicuntur, & ne id negetur quod penes omnes certum eſt. Nam lex eccleſiaſtica præcipit omnibus initiandis emiſſionem voti. De voti obligatione nil omnino præſcribit: eo ipſo enim quod votum præcipit, remanet vovens obſtrictus ad edendum votum cum omnibus conditionibus conſequentibus votum ipſum. Pariter eo ipſo quod privatus libere ſubeat, ſibique imponat voti legem, liber deinceps numquam eſt ad limitandam obligationem. Quod autem Deus qui votum acceptat, nequeat ſe voventi obligare: perperam opponitur ad inferendum, liberum eſſe voventem in limitanda obligatione voti, quod Deo nuncupat; cum limitare nequeat obligationem naturalem contractus quem cum homine init. Reſponſio quoque ad paritatem iuramenti nulla eſt: quoniam, ſicuti pendet a voluntate votum, ita & iuramentum, quatenus poteſt homo iurare, & non iurare. At poſita voluntate iurandi, nequit limitare obligationem iuramenti propriam, ſicut nequit coarctare obligationem voti. Quod iuramentum a voto in pluribus aliis differat, ſponte concedimus; & indicavimus ſupra, iuramentum non excipere parvitatem materiæ, etiamſi hæc in voto admitteretur. Ceterum quantum ad obligationem quæ in materia gravi utriuſque naturas, notioneſque conſequitur, eiuſdem omnino ſunt rationis.

XXV. Quæſt. VI. *An votum vitandi peccatum veniale obliget ſub mortali?* Reſp. Quamvis, admiſſa abſoluta poſitione voti in materia undequaque levi, v. g. recitandi unum *Pater*, illius tranſgreſſio levis ſit; attamen, quia vix umquam prudentes homines votum emittunt, niſi ob aliquem gravem finem; idcirco, ſi quis eliceret votum vitandi aliquod peccatum veniale, puta mendacium officioſum, vel iocoſum, vel quid ſimile, dubio procul ob gravem aliquem finem illud eliceret. Et ideo reſpondeo, votum præfatum ſub mortali obligaturum: quod fatentur & ipſi Salmanticenſes *loc. cit. num.* 155. quando vovens per peccatum veniale ſubiectum voto impediretur a maiori perfectione; quamvis dicant cum Trullencho, & Sanchez, aliiſque, quod tale votum abſolute ſpectatum obligat ſub culpa veniali, ſi ſit de vitanda culpa veniali; ſub mortali vero, ſi ſit de fugiendo mortali: quia forte dicent, reſolvendos eſſe caſus iuxta rerum naturas abſolute conſideratas. Nos vero contra aſſerimus, caſus practicos reſolvendos eſſe inſpectis circumſtantiis, atque ſecundum quod communiter eveniunt in praxi. Et quia vix eſt qui voto ſe obſtringat ad vitandum peccatum veniale, niſi ob aliquam circumſtantiam gravem; alioquin imprudens eſſet votum: propterea reſpondendo iuxta id quod communiter occurrit, dicimus, præfatum votum obligare ſub mortali. Vide quæ dicta ſunt *num.* 12. *quæſt.* 3.

XXVI. Quæſt. VII. *An qui violat plura vota in materia levi eodem die, peccet mortaliter?* Reſp. Ex iis quæ a nobis dicta iam ſunt, reſponſio adfirmans patet.

ſet. Verum præſcindendo etiam a noſtra peculiari opinione, dico abſolute hunc peccare mortaliter. Et hoc docent Sanchez *Lib. I. Sum. cap.* IV. *num.* 16. Diana *coord. Tom. VI. tract.* IV. *reſol.* 21. Bonacina *diſ.* III. *quæſt.* III. *punct.* 6. *num.* 29. Dominicus Viva *quæſt.* VIII. *art.* 2. *num.* 6. & plures alii. Quandoquidem obligatio votorum eiuſdem rationis eſt, licet vota numero diverſa ſint. Porro, quamquam quodlibet votum rem levem Deo ſpondeat, omnia tamen vota illa ſimul accepta materiam gravem, ut ſupponimus, conſtituunt. Ergo, cum omnia, ut votis ſubiecta, ad eamdem religionis virtutem pertineant, graviter eamdem violant religionis virtutem. Hac ratione qui homini pluribus promiſſionibus gravem quantitatem pecuniæ ſponderet, letaliter delinqueret, ſi notabilem pecuniæ promiſſæ quantitatem ſibi retineret; vel ſi plura obſequia diverſis vicibus promiſſa reddere recuſaret: eo quod omnes promiſſiones, licet numero diverſæ, pertinent ad eamdem iuſtitiæ virtutem.

XXVII. Contrariam ſententiam probabilem reputat Diana *loc. cit.* quia, quando plura vota eduntur, quodlibet votum quoddam totum eſt, quod cum aliis votis non unitur; neque omnia conveniunt in aliquo, ut poſſint unum totum efficere, & conſequenter unicam conflare culpam. Diſparata ergo ſunt vota: ergo diſparatæ pariter culpæ erunt. Reſpondetur, vanas eſſe eiuſmodi argutationes: quia defraudatio plurium obſequiorum quæ vovens Deo ſuis votis ſpoponderat, iuxta prudentum exiſtimationem eſt quid grave; cum reipſa gravem cultum ex illis variis promiſſionibus reſultantem Deo ſurripiat. Quare illa vota omnia conveniunt in cultu Deo exhibendo. Ergo tranſgreſſio talium votorum Deum privabit cultu gravi, pluribus votis illi promiſſo. Erit igitur gravis culpa.

XXVIII. P. La Croix *Lib. III. par.* I. *num.* 449. & P. Marin. *tract.* IX. *diſ.* III. *ſec.* 3. *num.* 115. dicunt noſtram ſententiam non eſſe univerſaliter veram; alioquin peccaret Beneficiatus mortaliter, qui quotidie quidquam leve omitteret in Miſſa, parum de horis, parum de aliis precibus ex debito recitandis, quæ omnia parva unam gravem materiam efficerent: quod nemo certe dixerit. Id confirmant alio abſurdo. Si plures materiæ leves, ex quo in eadem virtute religionis uniuntur, conſtituerent unam gravem materiam; eadem ratione plures materiæ graves, eidem virtuti ſubiectæ, conſtituerent unam tantum culpam graviorem. Et ſic Beneficiatus omittens Miſſam, & horas, unam tantum graviorem culpam perpetrabit. Addit La Croix, huic ſententiæ non acquieſcere Oviedum. Sed hic diſtinctione utitur. Si vota facta ſunt ex diverſis motivis, v. g. unum ad honorem paſſionis Chriſti, alterum ad honorem B. Virginis, tertium pro defunctis, quamvis materiæ ſint eiuſdem rationis, puta omnes ſint precationes; docet materias minime uniri; ſed plura venialia tantum committi, ſi omnes dictæ obligationes eadem die omittantur: quoniam finium di-

diſtinctio votorum infert diſtinctionem. Contra autem, ſi ob eumdem finem facta fuerint vota, etiamſi materiæ diverſæ eſſent rationis. V. g. ſi in proximo naufragio conſtitutus voveret quotidianam Roſarii recitationem, deinde voveret eleemoſynam certam faciendam; tunc ait, has materias uniri, & omittentem implere omnia eiuſmodi vota, mortaliter peccare aſſerit. Secus autem, addit, ſi quis pro eodem die voveret Miſſam audire, orare Roſarium, dare eleemoſynam, licet hæc omnia voveret ex affectu ad cultum divinum; non ideo ait materias illas uniri, neque ex levibus partibus omiſſis conflari unam gravem: quia motivum illud generale & mediatum religionis aptum non eſt ad eiuſmodi obligationes uniendas. Hanc Oviedi opinionem probabiliorem reputat La Croix. P. Ferdinandus de Caſtropalao, eodem La Croix referente, veram iudicat hanc deſcriptam opinionem; etiamſi omnes iſtæ materiæ, ſeparatim leves, unico actu, ſeu voto promiſſæ forent: quia talis actus propter materias diverſæ rationis eſſet virtualiter multiplex. Materias autem diverſæ rationis eas intelligit quæ, quamvis ad eamdem virtutem religionis pertineant, diverſis tamen legibus præcipiuntur, ut Miſſæ, & horæ canonicæ.

XXIX. Recentiorum quorumdam Caſuiſtarum arbitrariæ, & ſæpe inutiles ſpeculationes nos aliquando cogunt nimiæ indulgere prolixitati. Ut ab ultima P. Caſtropalai opinione ordiamur, eam veluti nimis laxam reiicimus. Quando quis plures materias diverſæ rationis voto ſpondet eodem, non peccabit mortifere, quia actus illius voti virtute multiplex eſt? Si hæc opinio conſiſteret, quot vota, quot promiſſiones non eluderentur? Voves duos iulios erogandos pauperi, decem *Salve Regina* recitare nudis pedibus, & brachiis extenſis, pluries Ieſu nomen ſanctiſſimum invocare, lectionem ſpiritualem per quadrantem, ſilentium ſervare per duas horas, inviſere infirmum, illumque piis exhortationibus recreare, viſitare Capellam B. Virginis, recitare *Pange lingua* flexis genibus ante auguſtiſſimum Sacramentum, atque per integrum *Miſerere* diſciplina carnem tuam flagellare: hæc omnia unico voto Deo ſpondes. Ea omnia omittis, quin grave perpetres crimen, quia votum illud ad multiplicationem rerum promiſſarum multiplicatur? Cuinam Chriſtianorum in mentem veniſſet eiuſmodi virtualis unius actus adeo fecunda multiplicatio? Nulli certe, niſi novis Moraliſtis, ſpeculationibus nimium aſſuetis. Quare hanc Caſtropalai opinionem, ceu communi pietatis ſenſui contrariam, reſpuimus. Quando namque vovens omnes ſimul præfatas materias unico actu Deo adpromittit, munus unicum, variis diſtinctum, & conflatum munuſculis, divinæ offert maieſtati. Ergo, dum talem promiſſionem tranſgreditur, graviter Deum offendit: quod pluribus exemplis confirmare poſſem, niſi veritas ſeipſa conſtaret.

XXX. Quod vero pertinet ad ſententiam Oviedi, primo dicimus, quod, ſi quis vove-

voveret eadem die Miſſam audire, orare Roſarium &c. (ut illius verbis ex La Croix acceptis utamur) promitteret res quæ ſeparatim acceptæ materiam gravem conſtituerent: quæ enim materia gravis eſt reſpectu præcepti, gravis itidem eſt reſpectu voti. Porro audire Miſſam reſpectu præcepti eſt materia gravis: ergo pariter reſpectu voti. Abſolute vero dicimus, quod, licet præfata diſtinctio in ſua abſtractione accepta ſuam præferat diverſitatem, tamen in praxi iuxta communem pietatis, & prudentiæ, ac ſinceritatis, bonæque fidei leges, qui plures obligationes eodem die reddendas, eidem potiſſimum domino, promittit, gravem iniuriam illi infert, ſi omnia promiſſa munera ſibi retineat, quæ licet diviſim levia ſint, ſimul tamen accepta materiam gravem conſlant. Et revera, ſi votum maxime ex intentione voventis penſandum eſt, nil minus vovens quam eiuſmodi ſubtiles ſpeculationes animo, dum vovet, reputat. Accedit quod, ut ſupra dictum eſt, nemo in praxi ſerio, & deliberato animo vovet quidpiam, etiamſi videatur leve, niſi ob gravem aliquam cauſſam: quod potiori iure verum habet, dum plura emittit vota, aut uno voto plura parva munera Deo ſpondet. Argumentum autem P. Claudii La Croix extra chorum omnino eſt. Nam modo non inquirimus, utrum, ſi vovens omittat parvam materiam partialem unius integri voti, & deinde aliam parvam quantitatem alterius voti, peccet mortaliter: quia certum penes omnes eſt, eiuſmodi omiſſiones eſſe tantum peccata venialia, quæ, quacumque multiplicatione facta, non conſtituunt unicum peccatum mortale. Sed quæſtio eſt, an tranſgreſſio plurium votorum, quorum quodque habeat integram, & totam materiam levem, ſit mortalis habenda. Porro tranſgreſſio totius integri voti cuiuslibet diverſam præfert ſpeciem ac prodat obſervantia voti quoad præcipuam illius materiam, cum omiſſione dumtaxat cuiuſdam levis partis. Vix in mentem venit quærere, ſint ne illæ leves tranſgreſſiones peccatum mortale; cum conſtet peccata ſolummodo eſſe venialia. Ceterum tranſgreſſio totalis plurium votorum ſuapte natura quidquam grave prodit. Et ne in quæſtione levis momenti plus temporis conteramus, vel ipſe La Croix concedit, ſententiam Oviedi eſſe probabiliorem: quæ tamen a noſtra non differt, niſi penes arbitrariam diſtinctionem, quæ nemini voventium in mentem venit.

XXXI. Quæſt. VIII. *An qui vovit recitare per plures annos quotidie unum* Pater, & Ave, *peccet mortaliter, ſi per plures annos quotidie omittat talem precem?* Reſp. Sententiam adfirmantem abſolute defendunt Zumel 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 4. *dub. penult.* Sayrus *in Clavi Reg. Lib. II. cap. ult. num.* 21. Valentia *Tom. III. diſp.* vi. *quæſt.* vi. *punct.* 4. Malderus *in* 2. 2. *tract.* x. *cap.* v. *dub.* 4. *quæſt.* 1. Tannerus *in* 2. 2. *diſp.* v. *dub.* 3. *num.* 38. Contrariam defendunt Sotus *Lib. VII. quæſt.* 11. *art.* 1. Aragon *in* 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 3. Ioannes de La Cruz *in Direct. part.* 1. *præc.* 2. *art.* 2. *dub.* 4. *concl.* 2. Villalobos *Tom. II. tract.* xxxiv. *difficultat.* 3. *num.* 3.

Digitized by Google

Addunt tamen ſententiam hanc non comprehendere votum erogandi ſingulis diebus parvam eleemoſynam : nam, ſi pluries omitteres eleemoſynas parvas, confeſtim ac iſtæ parvæ eleemoſynæ conſtituerent materiam gravem, peccares mortaliter. Plures alii, nempe Azorius *Lib.XI. cap.* v. *quæſt.* III. Vaſquez I. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *art.* 2. *&* *diſp.* CXLVI. *cap.* II. Sanchez *Lib.I. cap.* IV. *num.* 14. quibus ſubſcribunt La Croix *num.* 450. Salmanticenſes *num.* 115. Trullenchus *dub.* 12. *num.* 17. Marin. *num.* 116. Diana *reſol.* 14. diſtinguunt dicentes. Si votum diem afficit, atque in cuiuſque diei honorem edatur, tum ſingulis diebus votum tranſgrediendo peccatum veniale committitur : quæ peccata venialia ſingulis repetita diebus, ſive per unum, ſive per plures annos, unum mortale non conſtituunt. Obligatio namque tranſit cum die cui votum affixum eſt. Contra, ſi votum diebus affixum non ſit, ſed ſolummodo dies ſit appoſitus tamquam terminus obligationis ; tunc leves illæ materiæ, nempe precum recitationes, ſimul uniuntur, & poſt plures tranſgreſſiones unam gravem materiam conſlant, & culpa committitur mortalis.

XXXII. Difficultas eſt, inquit Diana, in cognoſcendo quando reipſa votum diem afficiat, vel non. Et primo ex Caſtropalao reſpondet, quod ſi in ſingulis diebus aliquod motivum reluceat, ut in recitando quotidie calculo B. Virginis ; tunc votum diem afficit, & obligatio in ſequentem diem non prorogatur, ſeu non tranſit : & hoc in votis perſonalibus fere ſemper accidit, ut dicunt alii citati ab eodem Diana, quibus ſubſcribit *La Croix*, *Marin. Viva*, & alii. Contra vero, ſi votum ſit reale, ut erogandi ſingulis diebus tot obolos in eleemoſynam, tunc votum diem non afficit, ſed obligatio tranſit ad ſequentem ; & tranſactis tot omiſſionibus parvis, quæ ſimul unitæ materiam conficiunt gravem, mortalis culpa perpetratur. Addit tamen Caſtropalaus, quandoque etiam in actionibus realibus votum diem afficere, quando nempe in ſingulis diebus relucet aliqua peculiaris ratio. Hæc diſtinctio abſolute vera eſt, & quandoque in praxi occurrit. Nam in Clerico obligato ad horas canonicas ſingulis diebus recitandas, tranſacto die, obligatio quoque tranſit. Quod autem dicit Caſtropalaus de actionibus realibus erogandi eleemoſynam, non cenſeo verum. Immo communiter omnes, quando votum eſt de re præſtanda, ut eleemoſyna, & quocumque alio munere, excepta oratione, dicunt obligationem prorogari in tempus futurum ; & conſequenter peccare mortaliter eum qui uſque ad gravem materiam tranſgreditur. Ceterum, quomodo præfata diſtinctio applicari poſſit voto recitandi quotidie unum *Pater*, *&* *Ave*, non video. Nam eo ipſo quod promiſeris quotidianam recitationem unius *Pater*, *&* *Ave* per annum, iam patet votum affixum eſſe ſingulis diebus. Quod autem tranſgreſſio talis voti per integrum annum ſit ſolummodo venialis ; opinio in praxi nimis laxa nobis videtur : tum quod vix reperitur, ut

iam

Digitized by Google

iam diximus, qui reipſa voveat ſerio, & deliberato animo ſine aliquo ſaltem ſine gravi: tum quod, licet multiplicatio venialium numquam ad mortalem culpam pertingat; attamen continuata ac deliberata tranſgreſſio voti, cuiuſque ſit materiæ, ſpecialem præfert malitiam, & ſacrilegam, pervicacemque infidelitatem. Quare hæc ſola deliberata voluntas violandi votum per integrum annum, cum omnes illas preces comprehendat, eſt graviter criminoſa; ſicuti etiam per adverſarios graviter culpabilis eſſet omiſſio per annum unius aſſis, quem quotidie pauperibus diſtribuendum quis voverat. Et ſane, ut ut res ſeſe habeat in abſtracta, & metaphyſica conſideratione, numquam occurret caſus quod reipſa, & in praxi quis deliberato animo verum votum ſerio factum per integrum annum violet abſque culpa mortali.

CAPUT II.

An voti obligatio impleri poſſit per alios, & tranſeat ad heredes.

I. CErtum penes omnes eſt, vota perſonalia a ſolo vovente implenda eſſe, eaque ipſum ſolum obſtringere. Quin nec vota realia ab aliis impleri debent, iis exceptis qui in bona voventis ſuccederent. Ratio evidens eſt, quia vota perſonalia afficiunt ipſam perſonam; & ideo perſonalia vocantur, quia ſunt ab ipſa perſona implenda; cuiuſmodi ſunt ieiunia, corporis macerationes, peregrinationes, & ſimilia.

II. Quæſt. I. *An vota parentum filios obligent; & an vota facta per procuratorem teneant?* Reſp. Vota parentum nullo modo filios obligant: quia vota libera eſſe debent, & ab ipſius voventis voluntate proficiſci. Vota parentum dicuntur quandoque obligare filios, quatenus ſcilicet filii in eadem vota conſentiunt, eaque rata habent: quo in ſenſu intelligendi, & interpretandi ſunt textus, qui recenſentur 2. *quæſt.* 1. *& cap.* Monachum, *& cap.* Quicumque, *& cap.* Quem progenitores, *& cap.* Addidiſtis. Cæleſtinus namque III. declaravit *in cap.* Cum ſimus, XIV. *de Regul.* filium alligatum eſſe Monaſterio propria profeſſione, aut paterna devotione a filio approbata, & confirmata. Qui filii conſenſus, ut vere habeatur, ſatis minime eſt eiuſdem ſilentium, & taciturnitas. Quare præter negativum diſſenſum requiritur ut filius expreſſe votum ratum habeat, & confirmet. Inutilia tamen non ſunt genitorum vota, quia eo ſpectant ut operam dent ad hoc quod filii vota amplectantur, & acceptent. Vota facta per procuratorem tenent, & obligant principalem, ſeu mandantem, ac ſi per ipſum facta fuiſſent: quia qui per alium facit, per ſe ipſum facit. Et de hoc nullum diſſidium inter Auctores.

Digitized by Google

III. Quæſt. II. *An vovens poſſit, vel teneatur per alium implere votum ſuum perſonale, quod per ſeipſum implere nequit?* Reſp. Communiſſima ſententia docet, voventem qui per ſeipſum ſuum votum perſonale implere nequit, non teneri, immo nec poſſe per alium exequi. Et quod non teneatur, patet: quia votum perſonale eſt de actione propria ipſius voventis: ergo tale votum non obligat ad actum alterius. Quod pariter neque poſſit, etiam conſtat: quia, ſi vovens valet per ſeipſum votum implere, nequit illud implere per alium; ſi autem non poteſt per ſeipſum, neque per alterum: quoniam tunc non faceret quod promiſit: &, dum factus eſt ad perſonalem executionem impotens, ceſſat omnis obligatio. Paludanus *in IV. diſt.* XXXVIII. *quæſt.* III. *art.* 3. Sotus *Lib. VII. quæſt.* II. *art.* 1. Suarez *Lib. IV. cap.* X. *num.* 2. Sanchez *Lib. II. cap.* XV. *num.* 3. Navarrus *cap.* XII. *num.* 55. Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* II. *punct.* 5. *§.* 3. Trullenchus *Lib. II. cap.* II. *dub.* 14. & communiter alii.

IV. Quæſt. III. *An vovens qui ſua culpa factus eſt impotens ad obſervandum votum perſonale, teneatur per alium implere?* Reſp. Quamvis votum perſonale per alium impleri in rigore nequeat, ut dictum eſt; attamen D. Antoninus *II. Part. tit.* II. *cap.* II. *§.* 5. ait: *Si autem fecerat votum cauſa devotionis eundi, ſuperveniente impedimento, non tenetur ire, vel mittere, niſi forte fuerit in mora; & ſic eſt in culpa, quia, cum potuit, noluit.* Hanc eamdem ſententiam tuetur Angelus *verb.* Votum 3. *num.* 7. Richardus *in IV. diſt.* XXXVIII. *art.* 5. *quæſt.* 1. *ad* 1. Carthuſianus *in IV. diſt.* XXXVIII. *quæſt.* II. *§. Quæritur*: & colligi videtur ex Scriptura, in qua *Deuter.* XXIII. legitur: *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: &, ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Videtur quoque id inferri ex doctrina D. Thomæ 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *art.* 3. *ad* 3. ubi ſtatuit, quod vovens factus impotens ex propria culpa, debet pœnitentiam agere de peccato præterito, & promptam voluntatem habere faciendi quod poteſt. Et revera tutius eſt, cum propria culpa præceſſit aliquam adhibere compenſationem.

V. Contraria ſententia communior eſt, quam defendit Sanchez *Lib. IV. cap.* II. *num.* 27. ubi plures laudat Auctores, Navarrum, Valentiam, Sylveſtrum; immerito tamen citat D. Thomam, qui, licet expreſſe priorem non doceat, attamen nec contrariam defendit; ſed principia ponit quæ illi adverſantur. Ratio potius urgere videtur. Quoniam vota perſonalia ita afficiunt perſonam voventis, ut, impotentia ſuperveniente, ceſſet votum. Ex eo autem quod impotentia contingat ex culpa voventis, ſolum conſequitur quod vovens tunc teneatur pœnitere de peccato præterito, ut ait Angelicus; minime vero ſequitur quod vovens debeat per alium votum implere. Id ſane ratio ſuadere videtur. Ceterum, ut ſincerior pœnitentia de commiſſo peccato appareat, & ut infidelitatem ſuam erga

Deum

Digitized by Google

Deum quoquo modo compenſet vovens, debet in re tanti momenti tutiorem partem eligere.

VI. Quid, ſi vovens, antequam votum emitteret perſonale, certus erat fore ut numquam votum ſuum poſſet implere? Teneri ad implendum per alium in hoc caſu docent Sylveſter *verbo* Votum 2. *quæſt.* x. Angelus *verb.* Votum 3. *num.* 7. Navarrus *cap.* XII. *num.* 55. Sayrus *in clav. Reg. Lib. VI. cap.* VII. *dub.* 5. Layman *Lib. IV. tract.* IV. *cap.* III. *quæſt.* V. Sanchez *Lib. IV. cap.* II. *num.* 26. ubi citat Abbatem *cap.* Licet, *de voto num.* 13. Quoniam votum de materia impoſſibili ipſi voventi nullum eſt, ut diximus. Quando ergo vovens compertam habuit hanc impoſſibilitatem, ne ſtultum illum pronuntiemus, præſumendum prudenter eſt illum votum edidiſſe per alium implendum. Oppoſitum docent Suarez, Trullenchus, Azorius, Bonacina, Prado, Raphael de la Torre, Leander, & alii. Sed prima ſententia probabilior videtur.

VII. Quæſt. IV. *An vota realia impleri poſſint per alium, etiam inſcio, & invito vovente?* Reſp. Quæſtiuncula tres continet partes. Et primo, quod votum reale per alium impleri queat, communiſſima ſententia docet: quia voti realis executio in obligatione, ſeu exhibitione rei promiſſæ, puta calicis, veſtis, ſupellectilis ſive cuiuſque alterius rei, ſita eſt. Hoc autem æque per alium ac per voventem præſtari poteſt. Secunda etiam pars, nempe quod hoc votum reale impleri poſſit ab alio, nomine ipſius voventis, inſcio ipſo vovente, communiter ſuſtinetur: quia tunc res promiſſa nomine voventis reipſa exhibetur; & nihil aliud deeſt præter voventis conſenſum, qui per ratihabitionem adeſt. Si vero vovens, non modo inſcius, ſed etiam invitus eſſet, tunc communior opinio tenet, votum minime impleri poſſe per alium: & merito: quia ad ſatisfaciendum ſive voto, ſive præcepto requiritur intentio ſatisfaciendi: ubi autem eſt coactio, non eſt liberum propoſitum. Bonacina vero *diſp.* IV. *quæſt.* II. *punct.* 5. *§.* 3. *num.* 5. Trullenchus *Lib. II. cap.* II. *dub.* 14. *num.* 3. Leander *tract.* I. *diſp.* XXV. *quæſt.* VIII. addunt votum impletum, invito vovente, valere; ſi poſtea vovens voti ratam habeat executionem. Mihi vero hæc opinio minime probatur. Nam ſi, dum votum impletur, vovens reſiſtat; certe tunc invalida eſt voti executio ob poſitivam reluctantiam voventis, ſeu ob defectum voluntatis, quam neceſſario requirunt vel ipſi adverſarii. Sed quod ſemel invalidum eſt, per actus ſubſequentes non fit validum. Conſenſus ergo voventis, aut realis, aut præſumptus, neceſſarius eſt, dum votum impletur. In facta poſitione non modo non habetur conſenſus, ſed diſſenſus: ergo votum non impletur. Conſenſus enim futurus, ſeu ſubſequens ſupponit nullam executionem voti: idcirco illam validam efficere nequit. Hæc omnia vera ſunt, ſi rationis vis ſpectetur. Ceterum, ſi res promiſſa oblata reapſe fuerit, & vovens deteſtetur præteritam ſuam omiſſionem, atque reſiſtentiam, &

conſenſum exhibeat ita efficacem, ut, ſi res promiſſa oblata non fuiſſet, revera eamdem offerret; tum illum non cogerem ad novam oblationem, ſed tantum ad pœnitentiam præteritæ omiſſionis.

VIII. Quæſt. V. *An vovens factus pauper, ut impleat votum reale, teneatur ab amicis pecunias petere, aut artem ſuſcipere quæ ſuum dedeceat ſtatum, aut pecuniam ſibi dono oblatam acceptare, ut voto faciat ſatis?* Reſp. Communis ſententia docet, non teneri voventem ad petendas pecunias ab amicis, neque eleemoſynas mendicare, neque artem ſtatui proprio contrariam ſuſcipere, ut votum impleat: quia rationabiliter præſumitur noluiſſe cum tanto onere ſe obligare. Secus dicendum, ſi lucro arte aliqua comparato vivere ſolitus erat: quia tunc ars illa ſtatum eius non dedeceret. Tenetur vero acceptare pecuniam, ſive hereditatem ſibi oblatam, qua valeat proprium implere votum.

IX. Quæſt. VI. *An ſatisfaciat voto qui rem promiſſam alteri exhibet, ſi hic rem acceptam omittat offerre?* Reſp. Adfirmat Suarez *Lib. IV. cap.* x. *num.* 8. Caſtropalaus *tract.* xv. *diſp.* 1. *punct.* 15. *num.* 6. Leander *tract.* 1. *diſp.* xxv. *quæſt.* xII. Voviſti e. g. celebrationem decem Miſſarum. Eleemoſynam confers Sacerdoti, ut Miſſas celebret. Hic omittit Miſſas celebrare. Tu ſufficienter, inquiunt, voto ſatisfeciſti: quia votum non fuit de ſacris cum effectu celebrandis; ſed de procuranda illorum celebratione conſueta via. Item voviſti mittere aliquem ad inviſenda Apoſtolorum limina. Conveniſti cum ipſo de pretio. Hic, accepto ſtipendio, omiſit votum implere. Tu liber manes, inquiunt, ab obligatione: quia ex parte tua opus promiſſum præſtitiſti. Sic docent Auctores laudati. Opinionem hanc non audeo abſolute improbare; ſed mihi difficultatem ingerit quod vovens debet facere totum id quod poteſt, ut votum ſuum impleat; ſicut docet Angelicus 2. 2. *quæſt.* lxxxvIII. *art.* 3. *ad* 2. Quando ergo vovens advertit, votum reapſe impletum non eſſe, licet ob alterius malitiam, videtur utique ad idem implendum teneri, ſi illud implere ſine gravi incommodo poſſit. Certe qui debitum per alium ſolvit, tenetur ad novam ſolutionem, ſi ille cui pecunias dedit ad ſolvendum, eaſdem ſibi retinuit. Et quamvis hoc debitum ex iuſtitia ſolvendum ſit, votum vero ex religionis virtute; attamen non eſt tanta diſparitas, ut argumentum ab uno ad alterum recte fieri non poſſit, quod parem utrobique, gravem nimirum, obligationem concludat. Addo, tum recenſitam opinionem locum habere poſſe, quando vovens omnem moralem diligentiam adhibuiſſet, ut virum probum, fidelem, optimeque moratum, quoad ipſe ſcire potuit, eligeret, qui votum impleret. Si autem negligens in hac electione fuiſſet, ipſum ad perſolvendum votum urgerem: etenim, non cuicumque, ſed probatiſſimo homini tantum, id negotii erat committendum; quemadmodum & pecuniæ creditoribus perſolvendæ, non cuivis, ſed ſolum homini probatæ fidei traduntur.

X.

Digitized by Google

X. Quæſt. VII. *An votum mixtum, conſtans ex perſonali, & reali, per alium impleri valeat?* Reſp. Convenit inter Auctores, votum quod æque perſonale ac reale eſt, non poſſe, quatenus perſonale eſt, per alium impleri, ob rationem ſupra aſſignatam; quatenus vero reale eſt, non ſolum poſſe, ſed etiam debere per alium impleri, ut pariter dictum eſt ſupra de voto reali. Si autem id quod reale eſt in voto, ſit quid vere acceſſorium, quod neceſſario ſequitur principale, tamquam inſtrumentum quo illud executioni mandetur, tunc ad hoc reale votum implendum nulla eſt obligatio. V. g. voviſti peregrinationem Lauretanam: infirmus es factus, nequis illam ſuſcipere: non teneris ſumptus inſumendos in itinere pauperibus erogare, aut in honorem B. Virginis, eiuſque ſacræ ædis pecunias illas offerre. Si id præſtiteris, peroptime factum erit. Ceterum ad id non teneris. Si autem voviſſes tum peregrinationem, tum eleemoſynam illi Eccleſiæ offerendam, factus ad peregrinationem impotens, teneris per alium eleemoſynam mittere. Suarez *Lib. IV. cap.* xx. *num.* 20. *& ſeq.* Sanchez *Lib. IV. cap.* xv. *num.* 13. Caſtropalaus *punct.* 15. *num.* 7. Leander *tract.* 1. *diſp.* xxiv. *quæſt.* xiv. *&* xv. Bonacina *diſp.* iv. *quæſt.* 11. *punct.* 5. *§.* 3. *num.* 6. & communiter omnes.

XI. Quæſt. VIII. *An factus impotens ad votum ſolvendum teneatur adhibere compenſationem?* Reſp. Sylveſter *verb.* Votum 2. *quæſt.* vi. Suarez *Lib. IV. cap.* xv. *num.* 9. Reginaldus *Lib. XVIII. num.* 281. Bonacina *diſp.* iv. *punct.* 5. *§.* 3. *num.* 9 & alii communiter reſpondent non teneri: quia vovens ad id ſe obligaſſe non præſumitur; & Eccleſia ipſa non obligat ad compenſandum præceptum quod fideles implere nequeunt. Ego ita diſtinguerem. Si impotentia ſupervenit abſque culpa voventis, non tenetur uti compenſatione; ſi autem vovens ſua culpa impotentem ſe reddidiſſet ad voti executionem, ultra pœnitentiam de peccato præterito, obligarem illum ad congruam compenſationem. Nemo enim ex ſua iniquitate commodum reportare debet.

XII. Quæſt. IX. *An heredes teneantur ad vota perſonalia teſtatorum?* Reſp. Heredes, ſive voluntarii, ſive neceſſarii, nullo modo tenentur implere vota perſonalia teſtatorum: quia, ut ſæpius diximus, hæc vota perſonam afficiunt, & non hereditatem. Ita omnes.

XIII. Quæſt. X. *An heres teneatur ad ſolvenda vota perſonalia defuncti, poſito quod teſtator id ei præcipiat?* Reſp. Quod heres abſolute non teneatur ad vota perſonalia defuncti, certum eſt ob rationem non ſemel indicatam, quod nimirum perſonalia vota perſonam afficiunt, & cum eiuſdem interitu ceſſant. Admiſſa vero poſitione quod teſtator præciperet heredi ſolutionem alicuius voti perſonalis, adhuc certum eſſe non teneri, reſpondet Leander *tract.* 1. *diſp.* xxv. *quæſt.* 11. & allegat *Suarez, Raphaelem de la Torre, & Caſtropalaum.* Sed Caſtropalaus *tractat.* xv. *diſp.* 1. *punct.* 16. *num.* 1. diſtinguit, & merito, heredem neceſſarium ab

Digitized by Google

herede voluntario. Heres neceſſarius neque realia, neque perſonalia vota ſolvere tenetur, quatenus neceſſarius eſt heres. Heres autem voluntarius onera ſibi a teſtatore ſub præcepto impoſita implere tenetur. Citati rurſus Auctores diſtinctione utuntur. Si teſtator, inquiunt, relinquat hereditatem ſub hac expreſſa conditione ſolvendi quædam ſua vota perſonalia, tum heres tenetur; ſi vero ſolum præcipiat abſolute voti ſolutionem, tunc non tenetur heres ex iuſtitia, ſed ex gratitudine, caſu quo expreſſe non acceptet dictam obligationem. Mihi autem videtur quod heres voluntarius, eo ipſo quod acceptat hereditatem, ſimul ipſo facto acceptet onera a teſtatore ſub præcepto ſibi impoſita. Si igitur teſtator ſub præcepto expreſſo imponat peregrinationem heredi voluntario, acceptanti hereditatem, non video cur voluntarius heres votum illud implere non teneatur. Hic tamen advertas velim, quod, dum dicimus heredem ad implenda perſonalia teſtatoris vota teneri, non ſit ſenſus quod vota perſonalia revera impleri poſſint per alium; ſed aſſerimus poſſe teſtatorem non transferre proprie ſua vota perſonalia in alium, ſed ſua vota perſonalia imponere per modum cuiuſdam penſionis ſolvendæ ab herede libere a ſe inſtituto. Atque tunc heres iſte proprie non implet votum perſonale teſtatoris, ut teſtatoris votum eſt; ſed tantum ſolvit onus ſibi impoſitum, quod ſub hac conſideratione ſpeciem præfert realis voti, non perſonalis. Quæ ideo dixi, ne putes hic aſſeri oppoſitum ac ſupra ſtatutum fuit, vota ſcilicet perſonalia per alios impleri non poſſe.

XIV. Quæſt. XI. *An heres, ſive voluntarius, ſive neceſſarius, cogi poſſit ſub pœna privationis hereditatis, & excommunicationis ad ſolvenda vota realia teſtatoris?* Reſp. Heredem, ſive voluntarium, ſive neceſſarium, teneri ad vota realia teſtatoris ſolvenda, adfirmant omnes: quia, cum defunctus votum reale emiſit, ſua oppignoravit bona pro illius ſolutione: ergo qui ſuccedit in bona defuncti, ſuccedere neceſſario debet etiam in onera hereditati annexa: quod intelligendum eſt, dummodo onera non excedant valorem hereditatis. Nam bona in quæ heres neceſſario ſuccedit, cum non fuerint ſubiecta abſolute dominio teſtatoris, non poſſunt a teſtatore gravari. Quapropter heres ſuccedit tantum votis realibus teſtatoris quæ non lædunt ſuam legitimam, vel ea bona quæ ſibi neceſſario iure debentur. Quod autem ſub pœnis & privationis hereditatis, & excommunicationis cogi poſſit heres ad ſolvenda vota realia defuncti, pariter certum eſt penes Auctores; quamvis diſſidium aliquod ſit quantum ad excommunicationem, quam infligi dumtaxat volunt Hoſtienſis, Zabarella, & Ioannes Andreas, quando heres promiſiſſet ſe teſtatoris vota expleturum, & promiſſis poſtmodum non ſtetiſſet. Alii communiter, nempe Sanchez, Sylveſter, Bonacina, Palacius, Trullenchus, Leander, abſolute ſub utraque pœna abſque ullo diſcrimine cogi poſſe heredem

Digitized by Google

redem docent: quod ſi gravis ſit cauſſa, non video cur in controverſiam id revocari debeat.

XV. Quæſt. XII. *An ſi teſtator non imponat heredi onus ſolvendi vota ſua realia, aut ſi expreſſe dicat, ſe nolle heredem ſuum ad eadem realia vota obligare, teneatur nihilominus heres ad illa ſolvenda?* Reſp. In utroque caſu heres tenetur vota realia teſtatoris ſolvere. Et in primo caſu patet: quia vota realia afficiunt ipſam hereditatem, ſuntque onus eamdem comitans. Quare quemadmodum cetera debita realia, ſic & iſta ſolvenda ſunt ab herede. Quæ ratio evincit, heredem aſtringi ad huiuſmodi ſolutionem; etiamſi teſtator expreſſe in teſtamento dicat, ſe nolle heredem ad implenda præfata vota obligare. Quia teſtator, poſtquam ſemel ſua bona gravavit, nequit amplius illa eximere a præfatis oneribus, niſi poſt eorumdem ſolutionem. Quare, ſicuti nequit teſtator eximere heredem ab onere ſolvendi debita realia hominibus, ita nequit eum liberare ab onere ſolvendi debita ipſi Deo per vota contracta. Poteſt utique teſtator inſtituere, aut non inſtituere heredem; at nequit liberare hereditatem ab iis oneribus quibus iure ſubiecta eſt. Unde quicumque talem hereditatem adire vult, omnia debita quibus obnoxia eſt, ſolvat oportet. Hoc vero intelligitur, quando votum abſolutum eſt, & ad nullum tempus contractum. Si enim teſtator voviſſet ædificare Eccleſiam, quoad vixerit, cum expreſſa conditione, ut ſua morte omnis ceſſet obligatio; tunc votum conditionatum eſſet, & heres ad nihil teneretur. Hæc omnia communia ſunt. Suarez *Lib. IV. cap.* XVI. *num.* 23. Sanchez *Lib. IV. cap.* XV. *num.* 28. Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* II. *quæſtiunc.* 2. *punct.* 5. *§.* 2. *num.* 12. Navarrus *cap.* XII. *num.* 56. Layman *Lib. IV. tract.* IV. *cap.* III. *quæſt.* VI. *num.* 12. Trullenchus *Lib. II. cap.* II. *dub.* 15. *num.* 8. Prado *cap.* XXXI. *quæſt.* X. *§.* 3. *num.* 14. *&* 15. Leander *diſput.* XXV. *quæſt.* IX. Sayrus *Lib. VI. cap.* IX. *dub.* 6. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* I. *punct.* 4. *§.* 3. *num.* 123. Caſtropalaus *diſp.* I. *punct.* 16. *num.* 3. Marin. *tract.* IX. *diſp.* III. *ſec.* 5. *num.* 147. Et nota, quod heres, non ex virtute religionis, quippe vota ille non emiſit, ſed ex debito iuſtitiæ, ratione hereditatis acceptatæ, tenetur vota realia teſtatoris implere.

XVI. Quæſt. XIII. *An heres teneatur ſolvere vota realia ante aditam hereditatem, vel ultra vires hereditatis in caſu quo inventarium non fecerit, & per iudicis ſententiam declaratus ſit obnoxius ſolutioni, & ad eamdem condemnatus?* Reſp. Neque ante aditam hereditatem, quam ſemper reiicere, quouſque non acceptaverit, poteſt; neque ultra vires hereditatis aſtrictus eſt heres ad ſolvenda vota realia teſtatoris: idque omnes docent. Diſſidium eſt, an acceptata hereditate, & omiſſa confectione inventarii, teneatur ultra vires hereditatis ſolvere vota realia defuncti. Pro ſententia adfirmante refert Leander *loc. cit. quæſt.* XII. S. Antoninum *II. Part. titul.* XI. *cap.* II. *§.* 5. in fine. At nec verbum ibi facit S. Præſul de

de inventario, aut de ſolutione ultra hereditatis vires; ſed ſolum ait, heredem teneri ad ſolvenda vota dicta, quando ipſe promiſiſſet, & ſe obligaſſet, non ratione hereditatis, ſed abſolute: tunc etenim teneretur, etiamſi non adiret hereditatem. Sed Leander excuſandus eſt, quia talem citationem exſcripſit ex Sanchez, qui pariter pro dicta ſententia citat D. Antoninum. Leander allegat etiam Paludanum, Menchacam, Covarruviam, Valaſcum, Molinam, Gregorium Lopez. Et pro ratione adducunt *l. final. c. de iure deliberandi*, ubi ſtatuitur, heredem non conficientem inventarium teneri ad ſolvenda debita ultra vires hereditatis. Sed communior eſt contraria ſententia, heredem ſcilicet non teneri ultra vires hereditatis, etiam omiſſo inventario, in foro interno ſolvere ſive vota; ſive legata, ſive debita; quando nimirum in fraudem non ſit omiſſum inventarium. Lex enim quæ inventarium præcipit, fraudis præſumptioni innititur, aut in pœnam negligentiæ heredis lata eſt. Ideo, etiam poſt ſententiam iudicis, mihi veroſimilius videtur, in foro interno non teneri heredem ad vota, legata, & debita realia ultra vires hereditatis ſolvenda, quoties inventarium abſque ulla fraude, vel negligentia graviter culpabili conficere omiſit.

XVII. Quod ut clarius percipiatur, Iubet cum Vaſquez 1. 2. *quæſt.* XCVII. *artic.* 4. *diſput.* CLXIII. *cap. ult. a num.* 6. adnotare, duplicem eſſe legem præſumptioni innixam. Altera eſt quam legislator ideo rogat, quia præſumit in ſingulis caſibus evenire id quod prohibet: & eiuſmodi eſt præſumptio, cui innixus Pontifex *cap.* XV. Qui fide *de ſponſal.* ſtatuit matrimonium cenſeri initum copula poſt ſponſalia ſubſecuta: quia præſumit in ſingulis caſibus talem copulam affectu maritali exerceri: atque talis lex in quovis caſu in quo præſumptio falſa eſt, non obligat in conſcientia. Altera eſt in qua non præſumit legislator fraudem, vel quid ſimile in ſingulis caſibus; ſed quia prudenter exiſtimat, e re aliqua communiter fraudes, mala, & damna in publici boni detrimentum oriri; ideo legem generalem conſtituit, qua cauſſam, ſeu occaſionem fraudum, & malorum prohibet. Quæ præſumptio fundamentum eſt cuiuſque legis. Porro quando præſumptio eſt huiuſmodi, lex non deſinit obligare, eo quod in uno aut altero caſu ſingulari præſumptio falſa ſit; ſed ſolum, quando ut plurimum falſa eſt. Deficiente enim in uno aut altero caſu ſingulari legis ratione, non deficit lex, ſed obligat; ſecus, quando deficit in communi. Hæc doctrina, quam ex Vaſquez tradit Sanchez, mihi valde probatur. Sed difficultati graviſſimæ obnoxia eſt: unde videlicet colligendum ſit, legislatorem aliquando præſumere in ſingulis caſibus malum accidere, & huic præſumptioni innixum legem ferre, quæ deficiat, deficiente fraude in caſu ſingulari; & aliquando abſolute rem prohibere, tamquam communem, frequentemque abſurdorum cauſſam. Hoc diſcrimen cognitu non adeo facile eſt; neque cuiuſque eſt diſcrimen iſtud aſſignare. Alioquin quiſque facile in-

Digitized by Google

interpretari poſſet, legem latam eſſe pro caſibus ſingularibus, non abſolute; atque adeo ſe lege non teneri, quia in hoc caſu longe a fraude eſt.

XVIII. Ceterum quandoque doctrinam hanc locum habere, mihi ſatis probabile eſt, & potiſſimum in re qua de agitur; ita ut heres, vel poſt ſententiam iudicis, non teneatur ſolvere vota realia ultra vires hereditatis, quando abſque ulla fraude, ſeu culpa omiſit inventarium conficere. Intellige de culpa quæ iuſtitiam parere apta ſit. Et pro hac ſententia citat Sanchez *Lib. IV. cap.* XV. *num. 37.* Abulenſem *cap.* XXX. *Numer. quæſt.* XCVIII. Sylveſtrum *verb.* Votum 2. *quæſt.* XI. Item allegat plurimos docentes laudatam doctrinam in quacumque materia univerſe locum habere. Bartol. *l.* 1. *num.* 4. *c. de ſacroſ. Eccleſ. & rubr. num. 3. ff. de acquirend. hered. ubi* Alex. *num.* 5. Iaſon *in fine*, Abbatem *c.* Quia plerique *num.* 4. *de immun. Eccleſ.* Felinum *cap.* 1. *num.* 44. *de Conſt.* Paludanum *IV. diſt.* XV. *quæſt.* III. *artic.* 5. *num.* 31. Sylveſtrum *verb.* Uſur. VI. *quæſt.* X. *dict.* 4. *& verb.* Hereditas III. *quæſt.* V. Sot. *Lib. VI. quæſt.* 1. *art.* 4. Ioan. Andr. Hoſt. Antonium Gomez *l.* III. *Tauri num.* 121. Matienzo *Lib. V. recop. titul.* IV. *l.* 1. *gloſſa* 10. *num.* 39. Navar. *l.* III. *de reſt. cap.* IV. II. *part. dub.* 9. *num.* 137. *nov. edit.* Molin. *Tom. I. de iuſt. diſput.* CCXVII. *concluſ.* 1. *&* 2. Bonacinam *diſput.* IV. *quæſt.* II. *num.* 4. *& de contract. diſput.* III. *quæſt. ultim. punct. ultim.* Leandrum *diſput.* XXV. *quæſt.* XIII. Ratio eſt, quia ſententia iudicis innititur falſæ præſumptioni, ſicuti lex. Quare, ſicuti lex non obligat, ita neque iudicis ſententia.

XIX. Quæſt. XIV. *An heres cum detrimento ſuæ legitimæ ſolvere teneatur vota realia teſtatoris?* Reſp. Affirmant non pauci. Navarrus *Lib. III. Conſ. titul. de vot. conſ.* XIII. *num.* 4. *in* 1. *edit. in* II. *conſil.* XVI. *num.* 4. Lopez, Rodriguez, Vega, Corduba, & alii, quos citat Sanchez *Lib. VI. de matrim. diſput.* XXXVI. *num.* 3. & in *Sum. Lib. IV. cap.* XV. *num.* 38. quia contendunt, debita teſtatoris extrahenda eſſe ex toto hereditatis acervo, non ex parte tantum, de qua libere teſtator diſponere poterat: ergo eodem modo extrahenda ſunt vota realia. In hanc ſententiam inclinare videtur Sylveſter *ver.* Votum 2. *quæſt.* XI. *dict.* 4. quatenus dicit, filium gravatum in legitima poſſe impetrare diſpenſationem, quæ obligationem ſupponit.

XX. Communiſſima, & vera ſententia eſt, heredem non teneri cum damno ſuæ legitimæ ſolvere vota realia, immo nec ulla debita teſtatoris. Et ratio eſt manifeſta. Quoniam legitimæ filiorum pater dominium non habet; ſed iure filiis debetur, ut leges ſtatuunt. Ergo teſtator nequit legitimam aggravare. Nec verum eſt debita defuncti extrahenda eſſe ex toto hereditatis cumulo; ſed ſolum ex ea parte de qua teſtator diſponere iure poterat. Et quamvis admittamus, potuiſſe teſtatorem inter vivos degentem votis, aliiſque piis eleemoſynis legitimam minuere; non inde tamen infertur poſſe in morte eamdem legiti-

mam

mam gravare : quia in vita dominium legitimæ habet, ſecus poſt mortem : cum morte namque dominium omne ceſſat. Covarruvias *cap.* Si heredes *de teſt. num.* 9. Gregorius Lopez *l. final. in fin. titul.* VIII. *part.* I. Angles de floribus *II. P. quæſt. de voto art.* 2. *poſt* 13. *difficult. dub.* 2. *concl.* 4. Rodriguez *Tom. I. cap.* XCIX. *num.* 13. Sanchez *Lib. IV. cap.* XV. *num.* 38. Layman *Lib. IV. tract.* IV. *cap.* III. *quæſt.* V. *num.* 13. Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* II. *punct.* 5. *§.* 2. *num.* 5. Caſtropalaus *tract.* XV. *diſp.* I. *punct.* 6. *num.* 5. Trullenchus *Lib. II. cap.* II. *dub.* 15. *num.* 4. Sayrus *Lib. VI. clav. Reg. cap.* VII. Leander *tract.* I. *diſp.* XXV. *quæſt.* XIV. Martinez de Prado *Tom. II. cap.* XXXI. *quæſt.* X. *§.* 2. *num.* 18. Antonius Gomez *Tom. I. var. cap.* XI. *num.* 24. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* I. *punct.* 4. *§.* 3. *num.* 127. Marin. *tract.* IX. *diſp.* III. *ſect.* 5. *num.* 149. & communiter recentiores omnes.

XXI. Quæſt. XV. *An heres poſſit, & debeat, ſi non poſſit per ſe, implere per alium vota realia teſtatoris; & an poſſit impetrare commutationem a Confeſſario?* Reſp. Quemadmodum vovens per alium implere poteſt vota ſua realia, ita quoque heres; immo, cum heres non poteſt per ſeipſum votum reale implere teſtatoris, tenetur per alium. Hinc, ſi teſtator voverat ſe iturum, aut miſſurum hominem in ſubſidium belli contra fidei hoſtes, poteſt heres mittere alium nomine defuncti; immo tenetur mittere, ſi ipſe heres non poteſt ire. Nec tamen ad expenſas quas facturus fuiſſet vovens, tenetur heres: puta ſi teſtator pro ſuo ſolo famulatu, & comitatu deliberaſſet tres, aut quatuor famulos ducere, ad hoc non tenetur heres; ſed eas tantum expenſas facere debet quæ neceſſariæ prudenter reputantur ad exequendum votum, & finem principalem voventis, Nec Confeſſarius commutare valet eiuſmodi vota: quia heres ex iuſtitia tenetur ſolvere vota realia defuncti: quapropter, ſicuti nequit Confeſſarius alios contractus, quibus ex iuſtitia obnoxius heres eſt, commutare; ita pariter nequit commutare vota realia quæ heres non ſponte, ſed ex contractu, ſolvere tenetur.

XXII. Quæſt. XVI. *An Monaſterium iure hereditario ſuccedens in bona Religioſi profeſſi, teneatur ſolvere vota realia quæ profeſſus in ſæculo emiſerat, & non ſolverat?* Reſp. Plures ſenſus habere poteſt quæſtio propoſita; idcirco diſtinctione utamur oportet. Et primum, ſi Monaſterium ſit conſtitutum heres ob voventis mortem, nullum eſt dubium quod teneatur ad ſolvenda vota. Si autem Monaſterium factum ſit heres titulo profeſſionis ipſius voventis, tunc diſtinguunt *Sanchez, Bonacina, Caſtropalaus, La-Croix, Marin.* & alii, atque ita reſolvunt. Si vota fuerunt acceptata ab eo in cuius utilitatem facta ſunt vota (v. g. Paulus, antequam Religionem ingrediatur, vovet calicem donandum Eccleſiæ, illumque promittit Parocho, qui nomine Eccleſiæ acceptat) tunc Monaſterium tenetur: ſecus, ſi promiſſio facta non fuiſſet a vovente: tunc enim, licet Parochus ex ſe acceptaſſet, hæc acceptatio facta ſine promiſſione voventis, non induceret debitum iuſtitiæ.

Si

Digitized by Google

Si vero vota non fuerunt acceptata, ad ea ſolvenda Monaſterium non tenetur. Sic docet Sanchez *Lib.IV. cap.* xv. *num.* 32. Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* II. *punct.* 5. *ſ.* 2. *num.* 7. Caſtropalaus *diſp.* I. *punct.* 16. *num.* 7. Trullenchus *Lib.II. cap.* 11. *dub.* 15. Leander *tract.* I. *diſp.* XXV. *quæſt.* XV. *&* XVII. La-Croix *Lib.III. par.* I. *num.* 478. Leſſius *Lib.II. cap.* xl. *num.* 66. Marin. *tract.* IX. *diſp.* III. *ſect.* 5. *num.* 155. Quia, inquiunt, vota omnia & perſonalia, ut omnes fatentur, & realia extinguuntur per ſolemnem profeſſionem in Religione approbata. Extinguuntur vero, inquiunt, eiuſmodi vota, non commutatione, neque relaxatione; ſed perfectiſſima ſolutione, qualis eſt perpetua conſecratio totius voventis Deo facta per profeſſionem. Laudati autem Doctores ſuſtinent, veram eſſe hanc ipſorum opinionem, etiamſi vovens aperte conſtituiſſet ſua vota realia non extingui per profeſſionem, ſed ſolvenda eſſe a Monaſterio herede: a quibus tamen diſſentit Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* II. *punct.* 5. *ſ.* 2. *num.* 9.

XXIII. Negari non poteſt, recenſitam opinionem, quæ docet, vota realia voventis extingui profeſſione ſolemni eiuſdem, eſſe abſolute probabilem, quando vovens non refragatur, ob rationem datam, nempe ob ſublime ſacrificium profeſſionis monaſticæ, quæ tanti pretii eſt, ut valeat quodcumque debitum extinguere. Contrariam tamen ſententiam defendit D. Antoninus *II. Part. titul.* II. *cap.* II. *ſ.* 8. & mihi hæc opinio videtur verior ob hanc quam aſſigno rationem. Victima propria, & unica ſacrificii profeſſionis religioſæ eſt perſona voventis, & quæ eamdem afficiunt perſonam. Quapropter per talem profeſſionem extingui omnia vota perſonalia, peroptime infertur. Res autem temporales, quæ fuerunt ſub voventis dominio, ſunt quid extraneum ipſi profeſſioni; quandoquidem hæc bona nullo modo ſpectant ad profeſſionem, ſed afficiunt hereditatem voventis; quemadmodum vota perſonalia afficiunt perſonam.

XXIV. Dico ergo primum, veroſimilius eſſe, Monaſterium quod conſtitutum eſt heres per profeſſionem voventis, teneri ad vota realia voventis profeſſi: quia hæc vota realia comitantur hereditatem, quæ ſic gravata iure fuit ab illius domino. Ergo, quouſque dominus ipſe hoc gravamen non aufert, affixum remanet eius hereditati. Per ſuam profeſſionem religioſam aufert vovens, ſeu ſolvit omne debitum afficiens ſuam perſonam, quia ſe totum Deo conſecrat; minime vero illius hereditas vi talis profeſſionis ſolvitur ab oneribus ipſi adiectis: quia eiuſmodi hereditas quid diſparatum eſt ab ipſa profeſſione, ut dictum eſt ſupra.

XXV. Dico ſecundo. Quando vovens, antequam profeſſionem emittat, aperte teſtatur ſe velle ſua vota realia impleri a Monaſterio herede conſtituto, tunc Monaſterium tenetur eadem perſolvere. Hæc ſecunda opinio, non modo probabilior, ſed unice vera mihi videtur. Eam, ut dixi, propugnat Bonacina *loc. cit.* & quod potius eſt, D. Antoninus *loc. cit.* & Paludanus *in IV. diſt.* XXXVIII. *quæſt.* IV.

art.

Digitized by Google

art. 3. num. 33. concl. 3. Ratio ex dictis patet: quia hæc vota realia afficiunt hereditatem, quæ quid extraneum eſt profeſſioni, & nullo modo in eadem comprehenſum. Accedit: dum profitens expreſſe declarat ſe nolle ſua vota realia hereditatem ſuam conſequentia extingui; qua ratione dici poteſt, eadem reipſa extingui? Quia, inquit Sanchez *loc. cit.* ex Sylveſtro *verb.* Votum 4. *quæſt.* VII. *dict.* 3. aut profeſſurus Religionem declarat hanc ſuam intentionem ante profeſſionis inſtans, vel in ipſo inſtanti profeſſionis, vel poſt inſtans eiuſdem profeſſionis. Si poſt profeſſionem emiſſam, tunc certum eſt votum eſſe nullum, quia poſt profeſſionem vota omnia nulla ſunt. Si autem in inſtanti profeſſionis, habentur vota ceu facta poſt profeſſionem. Si vero Novitius declaret hanc ſuam voluntatem ante inſtans profeſſionis, iam per profeſſionem ſupervenientem remanet ſolutum votum. Hæc eſt ratio quam ex Sylveſtro proponit Sanchez. Sed ratio iſthæc iuxta ea quæ dicta ſunt, corruit, & futilis eſt: eo quod ſolum evincit, vota perſonalia, ſecus realia vota ante profeſſionem emiſſa (de quibus ſolis ſermo nobis eſt) extingui. Præterea voluntas qua Novitius ante profeſſionem inſtituit Monaſterium, ſive quempiam alium heredem ſuum, valida eſt; & hereditas illa iure devolvitur ad eum quem Novitius ſuum heredem inſtituit. Cur ergo non poterit imponere aliquod gravamen, ſive confirmare onus annexum tali hereditati? Cur? Nonne Novitius ante ſuam profeſſionem poteſt ſuam gravare hereditatem aliquo legato? Quidni & voto? Quia profeſſio ſuperveniens infringit vota realia? Non infringit legata pia libera: ergo nec vota quantum ad ſolutionem penſionis realis. Quæro: poſſet ne Novitius ante profeſſionem vovere, & reddere reipſa calicem, vel aliud munus, eleemoſynamve Eccleſiæ, aut pauperi ex ſua hereditate? Quis hoc inficiabitur? Cur ergo non poterit declarare, ſe velle votum iam factum impleri a ſuo herede? Ne multa: quemadmodum aliis penſionibus gravare poteſt Novitius ante profeſſionem ſuam hereditatem, ita poteſt eamdem gravare ſolutione votorum realium ab herede facienda: & ſicut heres alia legata realia, ita & vota realia ſolvere teneretur; ſive heres ſit Monaſterium, ſive ſæcularis homo, aut familia. Quamquam igitur recentiores aliqui poſt alios oppoſitum ſentiant; nihilominus ratio, ut ego quidem arbitror, noſtram ſententiam veram eſſe evincit, falſamque caſuiſticam opinionem contrariam.

XXVI. Quæſt. XVII. *Quo ordine ſolvenda ſunt ab herede vota realia comparata ad debita, & legata?* Reſp. Multas habet quæſtiuncula partes, quarum ſingulæ ſunt explicandæ. Et primo certum eſt penes omnes, ſolutionem debitorum ex iuſtitia præcedere debere quæcumque ſive vota, ſive legata. Ratio eſt, quia vovens de re aliena victimas Deo offerre nequit. Dicitur enim Eccli. XXXIV. verſ. 21. *Immolantis ex iniquo oblatio eſt maculata*: & XVII. quæſt. IV. ex Auguſtino dicitur: *Quicumque vult exheredato filio heredem facere Eccleſiam, quærat alterum qui ſuſcipiat, non*

non Auguſtinum : immo Deo propitio neminem inveniet. Solutio vero votorum legata præcedit : quia vota obſtringunt voventem, ſecus legata, quæ teſtator libere ſtatuit. Prius ergo vota realia quam legata ſolvere debet.

XXVII. Quæſt. XVIII. *Si teſtator pluribus votis ſit obſtrictus, & hereditas omnibus ſolvendis ſit impar, quænam heres ſolvere debet?* Reſp. Tiraquellus, Angelus, Sylveſter, Gregorius Lopez, Gomez, Guttierrez, & alii, quos citat Sanchez, ſuſtinent ſolvenda eſſe pro rata parte, ideſt facta proportione hereditatis, ſeu partis liberæ cum omnibus votis, & cuiuſque voti aliquid eſſe ſolvendum. Sed communis ſententia docet, vota maioris momenti præferenda eſſe aliis : quia heres defuncti perſonam refert, & eius loco ſuccedit, atque adeo eiuſdem obligationi; ſed vovens tenebatur prius ſolvere vota de re graviori : ergo & heres. Si vero dubium fuerit quodnam votum ſit maioris momenti, tunc votum quod prius editum fuit, ſolvendum prius eſt. Sanchez *Lib. IV. cap.* xv. *num.* 41. Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* II. *punct.* 5. *§.* 2. *num.* 14. Caſtropalaus *diſp.* 1. *punct.* 16. *num.* 11. & 12. Leander *tract.* 1. *diſp.* xxv. *quæſt.* xxI. Marin. *tract.* IX. *diſt.* 3. *ſec.* 5. *num.* 158. Ad argumentum contrariæ ſententiæ, nempe, legata ſolvenda ſunt pro rata, quando pro omnibus hereditas non ſufficit : ergo idem dicendum de votis : reſpondetur negando conſequentiam : & diſcrimen eſt, quod heres in perſolvendis votis repræſentat voventis perſonam, & quia vovens prius vota gravioris momenti ſolvere tenebatur, ideo & heres hunc ordinem ſervare tenetur.

XXVIII. Quod ſi vota plura ſint, & non conſtet quodnam fuerit prius emiſſum, Sanchez *loc. cit.* docet ſolvenda tunc eſſe vota pro rata. Caſtropalaus, Bonacina, Marin, Leander ſuſtinent, tum heredem eligere poſſe quæ ſibi placuerint : & ratio eſt, quia, ut fatetur Sanchez, poterat eligere vovens quod ſibi magis placuiſſet, poſito dubio de meliori bono, & de temporis prioritate : ergo poteſt & heres, qui, ut fatetur Sanchez, refert perſonam voventis, & illius obligationi ſuccedit. Et licet heres ex iuſtitia teneatur ad ſolutionem votorum; hoc non mutat ſolutionis ordinem, ſed ſolum magis ad ſolvendum urget: & non permittit ut heres poſſit petere aut diſpenſationem, aut commutationem votorum, ſicut poterat vovens, qui ſolo religionis titulo obſtrictus erat. Hæc opinio & mihi probabilior videtur, & verior; eo vel magis quod ſæpe ſolutio votorum pro rata parte non ita cedit in Dei gloriam, & proximi utilitatem, ſicuti cedit integra ſolutio unius, aut alterius voti, quod prudenter eligit heres ſolvendum. Si vota ſint de conſtruendo aliquo pio ædificio, de offerendo aliquo inſigni munere, de altari erigendo, atque id genus ſimilia, & pro rata dumtaxat ſolverentur; nil ad perfectionem reduci poſſet. Quare potiſſimum in ſimilibus caſibus heredem, ſicuti voventem, eligere poſſe votorum ſolutionem in facta poſitione omnino proba-

babilius, & verum cenſeo; dummodo heres bona fide rem agat, & vota ſolvenda ſeligat quæ in maiorem Dei gloriam cedant.

XXIX. Quæſt. XIX. *An, quando plures ſint heredes, quiſque in ſolidum teneatur vota defuncti ſolvere?* Reſp. Nemo in ſolidum tenetur: quia quiſque tenetur, quatenus eſt heres. Ergo, ſi ſolum in parte heres eſt, ſolum pro ea parte ſolvere vota tenetur. Sententia communiſſima. Addenda tamen duo ſunt. Primum, ſi res Deo promiſſa ſit penes unum ex heredibus, tunc ipſe tenebitur in ſolidum; at habebit actionem repetendi partem ab aliis heredibus reſpondentem hereditati. Secundum, ſi alii heredes nolint ſolvere, quilibet tenetur in ſolidum; dummodo pars hereditatis ſufficiat: quia heres de ſuo, ut dictum eſt, vota teſtatoris ſolvere non tenetur. Hereditas vero legatis, debitis, votiſque ſolvendis & tota, & qualibet ſui parte obnoxia eſt. Ergo, nolente uno herede ſolvere, alius aſtringitur. Hoc tamen verum eſſe credit Caſtropalaus, quando heredes ex malitia nolunt ſolvere; ſecus, ſi ex impotentia omittant. At mihi videtur ratio adducta evincens eſſe in utroque caſu. Quandoquidem quod quælibet hereditatis pars addicta ſit votis ſolvendis, non pendet nec ex malitia, nec ex paupertate heredum; ſed ex ipſa teſtatoris inſtitutione, ſeu ex quodam contractu inter heredem, & teſtatorem naturaliter conſurgente. Nec iuvat reſpondere, hanc partem non eſſe addictam debitis ſolvendis integre, ſed ſimul cum alia comparte: quia id verum eſt abſolute loquendo: quoniam, ut diximus, abſolute quiſque heredum ſolvere tenetur pro rata parte: ſed in hypotheſi quod coheredes ſive nolint ſolvere ex malitia, ſive ſolvendo non ſint idonei ex impotentia, tunc tota hereditatis pars votorum ſolutioni obnoxia evadit. Ita mihi veroſimilius videtur adverſus Leandrum, & Caſtropalaum.

XXX. Quæſt. XX. *An donatarius teneatur vota donantis exequi?* Reſp. Communiter non teneri reſpondent Auctores: quoniam donans revera, etiam poſt votum dominium rei Deo adpromiſſæ retinet, illudque in alterum transferre valet. Ergo donatarius non tenetur vota dicta ſolvere, etiamſi donans factus fuerit impotens. Non tenetur ſiquidem ratione rei acceptæ, quæ, ut diximus, vere erat dominio donantis ſubiecta: non tenetur ex illicita acceptione, quia hæc acceptio adverſatur ſolummodo religioni, ſecus iuſtitiæ, quæ ſola fundat debitum reſtituendi. Neque eiuſmodi debitum provenire poteſt ex aliquo pacto, ſeu contractu tacito inito cum donante: quia id ſolum verum habet in heredibus. De his enim ſic leges diſponunt, eo quod heres repræſentat teſtatoris voventis perſonam; donatarius autem minime donantis perſonam refert. Hæc in rigore vera videntur; prout ex legibus abſolute ratiocinari licet. Ceterum quis donatarius, ſuæ ſalutis memor, retinere ſibi vellet victimas iam Deo ſemel oblatas? Licet enim id non ſit furtum, quia non ex iuſtitia, ſed ex religione Deo illæ debebantur; attamen ſacri-

Digitized by Google

crilegium eſt, & peccato donantis cooperaretur donatarius. Idcirco ego non abſolverem donatarium a voti ſolutione in defectu hereditatis. Cedo. Quod Petrus voto donavit Eccleſiæ, immo Deo, non ne Dei, vel Eccleſiæ eſt? Donator igitur dare nequit quod ſuum non eſt, ſeu quod voto conſecravit Deo. Dominium utique illius rei Deo conſecratæ retinet; ſed dominium gravatum debito reddendi eamdem rem Deo. Debitum, inquis, religionis eſt, non iuſtitiæ: verum habet. At quid inde? Peccabis ergo, ſin contra iuſtitiam, ſaltem adverſus religionem, ea bona Deo conſecrata retinendo. Quiſque lumen naturale, omiſſis caſuiſticis ſubtilitatibus, conſulat; & nemo bene moratus, ac chriſtianæ religionis ſincerus cultor, ſentiet ſe tuta conſcientia retinere poſſe ea quæ ſcit a donatore prius religioſo ritu conſecrata fuiſſe Deo.

XXXI. Quæſt. XXI. *An legatarius teneatur implere vota realia legantis?* Reſp. Legatarius tenetur iuxta communem opinionem ſolvere vota realia legantis. Ratio diverſitatis eſt, inquiunt Caſtropalâus, Leander, Sanchez, & alii, quod donatarius acquirit dominium rei donatæ ob traditionem eiuſdem ſibi factam; quæ, quamvis illicita, eſt tamen valida, & firma in linea iuſtitiæ, eſto contraria religioni; at legatarius dominium legati acquirere debet ex valore promiſſionis in teſtamento factæ; quæ ſi nulla eſt, perit legatum: eſt autem nulla, ſi ſit de materia voto contraria, quia tunc eſt promiſſio de re illicita, atque adeo nullius valoris. Sic totidem verbis Caſtropalaus. Clarius diſcrimen aſſignatur. Donatarius conſequitur dominium rei donatæ per realem traditionem, & acceptionem, quæ, licet illicita, valida eſt. Legatarius aſſequitur legatum per promiſſionem, quæ, ſi ſit de re illicita, nulla eſt. Illicita autem eſt in præſato caſu: quia legans promittit homini quod iam Deo conſecraverat. Utcumque diſcrimen iſtud verum ſit, ego in praxi tum donatarium, tum legatarium, deficiente hereditate, obligarem ad ſolvenda vota realia, quæ afficiunt omnia bona legantis, ſeu teſtatoris. Non nego tamen, immo fateor, potiore titulo aſtringi legatarium. Hinc, ſi legatarius aſſequatur rem in ſpecie Deo adpromiſſam, tenetur rem Deo tradere, eo quod nullo titulo illam retinere valeat: nulla enim fuit legantis promiſſio. Si autem res legata in ſpecie Deo conſecrata non fuerit, & hereditas non eſt ſolvendo par, corruit legatum. Quoniam, ut optime ratiocinantur citati Auctores, aut teſtator credit hereditatem ſuam ſatis eſſe ad implenda ſua vota, non obſtante legato; aut non credit. Si credit hereditatem ſufficere, & reipſa hereditas non ſufficit; iam legatum in hoc caſu eſt contra illius voluntatem, & conſequenter nullum. Si prævidet hereditatem non ſufficere, & nihilominus legatum inſtituit; hæc inſtitutio, ſeu promiſſio eſt de re illicita, & ſubinde nulla. Si autem hereditas ſufficiens eſt ad vota realia ſolvenda, & res Deo adpromiſſa, fuerit in manu legatarii, concedenda erit, inquit Sanchez, æſtimatio

tio rei ipſi legatario, & heres pretium ſolvet eidem, ut res promiſſa Deo reddatur.

XXXII. Quæſt. XXII. *Quando Princeps ob perduellionis crimen mortis pœna plectit voventem, eiuſque bona fiſco addicit, tenetur ne Princeps, ſeu fiſcus vota realia voventis ſolvere?* Reſp. Adfirmans reſponſio iam ex dictis colligitur: quia hæc vota realia bona afficiunt. Fiſcus capere tantum iure poteſt bona quæ ſunt ipſius voventis libera ab oneribus. Sicut ergo tenetur fiſcus ſolvere debita realia, & legata; ita & realia vota rebellis damnati. Id quoque conſtat ex *L. Non poſſunt ff. de iur. fiſ.* & *L. Dicitur cod. Cum Gloſſa*. Communiter id docent Sanchez, Layman, Gobat, Sporer: & res per ſe patet.

CAPUT III.

De tempore quo votum implendum eſt.

I. Paucis expediam propoſitam quæſtionem, tum quia facilis eſt reſolutionis, tum quia plura dicenda erunt de ſtatu religioſo. Nonnulla quæ ſunt iſtius loci propria, ſequentibus quæſitis reſolventur.

II. Quæſt. I. *Quando vovens tempus non aſſignavit pro voti executione, quo tempore illud implere debeat?* Reſp. Dupliciter quis votum, ad tempus quod attinet, edere valet. Primo certum tempus conſtituendo pro executione; ut ſi voveas intra annum te ingreſſurum Religionem, ieiunium ſervaturum omnibus ſextis feriis, & id genus ſimilia. Et de hoc nulla eſt difficultas: nam patet voventem non teneri ad voti executionem, niſi adveniente tempore, ſeu infra tempus pro voti obſervatione definitum. Secundo emittere votum poteſt nullo temporis intervallo conſtituto; ut ſi voveat Religionem ſe ingreſſurum, eleemoſynam ſe erogaturum. Et quando hoc modo votum emittitur, tenetur vovens, quamprimum commode poteſt, illud implere. Hoc aperte traditur Deut. XXIII. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*. Quod etiam inculcatur Eccleſ. v. *Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis, & ſtulta promiſſio*. Idque docent Doctores omnes. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *artic.* 3. *ad* 3. Sylveſter *verb.* Votum II. *quæſt.* II. & v. Armilla *verb* Votum *num.* 16. Azorius *Lib. XI. cap.* XV. *quæſt.* X. Sanchez *Lib. IV. cap.* XIV. *numer.* 5. Suarez *Lib. IV. cap.* XII. *num.* 6. Bonacina *diſput.* IV. *quæſt.* II. *punct.* 5. *ſ.* I. Layman *Lib. IV. tract.* IV. *cap.* III. *num.* 5. *quæſt.* IV. Caſtropalaus *tract.* XV. *diſput.* I. *punct.* 13. Salmanticenſes *tractat.* XVII. *cap.* I. *punct.* 5. *num.* 128. Marin. *tract.* IX. *diſp.* III. *ſec.* 4. *num.* 123. & alii omnes. Ratio clara eſt: quia obligatio

tio voti ex promiſſione Deo facta oritur. Promiſſio autem hæc ſtatim obligat: cum enim nullum ſit deſignatum tempus, ſi ſtatim ac commode impleri poteſt, non obligaret, iam nullo tempore obligaret; cum maior ratio pro hoc, aut illo tempore aſſignari nequeat.

III. Quod tamen ita intelligendum eſt, niſi adſit rationalis cauſſa differendi ſolutionem voti, qualis eſſet ſpes melius impoſterum votum illud implendi; & non adſit periculum ſolutionem talem prætermittendi. Hoc colligitur ex *leg.* Quod dicimus *ff. de ſolutionibus*, ubi dicitur: *Statim ſolvere cum aliquo temperamento temporis intelligendum eſt*. In hac dilatione parvitas materiæ datur, quæ ex intentione voventis, aliiſque circumſtantiis arguenda eſt. Si voviſti te ingreſſurum Religionem quamprimum, potes aliquo congruo tempore differre, ut robuſtior evadas ad perferendos labores, & onera Religionis; quamvis raro id occurrat: quia auxilio Dei fretus quiſque Religionem amplectitur, & tali inſtructus auxilio omnia pati valet. Differre etiam potes ingreſſum, donec iræ parentum ſedatæ fuerint, ut eiſdem pauperibus ſuccurras, ut ſororem matrimonio iungas. Prudenter tamen, & caute in his procedendum eſt, ut omnes admonent, ne ſcilicet periculum contingat non implendi votum. Illud etiam præ oculis habendum eſt, ea vota quæ temporis dilatione minuuntur, minus quoque differenda eſſe. Vota ingrediendi Religionem, inſerviendi xenodochio, & ſimilia temporis dilatione dicuntur minui: quia, quo plus differs executionem ingreſſus, aut ſervitutis, eo minus Deo, & xenodochio inſervis. Ea vero quorum obſervatio non decreſcit ob temporis dilationem, maius temporis ſpatium quoad executionem admittunt; ut ſunt vota peregrinandi ad domum Lauretanam, erogandi in eleemoſynam centum aureos, & id genus alia: quia, ſive hoc, ſive futuro anno ea exequaris, tantumdem cultus Deo ſemper reddis illorum executione.

IV. Quæ autem temporis dilatio in votis quæ temporis dilatione minuuntur, ſatis ſit ad conſtituendum peccatum mortale, non facile poteſt reſolvi. Aliqui docent, trium annorum ſpatio differri poſſe Religionis ingreſſum: quæ opinio, neceſſitate ſublata, certe nimis laxa eſt. Rationabilis videtur ſententia Caſtropalai *tract.* xv. *diſp.* 1. *punct.* 13. *num.* 7. dilationem ſex menſium ingrediendi Religionem, inſerviendi xenodochio, eſſe quantitatem temporis notabilem. Sed id ex circumſtantiis colligendum eſt. Quia, ſi dilatio ſecum adferat periculnm prætermittendi executionem voti, minor temporis quantitas conſtituet culpam gravem; ſi nullum ſit periculum, & aliquæ rationes, licet non adeo graves, occurrant, maior poterit eſſe ſine gravi culpa dilatio. In ſumma iudicio prudentum id relinquendum eſt.

V. Quæſt. II. *An votum non impletum tempore deſignato, deſinat obligare?* Reſp. Duobus modis votorum executionem tempori affigere vales. Primo, dum conſti-

Digitized by Google

tuis, ne ultra definitum tempus executio voti differatur. Secundo, dum intendis infra determinatum tempus implere votum emiſſum. Si primo modo votum emittis, teneris, etiam elapſo tempore deſignato, votum implere. V. g. ſi voviſti reddere Petro centum, quæ debes intra menſem, tranſacto menſe, non extinguitur debitum implendi votum: quia tunc votum eſt abſolutum, & temporis deſignatio eſt ad excitandam, ſeu maturandam voti obſervationem. Contra, ſi ſecundo modo voviſti, tranſacto tempore præfinito, voti extinguitur obligatio; ſicuti extinguuntur præcepta eccleſiaſtica ieiunandi in vigiliis Sanctorum, quatuor temporum, audiendi Miſſam, & ſimilia, quando ſtatis diebus non implentur: quoniam in ſimilibus votis, & præceptis tempus aſſignatur tamquam terminus obligationis. Quare, elapſo termino, elabitur obligatio.

VI. Difficultas potius in eo vertitur, videlicet unde colligendum ſit, votum illigari tempori, ita ut illo tranſacto extinguatur obligatio eiuſdem, quando non conſtat de intentione voventis. Ad quod communiter reſpondent Auctores, tunc votum tempori affigi, tamquam termino infra quem compleri debeat executio, & ultra quem obligatio non extendatur, quando iuxta prudentum exiſtimationem temporis circumſtantia ſpeciali devotione affecta eſt. V. g. voviſti ieiunare in vigilia alicuius Sancti: ſi præfato die non ieiunaſti, non teneris amplius ad ieiunium. Idem dicunt alii, ſi voviſti ieiunare hoc menſe omnibus ſextis feriis in honorem paſſionis Chriſti, & omnibus ſabbatis in obſequium B. Virginis: quia, inquiunt, voviſti ieiunare feriis ſextis, & ſabbatis iſtius menſis, non alterius. Sic docet Sanchez *Lib. IV. cap.* XIV. *num.* 32. Bonacina *diſput.* IV. *quæſt.* II. *punct.* 5. *num.* 9. Caſtropalaus *tract.* XV. *diſp.* I. *punct.* 14. *num.* 3. Sed ego, quando de voventis expreſſa intentione non conſtat, dicerem, probabilius eſſe, tranſacto menſe, teneri voventem ieiunare ſextis feriis, & ſabbatis alterius menſis: quia omnia ſabbata, omnes feriæ ſextæ ſunt eiuſdem rationis per totum annum. Quapropter ſextæ feriæ, & ſabbata unius menſis non continent ſpecialem cultum, neque peculiarem circumſtantiam, quæ rectam fundet præſumptionem voluiſſe voventem deſignare menſem illum tamquam terminum obligationis infra ipſum extinguendæ. Eo vel magis quod, ut dicatur talem diem eſſe terminum ultra quem votum non obliget, oportet eiuſmodi diem eſſe principaliter præfinitum a vovente. Si enim minus principaliter ſit appoſitus talis dies, certum eſt, elapſo tali die, vel hebdomada, aut menſe, votum adhuc implendum eſſe. V. g. voviſti ingredi Religionem in die alicuius Sancti ob ſpecialem devotionem, qua erga eumdem flagras: etiamſi præfinito die non ingrediaris Religionem, adhuc teneris ad Religionis ingreſſum: quia non appoſuiſti diem illum tamquam motivum principale tui ingreſſus, ſed tamquam aliquid minus principale, & ut quid excitans tuam devotionem. Certa tamen regu-

la

la aſſignari non poteſt ; ſed intentio voventis conſulenda eſt, & circumſtantiæ examinandæ.

VII. Quando dubium eſt, num votum ſit alligatum tempori tamquam termino obligationis finiendæ, ultra quem votum non obliget, an tamquam intervallo ad ſollicitandam, maturandamve executionem, vel ipſi Probabiliſtæ communiter docent, iudicandum eſſe, tempus appoſitum fuiſſe ad ſollicitandam, non ad finiendam executionem voti ; atque adeo elapſo termino votum implendum eſſe tempore ſequenti. Sanchez *Lib. IV. cap.* XIV. *num.* 38. Caſtropalaus *tract.* XV. *punct.* 14. *num.* 4. Bonacina *diſput.* IV. *quæſt.* II. *punct.* 5. *ſ.* 1. *num.* 14. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* I. *punct.* 5. *num.* 132. & alii communiter contra Dianam, de quo infra. Hinc, ſi votum alligatum eſt tempori, non ob illius ſpecialem devotionem, ſed ob utilitatem peculiarem voventis, alio tempore ſupplenda erit voti omiſſio; ut, ſi quis vovit octavo quoque die confiteri, ieiunare, vel aliud bonum opus peragere, ut victoriam tentationum reportet, & poſtea ſemel omiſit, debet altera hebdomada ſupplere ; quando potiſſimum vota perpetua non ſunt : quia finis principalis vovendi permanens urget, neque cum tempore tranſit. Si vero vota perpetua forent, cum tale quippiam qualibet hebdomada præſtandum ſit, ſimiliſque ſuccedat obligatio, ſi vovens una hebdomada omiſiſſet confeſſionem, aut ieiunium, non obligarem eum ut bis in ſequenti hebdomada confiteretur, aut ieiunaret.

VIII. Quæ dicta ſunt, æque de realibus, ac perſonalibus votis ſunt accipienda; quando tamen conſtat de expreſſa intentione voventis. Nam etiam eleemoſyna fieri poteſt in honorem alicuius Sancti, in memoriam paſſionis Chriſti, ad B. Virginis cultum ; atque adeo diebus ſabbati, veneris &c. ita ut iſtis tranſactis obligatio ceſſet; quando tamen, ut dixi, colligi poteſt quod vovens ita ſe obligare voluerit. Ceterum, quando non conſtat de expreſſa voventis intentione, vota realia non alligari tempori, tamquam termino extinguendæ obligationis, dicendum eſt; ſed in his votis communiter tempus ponitur, ut circumſtantia ſollicitans voti executionem; ac proinde, tranſacto illo tempore, adhuc obligatio voti urget, ut docet communis opinio. Sanchez *Lib. IV. cap.* XIV. *num.* 36. Vaſquez 1. 2. *diſp.* CXLVI. *cap.* II. Bonacina *diſp.* IV. *punct.* 5. *ſ.* 1. *num.* 10. Caſtropalaus *tractat.* XV. *diſp.* I. *punct.* 14. *num.* 6. Salmanticenſes *tractat.* XVII. *cap.* I. *punct.* 5. *num.* 131. & alii.

IX. Quæſt. III. *An vovens teneatur prævenire tempus deſignatum pro voti obligatione?* Reſp. Auctorum communiſſima ſententia eſt, non teneri voventem anticipare executionem voti affixi tali diei, tamquam termino implendæ, & finiendæ obligationis : puta, ſi voviſti ieiunare in vigilia ſancti Franciſci ; etſi poſtea prævidens illa die te ſervaturum non eſſe ieiunium, minime prævenire ieiunium

aſtringeris : quia obligatio voti non obligat ultra voventis intentionem . Quando autem vovens principaliter intendit cultum exhibere Deo, ieiunando determinate in vigilia talis Sancti , iam conſtat extra talem diem ſe noluiſſe ieiunio obſtringere. Idque patet in pluribus præceptis eccleſiaſticis. Non potes die dominico Miſſam audire , craſtina die recitare horas canonicas , ieiunare in quadrageſima ; non teneris anticipare iſtorum obſervantiam præceptorum . Si autem tempus definitum pro voti executione latitudinem admittat , ita ut non ſit affixum uni diei , ſed plures dies , aut hebdomadas , menſes , vel annos comprehendat ; tunc, ſi prævideas in fine temporis deſignati pro executione voti te impeditum iri a voti obſervantia , teneris executionem anticipare intra illud temporis intervallum. V. g. voviſti te ieiunaturum ter ſingulis menſibus , ingreſſurum Religionem infra annum : ſi prævideas te non ſore aptum ad implenda tua vota in termino intervalli temporis deſignati , puta in fine menſis , in fine anni ; teneris executionem anticipare : quia non prævenis tempus obligationis , ſed tempus ineptum pro executione . Quod exemplo præceptorum Eccleſiæ confirmatur . Prævides impedimentum audiendi Miſſam circa meridiem ; teneris mane audire , ſeu anticipare auditionem : prævides impedimentum confitendi ſemel in fine anni ; teneris anticipare , ut omnes docent . D. Thomas *in IV. diſt.* XXXVIII. *quæſt.* 1. *artic.* 3. *quæſtiunc.* 1. *ad* 7. Suarez *Lib. IV. cap.* XII. *num.* 7. Bonacina *diſput.* IV. *quæſt.* 11. *punct.* 5. *§.* 1. *num.* 13. Caſtropalaus *tract.* XV. *diſp.* 1. *punct.* 13. *num.* 3. Reginaldus *Lib. XII. num.* 236. Leander *tract.* 1. *diſp.* XIV. *quæſt.* 11. Salmanticenſes *tract.* XV. *cap.* III. *punct.* 3. *num.* 34.

X. Quæſt. IV. *An qui vovit Deo , dare hoſpitali ſervum , ſi illum occiderit , teneatur alium ſubſtituere ?* Reſp. Negant communiter Auctores, eo quod peccatum commiſſum contra votum, non ſit contra iuſtitiam , quæ ſola obligat ad reſtitutionem , ſed dumtaxat contra religionem : & hac ratione reſolvit hunc caſum Tamburinus *Lib. III. cap.* XVI. *§.* 2. *num.* 13. Antonia vovit totam ſuam dotem Deo, ſimul ac eam recuperaverit ab heredibus defuncti mariti . Aſſecuta eſt dimidiam partem ; alteram mala fide donavit parentibus , licet Deo per votum dicatam. Non tenetur, ait ille, ſupplere ; ſed ſolum contra votum peccavit . Certe, ſi iuris principia ſpectentur , ſola iuſtitia, & quidem quæ commutans appellatur, ad reſtitutionem obligat . Ceterum vix aliquem abſolverem eorum qui ſua malitia ſubtrahunt victimas Deo immolatas, a debito tantumdem ſubſtituendi, ſi poſſent . Licet enim quæ ſunt contra religionis virtutem , non obligent ad reſtitutionem ; attamen , quando vota realia ſint, & victimæ fuerint Deo conſecratæ , dum Deo , & locis piis , aut pauperibus prava ſubtrahuntur voluntate voventis , talem præfert deformitatem, & iuſtitiæ cuiuſdam læſionem , ut difficile appareat voventem ſua iniquitate ſe a voti ſolutione liberare poſſe . Saltem hoc con-

Digitized by Google

conſulendum eſſet, & ſin ad ſupplendum votum, ſaltem in pœnitentiæ onus id imponere ſacrilego violatori Confeſſarius deberet.

CAPUT IV.

De voto dubio. Quando vovens dubius de voto implere illud debeat.

I. IN propoſita quæſtione plures excutiendæ difficultates continentur. Nam dubium multiplex eſſe poteſt in voti materia. Primo enim dubitare potes, emiſeris ne votum, an non emiſeris. Secundo, cum certus ſis te illud emiſiſſe, dubitare vales, an impleveris: dubitare inſuper potes de quantitate rei voto promiſſæ. Celebrior controverſia eſt inter Auctores, an, quando dubium eſt de ipſius voti emiſſione, vovens teneatur. Et reſolutio quæſtionis ex illo numquam ſatis deplorando Probabiliſmi commento pendet. Ideo multa hic dicenda forent ad illum tractatum ſpectantia; quæ, Deo dante, pro dignitate, iuxta tamen exiguitatem noſtram verſabimus.

II. Antequam rem aggredior, præmittam fas eſt diſtinctionem dubii a levi ſuſpicione, & ſcrupulo, ſeu dubio imprudenti. Igitur in præſentia ſermo non eſt de dubio nulli probabili fundamento nixo; quod non verum dubium, ſed imprudens anxii animi ſuſpicio, ſeu ſcrupulus eſt; ideo reiiciendum eſſe omnes docent. Caſtropalaus, Leander, Salmanticenſes, & alii Probabiliſtæ iam iam citandi hanc diſtinctionem hic omittunt, & abſolute de dubio loquuntur: quod veræ ſententiæ non levem conflat invidiam. Cum enim plura inepta, & irrationabilia dubia mentem occupent, & conſcientiam aliquorum delicatorum hominum torqueant; lector minus peritus legens voventem dubium de emiſſione voti non teneri abſolute, facillime ſibi perſuadet.

III. Nunc ergo non de dubiis inanibus, non de ſcrupulis, & ſuſpicionibus, ſed de vero dubio, quod, ob probabiles coniecturas in utramque partem, intellectum ita ſuſpenſum, & ancipitem relinquit, ut in neutram partem ferre ſententiam valeat: de hoc, inquam, vero dubio controverſia eſt inter recentiores. Porro docent, neminem teneri ad implendum votum de euius emiſſione vovens dubitat, Sanchez *Lib.II. de matrim. diſp.* XLI. *num.* 32. *&* *Lib.I. Decal. cap.* X. *num.* 11. *& Lib.IV. cap.* I. *num.* 16. Suarez *Tom.V. in III. P. diſp.* XL. *ſect.* 6. *num.* 14. Lopez *I. Part. inſtruct. cap.* XLV. Henriquez *Lib.XI. cap.* XI. *num.* 5. AEgidius *de Sacr. diſp.* XXXIV. *dub.* 10. *num.* 86. Malderus I. 2. *quæſt.* XIX. *art.* 7. *diſp.* LXXXVII. Layman *Lib.II. tract.* I. *cap.* V. *§.* 4. *num.* 31. Filliucius *tract.* XXI. *cap.* IV. *num.* 165. Delbene *tract.* III. *de conſcien. dub.* I. Martinez de Prado *cap.* XXXI. *quæſt.* V. *§.* I. Me-

dina *Lib. I. cap.* XIV. *ſ.* 7. Sotus *Lib. VII. quæſt.* III. *art.* 2. Tamburinus *Lib. II. cap.* III. *ſ.* 7. *ver. eleemoſ. num.* 2. Diana *coordin. Tom. VIII. tract.* IV. *reſol.* 18. Sporer *tract.* I. *prœm. cap.* I. *ſec.* 4. *num.* 84. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* I. *punct.* 6. *ſ.* 2. *num.* 143. & communiter Probabiliſtæ omnes, innixi illi principio : *Melior eſt conditio poſſidentis* . Vovens eſt in poſſeſſione ſuæ libertatis adverſus votum; cum certum ſit hominem eſſe liberum, dubium vero num ſe voto aſtrinxerit.

IV. Contrariam ſententiam tuentur omnes fere antiqui Theologi, & ex recentioribus item omnes qui pium, iuſtumque bellum Probabiliſmo indixerunt. Primo aliqua Sanctorum teſtimonia promam. D. Thomas conceptis verbis docet, in voto dubio tutiorem partem eſſe eligendam. In IV. diſt. XXXVIII. quæſt. I. art. 3. quæſt. I. ad 3. *Si autem dubitet quomodo in vovendo ſe habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne ſe diſcrimini committat*. D. Antoninus II. Pārt. tit. XI. cap. II. ante *ſ.* I. *Nota ſexto. Si autem dubitant, utrum intenderint ſe obligare, tutius eſt, quod impleant ſecundum Thomam* . Item *ſ.* 10. in fin. *In tertio autem caſu, quando eſt dubius, utrum poſſit, vel non poſſit, dicendum, quod talis vovens illud ieiunium quod non poteſt implere, tenetur in alium diem prolungare, aut in aliud bonum commutare. Cuius ratio eſt, quia exiſtens in dubio, an tranſgrediatur votum, & per conſequens peccet mortaliter, tenetur ſe ponere in tuto, ut ſcilicet votum non tranſgrediatur* . Porro ſancti iſti Doctores ſuam ſententiam eruunt ex ſacris canonibus. Nam Eugenius I. in *cap.* Invenies 3. *de ſponſ. & matr. Lib. IV. m.* I. hæc decernit. *In his quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus, tenere debemus*. Et Innocentius III. in *cap.* Illud *de Cleric. excom. In dubiis via eligenda eſt tutior*. Et Clemens III. in *cap.* Ad audientiam XII. *de homicidio volunt. vel caſual.* inquit: *Cum in dubiis ſententiam debeamus eligere tutiorem*. His Patribus concinunt antiquiores fere omnes Theologi, Summæ Roſella, Tabiena, Piſanella, Sylveſtrina, Armilla, quorum textus, cum de dubio agemus, ipſorum verbis conceptis dabimus, omnes enim in fonte legimus. Nunc ex recentioribus aliquos indicabo. Vaſquez 1. 2. *quæſt.* XIII. *art.* 6. *diſp.* lxv. *cap.* III. & *diſp.* lxvi. *cap.* I. Azorius *Lib. XI. cap.* XV. *quæſt.* II. & *Lib. II. cap.* XVIII. *quæſt.* IV. Salas 1. 2. *quæſt.* XXI. *tract.* VIII. *diſp. unic. ſec.* 17. *num.* 162. Sayrus *in Clav. Reg. Lib. I. cap.* XII. *num.* 9. & 36. Luyſius Turrianus 2. 2. *Tom. II. diſp.* lxiv. *quæſt.* XI. *num.* 6. Baſilus *de matr. Lib. X. cap.* XV. *num.* 3. Peræ *in Laur. Salm. certam.* x. *dub.* 2. Monteſinos 1. 2. *diſp.* XXIX. *quæſt.* IV. *ſ.* 3. *num.* III. Petrus Corneo in 1. 2. *D. Thom. tract.* VIII. *quæſt.* XIX. *diſp.* IV. *dub.* 2. *num.* 2. & *dub.* 3. *num.* 6. Genet *tract.* II. *de prim. præc. Decal. quæſt.* XVIII. Pontas *verb.* Votum *caſ.* 2. Natalis Alexander *Lib. IV. art.* 12. *regul.* 16. Antoine *tract. de virtut. Relig. cap.* III. *quæſt.* v. & ceteri omnes Probabilioriſtæ.

V. Ratio iſtius opinionis tota nititur ſacris canonibus, præcipientibus tutiorem in dubiis eligendam eſſe ſententiam. Quid quod ipſum naturæ rationalis lumen in omni-

Digitized by Google

omnibus negotiis cuiuſque generis, quæ aut ſanitatem corporalem aſſequendam, aut damna temporalia vitanda, aut bona comparanda ſpectant, tutiora in dubiis amplectenda perſcribit?

VI. Reſpondent Salmanticenſes, & communiter Probabiliſtæ, ſacros canones, D. Thomam, aliosque Doctores intelligendos eſſe de dubio practico, ſecus de ſpeculativo. Lepida ſane, & futiliſſima reſponſio. Quid eſt, amabo te, hoc dubium ſpeculativum? Canones, & recenſiti Doctores loquuntur de dubio facti, ſcilicet emiſeris nec ne votum. Quid hic ſpeculationis? Loquuntur de conſcientia dubia, quæ pro aſſerenda emiſſione voti habet probabiles rationes, & rationes æquales habet pro neganda voti emiſſione; & idcirco dubia dicitur, quia in neutram partem valet ferre ſententiam. Si dubium iſtud ſpeculativum appellas, eo quod mens meditetur iſtas rationes & coniecturas, eaſque ſevere excutiat; omnia dubia erunt ſpeculativa. Dubium practicum forte intelligunt illud quod, dum agendum eſt, occurrit: quia tunc operans dubitat practice, quando, dum operatur, dubitat. Sed hæc ſpeculatio vana, & perridicula eſt: quia ſemper operans dubitet oportet, dum agit, quoties intellectus ob æquales in utramque partem rationes anceps hæret.

VII. Falleris, inquiunt. Dantur namque principia quibus dubium illud deponatur, & formetur dictamen quod *practice practicum* appellatur. Hoc autem dictamine, quod etiam *reflexum* nuncupatur, cuiuſcumque dubitationis nubes exſufflantur. Ecquænam ſunt, quæſo te, eiuſmodi principia, quæ dubio pulſo moralem inducant certitudinem? Sunt, inquiunt, in fundo libertatis humanæ recondita, quæ de ſua poſſeſſione detrudi nequit, niſi per certitudinem: quoniam *poſſidentis conditio melior eſt*. At regula iſthæc ſolius iuſtitiæ dubiis favet, ad evitandas, lites diſſidia, confuſionemque in civili ſocietate, quemadmodum Iuriſtæ, & canones, & Doctores ipſi explicant. In ceteris autem dubiis regula illa minime tenet, & potiſſimum in negotio æternæ ſalutis, quod vitæ humanæ, nedum libertati, præferendum eſt. Verum de hoc commento plurima ſuo loco. Satis nunc ſit de ſolo voto dubio veram dixiſſe ſententiam.

VIII. Illud ſolum indicabo, quod Salmanticenſes *loc. cit. num.* 144. ex Diana, Trullencho, Palao, ceteriſque Probabiliſtis eo laxitatis prolapſi ſunt, ut docuerint, voventem liberum eſſe a voto, etiamſi dubitans magis in voti favorem propendeat: *quia fortiores rationes habet pro hac parte: quia licet pro voto fortiores urgeant rationes, ſi tamen non ſunt adeo efficaces, ut illius partis certum aſſenſum generent, ſed adhuc rem dubiam relinquant, certa alterius partis poſſeſſio huic inæqualitati debet præponderare, & pro illa iudicium prudens ſententiam ferre.*

IX. Duo hic perpendas velim. Primum eſt, ipſis fatentibus adverſariis, ſermonem eſſe de dubio, non levi, inani, ſcrupulis, & ineptis coniecturis fundato, ſed gra-

gravibus nixo rationibus pro parte utraque. Secundum, eſt, in recenſita doctrina totum latitare mortiferum illud Probabiliſmi virus. Etiam dum pro voti emiſſione urgent validiores rationes, dubitans liber erit a voto? Indubitate. Cur? Quia certa libertatis poſſeſſio, non per rationes robuſtiores, & fortiores, ſed ſolum per rationes evidentiſſimas, invictiſſimaſque de loco dimoveri poteſt. Sed dicito, quæſo, primum omnium: iſtæ fortiores rationes inducunt ne dubium practicum, an ſpeculativum? Fortius utique inclinant intellectum in ſavorem voti. Erit igitur dubium practicum directum, ſed non reflexum. Nihil pro evangelica morum integritate nitidius, nihil ſignificantius. Deinde quo fundamento aſſeris, ius libertatis humanæ in dubia contentione præſcribere contra ius ſive naturale, ſive divinum? Prius namque eſt ius naturale, & divinum quam libertas voventis; immo libertas voventis naſcitur ſubdita iuri naturali, & divino, quod in obligatione ſolvendi votum emicat. Ita eſt, inquis, quando reapſe datur hoc ius divinum. Quando autem dubito de voto emiſſo, dubito, an hoc ius divinum ſit nec ne: & ex alia parte certus ſum me liberum fuiſſe ante voti emiſſionem ab hoc iure. Hoc ſcilicet eſt quod quærimus. Cur volunt, dum ad rationis tribunal contendunt ius divinum adverſus libertatem, & libertas adverſus ius divinum, ut ſententia pro libertate ferri debeat, etiam quando fortiores rationes pro iure divino urgent? Leges quidem humanæ ad tollenda iurgia, lites, & innumera alia mala regulam ſtatuerunt, in fundorum poſſeſſione meliorem eſſe poſſidentis conditionem. At quinam ſanctarum Scripturarum liber, quodnam Concilium, quodnam eccleſiaſticum decretum aliquem canonem edidit quo ſtatuatur, in rebus ad æternæ ſalutis negotium pertinentibus meliorem eſſe conditionem libertatis humanæ poſſidentis adverſus ius divinum, quando dubia, ſeu lites occurrunt in utramque partem; immo tunc etiam quando fortiores rationes urgent pro voto, ſeu iure divino? Adſerant vel unam Scripturam, aut unum Concilium, vel aliquem Patrem, vel aliquem eximii nominis, & auctoritatis Doctorem, qui ante ſæculum quintumdecimum docuerit, in dubiis in quibus agitur de peccato mortali, meliorem eſſe conditionem poſſidentis libertatis humanæ. Nos contra ex Scripturis, canonibus, & Patribus evincimus, in viis dubiis tutiorem eſſe eligendam, dimittendaque incerta, cum certa occurrunt. At, ut ad incitas adverſarios redigam, ſit vera etiam in noſtro caſu illa regula, *Melior eſt conditio poſſidentis*. Lex naturalis, ſeu divina eſt ipſa voluntas Dei, ſeu Deus ipſe. Deus eſt primus poſſeſſor. Voluntas, ſeu libertas naſcitur ſubdita Deo. Ergo, quoties dubium eſt de poſſeſſione, poſſeſſio ſtat pro Deo. Ergo melior eſt conditio poſſidentis Dei per ſuam legem. Vide Hiſtoriam noſtram de Probabiliſmo, & Rigoriſmo *Tom. II. diſs.* 111. ubi fuſe hoc argumentum explicuimus. Sed de his plura ſede ſua.

X. Quæſt. I. *An certus de voto, & dubius de executione, teneatur ad executionem?*

Digitized by Google

nem? Reſp. Affirmanter reſpondent communiter vel ipſi Probabiliſtæ quos *num.* 3. allegavimus: quia, inquiunt, tunc poſſeſſio voti emiſſi certa eſt, executio dubia: ergo poſſeſſio ſtat pro voto. Sic docent, ut dixi, Sanchez, Filliucius, Diana, Caſtropalaus, Leander, Salmanticenſes, & alii fere omnes. Nos addimus noſtram rationem erutam ex Patribus, quod in dubiis pars tutior ſit eligenda.

XI. Quæſt. II. *An dubitans de quantitate rei promiſſæ, ſcilicet centum ne, an quinquaginta voverit, teneatur reddere centum?* Reſp. Negant communiter Probabiliſtæ, ut Salmanticenſes cum aliis citatis. Inquiunt enim: Si dubitas, voveris ne centum, an quinquaginta; teneris ad quinquaginta tantum: ſi dubitas, perpetuum ne votum ſit, an ad annum; non teneris niſi ad annum: ſi ſcis te promiſiſſe ingreſſum in Religionem, & dubitas, an laxiorem, vel ſtrictiorem promiſeris; non teneris niſi ad laxiorem: quia obligatio eſt odioſa, debetque in benigniorem partem interpretari, itaut minus obliget.

XII. Contrariam ſententiam, quam amplectimur, tuentur Theologi allegati ſupra *num.* 4. & inſuper Navarrus *Lib. III. Conſ. tit. de voto conſil.* 20. *alias* 18. illo principio firmiſſimo nixi, quod in dubiis tutior pars ſit eligenda. Ratio vero, quod obligatio ſit odioſa, quod iura in benigniorem partem ſint interpretanda, eſt minus evangelicæ legi conſentanea in ſenſu Probabiliſtarum. Quia iura interpretanda ſunt, potiſſimum naturalia, & divina, in benigniorem partem relate ad animam, non ad carnem, & appetitiones humanas. Reſpectu animæ autem benignior interpretatio ea eſt quæ in tuto eamdem collocat, & per ſecuriorem viam ad æternæ ſalutis portum eam ducit; ſecus illa interpretatio, quæ, ut habenas laxet longiores, atque a ſuaviſſimo evangelicæ legis iugo liberiorem illam reddat, æterni exitii periculis eam exponit. Tenetur ergo vovens in expoſito caſu vel reddere centum, vel caſtitatem perpetuam ſervare, ut tutiorem viam amplectatur: & idem dicito ob eamdem rationem de aliis ſimilibus caſibus, in quibus dubitatur de voti quantitate, qualitate, vel perpetuitate. Aliquos tamen proponam, ut clariorem notitiam aſſequaris.

XIII. Quæſt. III. *An qui vovit dare Eccleſiæ calicem, dubitat vero, cuius materiæ, argenteæ ne, an aureæ calicem promiſerit, teneatur dare aureum calicem, vel argenteum?* Reſp. Leander tamquam probabilem opinionem docet *tract.* I. *diſp.* XLIII. *quæſt.* IX. ſatis futurum in tali caſu reddere calicem ex ære, aut cupro inaurato: quia etiam eiuſmodi eſt aptus cultui divino. De more Auctor iſte laxioribus ſemper adhæret. Communiſſima ſententia ſuſtinet, reddendum eſſe calicem aureum, vel argenteum, excluſo ære, vel cupro. Hoc ſolum diſcrimen eſt inter iſtos Auctores, quod aliqui, ut Diana, Delbene, Trullenchus, aſſerunt, ſatis eſſe cuppam eſſe argenteam; reliquum vero ex ære, vel cupro. Verum in hac interpretatione

tione mos ſpectandus eſt illius Eccleſiæ, cui calix promiſſus eſt. Si enim communiter calices illius Eccleſiæ ſint aurei, vel argentei, offerendus eſt calix aureus, aut argenteus, excluſo ære, vel cupro. Sic docent Azorius *Lib. II. cap.* XX. *quæſt.* X. Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* II. *punct.* 6. *num.* 18. Villalobos *II. P. tract.* XXXIV. *diff.* 34. *num.* 37. Et eſt probabilior opinio.

XIV. Quæſt. IV. *An qui vovit ſe non acceſſurum ad feminam, dubitat vero de acceſſu fornicario, an coniugali, teneatur ſolum abſtinere a fornicario concubitu?* Reſp. A ſolo fornicario acceſſu abſtinendum illi fore, docet Leander *loc. cit. quæſt.* XI. & allegat Sanchez, Delbene cum aliis: idque probabilius iudicat ob principium illud, Poſſeſſio ſtat pro libertate. Verum hoc abutitur principio etiam iuxta Probabiliſtas. Quoniam vovens certus eſt de voto. Ergo iuxta eoſdem Probabiliſtas præſumendum eſt, editum fuiſſe votum iuxta naturam ſui actus. Porro natura, ſeu notio eſſentialis voti eſt, quod ſit de iis quæ cadunt ſub conſiliis, ſeu de materia libera; licet etiam de neceſſaria eſſe poſſit, prout ſupra ex D. Thoma explicuimus. Porro abſtinentia ab acceſſu coniugali eſt de conſilio, a fornicario vero eſt de præcepto. Ergo votum præfatum excludit acceſſum tum uxorium, tum fornicarium. Et colligitur ex *cap.* Cum dilecti *de donat.*

XV. Quæſt. V. *An qui dubitat, utrum emiſerit votum ante ſeptennium, ſeu perfectum uſum rationis, teneatur votum ſervare?* Reſp. Negat Sotus *Lib. VII. quæſt.* III. *art.* 2. ubi obiter hoc dubium tractat, cui ſubſcribunt Palaus, Delbene, Leander, qui tamen ait, contrariam ſententiam eſſe probabiliſſimam. Mirum quod non pronuntiaverit eam minus probabilem. Dicimus ergo ad votum teneri: & hæc opinio communior eſt, quam defendunt Sanchez *Lib. IV. cap.* I. *num.* 14. Luyſius Turrianus *in opuſc.* X. *diſp.* I. *dub.* 2. Suarez *Lib. IV. cap.* VI. *num.* 10. Fauſtus *tract. de Relig. Lib. I. quæſt.* XXVI. Malderus 2. 2. *tract.* X. *cap.* I. *dub.* 5. & alii plures. Quoniam conſtat de voti emiſſione, & excuſatio dubia eſt. Deinde etiam quia ante ſeptennium, ſeu ante rationis uſum, pauciſſimi ſunt qui vota emittant. Ergo, ſi votum emiſſum fuit, præſumendum eſt completo rationis uſu illud emiſſum fuiſſe.

XVI. Quæſt. VI. *An certus de promiſſione, & dubius de animo ſe obligandi, teneatur ad votum implendum?* Reſp. Licet Angelus neget *ver.* Iuram. 5. *num.* 10. cum uno aut altero Caſuiſta; tamen communis, & certa, vel inter ipſos Probabiliſtas, ſententia tenet, votum validum eſſe: tum quia verba extrinſecus prolata ſigna ſunt intentionis; nec quiſquam præſumitur dicere quod non ſentit: tum quia, probato facto, præſumitur, omnia interveniſſe quæ factum tale naturaliter comitantur. Hinc probata profeſſione, præſumitur profitentem habuiſſe legitimam ætatem: & neganti incumbit probatio.

XVII. Quæſt. VII. *An qui votum metu extortum emiſit, præſumi debeat in caſu dubio*

Digitized by Google

dubio non habuiſſe intentionem ſe ſe obligandi? Reſp. Affirmant non pauci apud Sanchez *Lib. I. de matr. diſp.* IX. *num.* 12. Sed communiſſima ſententia ſuſtinet, præſumendum eſſe talem voventem animum habuiſſe ſe ſe obligandi: quia præſumere ſimulationem in vovente, vel iurante eſt præſumptio de delicto. Nemo autem præſumendus eſt criminis reus, niſi probetur. Quare magis faves voventi, ſi illum præſumas voto obnoxium, quam ſi a voto eum abſolvas: quia a voto ſolvere nequis, niſi iudices ipſum peccaſſe. Ita docent Sanchez, Suarez, Palaus, Delbene, Fagundez, Bonacina, Trullenchus, Leander, Salmanticenſes, & alii communiter.

XVIII. Quæſt. VIII. *An, ſi vovens dubitet, utrum in præfato eventu verborum amphibolia, aut mentis reſtrictione uſus fuerit, obnoxius ſit voto, vel iuramento?* Reſp. Non tenere votum in hoc caſu, adfirmat Suarez *Lib. II. cap.* XXXIII. *num.* 6. cui ſubſcribunt Palaus, Leander, Fagundez, Delbene. Quia, inquiunt, hoc modo non præſumitur delictum commiſiſſe; ſed præſumitur habuiſſe ſufficientem cauſſam prudentis diſſimulationis. Addunt tamen, neceſſarium eſſe voventem noviſſe modos æquivocationis, & amphiboliæ, ut cum fundamento dubitare valeat ſe tali uſum fuiſſe locutione. Verum, hac reiecta opinione, dicimus voventem teneri voto etiam in hoc caſu: tum quia in dubiis tutior eligenda pars eſt; tum quia nemo præſumendus eſt ambigue locutus, niſi rationes occurrant quibus id probetur.

XIX. Quæſt. IX. *An qui dubitat, num votum emiſerit tempore ſomni, aut ebrietatis, aut phreneſis, præſumendus ſit tempore ſanæ mentis votum ſuum edidiſſe?* Reſp. Leander *tract.* 1. *diſp.* XLIII. *quæſt.* XIX. docet, voventem qui vere dubitat, an in dictis circumſtantiis voverit, liberum eſſe a voto: quia tunc, inquit, vere dubitatur, an ſit votum, aut iuramentum, ſive promiſſio, cum dubitetur de aliquo eſſentialiter requiſito ad voti naturam: in dubio autem favendum eſt libertati. Hæc opinio falſa, & laxa præter modum eſt. Ideo, ea reicta, cum communi ſententia dicendum eſt, præfatum voventem obnoxium voto eſſe: quia ex communiter contingentibus præſumptio colligenda eſt. Rariſſime autem accidit homines in ebrietate, ſomno, & phreneſi vota emittere. Præterquam quod in dubiis tutior pars præferenda eſt. Quid, ſi quis certus ſit ſe votum emiſiſſe tempore ſomni, vel ebrietatis; dubitet vero, an fuerit plenus ſomnus, & plena ebrietas, aut phreneſis talis quæ tollat libertatem neceſſariam ad votum validum? Reſpondet Leander *loc. cit. quæſt.* XX. abſolute voventem non teneri voto. Sed diſtinguendum eſt. Abſolute loquendo præſumptio ſtat pro vovente; cum certus ſit de ſomno, & ebrietate, aut phreneſi: ideo dubium, tamquam ineptum, & nullo valido fundamento nixum, reiiciendum eſt; ſicuti dicitur de pollutione nocturna, quæ non præſumitur communiter habita cum pleno conſenſu neceſſario ad peccatum mortale. Quando vero tales occurrerent rationes quæ non ſinerent du-

dubium prudenter deponi, tunc urgeret regula: In dubiis tutior pars eſt eligenda.

XX. Quæſt. X. *An iratus, vel perturbatus emittens votum, ſi poſtea dubitet ſe habuiſſe neceſſarium uſum rationis, teneatur voto, potiſſimum ſi, ſedata iracundia, ipſum emiſſi voti pœnituerit?* Reſp. D. Antoninus verſat hanc quæſtionem de votis editis ab hominibus iratis II. P. tit. XI. cap. 11. ante §. 1. *Vota autem quæ fiunt a mulieribus in partu, vel infirmitate, vel virorum in quibuſcumque anguſtiis, propriis, vel ſuorum, aut perturbatione, ſi habuerint tales intentionem obligandi ſe Deo, cogitantes etiam de cauſa quæ movebat eos ad vovendum, ſcilicet infirmitate, vel periculo, & de fine, ſcilicet evaſione periculi, propter quod evitandum vovebant, tenenda ſunt. Idem Thomas. Si autem dubitant, utrum intenderint ſe obligare, tutius eſt quod impleant, ſecundum Thomam. Item nota, quod qui iratus patri, vel magiſtro, vel bene potatus vovet, vel iurat intrare Religionem, quod non tenetur: quia quod calore iracundiæ fit, pro non facto haberi debet; quod verum eſt, ſi ſic fit ſubito, quod non feciſſet per deliberationem, & ſententiam rationis, quæ non requirit magnam moram temporis. Sed quando ſciens quid iurat, vel vovet, hoc agit, tenetur; niſi cum eo diſpenſetur ratione minus plenæ deliberationis. Sicut enim qui calore concupiſcentiæ inflammatus, aut bene potatus, non tamen ebrius, iurat uxorem ducere, compellitur eam ducere, niſi omnino ebrius eſſet. Confirmatur quod dictum eſt per ſequentem rationem. Sicut enim requiritur deliberatio ad votum, ſic ad peccatum mortale; & tamen licet iratus, aut potatus occidat hominem, excuſatur a tanto, ſed non a toto, quin ſit mortale, ex quo ſic non fuit ex ſe, quin ſciret quod faceret; licet tamen poſtea pœniteat ſe feciſſe: quia eſſe ſtatim pœnitentem de peccato, bene arguit quod illud non ſit factum ex habitu; ſed non arguit quod non ſit factum ex electione, licet paſſione turbante iudicium rationis. Illa ergo deliberatio temporis, vel ætatis, quæ ſufficeret ad obligandum diabolo per peccatum mortale, ſufficit ad obligandum Deo per votum.* Itaque raro contingit iram, aliamque perturbationem ita obnubilare rationem, ut auferat libertatem neceſſariam, & ſufficientem ad peccandum, atque adeo ad vovendum. In dubio ergo ſufficientis deliberationis præſumendum eſt fuiſſe libertatem neceſſariam. Quod ſi dubium deponi nequeat, tunc ſervetur regula: In dubio tutior pars eligenda eſt. Quod ſpectat ſecundam quæſtionis partem, communiter Auctores docent, pœnitudinem conſequentem emiſſionem voti non eſſe argumentum inſufficientis deliberationis: ſiquidem non raro contingit etiam eorum quæ magna cum deliberatione geſſerunt, homines pœnitere. Solum ergo ex ira, ſeu perturbatione comitante votum, ex pœnitentia conſequente, aliiſque conjecturis colligi interdum poteſt, voventem non fuiſſe perfecte ſui compotem, prout communiter ſtatuunt Auctores.

XXI. Quæſt. XI. *An dum quis dubitat materiam voti eſſe inhoneſtam, aut malam; te-*

Digitized by Google

teneatur ſervare votum? Reſp. Negant communiter Auctores. Rationem proferunt Salmanticenſes *num.* 147. quia votum nondum poſſidet, cum dubitetur de eo quod eſt neceſſarium ad eiuſdem eſſentiam. Sed hæc ratio *poſſeſſionis* hic futilis eſt. Igitur non tenetur ſervare votum dubitans de materiæ pravitate, vel inhoneſtate, quia peccaret illud ſervando. Peccat namque quicumque opus aggreditur de quo dubitat, bonum ne ſit, an malum.

XXII. Quæſt. XII. *An in voto conditionali dubitans de conditione, teneatur votum implere*? Reſp. Negant Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* I. *punct.* 6. *§.* 2. *num.* 145. ob illam toties reiectam fallacem regulam, quod votum non poſſidet, uſque dum conditio impleta fuerit. Porro, cum dubitatur de conditione, dubitatur de voto. Votum autem dubium non obligat. Nos contra dicimus, in dubiis tutiorem partem eſſe eligendam; adeoque præfatum dubitantem voto obnoxium eſſe eo modo quo voto aſtringitur qui dubitat de ipſo voto.

CAPUT V.

Quomodo interpretanda ſunt vota indeterminata.

I. VAriis modis votum indeterminatum eſſe poteſt: nempe 1. quoad tempus, ut ſi voveas ieiunium, nullo præfinito die: vel 2. quoad quantitatem, ut ſi voveas eleemoſynam, nulla definita quantitate: vel 3. quoad qualitatem, ut ſi promittas Eccleſiæ vas aliquod, non determinando aureum, aut æneum, aut argenteum: vel tandem quoad numerum, ut ſi plures res voveas, quin determines iſtam, vel illam; quod variis modis accidere poteſt, de quibus infra circa votum indefinitum. Quantum ad tempus dictum eſt ſupra. Aſſignandæ nunc ſunt quædam regulæ generales iuxta quas fieri debeat votorum interpretatio: deinde reſolvendi plures caſus de votis indeterminatis quoad quantitatem, & qualitatem. Sit ergo

PRIMA REGULA.

II. Votum interpretandum eſt ſecundum intentionem voventis: &, ſi de tali intentione non conſtet, interpretandum eſt in benigniorem partem; ita ut, quando datur locus prudenti præſumptioni, iudicandum mitius ſit, & in favorem voventis: obligatio namque odioſa eſt; & ideo, ſalva verborum proprietate, & voventis intentione, reſtringenda eſt, quoad fieri poteſt. Neque hinc ſequitur quod in dubiis laxior pars eligenda ſit, & in favorem poſſidentis libertatis decidendum; ſed ſolum colligitur quod dubia facilius reiicienda ſint, dum occurrunt in hac ma-

materia. Ceterum, ſi omnibus ſevere expenſis graves prudenteſque rationes mentem dubiam relinquunt, tunc ſemper tutior pars eligenda erit, ut dictum eſt ſupra.

III. Quæſt. *An votum indefinitum tum quoad quantitatem, tum quoad qualitatem, validum ſit?* Reſp. Antequam ultra progredior, placet hanc reſolvere difficultatem. Nam quod eſt tum in quantitate, tum in qualitate indefinitum, non poteſt executioni committi. Hinc in *leg.* Qui triticum, *leg.* Qui inſulam, *&* *leg.* Ita ſtipulatus *ff. de verb. obligat.* *&* *leg. legat.* Generaliter *ff. de leg.* I. vitiatur legatum ob incertitudinem rei promiſſæ. Ergo idem dicendum de voto. Quamobrem ſuſtinent nonnulli, votum rei indeterminatæ tum quoad quantitatem, tum quoad qualitatem, nullum eſſe.

IV. Communis tamen ſententia docet, votum iſtud validum eſſe: quia abſolute eſt de re poſſibili, & honeſta: & licet ſub tali indifferentia executioni mandari nequeat, hæc tamen indifferentia a vovente tolli poteſt. Sic qui vovet Religionis ingreſſum, votum validum edit: quia vovens poteſt determinare hanc, aut illam. Quænam autem tunc quantitas, vel qualitas definienda ſit, viri prudentis iudicio erit decernendum iuxta intentionem voventis. Quando vovens nullam omnino præfixit quantitatem, & qualitatem, illius ſolum erit determinare; quod prudenter, & circumſtantiis inſpectis, peragere debet; ita ut materia congrua, & apta voto ſit. Et hæc ſententia ſatis communis eſt. Eam propugnant Suarez *Lib. IV. cap.* VII. *num.* 15. *concl.* 4. Sanchez *Lib. IV. cap.* XIII. *num.* 3. *& ſeq.* Caſtropalaus *tract.* XV. *diſp.* I. *punct.* 12. *num.* 23. Marin. *tract.* IX. *diſp.* III. *ſec.* 2. *num.* 78. & plures alii. Ad id quod ex iure civili opponunt, communiter reſpondetur, præfatas leges comprehendere dumtaxat civiles promiſſiones, nullo vero modo ſpiritualia promiſſa, & vota, quæ iure canonico non declarantur nulla, ſed ad prudens arbitrium voventis, aut alterius probi viri determinanda remittuntur.

SECUNDA REGULA.

V. Votum reſtringendum eſt iuxta naturam actus, aut contractus ſupra quem cadit. Si materia, ſeu contractus voto ſubiectus, conditionibus, reſtrictionibus, limitationibus iure, conſuetudine, vel lege coarctatus eſt, eiſdem omnibus item obnoxium votum eſſe intelligitur. Quoniam tunc votum eſt quodammodo acceſſorium rei promiſſæ, quam liberare nequit a conditionibus illis ab auctoritate legitima impoſitis. Hæc regula communiſſima eſt, quam tradunt Sanchez *Lib. III. cap.* XVII. *num.* 13. Leſſius *Lib. II. cap.* XLII. *dub.* 4. *num.* 22. Bonacina *diſt.* IV. *quæſt.* I. *punct.* 17. Prado *cap.* XXXII. *quæſt.* VI. *num.* 2. Tamburinus *Lib. III. cap.* III. *§.* 4. Suarez *Lib. II. de iur. cap.* XXXII. *num.* 2. Salmanticenſes *tract.* XVII. *punct.* 6. *§.* 3. *num.* 149.

TER-

Digitized by Google

TERTIA REGULA.

VI. Votum obligat, ſicut & iuramentum, dum res promiſſæ in eodem ſtatu permanent. Contra, ſi res mutatæ fuerint, tunc obligatio ceſſat. Quandoquidem votum non obligat, niſi iuxta voventis intentionem. Quoties ergo tales occurrunt mutationes, quas, ſi ante votum emiſſum, vovens inſpexiſſet, votum prudenter operando non edidiſſet; tunc votum non obligare voventem, dicendum eſt, niſi aliæ circumſtantiæ oppoſitum ſuadeant. In quolibet enim voto tacita includitur conditio, niſi notabilis mutatio ſupervenerit. Hæc quoque regula communis eſt penes Auctores citatos. Nec propterea votum conditionatum, ſed abſolutum eſt: tunc enim votum conditionatum dicitur, quando conditio non eſt in ipſius voti natura veluti inſerta, ſed extrinſecus, & libere a vovente impoſita. Duo tamen hic ſunt obſervanda. Alterum eſt, quod hæc mutatio ſuperveniens, ut voti obligationem tollat, debet eſſe graviſſima, & manifeſta; & quod non oriatur vel a natura ipſius voti, vel a malitia ipſius voventis. Si enim mutatio ſita eſſet in gravi difficultate voventis, quam, dum votum emiſit, non experiebatur; eiuſmodi gravis difficultas, proficiſcens ex ipſo vovente, non eſſet mutatio auferens obligationem voti. Alterum vero eſt, quod mutatio ſuperveniens, quando graviſſima, & manifeſta non eſt, licet non tollat obligationem voti, ſufficiens tamen cauſſa eſſe poteſt impetrandi, & facilius obtinendi voti relaxationem.

QUARTA REGULA.

VII. Quando votum, aut iuramentum cedit in alterius detrimentum, reſtringendum eſt, ut alteri damnum non inferat: quia, quoties votum, vel iuramentum alteri nocet, illicitum eſt, nec valet ullo pacto obligare; ut colligitur *cap.* Venientes, *cap.* Cum tuis *de iure iurando*. Si iuraſti ſervare ſecretum alicui, non debes illud cuſtodire, dum alteri nocet, ut de iuramento dicetur.

CAPUT VI.

Plures caſus de votis indeterminatis quantum ad materiæ quantitatem, vel qualitatem reſolvuntur.

I. QUoniam frequentiſſimi ſunt votorum huiuſmodi caſus, ideo ad maiorem utilitatem, & facilitatem, poſt aſſignata principia generalia, quibus via ad eorumdem ſolutionem aperitur, Iubet ſingillatim caſus omnes qui agitari a Caſuiſtis communiter ſolent, ad examen inducere, & iuxta noſtra principia eoſdem reſolvere. Niſi hæc a Caſuiſtis in diſcrimen adducta fuiſſent, indicta præteriremus.

II. Quæſt. I. *Qui vovit abſtinentiam a vino, tenetur ne abſtinere a cerviſia, aliiſque liquoribus e vino expreſſis?* Reſp. Primo omnes conveniunt, hunc voventem debere abſtinere tum a vino, tum ab efficaci deſiderio bibendi vinum: nam votum quod actum prohibet, eadem ratione deſiderium eiuſdem actus vetat.

III. Quod attinet ad cerviſiam, Caietanus 2. 2. *quæſt.* cl. *art.* 1. docet, votum abſtinendi a vino comprehendere etiam cerviſiam, eo quod non ſecus ac vinum inebriet. Et certe, ſi vovens ideo vovit abſtinentiam a vino, ut vitaret ebrietatem, cui indulgere ſolebat, æque a cerviſia, ac a vino temperare ſibi debebit: quod & Sanchez *Lib. IV. cap.* XI. *num.* 44. verum reputat; quando tamen, addit ipſe, votum abſolute eſſet de vitanda ebrietate; & vinum in voto exprimeretur per modum exempli: ſecus, ſi intenderet evitare ebrietatem, & vinum non per modum exempli ſumeret, ſed tamquam medium ad finem: quia finis legis non cadit ſub lege. Sed hæc mera ſpeculatio eſt, vana, & arbitraria, quæ haudquaquam occurrit voventium mentibus. Ideo, illa reiecta, ſi voventis finis ſit vitare ebrietatem, vera eſt ſententia; ſi autem vovens vovit abſtinentiam a vino, ut hac delectatione, & honeſto guſtu ſe privaret, Deoque offerret hanc ſuam pœnitentiam; tunc ſub vino non videtur comprehendi cerviſia; licet etiam hæc habeat vim inebriandi. Liquores autem qui e vino extrahuntur, ut vinum crematum, & ſimilia, proculdubio comprehenduntur ſub vino; cum ſint ſpiritus eiuſdem vini. Quare nimis laxe P. La Croix *Lib. III. part.* 1. *num.* 459. aſſerit cum ſuo Gobat, poſſe voventem, licet intenderit in ſuo voto vitare ebrietatem, ſumere alios quoſcumque potus aptos ad inebriandum. Quando vovens vult evitare ebrietatem, & promittit abſtinentiam a vino, quia iſte eſt potus magis uſualis, & aptior ad ebrietatem; & deinde cerviſia, cremato, aliiſque liquoribus æque ac vinum inebriandi efficaciam habentibus ſe ſe replet; votum il-

lius irriſorium eſt. Quid refert quod uſuali vino potius quam vino aduſto inebrieris, quando reapſe inebriaris? Quare qui intendit ſuo voto vitare ebrietatem, a potibus quibuſcumque qui ebrietatem inducere poſſunt, abſtinere debet. Immo ebrietas quæ procedit a potu vini aduſti, vulgo *acquavite*, peior eſt, magiſque mentem obnubilat quam illa quæ vini communis effectus eſt. Nonne eiuſmodi aqua ardens, ſeu vinum aduſtum, eſt melior ipſius vini portio? Nonne omnes eiuſdem vini ſpiritus, depoſitis fæcibus, in hoc vino aduſto conſervantur? Eiuſmodi ſane commentis eludnntur leges, non explicantur.

IV. Quæſt. II. *Qui vovit abſtinentiam a vino ob finem temperantiæ, & ut ſe voluptate illius potus privet, peccaret ne mortaliter, ſi aliquid vini potaret?* Reſp. P. Caſtropalaus docet, eum qui vovit abſtinentiam a vino, tantum vini bibere debere, quantum bibere ſolet homo temperatus in uno prandio, ut peccet mortaliter. En illius verba tract. xv. diſp. 1. punct. 12. num. 21. *Quid de voto abſtinendi a vino? Obligat ſub gravi culpa, ne bibatur in ea quantitate quæ vino temperate utentibus ſufficeret pro una comeſtione*. P. Patritius Sporer referens hanc ſententiam Caſtropalai *tract.* III. *in* II. *præcep. Decal. cap.* II. *ſect.* 3. *§.* 2. *num.* 86. *pag.* 238. hoc profert iudicium. *Certe nimis laxe, etiam Germanorum ſenſu, Caſtro-Palaus requirit eam quantitatem quæ alicui viro temperate utenti ſufficeret pro uno prandio*. Non ſolum P. Sporer abſolute pronuntiat laxam hanc ſententiam; ſed addit, *etiam Germanorum ſenſu* laxam eſſe, atque adeo laxiſſimam. Dum hæc in P. Sporer legebam, quadam perfuſum admiratione me ſenſi; quæ tamen cito evanuit: quoniam ſententiam quam hic nimis laxam appellat, poſtea in *tractat. proœm. cap.* v. *ſec.* 2. *§.* 4. *in votis num.* 30. *pag.* 73. eiſdem omnino verbis adprobat, hoc ſolo diſcrimine, quod hic refert laudatam ſententiam ex *Sanchez*, ſupra vero eam retulit ex *Caſtropalao*, non advertens bonus Germanus, quod *Caſtropalaus* eam ſententiam totidem verbis exſcripſerat ex *Sanchez*. En verba *Sporer*. „ Quoad quantitatem vero vini potati certe admittenda eſt parvi-
„ tas materiæ excuſans a mortali, & quidem amplior quam in comeſtione car-
„ nis. *Placet iudicium Sanchez Lib. IV. Moral. cap.* XII. *num.* 21. *ad mortalem*
„ *tranſgreſſionem eiuſmodi voti, vel iuramenti, requiri tantum vini potati, quan-*
„ *tum in uno prandio ſufficere poſſet pro potu communiter utentibus temperate vi-*
„ *no*. “ Fortaſſe pluſculum ponderis habuit apud Sporer hæc ſententia prolata a *P. Sanchez*, qui eſt unus ex ſuis Magiſtris, quam a *P. Caſtropalao*. Ut ut ſit, quod ſemel nimis laxum, *etiam Germanorum ſenſu*, dixit, nunc ceu tutam conſcientiæ regulam ſibi placere teſtatur.

V. Tamburinus in *Decal. Lib. III. cap.* xv. *§. 6. num.* 15. nimis laxam pronuntiat ſententiam Caſtropalai, & Sanchezii. Indicio Tamburini ſubſcribit P. Marin. *tract.* IX. *diſp.* III. *ſec.* 2. *num.* 71. Verum P. Claudius La Croix *Lib. III. part.* I.

cap. III. *dub.* 4. *num.* 464. laxam ſententiam P. Sporer, Caſtropalai, Sanchezii, & Dianæ amplectitur.

VI. Fortaſſe lector mirabitur, me ſuper re adeo levi criſim exercuiſſe. Verum mirari deſinet, ſi ſecum rem hanc paullulum reputabit. Animadvertat ergo, recenſitam ſententiam iuxta principia Probabiliſtarum probabilem eſſe: quia eam docent quinque, aut ſex Theologi, quorum aliqui penes ipſos claſſici ſunt, atque adeo ſufficientes ad conſtituendam opinionem probabilem. Porro ex hac mirifica probabilitate en omnium ieiuniorum abolitionem. Quandoquidem, ſi voto abſtinendi a vino ligatus tantum vini bibere debebit ad peccandum mortaliter, eadem ratione ad tranſgrediendum votum non comedendi carnes, tantum carnium comedere debebit, quantum homines temperate viventes comedere ſolent in uno prandio. Qua de cauſſa, ſi quis infra quantitatem qua uti ſolent homines temperati, comedet, votum obſervabit; & eadem ratione obſervabit præceptum Eccleſiæ die veneris qui dimidiam partem quantitatis carnium illarum quas comedere temperate ſolet die iovis in prandio, comedet: & potiori iure ieiunia quadrageſimalia ſervabit qui tertiam partem carnium eſitabit illius quantitatis qua uti ſolet tempore bacchanaliorum: & plura alia abſurda profluunt ex regula illa *Sanchezii*, *Caſtropalai*, *Dianæ*, & *La Croix*, quæ nunc miſſa facio. Et quamquam aliquod diſcrimen ſit inter vinum & carnes; attamen; comparatione facta in diſpari quantitate vini, & carnium, adhuc remanet quantitas carnis ſatis abundans. Nam ponamus, quatuor pocula eſſe potum temperatum unius prandii, & conſequenter materiam neceſſariam ad peccatum contra votum: tria pocula, ſeu tres partes vini, erunt materia parva. In carnium comeſtura detrahamus tertiam partem, & dimidiam ſubſtituamus; quo facto, diſcrimen ablatum erit, par conſequetur abſurdum: ſcilicet, qui vovit abſtinentiam a carnibus, ſi homo temperatus ſit, comedatque duas libras carnium in uno prandio, poterit manducare ut minus unam libram tempore ieiunii aut ſibi per votum impoſiti, aut ab Eccleſia præcepti.

VII. Aſtrictus voto non bibendi vinum, poteſt, ſi eſt Sacerdos, utramque ablutionem ſumere, &, ſi eſt laicus, poſt communionem conſuetam modicam quantitatem vini, ut omnes fatentur. Extra hos caſus etiam dari parvitatem materiæ, non eſt ambigendum. Tamburinus *loc. laud.* ait, ſe non damnare peccati mortalis eum qui ſemel biberet; ſecus qui bis, vel ter. Sed diſtinguendum eſt. Sunt enim quidam bibuli qui uno hauſtu amphoram abſorbere ſolent. Iſti ſemel bibentes, votum, aut præceptum violarent. Sed de his non loquitur Tamburinus. Qui ſemel unum ex conſuetis poculis biberet, nec ego illum damnarem peccati mortalis. Dico ſolum, neminem voto, ſive præcepto ligatum, qui moratæ ſit conſcientiæ, tali diſcrimini ſe commiſſurum. Quia certum eſt, voto abſti-

ſtinendi a vino aſtrictum peccare, quoties abſque neceſſitate, & ſublato caſu modo recenſito, Sacerdotis videlicet celebrantis, bibit. Quantitas autem peccati, ſicut quantitas materiæ, definitos non habet limites. Datur certe materiæ parvitas; & eſt parvi poculi medietas. At, ſi ultra pergas, Caſuiſtarum diſputationibus, & conſequenter periculis te committis. Definitam enim, certamque menſuram gravis, aut parvæ quantitatis nimis temere tibi aliqui Caſuiſtæ porrigunt.

VIII. Quæſt. III. *An qui vovit ieiunare, aſtringatur ieiunio eccleſiaſtico?* Reſp. Votum eſt lex privata, cuius menſura eſt lex communis, quando voventis intentio aliud non determinat. Tenetur ergo vovens eo modo ieiunare quo ieiunat, dum ſervat eccleſiaſticum præceptum ieiunii. Ita omnes. Ceterum in propoſita quæſtione plures aliæ continentur, quæ ſingillatim ſunt excutiendæ.

IX. Quæſt. IV. *An vi præfati voti tenearis abſtinere a lacticiniis, ſaltem in quadrageſima?* Negat Sanchez, & cum eodem Tamburinus *Lib. III. cap.* xv. *ſ.* 6. *num.* 11. & Leander *tract.* 1. *diſp.* xx. *quæſt.* iv. quia, inquiunt, ſatis probabile eſt quod præceptum Eccleſiæ non obliget in quadrageſima ad abſtinentiam lacticiniorum. Igitur, cum vovens ſe ſe obligaverit ad ieiunium ſervandum eo modo quo inſtitutum eſt ab Eccleſia, non tenetur ab ovis, & lacticiniis, nec in quadrageſima, vi illius voti abſtinere. Hæc opinio laxa mihi videtur, reciditque ſatis proxime in propoſitionem damnatam: *Non eſt evidens quod conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in quadrageſima obliget.* Si ſecundum iſtos Auctores vovens ieiunium promittit iuxta normam ieiunii eccleſiaſtici; cum nunc certum ſit ieiunium eccleſiaſticum imponere abſtinentiam a lacticiniis; male aſſeritur, ſatis probabile eſſe, præceptum ieiunii eccleſiaſtici non obligare ad abſtinentiam lacticiniorum. Nec iuvat reponere aliud eſſe præceptum ieiunii, aliud præceptum imponens abſtinentiam a lacticiniis; & ad illud, non ad iſtud, animum, qui vovit, intendere. Egregia hercle ſpeculatio. Poterit ergo vovens ieiunium, carnes comedere: quia aliud omnino eſt præceptum prohibens carnium eſum ab eo quod ieiunium præſcribit. Sed mittamus plura congerere adverſus opinionem quam celebriores Theologi improbant. Corduba *Sum. quæſt.* clxviii. Ludovicus Lopez *II. Part. Inſtruct. de ieiun.* Azorius *I. Part. Lib. VII. cap.* x. *quæſt.* 11. & *Lib. XI. cap.* x. *quæſt.* vi. Suarez *Lib. IV. cap.* vii. *num.* 9. Caſtropalaus *diſput.* 1. *punct.* 12. *num.* 18. & alii non pauci. Ratio autem eſt manifeſta: quia quiſquis ieiunium vovet, illud ieiunium promittit quod in Eccleſia catholica ſervatur; niſi oppoſitum expreſſe declaret. Sed ieiunium Eccleſiæ catholicæ cum unica comeſtura coniungit in quadrageſima abſtinentiam a lacticiniis. Ergo vovens ieiunium, more aliorum fidelium illud vi voti ſervare debet. Contra, in ieiuniis extra quadrageſimam poterit ieiunare iuxta morem ſuæ patriæ. Si lacticiniorum con-

conſuetudo obtinet, eadem frui & ipſe poterit; ſi contraria viguerit, eamdem ſervare debet. Hæc eſt vera, & communis opinio, docens voventem debere ieiunare eo modo quo obligat ieiunium eccleſiaſticum.

X. Quæſt. V. *An vovens ieiunare, nullo præfinito dierum numero, ſatisfaciat voto unico die ieiunii?* Reſp. Cum voti interpretatio iuxta communem regulam benigna, & in favorem voventis eſſe debeat, dico, unius diei ieiunio ſatisfacere voventem dicto voto indeterminato. Addo, votum non obligare, niſi ſecundum intentionem voventis. Porro, quoties vovens, dum votum edit, nihil determinat; hoc ius, quo potiebatur definiendi certis limitibus votum ſuum, ſibi reſervat, ut valeat poſtea illam apponere determinationem quam dum emiſit votum non adiecit. Eſt communis opinio.

XI. Quæſt. VI. *An qui vovit plura ieiunia, ſatisfaciat bis ieiunando?* Reſp. Adfirmant *Sanchez*, *Leander*, & *Prado*, eo quod numerus binarius pluralitatem importet. At, ſi proprietas verborum attendenda ſit, vix reperietur ſignificati pluralitatem per numerum binarium. Si quis diceret, Plura ille ſcelera perpetravit; plura geſſit præclara facinora; plures milites miſit; plura munera obtulit: quis ſanæ mentis duo tantum ex his locutionibus intelligeret? Utique duo non ſingularem, ſed pluralem numerum conſtituunt, ut colligitur ex *reg.* Pluralis *de regul. iur. in 6.* Nihilominus iuxta & communem, & exactum loquendi modum, qui plura vovit, ultra numerum binarium illum voviſſe præſumendum eſt. Nec de eiuſmodi votis imprudentibus plura dicere expedit.

XII. Quæſt. VII. *An qui vovit ieiunare per menſem integrum, teneatur etiam diebus dominicis ſervare ieiunium?* Reſp. Adfirmant Layman *Lib. IV. tract.* VIII. *cap.* II. *num.* 9. ubi citat Bellarminum. Sed contraria opinio iuxta ea quæ dicta ſunt, eſt probabilior, & mihi probabiliſſima. Si enim vovens, dum vovit ieiunare, illud ieiunium exequi tenetur quod præſcribit Eccleſia: ſi, inquam, in ieiunii qualitate ad Eccleſiæ morem ſe ſe conformare debet: quidni & quoad tempus, quo Eccleſia expediens, & congruum ducit eſſe ieiunium? Quapropter ſi quis ad ieiunandum in vigilia alicuius Sancti ſe voto adſtrinxiſſet, dum in diem dominicum vigilia talis incideret, anticipare ieiunium, illudque exequi die ſabbati poſſet, ac deberet, ut communis tenet opinio. Ad maiorem tamen claritatem

XIII. Quæſt. VIII. *An ſi quis voveret ieiunare die dominico, votum eſſet validum?* Reſp. Negat Suarez *Lib. III. de voto cap.* VII. *num.* 21. quia Eccleſia catholica ab eiuſmodi ieiunio voluit ſemper abſtinere fideles ad improbandum morem veterum quorumdam hæreticorum, qui diebus dominicis ieiunabant. In ſententiam Suarez concedit Sanchez, aut nimium propendet, *Lib. II. Decal. cap.* XXXVII. *num.* 13. Sed diſtinguendum eſt. Si quis Catholicorum ſingulari pietatis ſtudio ductus votum ederet ieiunandi diebus dominicis; cuiuſdam ſuperſtitionis reus hic foret, & indebito

bito cultu Deum coleret. Atque hoc intendere videntur Suarez, & Sanchez. Ceterum, ſi quis, ut carnem ſuam, & concupiſcentiam validius perdomaret, & ſpiritui ſubigeret, voveret continuum ieiunium, continenter, etiam diebus dominicis omnibus, obſervandum ; ſecluſo ſcandalo, aut fidelium admiratione, validum foret, & prudens votum. Quot viri ſancti continuum ieiunium, dominicis ipſis diebus incluſis, non ſervaverunt? Et hæc eſt communiſſima opinio, quam tradit D. Thomas *in IV. diſt.* xv. *quæſt.* 111. *art.* 3. *quæſtiunc.* 2. Leſſius *Lib. IV. cap.* 11. *dub.* 9. Azorius *Lib. VII. cap.* xxvi. *quæſt. ult.* Prado *cap.* xxxi. *quæſt.* 11. *§.* 8. *a num.* 107. Bonacina, Trullenchus, & alii. Si quis tamen ſingulis diebus comederet, quolibet pulſo ieiunio; deinde voveret ieiunare omnibus diebus dominicis, & reapſe ieiunaret : ego ſane, tamquam ſuperſtitioſum ieiunatorem, hunc improbarem ; nec video qua ratione ſimile defendi ieiunium poſſit. Nam exempla Sanctorum, non dominicis modo, ſed ſingulis diebus, ieiunia ab ipſis ſervata produnt. Si enim quis cohibere appetitiones, & carnem conflictare vellet, numquid opus haberet remedio ieiunii dominicis tantum diebus?

XIV. Quæſt. IX. *An qui vovit ieiunium in pane & aqua peragendum, votum violaret ſemel bibendo vinum ; & an poſt unicum vini potum valeat abſque voti tranſgreſſione vinum ſæpius bibere?* Reſp. Iam ex iis quæ dicta ſunt paullo ſuperius, ad primam quæſiti partem reſponſio patet. Diximus enim, dari parvitatem materiæ in hoc, ſicut in ceteris votis. Unde patet, eum qui ſemel parvulum vini poculum biberet, non fracturum votum talis ieiunii. Ad ſecundam partem reſpondet Sanchez *Lib. IV. cap.* xi. *num.* 45. poſſe illum ſæpius bibere, eo quod ſit impoſſibile ipſi amplius ſervare illam circumſtantiam ieiunii voto promiſſi. Hæc opinio laxa eſt, & contraria ſententia vera. Hanc defendit vel ipſe P. Caſtropalaus *tract.* xv. *diſp.* 1. *punct.* 12. quia abſtinentia a vino eſt onus ſuſceptum a vovente pro integro ieiunii die. Diſtinctio autem Tamburini, quod, ſi votum fuerit de abſtinentia a vino, vera eſt ſententia *Palai* ; ſi autem fuerit de ieiunio in pane & aqua, vera eſt opinio *Sanchezii* : hæc, inquam, diſtinctio ex illis eſt quæ in mentem voventium non veniunt, dum ſua edunt vota. Quapropter eorum voluntas interpretanda eſt ſecundum id quod communiter evenire ſolet. Et quia homines, dum vovent ieiunium in pane & aqua, vovent abſtinentiam per integrum diem a vino, aliiſque cibis; ideo, cum nemo ex iniquitate ſua commodum reportare debeat, non infertur poſſe ſine culpa per reliquum diei ſæpius bibere vinum, qui ſemel bibiſſet votum violando.

XV. Quæſt. X. *An qui vovit ieiunare in pane & aqua, poſſit comedere paſtillos, vulgo maccharones?* Reſp. Tamburinus *Lib. III. Decal. cap.* xv. *§.* 6. *num.* 20. docet eum qui vovit ieiunium in pane & aqua, ſi comedat paſtillos eſculentos, quos Itali *Maccharones*, & *vermicellos* appellant, violare ieiunium; potiſſimum ſi dum

coquuntur, infundatur parum olei, & amaraci aliquot frondes admiſceantur. Quia qui vovent ieiunium in pane & aqua, communiter pane & aqua contentos ſe fore promittunt. Leander *tract.* I. *diſ.* XX. *quæſt.* XVII. concedit, licitum eſſe voventi comedere *paſtillos*, & *vermicellos* ſola aqua coctos; ſecus, ſi quidquam olei, vel frondium amaraci infuſum, aut permixtum habeant. Hæ ſunt ex illis quæſtionibus quas Caſuiſtæ excogitarunt, ut votorum obſervantiam delinirent, & ut languidis votorum obſervatoribus ſuccurrerent. Sed, nugis miſſis, votum ſervandum eſt uſu panis communis, & potu aquæ. Qui *vermicellos*, & *paſtillos*, *pultem*, *polentamque* comederent, plus minuſve ab exacta voti obſervatione recederent. Quando contingat, illos his cibis utentes peccare, vel non peccare mortaliter contra votum, abſolute definiri nequit. Id ſolum dico, tamquam certiſſimum, deficiente pane, poſſe hominem tali voto obſtrictum paſtillos, vermicellos, polentamque edere.

XVI. Qui aſtrictus eſt voto ieiunandi in pane & aqua, ſi ob virium exilitatem nequiret ſe ſolo pane, & aqua ſuſtentare, poterit veſci piſcibus; & ſi neque cum his poſſet, utatur lacticiniis: &, ſi lacticinia non ſufficerent, adhibeat carnes; eamque partem ieiunii potiſſimum ſervet quæ ſuis viribus conſentanea eſt. Si infirmus ſit, iuxta ea quæ dicemus de ieiunii præcepto, liber omnino evadit: alio tamen tempore ieiunium implebit iuxta ea pariter quæ de ieiunio indeterminato ratione temporis ſunt dicenda.

XVII. Quæſt. XI. *An qui votum edidit ieiunandi omnibus ſextis feriis, aut ſabbatis per annum, teneatur etiam ieiunare, quando his diebus feſtum recurrit Nativitatis Domini?* Reſp. Negant voventem teneri ad ieiunium die præfatæ ſolemnitatis plures Auctores, Molina *Tom. II. de iuſt. diſ.* CCLXXII. Azorius *Lib. XI. cap.* XX. *quæſt.* XXX. Diana *I. Part. tract.* IX. *reſ.* 5. Tamburinus *Lib. III. cap.* XV. *§.* 5. *num.* 13. Sed communior, & mihi vera ſententia, contrarium ſuſtinet. Ratio iſtius ſententiæ eſt manifeſta, utpote innixa verbis ipſius *cap. fin. de obſervatione ieiunii*, ubi ſtatuitur: *Qui nec voto, nec regulari obſervantia ſunt adſtricti, in ſexta feria, ſi feſtum Nativitatis dominicæ die ipſo venire contigerit, carnibus propter feſti excellentiam veſci poſſunt ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ generalis.* Eccleſia ergo eos ſolos Chriſtianos a carnium abſtinentia, & ieiunii obſervatione eximit qui aut voto, aut regulari obſervantia ieiunio non ſunt aſtricti. Sed, inquiunt, Eccleſia de illis ſermonem habet qui expreſſe voviſſent ieiunare in præfata ſolemnitate; ſecus de aliis. Hæc interpretatio arbitraria eſt, vana, & nulli vel fucato nixa fundamento: quia textus abſolutus eſt, & univerſalis. Sed de hoc ſermo recurret, cum præceptum ieiunii pertractabimus, a quo exemptos non eſſe patebit die Nativitatis Domini omnes illos qui regulari obſervantia aſtricti eidem ſunt. Hanc ſententiam docent P. Suarez *Lib. IV. cap.* XX. *num.* 8. Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* II. *punct.* 6. *num.*

Digitized by Google

num. 9. Leander *tract.* 11. *diſp.* XX. *quæſt.* XI. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* 1. *punct.* 6. *§.* 1. *num.* 139.

XVIII. Quæſt. XII. *Quomodo obligetur qui fecit duo vota contraria, puta comedendi tantum panem die veneris, & non comedendi panem in vigilia alicuius Sancti, quæ quandoque incidit in eamdem ſextam feriam?* Reſp. Sylveſter *ver.* Vot. 2. *quæſt.* XVII. ex D. Thoma reſpondet, quod, ſi utrumque eſt poſſibile, utrumque obſervari debet. Deinde, ſi ambo vota ſervari nequeunt; tunc dicit ſervandum eſſe quod melius, gratiuſque Deo iudicatur. Quod ſi ambo æqualia ſint, tunc ſervandum eſt primum. Crederem tamen in recenſito voto debere voventem abſtinere ab omni cibo, ſi vires ſtent, & infirmitas non obſit: quia emiſſum ſecundum votum non edendi panem, non pugnat abſolute cum primo; ſed maiorem addit abſtinentiam, ſcilicet ab omni cibo. Si autem votum ſecundum eſſet edendi tantum piſces, & legumina, ſecluſo pane; ſervandum foret primum votum, tum quia primum, tum quia perfectius.

XIX. Quæſt. XIII. *An qui vovit recitare Roſarium, teneatur illud integrum recitare; & an ſatisfaciat, ſi mentaliter tantum illud percurrat?* Reſp. Quando de voventis intentione non conſtat, qui vovet Roſarium, ſatisfacit, ſi tertiam partem recitet: quia communiter ſic fideles Roſarium ſolent recitare. Et hæc eſt communis opinio. Quemadmodum etiam communiter docent Auctores, debere illud recitari vocaliter: quia hæc conſueta eſt recitandi ratio. Quod ſi vovens ſoleret illud mente dumtaxat percurrere, dicunt Salmanticenſes *punct. 6. num. 136.* tum votum impleri a vovente poſſe ſola contemplatione: quin addunt, hoc fieri poſſe, etiamſi hanc conſuetudinem vovens non habeat. Citant *Leandrum*, & *Caſtropalaum* pro eadem opinione. In utroque caſu id ego reputo falſum: eo quod proprie, & eſſentialiter Roſarium duabus conſtat partibus, contemplatione videlicet myſteriorum vitæ, & paſſionis Chriſti Domini, & orationis dominicæ, atque angelicæ ſalutationis recitatione. Hæ ſunt duæ partes hoc ſpeciale precandi genus conſtituentes, nempe Roſarium. Qui ergo Roſarium vovet, vovet illud Roſarium quod in Eccleſia communiter recitatur; ſicut qui vovet ieiunium, ieiunium promittit eccleſiaſticum, ideſt iuxta Eccleſiæ conſuetudinem obſervandum, ut omnes fatentur. Roſarium igitur vocali oratione, & contemplatione mentali conſtat. Ergo Roſarium vovens non ſatisfacit voto ſola mente Roſarium percurrendo. Quapropter nullo modo cenſeo probabilem ſententiam *Leandri*, & *Salmanticenſium* oppoſitum docentium. Satisfaceret autem vovens, ſi alternis Roſarium cum aliquo recitaret.

XX. Quæſt. XIV. *An qui vovit audire Miſſam quotidie, ſatisfacit diebus ſacris unam audiendo?* Reſp. Communis ſententia eſt, voventem ſatisfacere voto unam tantum Miſſam audiendo diebus feſtis: quia rationabilis voventis intentio eſſe vi-

de-

detur, nullam ſe tranſigere diem velle quin Miſſam audiat. Immo, ſi quis voveret audire Miſſam in die feſto, non præſumeretur aliam Miſſam voviſſe præter illam ad quam ex præcepto tenetur. Nec obſtat quod Confeſſarius imponens pœnitenti auditionem Miſſæ in die feſto, non iniungat illam quæ eſt de præcepto, ſed alteram: quia Confeſſarius, ſi ſolum illud ſacrum quod ex præcepto audiendum eſſet, præciperet pœnitenti, nil pœnitentiæ eidem imponeret; cum tamen aliquid pœnitenti iniungere debeat iuxta criminum gravitatem. At vovens libere & ſpontanee votum edit: & quia rem præceptam vovere poteſt, ut diximus; hinc eſt quod, niſi expreſſerit ſe vovere duas Miſſas, ſatisfacit voto indeterminato unam audiendo. Si autem Confeſſarius iniungeret pœnitenti ſingulis diebus per annum audire ſacrum; tunc, niſi contrarium ex circumſtantiis conſtaret, ſatisfaceret pœnitens oneri ſibi impoſito à Confeſſario unum audiendo ſacrum, etiam diebus feſtis: quia audiendo ſingulis diebus ſacrum ſatisfacit oneri ſibi a Confeſſario impoſito. Nec veroſimile apparet Confeſſarium tam longo tempore obligare pœnitentem velle diebus feſtis ad duo præcepta implenda. Tenetur autem vovens audire ſacrum devote, & attente iuxta morem univerſalem fidelium, dum audiunt Miſſam, ut impleant præceptum.

XXI. Quæſt. XV. *An puella quæ vovit virginitatem, teneatur eam ſervare poſt perpetratum primum actum turpem?* Reſp. Affirmant communiter Doctores: quia vovere virginitatem ſuapte natura perpetuitatem prodit, licet in voto non exprimatur. Secus, ſi vovens expreſſe intenderet vitare primum actum turpem dumtaxat: quia votum pendet in ſui obligatione a rationabili voventis voluntate. Quare poſt primum actum turpem non teneretur tunc vi voti ad abſtinendum a poſterioribus actibus. Sanchez *Lib. IV. cap.* XXI. *num.* 22. Suarez *Lib. IV. cap.* VII. *num.* 5. Valentia 2. 2. *diſp.* VI. *quæſt.* VI. *punct.* 4. Palaus *diſp.* 1. *punct.* 12. *num.* 7. Tamburinus *Lib. III. cap.* XV. *§.* 5. *num.* 2. Leander *tract.* 1. *diſp.* XIX. *quæſt.* VIII. Hic vero ſuſtinet in caſu dubio, num vovens habuerit, nec ne hanc expreſſam intentionem, præſumendum eſſe in favorem voventis. Verum iuxta ea quæ iam dicta ſunt, in dubiis tutior pars eligenda eſt.

XXII. P. Marin cenſet probabile eſſe, voventem virginitatem non teneri ad caſtitatem *tract.* IX. *diſp.* III. *ſec.* 2. *num.* 39. ex Burghenbauber *cent.* 1. *caſ.* 59. quia virginitas corporis tantum integritatem ſignificat. Sed hæc opinio & laxa nimis eſt, & lædens communem ſenſum. Quicumque enim virginitatem vovit, potiori iure caſtitatem ſpopondit; cum virginitas caſtitatem comprehendat. Subdit tamen idem Marin *num.* 40. ex Moya diſtinguendum eſſe. Si vovens, inquit, agnovit diſcrimen caſtitatem inter & virginitatem; tunc ad virginitatem partialiter, ſeu ad ſolam carnis integritatem exteriorem aſtringitur. Si non agnovit, ut communiter in puellis accidit; ad totalem caſtitatem obligatur. In dubio autem, in-

Digitized by Google

inquit ille, num agnoverit tale diſcrimen, cenſendum eſt illud agnoviſſe; & conſequenter, amiſſa per actum turpem virginitate, non peccare in delectatione moroſa venerea contra votum. Hæc earum ſpeculationum una eſt quas aliquando exercitii gratia aliqui novi Theologi ſibi effingunt. Nemo enim fidelium, etiam doctiorum, ad hæc attendit diſtinctionum ſpectra, dum virginitatis votum emittit; ſed, cum abſolute virginitatem Deo ſpondet, animi & corporis puritatem adpromittit. Quare tamquam improbabilem hanc reiicimus opinionem. Noſtram ſententiam defendit vel ipſe Felix Poteſtas *Tom.I. par.* II. *cap.* III. *num.* 1890.

XXIII. Quæſt. XVI. *An qui vovit peregrinationem abſolute, ſatisfaciat peregrinatione equeſtri?* Reſp. Communis reſponſio eſt adfirmans: quia peregrinatio, licet equeſtris, vera peregrinatio eſt. Et hoc verum habet, quamvis tempore voti cogitaverit de pedeſtri itinere; dummodo tamen non intenderit ad id ſe ſe obligare: quia ſola cogitatio obligationem non inducit. Sanchez *Lib. IV. cap.* II. *num.* 31. Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* II. *punct.* 6. *num.* 15. & 16. Leander *tract.* I. *diſp.* XIX. *quæſt.* IX. Palaus *diſp.* I. *punct.* 12. *num.* 9. Tamburinus *Lib. III. cap.* XV. *§.* 5. *num.* 3. Marin *loc. cit. num.* 42.

XXIV. Quæſt. XVII. *An ſatisfaciat præfato voto, ſi mercede conductus, vel timore coactus, aut alterius negotii, vel curioſitatis cauſſa peregrinationem ſuſciperet?* Reſp. Negat Sanchez in recenſitis omnibus circumſtantiis voto ſatis fieri: quia qui votum edidit, actionem liberam, piam, & religioſam Deo adpromiſit. Peregrinatio autem vi ſuſcepta, aut curioſitatis, vel alterius negotii cauſſa, non eſt peregrinatio voluntaria, & religioſa; immo quæ ob mercedem arripitur, non religionis titulo, ſed iuſtitiæ debito ſuſcipitur. Ergo in his caſibus vovens non ſatisfaciet voto. Contrariam ſententiam docent Caſtropalaus *tract.* XV. *diſp.* I. *punct.* 12. *num.* 10. Tamburinus *Lib. III. cap.* XV. *§.* 5. *num.* 3. Leander *tract.* I. *diſp.* XIX. *quæſt.* X. Quia vis illata libertatem non tollit, licet illam diminuat. Quare, etſi extrinſecus vovens cogatur, intrinſecus tamen poteſt libere velle ſui voti executionem. Quo in caſu certum mihi eſt, voventem ſatisfacere ſuo voto. Si poſtea alicuius vel negotii tranſigendi, vel curioſitatis titulo iter arripiat, diſtinguendum eſt. Si negotium temporale, aut curioſitas ſint ſolus finis peregrinationis, dubio procul ſatisfactionem voti impediunt; ceterum ſi vovens intendat utrumque exequi, non video cur unum impedire debeat alterum. Nam certum eſt obligationem iuſtitiæ, & religionis in eamdem rem cadere poſſe, ut pluribus exemplis conſtare poteſt: v. g. ſi quis voto aſtrictus ſit ſingulis diebus ſacrum facere, ſtipendium pro ſacrificii applicatione accipere valet; atque ita utramque ſimul religionis, & iuſtitiæ obligationem implere. Hæc opinio quam citati Auctores defendunt, mihi probabilior videtur in ſenſu explicato.

XXV. Quæſt. XVIII. *An qui vovet Religionem, aut ſuſcipere ordines ſacros, tenea-*

Digitized by Google

neatur ſervare caſtitatem? Reſp. Communiter reſpondent Auctores, vi talis voti non teneri ad caſtitatem: quia materia talis voti non eſt caſtitas, ſed ſtatus religioſus, cui annexa caſtitas eſt. Sicut votum ſuſcipiendi ordines ſacros habet pro materia eccleſiaſticum ſtatum, cui iuncta eſt caſtitas. Quare, dimiſſo ſtatu tali, ad caſtitatem vovens non teneretur. Si autem in eiuſmodi ſtatu perſtiterit, tenebitur ad caſtitatem, non vi voti ſimplicis, ſed alterius voti ſolemnis. Caietanus 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *artic.* 3. Suarez *Lib. IV. cap.* vii. *num.* 15. Leander *tract.* 1. *diſp.* xix. *quæſt.* xi. Caſtropalans *tract.* xv. *diſp.* 1. *punct.* 12. *num.* 8. Marin *tract.* ix. *diſp.* iii. *ſec.* 2. *num.* 4. & communiter omnes.

XXVI. Quæſt. XIX. *An qui vovit eleemoſynam, non determinando quantitatem; vel qualitatem, teneatur ad magnam, aut parvam quantitatem?* Reſp. Ex ſupra dictis reſolutio patet. Nam ſicut vovens, dum votum emiſit, poterat tum quantitatem, tum qualitatem definire; ita, voto emiſſo, eadem libertate fruitur, qua valet quantitatem, & qualitatem rei promiſſæ determinare. Circumſtantiæ tamen loci, & temporis ſemper ſunt attendendæ. Qui vovit eleemoſynam abſolute, nulla ſignata quantitate, vel qualitate, poteſt quamcumque quantitatem, & qualitatem offerre; dummodo apta & congrua ſit voti materia, ut alias ſæpe dictum eſt. Et, quando eiuſmodi vota interpretanda occurrunt, mitius, quoad fieri poteſt, onus voventi imponatur.

XXVII. Proponit caſum Tamburinus *cap.* xv. *§. 6. de voto rei indeterm. num.* 4. Vinum pro Miſſis celebrandis vovit quidam ſingulis diebus PP. Capucinis. Votum tranſiit ad heredes, qui, ut moris eſt, obliti patris pietatem, vinum dant infimæ qualitatis. Quæritur, an votum impleant? Negat Tamburinus, & merito: quia eſto pater abſolute pro Miſſis celebrandis vinum voverit; tamen eiuſmodi vinum iuxta prudentum æſtimationem, ſin optimæ, ſaltem mediocriter bonæ qualitatis eſſe debet. Eo vel magis quia victimæ viles, & infimæ conditionis reprobatæ in Scriptura inveniuntur.

XXVIII. Quæſt. XX. *Qui unum ex ſuis vaſis argenteis, vel ſervis, vel animalibus Deo vovit, quid reddere aſtringitur?* Reſp. Communiter docent Auctores, poſſe voventem eligere, & offerre ex rebus promiſſis, quid ipſe maluerit; neque ad pretioſius vas, vel meliorem ſervum teneri, quando non conſtet de eius contraria intentione. In ſimilibus autem caſibus medium, ſeu mediocritas ſervanda eſt.

XXIX. Quid, ſi, anteqnam votum impleas, unica res ex pluribus quas habebas, ſuperſit, aliis deperditis? Puta, unus tibi remanet calix, ſurreptis aliis, unus ſervus, unum animal, mortuis aut occiſis ceteris. Negant Sanchez *Lib. IV. cap.* xiii. *num.* 19. Molina *Tom. II. de iuſtit. diſp.* cclxx. teneri voventem ad implendum votum: quia calix, aut ſervus remanens non eſt magis promiſſus quam illi

Digitized by Google

li qui perierunt. Cur itaque omnes qui perierunt, perire debent ipſi voventi, & nullus ipſi voto? Videtur potius quod iactura dividenda ſit; & ex calice qui remanet, medietas offerenda ſit. Contraria ſententia probabilior mihi eſt, quam defendunt Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* II. *punct.* 6. *num.* 34. Caſtropalaus *tract.* XV. *diſp.* I. *punct.* 12. *num.* 26. Et ſatis manifeſta ratio eſt: quia in recenſito voto nullus eſt calix determinate promiſſus; ſed omnes indeterminate ſubiecti ſunt voto: promiſiſti namque te daturum unum calicem, unum ſervum ex omnibus, ideſt hunc, aut illum, donec venias ad ultimum. Quod autem reponunt adverſarii, non eſſe magis promiſſum calicem remanentem quam eos qui perierunt, verum eſt, quia omnes ſub diſiunctione promiſſi fuere.

XXX. Hinc, ſi promiſiſti donare Eccleſiæ ſub diſiunctione calicem, vel ſervum, atque tempore implendi voti pars una perierit, teneris reddere partem ſuperſtitem, ut ſtatuitur in *leg.* Stichum, aut Pamphilum 95. §. I. *ff. de ſolutionibus*, *leg.* Non utique, *ff. de eo certo loco*, *leg.* Regia 23. *tit.* XI. *part.* V. Quoniam obligatus fuiſti unum ex illis duobus donare. Sed, uno remanente, adhuc implere votum potes. Ergo teneris. Diſtinguunt aliqui, aiuntque: ſi pars tua culpa perierit, teneris reddere partem ſuperſtitem; ſi vero tua culpa non perierit, nec in mora reddendi fueris, tunc te liberum a voto decernunt. Communis vero ſententia docet, te obligatum eſſe aut reddere partem ſuperſtitem, aut valorem ſeu pretium rei quæ periit, licet ſine tua culpa. Ex quo pars perierit ſine tua culpa, hoc acquiris privilegium, ut non tenearis partem ſuperſtitem offerre; ſed vel hanc, vel valorem alterius partis quæ periit: quo privilegio non potitur ille qui ſua culpa perire permiſit unam ex partibus Deo diſiunctive promiſſis. Sanchez *Lib. IV. cap.* XIII. *num.* 25. Palaus *tract.* XV. *diſput.* I. *punct.* 12. *num.* 28. Molina *Tom. II. de iuſtitia diſp.* CCLXX. Salmanticenſes *tract.* XVII. *punct.* 6. §. I. *num.* 142.

XXXI. Quæſt. XXI. *Si promiſeris rem determinatam uni ex duabus Eccleſiis, cuinam debeas tradere in caſu quo ignores cuinam promiſeris?* Reſp. Si, dum voviſti, non determinaſti unam Eccleſiam præ alia, ſed diſiunctim uni, aut alteri; tunc planum eſt, liberum tibi eſſe cuinam malueris rem offerre. Si autem determinaſti unam ex duabus Eccleſiis, & poſtea oblitus, ignoras, quænam ſit, Sanchez *Lib. IV. cap.* XIII. *num.* 18. cuinam volueris, te rem tradere poſſe adfirmat: quia, inquit, tota voti obligatio ex voventis voluntate naſcitur. Quando ergo vovens ignorat, cuinam ex duabus Eccleſiis munus promiſſum exhibere debeat, illius erit in poteſtate dare cui maluerit. Tunc enim neutra Eccleſia determinate ius habet ad rem illam; ſed totum ius eſt penes Deum, in cuius honorem fuit votum emiſſum.

XXXII. Altera opinio docet debere voventem in hoc caſu dividere munus promiſſum, & pro rata dubii offerre utrique Eccleſiæ ſuam partem. Quoniam certum

tum eſt te uni Eccleſiæ determinate rem promiſiſſe. Quod autem nunc ignores cuinam promiſeris, non tollit quominus uni ex his Eccleſiis debita ſit res promiſſa. Ergo, ſi pro tui libito uni dones, periculo te exponis privandi iure ſuo illam Eccleſiam cui determinate promiſiſti. Tutius igitur erit, rem pro rata dubii dividere; & meliori quo fieri poteſt modo votum implere. Quænam ex his duabus opinionibus ſit præferenda, profecto ignoro. Ex circumſtantiarum diverſitate colligendum erit quid magis cedat in Dei cultum.

CAPUT VII.

De votis errore, aut metu extortis.

I. PLura dicturi ſumus de iuramentis doloſis, & metu extortis, quæ conſuli poſſunt, ne actum agamus. Pauca ergo hic ſolummodo prælibabimus, eo vel magis quod de contractibus, & matrimonio agentes ſimiles controverſias in examen reducemus.

II. Quæſt. I. *An error circa ſubſtantiam voti reddat votum invalidum?* Reſp. Adfirmant communiter Auctores: quia error tollit voluntarium: nihil enim volitum quin præcognitum. Igitur, ſi naturam, ſeu ſubſtantiam voti ignoras, iam res promiſſa per votum tibi voluntaria non eſt. Nullum ergo eſt votum, quia involuntarium. Hinc, ſi profitereris Religionem, ignorans profeſſionem eſſe perpetuam; profeſſio nulla foret: quia perpetuitas ad ſubſtantiam pertinet profeſſionis. Idem dic de ignoratione eorum quæ ad ſubſtantiam promiſſæ rei reducuntur: puta, voviſti pergere Hieroſolymam, putans pedeſtri itinere votum tuum impleri poſſe, navigatione ignorata; voviſti ingredi Religionem Carthuſianorum, aut Prædicatorum, exiſtimans ibi cibum carnium licitum eſſe: hæc vota nulla ſunt, ut docent Suarez *Lib. II. cap.* XI. *num.* 12. Sanchez *Lib. IV. cap.* III. *num.* 11. Leſſius *Lib. II. cap.* XL. *dub.* 2. *num.* 11. Prado *cap.* XXXI. *quæſt.* IV. *§.* 3. *num.* 12. Palaus *tract.* XV. *diſp.* 1. *punct.* 6. *num.* 2. Salmanticenſes *tract.* XVII. *punct.* 6. *§.* 4. *num.* 155. qui addunt, voventem non teneri ad alias Religiones, quia determinate has duas vovit. Duo mihi difficultatem ingerunt. Primum eſt quod abſtinentia a carnibus ingrediatur ſubſtantiam profeſſionis, ſive ad eam pertineat: nam videtur quod hæc abſtinentia circumſtantia quædam ſit utique gravis; ſed ea non eſt quæ ſola unam ab altera diſtinguat Religionem: omnes etenim ordines monachales legem habent abſtinendi a carnibus. Ex quatuor mendicantium ordinibus duo ſunt qui eamdem abſtinentiam profitentur. Deinde hæc abſtinentia comparata cum tribus ſolemnibus votis perpetuis non videtur circumſtantia adeo gravis, ut ipſam ſubſtantiam profeſſionis ingredi debeat, eamque irritare poſſit. Alterum quoque difficul-

Digitized by Google

cultatem ingerit, nempe quod eiuſmodi vovens nullam aliam ingredi debeat Religionem. Quandoquidem qui Religionis ingreſſum vovet, prius ſtatum religioſum, deinde hanc Religionem videtur vovere; quando de expreſſa determinata contraria intentione non conſtat. Hæc omnia ſimul valde dubiam mihi conſtituunt laudatam reſolutionem. Quare tutius mihi videtur, & probabilius, quod vovens aut teneatur Religionem promiſſam ingredi; aut alteram, in qua carnes comedantur, eligere: quoniam, ut dixi, circumſtantia abſtinendi a carnibus non videtur ſubſtantiam profeſſionis perpetuæ ingredi.

III. Porro omnes Theologi ſatentur, ignorantiam circumſtantiarum quæ ad ſubſtantiam rei non pertinent, non irritare vota, vel iuramenta; ſed illorum obligationem quantum ad ſubſtantiam relinquere: etiamſi perſona, quando vovit, ſi has circumſtantias prævidiſſet, non voviſſet: quia talis ignorantia concomitanter, ut aiunt, ſe habet ad votum, non principaliter, ſive ut dans cauſſam voto. Abſolute enim amplecteris obiectum principale voti tui; licet, ſi tali circumſtantia indutum prævidiſſes obiectum illud, ab eodem abſtinuiſſes. Plurima namque vota, promiſſa, contractus non fierent, ſi prævidérentur omnes circumſtantiæ, quæ temporis decurſu ſuperveniunt; & tamen, dum reapſe occurrunt, nec vota, nec contractus irritant. In hoc conveniunt omnes. Caietanus 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 3. in fine, Sotus *Lib. VII. quæſt.* II. *art.* 1. *ad* 3. Molina *Tom. II. diſp.* cclxxii. Leſſius *Lib. II. cap.* xl. *dub.* 2. *num.* 10. Suarez *Lib. I. cap.* 11. Sanchez *Lib. IV. cap.* 11. *num.* 6. Caſtropalaus *tract.* xv. *diſp.* 1. *punct.* 6. *num.* 4. Salmanticenſes *tract.* xvii. *cap.* 1. *punct.* 6. *§.* 1. *num.* 156. Difficultas eſt, quænam ex circumſtantiis redundet in ſubſtantiam promiſſionis, ſeu voti. Citati Auctores ſuſtinent, quod in præfato voto Religionis abſtinentia a carnibus ſit circumſtantia irritans profeſſionem, quia pertinet ad profeſſionis ſubſtantiam. Mihi vero videtur talis circumſtantia ad profeſſionis monaſticæ naturam ſive ſubſtantiam non pertinere ob rationes aſſignatas: atque hæc ſententia mihi probabilior eſt.

IV. Pariter, ſi error ſit circa finem voti, valorem voti impedit: quia finis voti obiectum eius eſt. Quare, ſi ignorantia obiecti eſſentialis voti illius valorem impedit, eumdem effectum producet etiam finis ignoratio. Plures fines in voto diſtinguuntur. Primus eſt cultus divinus, qui omnibus votis communis eſt, dicique poteſt univerſalis, & extrinſecus, quo deficiente, deficit materia apta pro voto. Secundus eſt finis ſpecialis, & quodammodo intrinſecus, quo etiam ceſſante, ceſſat votum: puta, finis eleemoſynæ proximus eſt alienæ indigentiæ ſublevatio. V. g. voviſti dare Petro eleemoſynam, exiſtimans illum eſſe pauperem ſublevatione indigentem: deprehendis poſtea eum eſſe divitem, & nullo modo eleemoſynis indigere: ceſſat votum, & eiuſdem obligatio. Tertius finis eſt omnino extrinſecus, & peculiaris, quem ſponte vovens ſibi præſtituit; recidit tamen in naturam obie-

cti

cti : atque adeo illo ceſſante ceſſat votum . Ut, ſi votum edas ad impetrandam ſanitatem filio, quem credis infirmum ; ſano exiſtente filio, aut mortuo, votum nullum eſt. Si autem error ſit circa occaſionem, ſeu cauſſam occaſionalem voti, tunc votum non impedit; quamvis, ſi antequam votum emitteretur, cognita fuiſſet talis cauſſa, impediviſſet voti emiſſionem.

V. Obiicies ex S. Thoma *in IV. Sent. diſt.* XXXVIII. *quæſt.* I. *art.* 3. *quæſt.* I. *ad* I. ubi ait, quod *illud quod votum fiendum impediret, ſi præſens eſſet, etiam voto facto obligationem aufert*. Sed circumſtantiæ, difficultateſque quæ ſuperveniunt, impedirent voti emiſſionem, ſi a vovente cognoſcerentur. Ergo voto facto obligationem auferunt. Reſp. S. Thomas loco laudato conceptis verbis loquitur de difficultate, ſeu circumſtantia quæ reddit impoſſibilem executionem voti. Porro id quod reddit impoſſibilem executionem voti, ſive ſubſequatur, ſive antecedat voti emiſſionem, votum efficit nullum. En verba Angelici, quæ immediate ſequuntur ad textum relatum. *Unde, cum de impoſſibili non poſſit eſſe votum, ut dictum eſt; ſi aliquid fiat impoſſibile poſt voti emiſſionem, quod prius erat poſſibile, obligatio voti quantum ad illud tollitur*. Et difficultas propoſita in argumento primo, cui reſpondet Angelicus, eſt, quod nullus obligatur ad votum cuius executio eſt impoſſibilis.

VI. Quæſt. II. *Unde colligendum ſit, circumſtantias eſſe cauſſam tantum impellentem, non principalem voti; ſeu redundare, aut non redundare in ſubſtantiam obiecti voto promiſſi?* Reſp. Ex dictis patet, Auctores omnes convenire in hoc quod error circa ſubſtantiam irritet votum; ſecus error circa adventitia, ſeu circa cauſſas impellentes. Tota difficultas in hoc vertitur, unde colligendum ſit, utrum circumſtantiæ redundent in ſubſtantiam obiecti, nec ne. Communiter Auctores reſpondent, ea omnia eſſe finem voti quæ vovens per votum aſſequi intendit; illa vero eſſe tantum occaſionem vovendi quæ voventem ſolummodo excitant ad vovendum; ut ſi voveas eleemoſynam conferendam pauperi probo; ſublevatio paupertatis, ſeu indigentiæ finis eſt voti; probitas autem pauperis occaſio eſt quæ te excitat, impellitque ad voti emiſſionem. Probitas namque non obtinetur per votum, ſicut reapſe obtinetur ſublevatio indigentiæ: idcirco hæc, non illa, finis voti eſt. Hæc omnia clara ſunt, & captu facillima. Sed quandoque occurrunt circumſtantiæ adeo graves, quæ aliquibus videntur redundare in ſubſtantiam voti; & de quibus plures alii ſecus iudicant: atque de his nulla certa regula ſtatui poteſt; ſed prudentum arbitrio negotium hoc relinquendum eſt.

VII. In dubio autem, num aliquæ circumſtantiæ habeant rationem finalis, aut occaſionalis cauſſæ; inſpiciendum eſt, an illis deficientibus, finis voti conſiſtat. Nam ſi conſiſtit, cetera omnia habent rationem tantum occaſionis. Si vero illis deficientibus finis voti corrueret, tunc haberent rationem finis, ut docent Sylveſter

ver

Digitized by Google

ver. Votum 2. *quæſt.* VIII. Azorius *Lib. XI. cap.* XV. *quæſt.* XIII. Sanchez *Lib. IV. cap.* 11. *num.* 52. Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* 11. *punct.* 3. *in fine*, Caſtropalaus *tract.* XV. *diſp.* 1. *punct.* 6. *num.* 7. Quod ſi rebus omnibus inſpectis, utrimque urgeant probabiles, graveſque rationes, Sanchez docet *Lib. IV. cap.* 11. *num.* 5. licitum eſſe parti alterutri adhærere, etiam minus probabili, ut expreſſius ait Bonacina *loc. cit.* Si vero, omnibus inſpectis, res dubia maneat & anceps; tunc pro voto iudicandum eſſe decernunt ambo: quia præſumptio ſtat pro valore actus: tum quia, quando conſtat de voti verbis, ſive ore, ſive mente prolatis; poſſeſſio ſtat pro voto, non pro libertate; tum etiam quia præſumptio ſori externi voto favet. Hinc vides, Auctores iſtos notionem peculiarem dubii efformare. Nam ſi rationes, inquiunt, probabiles opinionem inducant, licitum eſt parti alterutri adhærere; ſi vero rationes eiuſmodi ſint, ut intellectum ancipitem relinquant, tunc in voti favorem iudicandum eſt. Pro voto iudicandum eſſe in dubio, & nos decernimus; ſed eo ducti principio, quod in dubiis tutior pars ſit eligenda: & inſuper, quando utrimque urgent æquales rationes, intellectum manere dubium dicimus, quantumvis abſolute probabiles ſint. Quando vero rationes ſunt probabiliores pro voto, & minus probabiles pro libertate, potiori iure pro voto iudicandum eſſe ſtatuimus, ut ſuo loco fuſe probabimus.

VIII. Quæſt. III. *An votum metu extortum ſit validum?* Reſp. Iam ſæpe explicata eſt metus diſtinctio. Nam alius eſt metus gravis cadens in virum conſtantem, alius levis. Gravis poteſt oriri ab intrinſeco, puta ab infirmitate, tempeſtate, morte, quæ timetur a fera, a naufragio imminente. Metus iſte intrinſecus dicitur: quia, licet periculum metum excitans ſit externum, nullo tamen modo cogit ad votum edendum; ſed vovens a ſeipſo movetur ad voti emiſſionem. Alius metus dicitur extrinſecus, qui a cauſa extrinſeca cogente oritur: qui iterum duplex eſt, alter iuſte, alter iniuſte incuſſus ad extorquendum votum. Quare vovens tali timore perculſus votum eligit ceu medium unicum ad declinandum periculum quod ſibi imminet. Quibus poſitis, Auctores communi conſenſu afferunt, votum eſſe validum tum iure naturæ, tum iure poſitivo, quando oritur a metu gravi qui ſit intrinſecus: quia tunc vovens a nemine cogitur, niſi a ſeipſo; ſed ſponte, libereque eligit votum ceu aptum medium ad evadendum periculum. Vota igitur omnia emiſſa ad evitandum naufragium, infirmitatem, mortem vel a fera, vel ab inimico imminentem, valida ſunt. Immo etiam vota elicita ob metum ab extrinſeco incuſſum, ſed non ad extorquendum votum, valida ſunt. V. g. Tu offendiſti proximum tuum: ille tibi in vindictam mortem minatur: tu votum edis ad evadendam mortem. Votum validum eſt: quia, nemine te ad votum cogente, votum edidiſti. Pariter validum eſt votum quod tu elicis, ut declines mortem, aut periculum damni quod tibi minatur frater puellæ quam defloraſti. Quoniam, li-

cet eiuſmodi metus ſit iniuſte ab extrinſeco incuſſus ; non tamen eo tendit, ut votum extorqueat , ſed ut viudictam ſumat . Tu vero, ut periculo te ſubducas, ſponte & libere votum edis . Idem dicendum , quando metus eſt ab extrinſeco, ſed iuſte illatus ad votum extorquendum. Quia, quando metus iuſtus eſt, vovens irrationabiliter eſt invitus ; & conſequenter conſenſus iuſte extorquetur, & iuſte cogitur vovens ad votum : tota autem coactio, & neceſſitas provenit ab ipſo vovente, qui iniuſte renuit votum edere. Denique nec metus levis irritat votum, ut communiter fatentur omnes : quia parum , & leviter conſenſum liberum lædit. Et hoc certum eſt penes omnes Auctores.

IX. Difficultas ergo tota in eo vertitur , ſitne validum votum ex gravi metu extrinſecus illato ad extorquendum votum ipſum proveniens. Convenit fere inter omnes, quod iure naturæ validum ſit etiam eiuſmodi votum, poſito quod homo, licet iniuſte coactus , vere & ſincere votum velit, & reapſe edat : etenim ſine voluntate, & deliberatione voventis votum nullum eſt , ut ſuo loco diximus. Si autem vere, & deliberate velit, quamquam coactus iniuſto metu, votum iure naturæ validum eſt : quia eiuſmodi coactio externa , licet diminuat voluntarium, nihilominus illud non tollit ; ſed abſolute illud relinquit, prout ſufficiens eſt ad meritum, & demeritum; ut patet in Martyre , qui ſi in quæſtione poſitus fidem negaret ob timorem iniuſte incuſſum a tyranno, peccaret mortaliter. Coactio ergo externa non aufert, licet diminuat, libertatem. Multo minus iniuria irrogata ab iniuſto aggreſſore eamdem lædit libertatem . Hæc namque iniuria ſolum relinquit ius promiſſori , ne teneatur reddere id quod invaſori ſpopondit; non autem, ne fidem Deo datam ſervare aſtringatur , & exequi . Hæc omnia dilucide explicat Angelicus 2. 2. *quæſt.*lxxxix. *art.*7. *ad* 3. ſic loquens : *In iuramento quod quis coactus facit, duplex eſt obligatio. Una quidem qua obligatur homini , cui aliquid promittit ; & talis obligatio tollitur per coactionem.... Alia autem eſt obligatio qua quis Deo obligatur , ut impleat quod per nomen eius promiſit ; & talis obligatio non tollitur in foro conſcientiæ : quia magis debet damnum temporale ſuſtinere quam iuramentum violare*. Doctrinæ D. Thomæ communiter adſtipulantur Theologi, tum domeſtici , tum extranei, Sanchez, Leſſius , Azorius, Palaus, Trullenchus, & alii.

X. Diſſidium Theologorum ad ius eccleſiaſticum reducitur . Quamvis , & hoc etiam ſpectato, ſi ſermo ſit de voto ſolemni in profeſſione Religionis emiſſo, omnes adfirment votum eiuſmodi nullum eſſe : quia de hoc voto iura aperte loquuntur, & eiuſdem irritationem declarant. *Cap.* Perlatum *Lib.I. tit.*IV. *de his quæ vi, metuſve cauſa fiunt, & cap.* Sicut qui monaſterium xx. *quæſt.* I. *& cap.* Præſens xx. *quæſt.* III. & expreſſe Synodus Tridentina ſeſſ. xxv. cap. xvII. de refor. *Puella quæ habitum regularem ſuſcipere voluerit.... non ante ſuſcipiat, nec poſtea... profeſſionem*

ſionem emittat quam exploraverit Epiſcopus... virginis voluntatem diligenter, an coacta, an ſeducta ſit, an ſciat quid agat.

XI. De aliis votis duplex ſententia eſt. Prima ſuſtinet, alia vota eſſe valida: quia iura de ceteris votis non loquuntur; & ex alia parte irritatio voti odioſa eſt; cum deroget iuri naturali, reſpectu cuius votum eſt validum. Quando ergo apertus textus in iure non occurrit, qui declaret præſata vota nulla eſſe, ut valida ea defendere debemus. Porro eiuſmodi textus revera non reperitur. Ergo hæc vota valida ſunt, etiam iure eccleſiaſtico inſpecto. Et hanc ſententiam defendunt Sylveſter *verb.* Metus 8. *fin.* & *verb.* Votum 2. *quæſt.* XII. Pontius *de Matr. Lib.III. cap.* XIX. *num.* 9. Suarez *Lib.II. cap.* VIII. *num.* 5. Contrariam opinionem, nempe nulla eſſe, & irrita eiuſmodi vota, defendunt plures Auctores, contendentes id declaratum fuiſſe in *cap.* Cum locum *de ſponſal.* ubi dicitur: *Cum locum non habeat conſenſus ubi metus, vel coactio intercedit*: & cap. *Ad audientiam*, & cap. *Perlatum*. Qui textus, inquiunt, licet expreſſe non loquantur de his votis, communi tamen interpretatione Iuriſtarum, & Eccleſiæ conſuetudine extenduntur etiam ad recenſita vota. Sotus *Lib.VII. quæſt.* II. *art.* 1. *in ſolut. ad* 1. *&* 2. Trullenchus *Lib.II. cap.* II. Bartholomæus a S. Fauſto *Lib.I. Theſaur. quæſt.* CXI. Prado *cap.* XXXI. *quæſt.* V. *num.* 4. Sanchez *Lib.IV. cap.* III. *num.* II. Leſſius *Lib.II. cap.* XL. *dub.* 3. *numer.* 18.

XII. Difficile eſt ferre iudicium in alterutram ex his opinionibus. Auctores ipſi qui diſſident, utramque probabilem cenſent. Prior, ſi ſola ratio ſpectetur, videtur niti validiori fundamento. Nam omnia iura quæ allegantur, expreſſe loquuntur aut de votis ſolemnibus profeſſionis monaſticæ, aut de ſponſalibus, & matrimonio. Quid eſt quod univerſim non loquuntur? Quid eſt quod ad duo præſata genera promiſſionum declarationes ſuas reſtringunt? Certe ex iure ſcripto valde clare cuivis videtur, ſola vota ſolemnia, & matrimonium excipi; cetera vero relinqui ſub lege communi. Cum itaque univerſale naturæ ius vota iſta valida eſſe declaret, ex hac parte probabilior hæc ſententia apparet. Præterea vel ipſa ratio quam contrariæ ſententiæ Auctores produnt, contra eoſdem facit. Innituntur ipſi exemplis matrimonii, & profeſſionis monaſticæ: quia, inquiunt, eadem ratio omnium votorum eſt. Eſto: & reipſa iure naturæ omnia valida ſunt. At ſi Eccleſia duo tantum expreſſe ab onere obligationis excipit, legitime infertur, cetera excepta non eſſe a naturæ lege. Hæc ratio quæ eamdem aſſerit eſſe conditionem omnium votorum, iuris eccleſiaſtici conditoribus nota erat; & nihiloſecius ſola vota monaſtica, & matrimonium exceperunt. Cur ergo aliorum etiam votorum non meminerunt? Quod poſtea ſubdunt, conſuetudine Eccleſiæ vota iſta nulla declarata eſſe: nos reſpondemus, quod, ſi eiuſmodi conſuetudo adſit, libenter admittimus, nulla eſſe præſata vota. Sed iſtius conſuetudinis nullum documentum affertur. Igitur in

eiuſmodi caſibus, dum occurrunt, tutius, & nobis probabilius eſt, diſpenſationem eſſe impetrandam.

CAPUT VIII.

De voto conditionali, & pœnali.

I. IN quocumque iuramento promiſſorio, & voto; quantumlibet abſoluto, clauduntur aliquæ conditiones generales, ſuntque intrinſecæ cuique voto. Ob has autem generales, intimaſque conditiones votum non appellatur conditionatum, ſed abſolutum.

II. Quæſt. I. *Quænam ſint conditiones generales quæ in quocumque voto abſoluto reperiuntur, quæve particulares quæ votum efficiunt conditionatum?* Reſp. Conditiones generales ad tres reduci ſolent. *Prima* eſt, ſi potuero, & res non valde mutentur. *Secunda*, ſi Deo placuerit, aut ſi mihi licuerit. *Tertia*, ſi Prælatus, ſi ſuperior aliud non decreverit, neque obligationem abſtulerit. De his dictum eſt alibi. Conditio particularis quæ votum conditionatum conſtituit, multiplex eſt. Primo alia eſt adfirmans; ut ſi dicas, Si Deus mihi infirmo ſanitatem conceſſerit, voveo ingredi Religionem: alia negans; ut ſi dicas, Si caſtitatem non ſervavero, voveo ieiunare per menſem. Secundo alia conditio eſt de præſenti, alia de præterito, alia de futuro. De præſenti eſt: Si pater meus vivit, voveo eleemoſynam trium aureorum. De præterito: Si Pater heri vixit, voveo ædificare Monaſterium. Hæ duæ conditiones non efficiunt votum conditionatum; quia illius obligationem non ſuſpendunt. Tertia conditio de futuro eſt, quæ proprie efficit votum conditionatum: quia illius effectum, ſeu obligationem ſuſpendit; ut ſi dicas: Si aſſecutus fuero illam dignitatem, voveo me erecturum altare in honorem B. Virginis. Conditio hæc de futuro alia eſt neceſſaria, ut ſi cras ſol orietur; alia impoſſibilis, ut ſi volavero uſque ad cælum; alia contingens, ut ſi pervenero ad triginta annos. Denique hæ conditiones de futuro contingenti aliæ ſunt turpes, aliæ honeſtæ. Turpes quædam ſunt contra ſubſtantiam voti; quædam contra adventitia, ſeu accidentia. Hæc omnia communia ſunt apud Auctores.

III. Quæſt. II. *Quid ſit votum conditionatum, & an particula ſi efficiat ſemper votum conditionatum?* Reſp. Votum conditionatum illud eſt quod obligationem ſuſpendit quantum ad actualem executionem, quouſque eveniat conditio appoſita. Particula *ſi* non ſemper efficit votum conditionatum: quia non raro hæc particula *ſi* idem ſignificat ac *quando*. Porro, cum quis edit votum per particulam *quando*, non conditionatum, ſed abſolutum votum emittit: ut ſi dixerit: *Quando pater meus obierit, voveo me ingreſſurum Religionem;* votum iſtud eſt abſo-

abſolutum: quia abſolute vovet Religionem, licet differat executionem voti uſque ad obitum patris. Idem eſt, ſi fiat votum per particulam *ſi*. Ita paſſim Auctores. Nota tamen, quod licet hoc votum communiter dicatur abſolutum, quia conditio appoſita, nempe obitus patris, neceſſaria eſt; attamen non video cur etiam conditionatum appellari nequeat: quandoquidem, quod longius aut brevius temporis ſpatium futurum ſit ante obitum patris, eſt quid contingens; & ſecundum hanc rationem conditionatum votum illud appellari poteſt.

IV. Quæſt. III. *An votum ſub conditione de præſenti, præterito, aut futuro neceſſario, vel impoſſibili ſit validum?* Iam dictum eſt, conditionem de præſenti, aut de præterito votum conditionatum non efficere, eo quod conſenſum non ſuſpendat. Pariter conditio de futuro neceſſario, ut *ſi cras ſol orietur, te ducam in ſponſam*, votum efficit abſolutum, non conditionatum: quia, cum talis conditio neceſſario futura ſit, pro impleta habetur, ut communiter Doctores ſentiunt. Sanchez tamen *Lib. IV. cap.* XXIII. *num.* 5. docet cum aliis, quod, ſi vovens præfiniat tempus executioni voti, licet conditio ſit neceſſaria, votum fiet conditionatum: ut ſi dicas: *Voveo me abhinc uno anno caſtitatem ſervaturum, ſi ſol cras oriatur:* quia, inquit, licet conditio appoſitum conſenſum non ſuſpendat, & ex hac parte votum ſit abſolutum; attamen, quia dies executioni præfinita eſt uſque ad talem diem, non obligatur vovens. Secus autem, ſi hoc modo tuum conciperes votum: *Voveo caſtitatem, ſi ſol abhinc uno anno orietur.* Non eſt cur diutius in his enucleandis immoremur. Quidam contendunt votum factum ſub conditione futura impoſſibili eſſe validum; ut ſi dicas: *Si cælum digito tetigero, voveo caſtitatem.* Sed communiſſima ſententia docet, tale votum eſſe nullum. Et ratio manifeſta eſt: quoniam promittens aliquid ſub conditione, non vult ſubire obligationem, niſi poſt conditionis eventum. Ergo, dum conditionem impoſſibilem ſuo voto adiicit, eo ipſo non vult votum illud, neque illius obligationem. Quod vero eiuſmodi conditiones appoſitæ ultimis voluntatibus, & matrimoniis, habeantur pro non adiectis, atque adeo valida ſint teſtamenta, & matrimonia, ideo eſt, quia leges poſitivæ ſic decernunt.

V. Quæſt. IV. *An conditio turpis contra ſubſtantiam voti illud irritet?* Reſp. Affirmant communiter Auctores, aſſerentes quamlibet conditionem turpem contra ſubſtantiam contractus illum vitiare. De profeſſione tamen religioſa, affecta conditione turpi contra eiuſdem ſubſtantiam, diſſident. Aliqui contendunt eſſe validam ob auctoritatem cap. *Inſinuante:* quia in laudato textu concedebatur mulieri facultas retinendi uſum, non dominium rerum ſuarum. Alii ſuſtinent eſſe nullam: quia conditio turpis contra ſubſtantiam vitiat quemcumque contractum, quidni & profeſſionem religioſam? Hanc defendunt D. Antoninus *III. Par. titul.* XVI. *cap.* III. Roſella *verb.* Religio 2. *num.* 21. Sylveſter *verb.* Religio 3.

quæſt. VI. *&* VII. Navarrus *Lib. III. Conſil. titul. de ſtat. monach. conſil.* XIV. *num.* 15. Azorius *Lib. XI. cap.* XV. *quæſt.* IX. Sanchez *Lib. IV. cap.* IV. *num.* 94. Armilla *verb.* Religio *num.* 8. Leander *tract.* 1. *diſp.* XLI. *quæſt.* XI. ac plures alii: & eſt opinio valde probabilis. De conditionibus autem quæ non ſunt contra ſubſtantiam, ſed contra accidentia contractus, nulla diſſenſio eſt. Omnes fatentur illas non vitiare contractum.

VI. Quæſt. V. *Quando votum ſub conditione futura contingenti honeſta, & poſſibili obliget: & an ſufficiat partem conditionis impleri: & num aliqua conditio adiici poſſit poſt votum emiſſum?* Reſp. Votum conditionatum proprie tale eſt illud quod editur ſub conditione futura, contingenti, & honeſta. Porro hoc votum non obligat ante conditionem impletam: quia natura iſtius conditionis eſt ut ſuſpendat effectum, uſque dum ipſa impleatur. Nec ſatis eſt partem iſtius conditionis impleri, ſed neceſſe eſt impleri totam, ut votum obliget. Hæc conditio apponi debet voto, dum editur. Nam, edito voto, apponi amplius non poteſt: quia, cum emiſſum votum fuerit abſolutum, non poteſt amplius fieri conditionatum; ſicut nec eidem voto plane edito, ſive abſoluto, ſive conditionato, gravamen aliquod addi poteſt. Si plures conditiones additæ fuerint, omnes impleri debent, ut votum obliget; dummodo conditiones *copulative* fuerint adiectæ; ſecus, ſi *diviſive*. Si autem dubitas, an copulative, vel diviſive illas poſueris; tutiorem partem eligere debes, inquit S. Antoninus Part. II. titul. XI. cap. II. §. 4. in fine. *Si ſuper hoc non cogitavit, & neſcit diſcernere, tutius eſt implere.* Probabiliſtæ oppoſitum docent.

VII. Quæſt. VI. *An ſatis ſit conditiones impleri æquivalenter, ut votum obliget; vel neceſſe ſit ut impleantur in ſpecifica forma?* Reſp. Satis eſſe conditionem æquivalenter impleri, docet Sanchez *Lib. IV. cap.* XXIII. *num.* 26. alios pro eadem ſententia laudans: quia conditio intenditur non propter ſe, ſed quatenus medium eſt ad obtinendum finem voventis. Ergo, ſi effectus reipſa obtinetur, iam voventis intentio videtur impleta. V. g. voviſti Religionem, ſi ſoror nupſerit, ſi pater conſenſerit: ſorore mortua, vel Religionem profeſſa, aut mortuo patre, teneris ingredi Religionem ob conditionem æquivalenter impletam. Item voviſti Religionem, ſi pater moriatur, quia tuo ſubſidio indiget: teneris ingredi, ſi divitias aſſecutus fuerit: quia æquivalenter impleta conditio eſt, nempe patris paupertas amplius impedimento non eſt tuo in Religionem ingreſſui. Promiſiſti eleemoſynam, ſi ex tali negotio lucrum reportaveris: non ex illo, ſed ex alio negotio lucrum feciſti; teneris ad votum, quia æquivalenter conditio impleta eſt.

VIII. Contrariam ſententiam defendunt Caſtropalaus *diſp.* 1. *punct.* 17. *num.* 5. Tamburinus *Lib. III. cap.* XII. *§.* 6. *num.* 4. Leander *tract.* 1. *diſp.* XLI. *quæſt.* XXI. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* 1. *§.* 6. *punct.* 6. *num.* 169. Quoniam votorum obligatio

ex

Digitized by Google

ex intentione voventis pendet : voventis autem intentio alligata fuit illi conditioni, non alteri loco illius appoſitæ : non enim vovit abſolute utcumqne, ſed talibus poſitis conditionibus. Hæc ſententia plus iuſto litteræ adhæret. Quando conſtat voventem ideo appoſuiſſe illam conditionem, nempe paupertatem patris, filii ſubſidio indigentis; & ſororis nuptias, quia fratris cuſtodiam illa requirebat : quando, inquam, id certo ex voventis intentione conſtat; ego ſane non auderem illum ab implenda voti obligatione liberare. Siquidem talibus appoſitis conditionibus non aliud intendit vovens quam auferre impedimentum. Quod autem hac, vel illa via impedimentum auferatur, perinde eſt. Et profecto nimia videretur ingratitudo, ne quid peius dicam, ſi aſſecutus quod abſolute intendebat a divina providentia, nollet promiſſa præſtare : quia per illam ſpecificam, & materialem, ut ſic loquar, viam, de qua ipſe cogitaverat, illud non obtinuit. Quare prima ſententia mihi eſt probabilior; quando tamen vovens expreſſe non intenderit conditionem impleri ſub ſpecifica forma : tunc enim nulla foret difficultas.

IX. Quæſt. VII. *An peccet contra votum qui conditionem ſub qua votum emiſit, impedit ne eveniat : & an debeat eventum illius expectare?* Reſp. Si conditio appoſita pendeat ex ſola voventis voluntate, non tenetur expectare eventum illius; ſed poteſt, antequam eveniat, quod ſibi placuerit eligere; ut ſi dicas : Promitto ingredi Religionem, ſi Romam petiero hoc anno : non teneris elapſum anni expectare; ſed potes, quando tibi placuerit, nuptias contrahere, & abſtinere a Romano itinere. Si vero conditio ab aliena voluntate pendeat, tunc illius eventum expectare teneris; ut ſi dixeris : Voveo Religionem, ſi pater conſenſerit, ſi ſoror nupſerit &c. Tenetur etiam vovens non ſe reddere ineptum ad votum implendum. Quæ omnia communia ſunt. Hinc conſtat prima quæſiti pars. Nam, ſi conditio adiecta tota pendeat a voluntate voventis, dubio procul illam evitare licite poteſt; ut, ſi quis voverit ſe ingreſſurum Religionem, ſi Romam perrexerit, poteſt non proficiſci Romam, & Religionem non ingredi : quia non vovit conditionis executionem, ſed id ſibi reſervare voluit, ut ſcilicet libere poſſet conditionem exequi, vel non exequi. Si contra ab aliena voluntate conditio pendeat, ſicut conditionis illius eventum expectare tenetur, ſic tenetur etiam non impedire vi, fraude, aut dolo eiuſdem conditionis eventum. V. g. voviſti Religionem, ſi pater conſenſerit; contra votum agis, ſi a conſenſu præſtando patrem diſtrahas. Voviſti Religionem, ſi ſanitatem aſſequaris : contra votum agis, ſi noxiis cibis utaris, ne ſanus fias eo fine ut a voto te eximas. Salmanticenſes cum Leandro docent, poſſe voventem patri precibus, & rationibus diſſenſum ſuadere; ſecus vi, & fraude, & dolo : quia precationes, rationes, & conſilia non cogunt patrem ad diſſentiendum. Id etiam docet Tamburinus cum aliis. Hæc opinio mihi probabilis

 non

non eſt. Licet enim rationes, conſilia, precationes non cogant patrem ad diſſentiendum; nihilominus non impediunt quominus vovens contra ſuum votum agat. Neque fraudes, vel doli ſemper extorquent patris conſenſum; & tamen vovens his utens peccaret. Hæc ratio evincit ſolum quod vovens certo non aſſequeretur finem ſuum mediis precibus; ſed non probat ipſum animum non habere votum eludendi. Ubi, quæſo, iſthic ſinceritatis & bonæ fidei veſtigium? Si tu Paulo promiſiſſes mutuum ſub hac conditione, quod frater tuus conſentiret; nonne ut vaſer, & verſipellis indignus habereris apud prudentes, ſi fratri diſſenſum precibus, conſiliis, & rationibus perſuaderes? Quidni idem dicendum, immo potiori iure in caſu noſtro, in quo Deo fidelitas ſervanda, non hominibus tantum eſt?

X. Quæſt. VIII. *An, ſi vovens ſua malitia impediat recenſitas conditiones ab aliena voluntate pendentes, teneatur voto; vel liber ab eodem remaneat?* Reſp. Negant teneri voto Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* 1. *punct.* 6. *§.* 6. *num.* 173. citantes pro eadem ſententia Suarez, Palaum, Dianam, Tamburinum, Leandrum, Filliucium, & alios: tum quia nec tenetur voto ob impletam conditionem, quæ revera impleta non eſt; nec ob peccatum commiſſum in impedienda conditione, cum tale peccatum ſolum obligationem imponat pœnitentiæ, non reſtitutionis: tum etiam quia votum ex voventis intentione pendet: ergo, quacumque cauſſa conditio non impleatur, ceſſat omnis obligatio voventis.

XI. Contraria ſententia probabilior eſt, & colligitur ex D. Thoma, qui in *IV. diſt.* XXXVIII. *quæſt.* 1. *art.* 3. *quæſtiunc.* 1. *ad* 1. aſſerit, eum qui ex ſua culpa factus eſt impotens ad votum, teneri ad recompenſationem voti per pœnitentiam. *Alio modo*, inquit, *diſtinguendum eſt, utrum ex ſua culpa impotentiam incurrerit: quia tunc oportet recompenſare per pœnitentiam.* Non ſolum ergo iuxta S. Thomam agere pœnitentiam de peccato debet, ſed etiam compenſare voti obſervantiam per pœnitentiam aſtringitur. Ergo qui ex propria culpa impedit eventum conditionis, cum ſit ad votum implendum aptus, illud debet implere. Et hoc verum habet in omnibus humanis contractibus, & promiſſionibus, adverſariis etiam fatentibus: quidni ergo & in promiſſionibus divinis? Nec verum, immo falſum eſt quod perdocti Salmanticenſes reponunt, ideo promiſſa humana ſervanda, quando ex malitia impedita conditio fuit, quia præfata promiſſa multum dependent a iure. Etenim, quando iura abſolute declarant, contractus omnes in data hypotheſi valere, non ex arbitrio id decernunt, ſed quia ratio ſic poſtulat: & poſitiva iura in ſimilibus caſibus ius naturale interpretantur, & declarant: ſolum quando aliquem peculiarem contractum in tali genere excipiunt, iuri naturali aliquid addunt ob peculiares fines. Quod vero promiſſarius humanus lædatur in rebus utilibus, ſecus Deus per tranſgreſſionem voti, nullius quoque momenti eſt. Quoniam, licet Deus detrimentum nullum percipiat; attamen vovens infringit ma-

malitia ſua promiſſionem, ſeu culpa ſua impedimentum ponit, ne promiſſio impleatur. Nemo autem ex ſua iniquitate commodum debet reportare. Hanc ſententiam defendunt antiquiores, graviorefque Theologi, qui eam colligunt ex *Regula* Cum non ſtat per eum *66. de regul. iuris in 6.* & *Regula* In iure civili 122. *ff. de regul. iuris*, & clarius *ex leg.* In executione 85. *ſ. Finali ff. de verborum ſignificationibus*, ubi hæc habentur: *Quicumque ſub conditione obligatus curaverit ne conditio exiſteret, nihilominus obligatur*. Quid apertius dici poteſt? Et ſane, dum vovens conditionem ab alterius voluntate pendentem adiicit, ſe contingenti conditionis eventui accommodare intendit; atque illius caſuali ſucceſſui ſe ſe obligare virtualiter, & reapſe decernit. Ergo, quemadmodum votum ſemel editum implere tenetur, ita & conditionem ſemel adiectam expectare debet: atque adeo, ſi ſua malitia impedierit exitum conditionis, votum nihilominus debebit implere. Quod confirmatur *ex cap.* Adverſus *de immunit. Eccleſ.* ubi ſtatuitur, quod fraus, & dolus nemini patrocinari debeant. Quod vero inquiunt adverſarii, votum pendere ex intentione voventis, veriſſimum eſt. Sed diſtinguendum eſt: pendet in ſui emiſſione, ſecus in executione. Poteſt vovens edere, vel non edere votum. Sed poſito quod ſemel deliberate votum ediderit, votum amplius non pendet ab intentione voventis. Ita in præſenti: poteſt vovens adiicere, aut non adiicere conditionem fortuitam ab alterius voluntate pendentem. At ſemel poſito quod huic occaſionali futuro eventui ſe obligaverit, ſi ſua iniquitate illum impedierit, non inde liber ab obligatione voti implendi eſſe debet. Et cum iura in omnibus contractibus humanis id ſervandum eſſe decernant, non video quo fundamento aliter in divinis promiſſis faciendum eſſe doceant Probabiliſtæ, niſi ob nimium affectum indulgendi humanæ libertati. Noſtram ergo ſententiam docent Gloſſa *l.* Si rem tibi *19. ſ. finali*, *verbo* Victori *ff. de præſcriptis verb.* & Bartolus *ibi in fine*, Paulus *ibi. num. 2.* Imola *ibi*, Iaſon *ibi num. 3.* Alciatus *num. 3.* Decius in *Regul.* In iure civili *num. 6.* Richardus *in IV. diſt.* XXXVIII. *art.* 5. *quæſt.* 3. & Gabriel *ibi quæſt.* 1. *art.* 3. *concl.* 2. Angelus *verb.* Votum 2. *quæſt.* 11. Navarrus *cap.* XII. *num.* 42. *&* *Lib. III. Conſil. tit. de voto conſil.* 24. *num.* 2. Palacios *in IV. diſt.* XXXVIII. *diſp.* 1. *poſt concl.* 5. Angles in *floribus II. Part. quæſt. unica de voto art.* 2. *poſt* 17. *diffi. dub.* 8. Azorius *Lib.XI. cap.* XX. *quæſt. ultim.* Ludovicus Lopez *in Inſtruct. cap.* XLIV. Manuel Rodriquez *Tom. II. Sum. cap.* XCVIII. Sayrus *in clavi Reg. Lib. VI. cap.* VIII. *num.* 4. Prado *cap.* XXXI. *quæſt.* 5. *ſ.* 3. Baſſæus *Tom. II. verb.* Votum 1. *num.* 36.

XII. Quæſt. IX. *Quid ſit votum conditionatum pœnale; & an ſit validum*? Reſp. Votum conditionatum pœnale eſt quod quis edit, non ex affectu ad rem quam ſpondet, ſed ex ſtudio vitandæ actionis quam deteſtatur: ut ſi voveas hoc modo: Promitto me ædificaturum altare, ſi luſero, ſi fornicatus fuero &c. Quod vo-

vovens principaliter intendit, eſt vitare tale peccatum, ſeu actionem; &, ut vigilantior ſit ad ſibi cavendum, pœnam ſibi conſtituit, nempe eleemoſynam, altaris ædificium &c. Diſtinguitur hoc conditionatum votum pœnale a ſimplici voto conditionato: quia in primo apponitur conditio ad modum pœnæ; in ſecundo autem non adiicitur ut pœna, ſed abſolute. Validum eſſe hoc pœnale votum conditionatum adfirmant communiter Theologi contra Catharinum: quia eſt de re honeſta, nec maius impedit bonum. Quod ita rurſus dividere ſolent, ut aliud ſit pœnale ſimplex, v. g. ſi quis dicat, *Si luſero, voveo ieiunium*; aliud ſit veluti duplex, ut aiunt; v. g. *Voveo non ludere, & ſi luſero, voveo ieiunium.*

XIII. Quæſt. X. *An, quando tranſgreſſio voti pœnalis culpa vacat ex invincibili ignorantia, obligetur vovens ſubire pœnam tranſgreſſioni appoſitam?* Reſp. Communis opinio negans eſt: quia ubi nullum eſt peccatum, ibi nulla eſſe debet pœna. In data hypotheſi nulla ſupponitur eſſe culpa. Ergo nulla pœna erit ſubeunda: quod verum eſt, etiam ſi ignorantia libera non ſit ab aliqua veniali culpa.

XIV. Quæſt. XI. *An qui mortale peccatum committit contra votum, ſi immemor voti ſit, obligetur ad pœnam?* Reſp. Adfirmant aliqui, ſed plures negant. Quoniam, inquiunt iſti, qui invincibiliter voti non recordatur, vere non peccat contra votum. Ergo, ſicut non peccat tranſgrediendo votum, ita nec debet pœnam ſubire. Quid, ſi memor ſit voti, & immemor pœnæ? Reſpondet Sanchez, talem incurrere pœnam, ſi levis ſit; ſecus, ſi ſit inſignis, & graviſſima. Sed breviter dico, mihi probabilius videri, hunc neque levem, neque graviſſimam pœnam incurrere, quando invincibiliter illius non meminit; ſecus, ſi vincibiliter. Quia veroſimilius mihi videtur quod lex tunc non obliget ad pœnam, ſed a pœna potius excuſet.

XV. Quæſt. XII. *An in voto duplici pœnali, ſi quis abſolvatur a voto, abſolvatur quoque a pœna, quam nondum incurrit?* Reſp. Negant non pauci. Sed probabilior videtur opinio adfirmans: quia, dum quis abſolvitur v. g. a voto ludendi, cenſetur conſequenter abſolutus etiam a voto quo pœnam ſibi impoſuerat, ſi luſiſſet. Quamvis etenim eiuſmodi vota non ita ſint connexa, ut nequeat unum independenter ab altero emitti; attamen communiter in votis pœnalibus talis habetur connexio. Conſulenda tamen eſt voventis intentio.

XVI. Quæſt. XIII. *An abſolutus a voto, cenſeatur abſolutus etiam a pœna contracta in tranſgreſſione primi voti; & an in petitione diſpenſationis explicandum ſit utrumque votum?* Reſp. Probabilior eſt opinio quæ negat abſolutum a voto, eſſe itidem abſolutum a pœna quam iam contraxit in tranſgreſſione primi voti. Pariter probabilius iudicamus, explicandum eſſe utrumque votum in petitione diſpenſationis: quia, ut diſpenſatio legitima ſit, & tuta, tota materia exponenda eſt iudicio Superioris. Et quamvis ſecundum votum acceſſorium ſit, attamen quam maxime

by Google

xime confert ut Superior diſpenſans, prudens iudicium efformare valeat. Multo autem magis tenetur vovens explicare votum principale, dum pœnæ contractæ, vel contrahendæ diſpenſationem implorat.

XVII. Quæſt. XIV. *An qui vovit vitare aliquid, puta ludum, ſub tali pœna, toties teneatur ad pœnam, quoties luſerit?* Reſp. Omiſſis variis diſtinctionibus pœnarum levium, & gravium, quod mihi probabilius videtur, eſt, talem ſemel tantum pœnam incurrere: quia rationabiliter præſumitur id intellexiſſe in voti emiſſione. Nec enim homo prudens ad innumeras ſubeundas pœnas ſe aſtringere ſolet, maxime ſi tales ſint pœnæ, ut vix repeti poſſint. Si talia edidiſſes vota: Si luſero, voveo peregrinationem Hieroſolymitanam, aut ingreſſum in Religionem, aut caſtitatem: numquid hæ pœnæ repeti poſſunt toties, quoties commiſſa fuerit voti violatio? Ad iſtas ergo pœnas quod attinet, communiter fatentur Auctores, eas non eſſe totidem vicibus ſubeundas. De aliis pœnis aliter ſentiunt. Nec ipſe repugno. Cur? Quia frequenter voventes eiuſmodi pœnas leves ſibi imponere intendunt, toties luendas, quoties votum tranſgreſſi fuerint; ut dum vovent aut aliquas preces, aut parvas eleemoſynas, genuflexiones &c. Ex intentione ergo voventis, vel ſi non pateat voventis intentio, ex pœnarum qualitate colligendum erit, num pœnæ iterandæ ſint, nec ne.

CAPUT IX.

De voto aſſumendi ſtatum religioſum.

I. DE voto aſſumendi ſtatum religioſum agit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* clxxxix. *art.* 2. (non lxxxviii. ut ſcribit Leander, corrigens Pradum, eo quod ſcripſerat lxxxix.) ubi oſtendit laudabile opus eſſe, meritique plenum votum profitendi ſtatum religioſum: quia, cum votum quodcumque ſit de iis quæ ad Deum pertinent, profeſſio ſtatus religioſi maxime ad Deum attinet: hac ſiquidem profeſſione homo ſe ſe holocauſtum in Dei obſequium, & honorem offert.

II. Hinc ſequitur, illi qui votum emiſit ingrediendi Religionem, omnem adhibendam eſſe diligentiam ut ingreſſum exequatur, quemadmodum docet Angelicus *loc. cit. art.* 3. *ad* 1. Nec tamen ad voti obſervantiam requiritur ut vovens reipſa ingrediatur Religionem: quoniam multa obſtare poſſunt ne eiuſmodi ingreſſus executioni mandetur, eaque ut removeantur, a vovente non pendet: ſed ſolummodo neceſſe eſt ut vovens nihil omittat ex parte ſua eorum quæ ad ingrediendum Ordinem viam ſternere poſſunt. Si quæ tamen impedimenta haberet vovens, eadem manifeſtare deberet Prælatis illius Religionis, cuius vovit ingreſſum. Quoniam manifeſtatio iſthæc, etiamſi ingreſſum impediret, neceſſaria eſt ad valorem

Digitized by Google

rem contractus inter Religionem & voventem. Religio enim ius habet non recipiendi eos qui gravi impedimento obſtricti ſunt, atque pari iure potitur ut ſibi talia occulta impedimenta manifeſtentur. Ita docent communiter Auctores. Diligentia autem quam adhibendam voventi diximus, non eſt neceſſe ut ſit extraordinaria, ut ad interceſſores, & magnatum patrocinia recurſum habeat pro ingreſſus executione; ſed ſatis eſt ut iis mediis utatur quæ prudentes adhibere ſolent in gravioris momenti negotiis. Minus probabile cenſemus quod ſcribunt Salmanticenſes *tract.* xv. *cap.* 11. *punct.* 1. *num.* 2. videlicet voventem non teneri, dum habitum petit, manifeſtare ſuum votum Prælato; etiamſi ſperet eiuſmodi manifeſtatione recipiendum eſſe in Religionem: quia, inquiunt, manifeſtatio hæc neceſſaria non eſt executioni voti: vovens autem ſolummodo media neceſſaria apponere tenetur. Laudant pro hac opinione Caietanum in 2. 2. *quæſt.* clxxxix. *art.* 3. *circa ſolut. ad* 2. Sed falſo, ut non raro illis accidit. Nec verbum enim habet Caietanus ſaltem loco citato, quo eximat voventem a manifeſtatione talis voti. Laudant quoque Bonacinam, & alios, quorum examen, cum res levioris momenti ſit, prætereo. Dico namque voventem obſtringi ad hanc manifeſtationem, quando advertit hanc eſſe viam ad ingreſſum aſſequendum. Ratiocinium Salmanticenſium falſum reputamus: quia vovens vi voti ea tenetur apponere media quæ prudenter exiſtimat conducere ad obtinendum finem ſibi præſtitutum, quæve abſque gravi incommodo exequi poteſt. Quid autem hac voti manifeſtatione facilius? Semel ergo poſito quod eiuſmodi medium ſit congruum ad obtinendum finem voti, ſcilicet ingreſſum in Religionem, non apparet ratio cur non teneatur tali medio uti. Licet concedamus, hanc manifeſtationem non eſſe ſuapte natura neceſſariam executioni voti; tamen in hac circumſtantia neceſſarium eſt ut vovens bona fide ſe ſe gerat, illaque exequatur media quæ & nullam afferunt difficultatem, & efficacia ſunt ad finis aſſecutionem. In quo namque negotio alicuius momenti ſimilis facillima diligentia omitteretur? Neque hinc conſequitur teneri voventem implorare præſidium, & favorem patronorum: quia & eiuſmodi media grave ſuapte natura incommodum adferunt, & prudenter præſumitur ad illa voventem non ſe obligaſſe. Ut materia hæc aliquantulum impedita clarius exponatur, in ſequentes paragraphos illam tribuimus.

§. I.

Digitized by Google

§ I.

Quomodo interpretanda ſint ſequentia vota.

I. QUæſt. I. *Quid dicendum de hoc voto: Promitto me ingreſſurum Religionem, niſi Deus aliter de me ſtatuerit?* Reſp. Duplicem ſenſum habere hoc votum poteſt, ut poſt Cordubam Sanchez advertit *Lib. IV. Decal. cap.* XVI. *num.* 2. Prior eſt: *Voveo Religionem, niſi Deus me aliquo morbo, alio ve obſtaculo ad ingreſſum ineptum reddiderit*: quo impedimento ſublato, votum aſſerunt obligare. Poſterior eſt: *Voveo Religionem, niſi quid magis expediens meæ ſaluti Deus decreverit.* In hoc caſu votum ceſſare dicunt. Et in dubio, utrum magis expediens ſit voventis ſaluti alius ſtatus a Religione, ſubdunt conſulendos eſſe viros probos; atque dubio permanente, impetrandam eſſe voti diſpenſationem. Ceterum, ut id quod ſentio promam, conditio appoſita inepta, & ſuperflua videtur: quoniam, dum aut impedimentum occurrit, aut ſtatus maioris perfectionis ſeſe offert, etiamſi conditio appoſita non fuiſſet, ſubintelligeretur. Superfluam quoque cenſeo hanc aliam conditionem: *Voveo me ingreſſurum Religionem, ſi potuero*: quoniam nemo niſi potens Religionem ingredi tenetur. Et quamquam omnes habeant potentiam phyſicam, non autem omnes moralem. Attamen in quolibet voto includitur poteſtas etiam moralis, ideſt niſi gravia impedimenta ineptum voventem conſtituerint. Quod ſi vis ut rationabilem propugnare conditionem præfatam, rem tanti momenti non cenſeo, ut acriter contendere debeam: potiſſimum quia in ſimilibus votis ſemper voventis intentio primum omnium ſpectanda ſit.

II. Quæſt. II. *Quomodo explicandum eſt votum iſtud: Voveo me ingreſſurum hanc Religionem, ſi quam intravero?* Hoc votum proponit D. Antoninus *II. Part. tit.* XI. *cap.* II. *ſ.* I. *notat.* 4. his verbis. *Si quis iuret, vel voveat intrare hanc Religionem, ſi quam intrat, valet: quia non per hoc principaliter excluduntur aliæ, ſed principaliter includitur iſta. Et ſi non pure, tamen ſub conditione, ſcilicet ſi velit intrare aliquam. Sed ſi promitteret ſe nullam aliam intraturum, & non promitteret iſtam intrare nec pure, nec ſub conditione; non valeret, & peccaret ſic vovens.* Dum itaque vovens aliquam deſignat Religionem, licet conditionem abiiciat, votum validum eſt; ſi vero omnem excludat Religionem, votum nullum eſt, & impium. Ut tamen iſtius voti natura manifeſtior fiat, voventis intentio eſt inſpicienda. Si enim peculiari ductus affectu erga talem Religionem, vovit illius ingreſſum tamquam quid principaliter ſibi præſtitutum; votum validum eſt, quamquam conditionatum: quia ingreſſus in Religionem, etiam conditioni alligatus, bonus eſt, & apta voti materia. Contra, ſi principaliter voviſſet, nullam ſe ingreſſurum Reli-

Religionem, tunc tota voti materia eſſet pura negatio, inepta ad votum; atque adeo nullum eſſet votum ipſum. Ita communiter Auctores.

III. Quæſt. III. *Validum ne ſit hoc votum : Voveo, nullam perſonam obſtaculo mihi futuram, quominus Religionem ingrediar, vel aliquid aliud faciam?* Reſp. Invalidum eſſe pronuntiant Sanchez *Lib. IV. cap.* XVI. *num.* 7. Trullenchus *Lib. II. dub.* 2. *cap.* 11. *dub.* 17. *num.* 4. Leander *tract.* 1. *quæſt.* V. Validum vero mihi videtur : reddit enim hunc ſenſum, niſi expreſſa voventis intentio aliud prodat : Voveo me ingreſſurum Religionem, quin cuiuſquam perſonæ preces mihi obſtaculo ſint; ſeu voveo me ſuperaturum, quoad potero, omnium perſonarum impedimenta, ut Religionem ingrediar. Quid quod citati Auctores adfirmant, validum eſſe votum ſic conceptum : *Voveo nihil fore impedimento, quominus Religionem ingrediar?* Et tamen nullum, niſi in verbis, diſcrimen habet, ſi cum altero comparetur.

IV. Quæſt. IV. *An teneatur ad Religionis ingreſſum qui votum emiſit volendi Religionis ingreſſum?* Reſp. Negative reſpondent Sanchez *Lib. IV. cap.* XVI. *num.* 8. & penes ipſum Navarrus *Lib. III. Conſil. tit. de vot.* Azorius *Lib. XI. cap.* XXII. quibus ſubſcribunt Leander, Pellizarius, Baſſæus, aliique. Si votum iſtud abſolute, & a quacumque circumſtantia ſeiunctum conſideretur; certum eſt ipſum non inducere obligationem ingrediendi Religionem ob rationem quam citati Auctores aſſignant: nempe quia aliud eſt votum volendi, aliud votum faciendi. Qui vovet ſe velle tantum, non vovet ſe facere. Hic autem vovens non vovet ſe ingredi, ſed vovet ſe velle ingredi. Ad hoc autem ſatis eſt ut aliquando firmam, bonamque voluntatem habeat ingrediendi; quæ minime obſtabit matrimonio ineundo. Sint hæc vera in quadam metaphyſica conſideratione. Ceterum, ſi quis reipſa tale votum emiſiſſet, vix haberetur fundamentum aliquod præſumendi talem voventem non habuiſſe intentionem vovendi ingreſſum in Religionem. Quis prudens voveret, ſe habiturum voluntatem ingrediendi Religionem, dum ſimul propoſitum habeat contrahendi matrimonium? Voluntas ingrediendi Religionem bona eſt, quia bonum inſpicit. At, dum adeſt contraria deliberata voluntas volendi matrimonium, ſunt duo actus qui invicem ſe collidunt. Quare, ſi mihi occurreret caſus iſte, ſerio voventis intentionem explorarem: quia in praxi aut votum inconſideratum eſt, & nullum defectu debitæ cognitionis; aut vovens certe ad Religionis ingreſſum tenetur. Idem dicendum de eo qui voveret *ſe nolle in ſæculo vivere*, nempe exploranda eſſet voventis intentio. Citati Auctores aiunt, ad obſervationem talis voti ſatis futurum quod vovens negative ſe habeat, & nullum eliciat actum contrarium, *Volo in ſæculo vivere* : & ideo inire poterit matrimonium. Mihi ridicula viderentur eiuſmodi vota; & qui eadem emitterent, nimium imprudentes, & inconſiderati. Quare, ſi deprehenderem homines prudentes eſſe, qui talia vota ſua ſic exprimerent, ſerio eorum inveſtigarem intentionem: quia communiter qui vovet

ſe

Digitized by Google

ſe nolle in ſæculo vivere, prudenter præſumitur & quod propoſitum habeat ingrediendi Religionem, & quod votum emittat Religionem aſſumendi. Nec tam ex verbis quam ex intentione voventis, obligatio, & natura voti eruenda eſt. Si vera foret contraria ſententia, materia iſtius voti eſſet mera negatio, & nihil poſitivi includeret. Idcirco dicunt citati Auctores, quod vovens iſte deberet vi talis voti negative ſe habere. Sed ego, omnibus penſatis, aut votum nullum cenſerem, aut voventem ad Religionis ingreſſum obligarem.

V. Quæſt. V. *An votum moriendi in Religione ſit votum Religionis?* Reſp. Adfirmant communiter omnes. Nemo enim mortem occumbere in Religione poteſt, niſi prius eam ingrediatur. Quin vi eiuſmodi voti tenetur vovens in eadem perſeverare. Diſputant dumtaxat Auctores de tempore quo ex vi talis voti urgeret ingreſſus executio. Alii ſuſtinent, idem dicendum de hoc voto ac de voto abſolute ingrediendi Religionem, quod ſcilicet ſtatim obliget. Alii contendunt, eiuſmodi votum non inducere obligationem adeo ſolliciti ingreſſus. Miſſis diſputationibus, exploranda eſt, quoad fieri poteſt, voventis intentio, & circumſtantiæ conſiderandæ. Si verborum vis attendatur, quod eiuſmodi votum tam celerem ingreſſum non præferat ac votum abſolutum ingrediendi Religionem, videtur ſatis probabile. Quod e contrario non permittat longam dilationem, itidem ſatis veroſimile apparet. Idcirco viri prudentis arbitrio hæc temporis definitio relinquenda eſſet, ut, inſpectis circumſtantiis, poſſet vel anticipare, vel moderate executionis tempus differre.

VI. Quæſt. VI. *An votum vitæ eremiticæ, & ſolitariæ obligationem inducat?* Reſp. Convenit inter Auctores, hoc non eſſe verum Religionis votum. De illius obligatione diffident. Ne in levioris momenti quæſtionibus plus iuſto immoremur, validum eſſe votum iſtud, non videtur ambigendum. Si voventes non plene teneant ſtatum, & perfectionem vitæ eremiticæ, ac ſolitariæ (quæ abſque ſpeciali vocatione, & illuſtratione cæleſti ſuſcipienda non eſt) diſpenſationem poterunt impetrare. Hocque commune eſt penes Auctores.

§. II.

De obligatione voti aſſumendi ſtatum religioſum.

I. QUæſt. I. *An qui vovit abſolute Religionem, votum impleat, ſi habitum aſſumat equitum D. Iacobi, Calatravæ, Alcantaræ, & Monteiæ?* Reſp. Adfirmant aliqui; ſed communis ſententia negat: tum quia valde controverſum eſt, ſint ne iſti veri Religioſi: non enim abſolute caſtitatem, ſed coniugalem tantum vovent; nec abſolutam aut paupertatem, aut obedientiam Deo ſpondent:

dent: tum etiam quia, admiſſo vero eorumdem ſtatu religioſo, qui vovent Religionem ingredi, non ad eiuſmodi Religiones, ſed ad eas quæ vitam cœnobiticam profitentur, animum intendunt.

II. Quæſt. II. *An ſaltem impleatur votum Religionis, ſi habitus aſſumatur equitum D. Ioannis?* Reſp. Aiunt plures non ignobiles Scriptores: eo quod equites iſti emittunt tria vota abſoluta, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, ſuntque vere Religioſi; &, quoad fieri poteſt, Melytæ commorantes vitam communem ducunt, ſicut ceteri Religioſi; atque religioni ſibi vertunt, dum eam non ſervant, ut quidam ex iiſdem Equitibus mihi teſtati ſunt, & extra controverſiam eſt quod ſint veri Religioſi, cum ſub regula a Sede apoſtolica approbata vitam degant. Communis tamen ſententia negat impleri votum abſolutum Religionis per aſſumptionem habitus præfatorum Equitum D. Ioannis: quia iuxta communem exiſtimationem qui vovet ingreſſum Religionis, intendit unam ex Religionibus, in qua a ſæculi tumultu prorſus ſeiuncta communis vita ducatur.

III. Quæſt. III. *An ſaltem eiuſmodi votum impleretur per ingreſſum in Religionem Clericorum ordinum militarium?* Reſp. Adfirmant communiter omnes: quippe iſti vitam vere regularem in cœnobiis more aliorum Regularium ducunt.

IV. Quæſt. IV. *An vovens Religionem voto ſatisfaciat, ſi ingrediatur Religionem relaxatam?* Reſp. Negant communiter omnes Theologi qui hanc verſant quæſtionem. Sed explicandum eſt, quid nomine Religionis relaxatæ intelligatur. Nam relaxatio latitudinem maiorem, minoremque admittit. Aliqua Religio (utinam aliqua tantum!) ab antiquo ſuo rigore declinavit, eo quod nec in cibo eam abſtinentiam, nec in veſtitu eam aſperitatem quæ a ſuis primordiis vigebat, obſervat; leges tamen, & conſtitutiones, non modo præcipuas, verum etiam leviores, ſervari ab omnibus curat. Votorum inſuper paupertatis, caſtitatis, obedientiæ obſervantia in ea adamuſſim viget. Hæc religio, licet aliquantulum antiqui rigoris remiſerit, iuxta tamen communem exiſtimationem, & reipſa, relaxata non eſt; ſed mitior tantum dici poteſt.

V. Ea Religio relaxata communiter appellatur quæ in *ſubſtantialibus*, ut aiunt, deficit. Leges porro ſubſtantiales ſeu primæ, & potiſſimæ ſunt tria vota, & conſtitutiones, præceptaque, quæ proxima ſunt his votis, ſeu quæ ad ſarta tecta cuſtodienda vota neceſſaria ſunt, & ſine quibus vix, ac ne vix quidem, votorum obſervatio conſiſtere valet. Sic votum paupertatis cum privatis peculiis, votum caſtitatis cum libero e cœnobiis egreſſu, votum obedientiæ cum libera facultate promovendi proprias rationes componi nequaquam poſſunt. Hinc illæ Religiones quarum Religioſi & ſua privata peculia, modo ditiora, modo minutiora, prout fortuna fert, habent; & domicilia inhabitant ampliora non raro quam ſæculares, lautioribuſque, ſi velint, epulis veſcuntur; & pro libito e Monaſte-

Digitized by Google

naſteriis egrediuntur, ludis vacant, ſilentia, ieiunia, & ceteras conſtitutiones paſſim impune violant; in quibus denique tacita conniventia tam Prælati, quam ſubditi in legum tranſgreſſiones conſpirant: hæ, inquam, ſunt Religiones quantum ad ſubſtantialia relaxatæ, quarum Religioſi, licet oretenus iactent ſe vota obſervare, manifeſtiſſima tamen experientia oppoſitum ſuadent.

VI. Animadvertendum quoque eſt, nullam ferme reperiri Religionem quæ in omnibus ſuis cœnobiis collapſa ſit; ſed fere quælibet vel cœnobia, vel Congregationes, vel Provincias habet, in quibus regularis obſervantia firma perſiſtit.

VII. Dicimus ergo, voventem Religionis ingreſſum, non modo non implere ſuum votum, ſi ingrediatur Religionem eiuſmodi relaxatam quam deſcripſimus; ſed addimus, etiam votum ingrediendi eiuſmodi Religiones nullum eſſe, eo quod non ſit de bono meliori. Religiones Deo probatæ faciliorem ſalutis viam efficiunt; relaxati Ordines quos deſcripſi, difficiliorem, immo difficillimam reddunt beatæ vitæ conſecutionem. Ergo votum de earumdem ingreſſu non eſt de meliori bono, atque adeo nullum. Minor propoſitio, de qua ſola ambigi poteſt, evidenter oſtenſa eſt in noſtra *Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica*; ubi eum qui eiuſmodi Religiones ingreditur, in graviſſima pericula æternæ ſuæ perditionis ſe ſe coniicere aſſeruimus cum omnibus & Theologis, & Caſuiſtis, quantumlibet benignioribus. Quoſdam tantum nunc recenſebimus. S. Antoninus *III. Part. tit.* XVI. *cap.* II. Thomas Caietanus 2. 2. *quæſt.* CLXXXIX. *art.* 9. *& Tom. I. Opuſc. tract. ultim. reſp.* 7. Seraphinus Porrecta *ibidem*. Martinus Navarrus *in Manual. cap.* XII. *num.* 45. *&* 46. Paulus Nazarius *de ſtatu Relig. concl.* 14. Nyder *de Reform. Reg. cap.* IX. *part.* 1. Lopez *in inſtruct. cap.* XLIII. Lezana *de obligat. Relig. cap.* VII. *num.* 16. Leſſius *de iuſtit. & iur. Lib. II. cap.* XLI. *dub.* 5. Caſſianus a S. Elia *deciſ.* 1. *numer.* 2. Sanchez *Lib. IV. in Decal. cap.* XVI. *numer.* 14. Paſſerinus *quæſt.* CLXXXIX. *art.* 2. *num.* 6. Leander *tract.* 1. *de iuram. quæſt.* XIV. *&* XV. Salmanticenſes *tract.* XV. *cap.* II. *punct.* 1. *num.* 3. Rotarius *Tom. I. Lib. I. cap.* VII. *punct.* 2. *num.* 2. Martinez de Prado *Tom. II. cap.* XXXI. *quæſt.* VII. *num.* 2. Bonacina *diſput.* IV. *quæſt.* II. *punct.* 5. *§.* 6. *num.* 3. Layman *Lib. IV. tractat.* V. *cap.* VI. *num.* 5. Ratio ſatis obvia eſt, & cuique ſtatim occurrit. Quiſquis enim Religionis vovet ingreſſum, eum ſtatum potiſſimum ac ſolum intendit, in quo a mundi periculis procul amotus Deo inſervire, ſuamque æternam ſalutem tutius operari valeat. Porro, dum Religionem collapſam ingreditur, in plura & graviora ſe coniicit diſcrimina, & in quamdam quaſi neceſſitatem violandi obligationes novas aſſumptas, maxime paupertatis votum, quod ſolemni ritu Deo nuncupabit. Conſule quæ a nobis dicta ſunt in memorata *Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica diſſert.* V. *cap.* XIII.

VIII. Quæſt. V. *An qui vovit ingredi Religionem ſtrictiorem, ſatisfaciat ſuæ obliga-*

Digitized by Google

ligationi laxiorem ingrediendo? Reſp. Nequaquam ſatisfacit, ſed peccat mortaliter: quia minus reddit quam promiſit. Nemo autem votum maius in minus commutare poteſt. Hoc certum eſt penes omnes. Quid, ſi in laxiori inſtituto profeſſionem emittat? Valida ne erit emiſſa profeſſio? Valida utique erit, non inficior. Votum enim ſolemne, quale eſt profeſſio monaſtica, ſimplex votum, cuiuſmodi erat illud ingrediendi ſtrictiorem Ordinem, dirimit. Idque convenit inter omnes.

IX. Quæſt. VI. *An qui vovit Religionem ſtrictiorem, & profeſſus fuit in laxiori, licite in hac, perſeverare valeat?* Reſp. Nimium involute hac de re loquuntur Auctores. Communiter namque aſſerunt, licite eum ibi perſeverare poſſe. Quod uno in ſenſu verum eſt, iuxta id quod habet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* CLXXXIX. *art.* 8. *ad* 3. inquiens: *Votum ſolemne quo quis obligatur minori Religioni, eſt fortius quam votum ſimplex quo quis adſtringitur maiori Religioni. Poſt votum enim ſimplex ſi contraheret aliquis matrimonium, non dirimeretur, ſicut poſt votum ſolemne. Et ideo ille qui iam profeſſus eſt in minori Religione, non tenetur implere votum ſimplex, quod emiſit de intrando Religionem maiorem.* Ex hac doctrina colligunt Salmanticenſes *tract.* XV. *cap.* 11. *punct.* 1. *num.* 4. quempiam propria auctoritate poſſe commutare votum ingrediendi Religionem ſtrictiorem in votum perſeverandi in laxiore: quia votum perſeverandi in laxiori perfectius eſt voto ſolum intrandi ſtrictiorem: & laudant plures Auctores, qui revera eamdem tradunt doctrinam. Hoc tamen, niſi explicetur, eſſe poteſt erroris cauſſa. Certa ergo a dubiis ſecernenda ſunt. Certum eſt, votum ſolemne ſimplex votum diſſolvere; atque adeo qui emiſit votum ingrediendi Religionem ſtrictiorem, ſi profeſſionem in laxiore emiſerit, non tenetur amplius vi ſui voti ſimplicis ſtrictiorem amplecti; cum votum illud ſimplex ſolutum, & extinctum penitus fuerit per votum ſolemne profeſſionis. Et ad hoc quod pertinet, optime loquuntur cum D. Thoma citati Auctores. Ceterum, ſi Religio in ſubſtantialibus relaxata ſit, quamquam non teneatur vi voti præteriti, & extincti ad amplectendam ſtrictiorem; obſtringitur tamen ratione legis divinæ, quæ omnes obligat ad pericula æternæ damnationis vitanda. Porro demonſtratum iam eſt, nullum eſſe votum ingrediendæ Religionis relaxatæ; & graviter peccare voventem, niſi ignorantia excuſet, dum illud implet ingrediendo eiuſmodi Religionem: idque, ut vidimus, docent ipſi Salmanticenſes cum ceteris omnibus aliis Theologis. Nequit igitur talis vovens licite perſeverare in Religione, quantum ad ſubſtantialia, relaxata. D. Thomas autem *loc. cit.* loquitur de Religione minori, ſeu minus ſevera, relate ad maiorem Religionem, quæ rigidior eſt: quarum tamen utraque proprias obſervet leges, ut fuſe palam feci in citata Diſciplina. Qui autem vovit laxiorem, dubio procul valet tale votum ſua propria auctoritate in votum

aſſu-

Digitized by Google

aſſumendi ſtrictiorem Religionem commutare; eamque ingrediendo votum implet. Qui autem vovit unam, non poteſt in aliam, licet æque arctam, non habita diſpenſatione, ingredi: quia nemo poteſt, ut probabilius cenſemus, commutare propria auctoritate votum in æquale bonum, ſed ſolum in evidenter melius.

X. Quæſt. VII. *Utrum ſatisfaciat voto ingrediendi Religionem ſtrictiorem, ſi ingrediatur laxiorem, quæ privilegium pontificium habeat recipiendi eos qui voverunt ſtrictiorem?* Reſp. Adfirmant communiter Doctores, qui referunt reipſa tale privilegium habere Benedictinos, Auguſtinianos, & alios. Ut ut ſit de veritate horum privilegiorum, præ oculis ſemper habenda eſt diſtinctio ſuperius tradita: videlicet, ſi Religionis laxioris nomine intelligatur Religio mitior, blandior, minuſque ſevera, quæ tamen exacte ſuas mitiores leges ſervet; privilegio admiſſo, vera eſt communis ſententia; ſi autem Religionis laxioris nomine veniat Religio collapſa in *ſubſtantialibus*, fâlſa foret ſententia præfata. Negamus enim ullum legitimum privilegium reperiri quod Ordinibus collapſis facultatem concedat recipiendi eos qui voverunt Religionem arctiorem. Quin aſſerimus, diplomata pontificia ſimiles Religiones privare facultate recipiendi quoſcumque ad ſuam profeſſionem.

XI. Quæſt. VIII. *Quid præſtare tenetur qui indefinite Religionem vovit?* Reſp. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* clxxxix. *art.* 3. *ad* 2. hæc ſtatuit. *Ille qui ſe voto obligavit ad certæ Religionis ingreſſum, tenetur facere quantum in ſe eſt, ut in illa Religione recipiatur: & ſi quidem intendit ſe ſimpliciter ad Religionem obligare, ſi non recipiatur in una Religione, tenetur ire ad aliam; ſi vero intendit ſe ſpecialiter obligare ad unam ſolum, non tenetur niſi ſecundum modum obligationis ſuæ.* Igitur, ſi vovens unam determinate vovit Religionem, eam adhibere debet diligentiam, ut recipiatur, quam in alio adhiberet negotio gravioris momenti. Si ab uno Cœnobio repulſam tulerit, quatuor, aut quinque alia debet adire, ut dicunt communiter Doctores; quemadmodum, ſi vovit Religionem indefinite, quatuor, aut quinque Ordines, & cuiuſque Ordinis quinque aut ſex Conventus explorare tenetur, ut, ſi ab omnibus reiectus fuerit, liber a voto ſit. Ita docent Sanchez, Caſtropalaus, Trullenchus, Leander, & alii. Diſputant etiam, an teneatur extrà propriam nationem, & patriam ſe conferre, atque alterius linguæ, & regionis Cœnobia adire. Sed hoc communiter negant. Satius videtur id prudentis arbitrio relinquendum. Id ſolum ſemper advertendum, quod Religionis collapſæ ingreſſum nec attentare, nec exequi debet. Si vovens liber ſit ab impedimentis, facilis erit illi in unam aut alteram Religionem ingreſſus; ſi impedimentis ſit irretitus, nullam inveniet. Qui eſt ineptus ad unam, aptus ad aliam eſſe poteſt. Quæ omnia a pluribus circumſtantiis pendent. Idcirco re-

gula certa aſſignari nequit; ſed id viri prudentis iudicio remittatur oportet. Hinc colligitur, veram abſolute non eſse opinionem *Sanchez*, *Caſtropalai*, *Leandri*, & *Salmanticenſium*, aſserentium illum qui vovit Religionem indefinite, cogendum non eſse ad ingrediendum Ordinem ſtrictiſſimum, ut Cappucinorum, Carthuſienſium, Camaldulenſium, & Minimorum. Quandoquidem occurrere poteſt, & quidem non raro, ut vovens iis omnibus polleat quæ ad unum ex præfatis Ordinibus habilem, aptumque ipſum conſtituant; ſit autem ineptus ad alios Ordines. Si vovens ſanus, robuſtuſque ſit, ſi nullam adverſus talem Ordinem averſionem experiatur, ſi indole optima ſit inſtructus, ſi virtutis ardore flagret; cur non conſulendus ſit ipſi talis Religionis ingreſsus? Qua ratione a Religionis aſsumendæ voto erit eximendus? Abſolute ergo iſtorum Doctorum regula falſa videtur. Quare, ut diximus, iudicio prudentis, docti, & pii viri totum eſt relinquendum. Idem pariter adfirmandum de mulieribus, ac de hominibus. Ad diverſitatem tamen patriæ, & provinciæ quod attinet, mulieres communiter cogendæ non ſunt, ut extra propriam urbem, aut ſaltem nimis a parentibus remotum Conventum inquirant. Homines qui Religionem voverunt indefinite, ſi communiter repulſam acceperint ab omnibus Ordinibus, haudquaquam tenentur ingredi Ordinem Equitum D. Ioannis, Calatravæ, vel Alcantaræ: quia eiuſmodi Ordines militares non comprehenduntur ſub voto Religionis in communi, ut ſupra explicatum eſt.

XII. Quæſt. IX. *Qui vovit ingredi hunc ſigillatim Conventum, ſi repulſam ferat; tenetur ne alia adire Cœnobia?* Reſp. Ex intentione voventis ſolutio colligenda eſt. Si aliquo peculiari rationis momento ductus tale Cœnobium primo & principaliter ſibi præſtituit, & repulſam paſſus fuerit, liber a voto manet. Caute tamen, & ſerio exploranda eſt voventis intentio. Quoniam, ſi ſola quædam affectio peculiaris erga tale Cœnobium impulſum tantummodo ad votum eliciendum adiecit, nullaque ſolida ratio talis definitæ electionis eluceat; tunc non eſt liber a debito curandi acceptationem in aliis eiuſdem Ordinis Cœnobiis: quia in his circumſtantiis patet, hunc voventem primo, & per ſe intendiſſe ingreſſum in hanc Religionem, deinde in tale Cœnobium. In ſimilibus cauſſis iudicium totum pendet a voventis expoſitione.

XIII. Quæſt. X. *Vovens ſemel legitime reiectus a Monaſterio, vel Religione, tenetur ne ad illam amplectendam, ſi poſtea ab eadem Religione, vel Monaſterio invitetur?* Reſp. Quod penes omnes certum eſt, primo loco dicendum venit. Si quis ob aliquod temporaneum impedimentum repellatur, impedimento ſublato, vi voti tenetur regreſſum poſtulare. Idque inter omnes convenit; quemadmodum certum eſt quod, ſi vovens reiiciatur ob aliquod impedimentum apparens, & reipſa falſum, ut ſi recipiendus reputaretur ære alieno gravatus, illegitime natus, morbo oc-

occulto infectus, qui revera non eſſet, certum, inquam, eſt quod teneretur ingredi Religionem, ſi cognita veritate Religio eum exciperet.

XIV. Quod autem in diſputationem revocant, eſt, num legitime, & abſolute; atque in perpetuum repulſus, liber a voto maneat; ita ut, ſi a Religione denuo invitetur, non teneatur ad ingreſſum. Liberum a voti vinculo communiter Auctores hunc talem declarant: quæ opinio & mihi videtur probabilior: alioquin vovens iſte anceps, & ſuſpenſus toto vitæ ſuæ tempore manere cogeretur. Ad hanc vero ſortem adeo ancipitem non eſt ullo modo præſumendum quod ſe voluerit obligare dum votum Religionis emiſit; neque ex voti natura tam grave onus colligi prudenter poteſt. Minus tamen probabile nobis videtur quod Salmanticenſes cum Caſtropalao, Aragonio, Pellizario, Diana, aliiſque docent *loc. cit. num.* 11. nempe quod vovens, facta ſua petitione pro admiſſione ad habitum religioſum, non teneatur vi voti expectare conſenſum Religionis; ſi hæc tempus quærat ad deliberandum, ſeu ſi differat deliberationem: quia, inquiunt, cenſetur emiſſum votum ſub hac conditione: *Si facta debita diligentia Religio admittere voluerit*. Hæc, inquam, opinio & minus probabilis, & falſa nobis apparet: quia vix eſt Religio cauta, & prudens in recipiendis candidatis, quæ in aliquod tempus acceptationem non differat, ut comperiat, utrum expediens ſit poſtulantem admittere, & ut periculum faciat, utrum conſtans, & firma ſit eius voluntas. Tantum ergo abeſt ut in voto includatur conditio ſubitaneæ acceptationis, quin potius tacite congrua dilatio ſemper præſumitur. Dicendum ergo, quod, ſi dilatio talis ſit quæ fundamentum ſolidum præbeat deſperandi de aſſequendo ingreſſu, tunc a voto liber dicendus eſt vovens; ſecus, ſi dilatio moderata ſit, ſpemque relinquat obtinendi opportuno tempore acceptationem.

XV. Quæſt. XI. *Prælatus regularis repellere ne licite valet eadem facilitate eum qui voto Religionis obſtrictus eſt, ac eum qui nullo devincitur voto?* Reſp. Adfirmat communis ſententia, & merito: quia obligatio voventis nullo modo afficit Prælatos, ſeu Religionem acceptantem. Votum namque emiſſum fuit ſub hac conditione, videlicet ſi Prælatus acceptare voluerit.

XVI. Quæſt. XII. *Qui vovit Religionem, ut in eadem Clericus eſſet, liber ne a voto eſt, ſi Religio nolit eum admittere niſi ut laicum?* Reſp. Liber omnino eſt: quia votum non obligat præter voventis intentionem: vovens autem expreſſe intendit, dum votum emiſit, clericatum profiteri. Ergo, hac deficiente conditione, votum ſolutum remanet. Quod ſi nihil, cum votum edidit, de clericali, vel laicali ſtatu cogitavit, & utrique ſtatui, clericali ſcilicet, & laicali aptus ſit; illum gradum ſuſcipere tenetur quem Religio præſcripſerit. Qui expreſſe vovit ſtatum ſacerdotalem ſuſcipere, poterit commutare votum, & fieri laicus, & contra; ſi Religio tamen conſenſerit: eo quod accidentalis mutatio ſit intra eamdem Religionem.

nem. Hæc omnia communia penes omnes ſunt. Ex conditione tamen voventis facile plerumque erit dignoſcere, quem ſtatum, ſin expreſſe, ſaltem tacite ſibi præſtituere voluerit. Quod ſi nullo modo cognoſci poſſit, arbitrio Religionis, ut diximus, ſtare vovens debebit.

XVII. Quæſt. XIII. *Spurius ignorans conſtitutionem Sixti V. qua ſpurii a gradibus, & dignitatibus repelluntur, vovet Religionem, cognita conſtitutione tenetur ne votum implere?* Reſp. Negant communiter Doctores: cum enim ſpurius ad tales dignitates, & gradus aſſequendos aptus non ſit, gravem ignominiam patitur ob talem pœnalem privationem. Idemque aſſerunt de vovente Religionem quæ ſimilem legem habeat; ſi tempore emiſſi voti illam ignoraverit. Sic docent Sanchez *Lib. IV. cap.* XVI. *num.* 59. Pellizarius *Tom. I. tract.* IV. *cap.* I. *ſec.* I. *quæſt.* IX. *num.* 55. Leander *tract.* I. *diſp.* XXI. *quæſt.* XLIII. Caſtropalaus *tract.* XVI. *diſp.* I. *punct.* 3. Non leve mihi negotium faceſſit opinio iſthæc, eo quod non quodcumque incommodum, vel difficultas ſatis eſt ad votum dirimendum. Qui mundum, & omnia quæ mundus dare poteſt, ſive divitias, ſive dignitates contemnit, ut evangelicam perfectionem profiteatur, ut in humilitatis virtute, quæ univerſæ ſanctitatis baſis eſt, ſe ſe exerceat, præſumitur prudentiſſime, dum votum emiſit, omnibus gradibus, & dignitatibus renuntiaſſe: quin natura talis voti hanc renuntiationem includere videtur. Accedit quod præfata graduum privatio mundanis, non religioſis hominibus ignominiam inferat. Si Religioſi ſpurii doctiores, probatiores, ſanctioreſque Religioſi fuerint, ceteris quantalibet dignitate præſtantibus eminebunt. Quare producta ſententia plus humanis affectibus quam evangelicis conſiliis, ad quorum obſervantiam vitam ſuam ſe exacturum ſpondet qui vovet Religionem, videtur accedere. Ego ſane ob ſolam hanc difficultatem, niſi peculiares circumſtantiæ occurrerent, non eximerem a Religionis ingreſſu eum qui eamdem voviſſet, præfata lege ignorata.

XVIII. Quæſt. XIV. *Qui vovit Religionem in ſtatu ſacerdotali, tenetur ne grammaticam addiſcere, cum ob illius ignorationem non admittatur?* Reſp. Affirmat communis ſententia. Sotus *Lib. VII. quæſt.* II. *art.* I. *ad* 3. Sanchez *Lib. IV. cap.* XVI. *num.* 61. Suarez *Tom. III. de Relig. Lib. IV. cap.* II. *num.* 21. Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* II. *punct.* 3. *num.* 14. Leander *tract.* I. *diſp.* XXI. *quæſt.* XLIV. Aragon, Ledeſma, Rodriguez, Azorius, & alii. Quippe qui vult finem, & media quæ ad hunc aſſequendum conducunt, velit oportet. Si tamen, dum vovit, putavit intra Religionem addiſcere eam poſſe; non tenetur eam addiſcere extra: quoniam conſtat de eius expreſſa intentione, ultra quam votum non obligat. Si nolit grammaticam addiſcere, poterit fieri laicus, Religione conſentiente: quia tunc perfectius votum implere cenſetur ob peculiarem talis ſtatus humilitatem, & laborem. Quid, ſi tempore emiſſi voti de Religione in ſtatu ſacerdotali amplectenda, i-

gno-

Digitized by Google

ignoravit neceſſariam eſſe grammaticæ cognitionem? Tenetur ne eam addiſcere? Negant citati Auctores, eo quod hæc ſuperveniens difficultas adeo gravis eſt, ut ſatis ſit ad voti diſſolutionem. Id tamen ex circumſtantiis colligendum videtur. Si enim vovens ita erga Religionem affectus fuiſſet, ut, ſi hanc difficultatem ſciviſſet, nihilominus illam voviſſet; profecto ad diſcendam grammaticam teneretur. Si contra prudenter præſumatur non editurum fuiſſe votum, quotieſcumque perſpectum habuiſſet eiuſmodi impedimentum, liber a voto remanet, nec ſtatum laicalem in præfata Religione amplecti obſtringitur; quemadmodum non tenetur fieri laicus qui vovit Religionem in ſtatu clericali, ſciens ad hunc ſtatum requiri grammaticam; ſi poſtea, rei periculo facto, impotens omnino deprehendatur ad eam perdiſcendam: quia moralis impotentia ſolvit a voti debito. Ex alia parte ſtatus laicorum præter illius intentionem fuit in voti emiſſione. Si dum votum emiſit, dubius erat, an neceſſaria nec ne eſset grammatica ad ſtatum clericalem; eam addiſcere tenetur: quia, dum anceps erat, certiorem ſe facere debebat. Quin, ſi dubius extitiſset, utrum requireretur liberalium artium cognitio ad Philoſophiam, vel Theologiam comparandam; cogeretur artes illas addiſcere ob rationem datam: quoniam, dum ſic dubius votum emiſit, præſumitur ſe obligaſse ad ea omnia exequenda quæ ad finem obtinendum neceſsaria ſunt. Dum autem dubitatur, an vovens ſciverit nec ne tempore voti, requiri grammaticam ad ſtatum clericalem; præſumendum eſt illum ſciviſse: cum nulla Religio ſit quæ talem notitiam non exigat; & conſequenter omnibus communiter id eſt compertum. Qui vovit ſtatum laicorum, non tenetur artem mechanicam addiſcere, ut recipiatur, ſi ob hunc defectum Religio illum excluderet; quando de tali arte votum emittens nihil omnino cogitavit. Contra, ſi ſciviſset aliquam artem eſse neceſsariam ad Religionis ingreſsum, tunc deberet aliquam artem diſcere. Animadvertit tamen Sotus *Lib. VII. de iuſt. quæſt.* 11. *art.* 1. teneri voventem addiſcere artem quam Religio exigit, etiam ſi de illa nil cogitaverit; quando talis naturæ ars ſit, ut facile poſſit diſci; & alioquin vix utilis foret Religioni vovens ſine tali arte. Quiſquis enim tenetur exequi media facilia, ut compos voti ſui evadat. Quæ ſententia vera eſt.

XIX. Quæſt. XV. *Qui, voto Religionis emiſſo, contrahit matrimonium; vel, contracto & conſummato matrimonio, vovet Religionem, quid peragere debet?* Reſp Si Religionis votum præceſſit matrimonium, peccat mortaliter contrahens matrimonium. Integro bimeſtri nec petere debitum, nec reddere licite valet: quia cum intra hoc bimeſtre adhuc implere ſuum votum poſſit, ſtatum religioſum aſſumendo; idcirco peccaret mortaliter tam reddendo quam petendo. Tranſacto bimeſtri, reddere tenetur, minime vero petere poteſt. Conſummato tamen matrimonio, ſive cum culpa, ſive abſque culpa, tunc & reddere, & petere poſse ſentiunt

Leſſius, Palaus, Bonacina, Sanchez & Salmanticenſes *loc. cit. num.* 15. Si vero poſt conſummatum matrimonium coniuges mutuo conſenſu voveant, poſſunt reddere, & petere: quia uſus matrimonii non impedit Religionis ſuſcipiendæ votum. Votum Religionis emiſſum poſt ſponſalia validum eſt: quia ſponſalia cenſentur contrahi ſub hac conditione, *Niſi meliorem ſtatum elegero*. Et, ſi quis poſt matrimonium ratum, non conſummatum, ius habet ingrediendi Religionem; potiore iure gaudet poſt contracta ſponſalia. Verum de his omnibus fuſius, cum de matrimonio ſermo erit.

XX. Quæſt. XVI. *Implet ne votum Religionis qui Epiſcopatum ſuſcipit?* Reſp. Negat communis ſententia. Id colligitur ex *cap.* Per tuas x. *de voto*, ubi ad hunc caſum reſpondet Innocentius III. *Conſulimus ut ſi tuam ſanare deſideras conſcientiam, regimen reſignes Eccleſiæ, & reddas Altiſſimo vota tua*. Ratio quoque clara eſt: quia, licet ſtatus epiſcopalis abſolute perfectior ſit, prout ad promovendam perfectionem in aliis incumbit; nihilominus, excluſo caſu neceſſitatis, melius & tutius eſt voventi Religionem amplecti quam ſuſcipere Epiſcopatum, ad quem nemo accedere debet, niſi peculiari ductus vocatione, & veluti a ſuperioribus coactus. Et hæc communis ſententia eſt.

§. III.

De debito quo aſtringitur perſeverare in Religione qui illam vovit.

I. QUI non ſolum ingreſſum in Religionem, ſed inſuper perſeverantiam in eadem vovit, ad utrumque aſtringitur. Qui vero abſolute Religionem vovit, ad aliud non tenetur vi voti, niſi illam ingredi, & probationis, ut vocant, anno eamdem experiri ſincero animo illam profitendi, ſi expedientem ſuæ æternæ ſaluti ipſam agnoverit. Quamobrem, ſi abſque ſua culpa eiiciatur, liber a voto manet, nec alterius Religionis ingreſſum quærere tenetur. Neque eſt præſumendum, quando id aperte non conſtet, eum qui vovit Religionem, voviſſe quoque perſeverantiam in eadem; quandoquidem iſtud diſtinctum onus eſt, quod adiiciendum non eſt voventi præter eius intentionem. De hoc agit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* clxxxix. *art.* 4.

II. Quæſt. I. *Qui intravit Religionem animo exeundi, ſatisfacit ne voto?* Reſp. S. Thomas *loc. cit. ad* 3. reſpondet, *quod ille qui intrat, ut ſtatim exeat, non videtur ſatisfacere voto ſuo: quia ipſe in vovendo hoc non intendit: & ideo tenetur mutare propoſitum, ut ſaltem velit experiri, an ei expediat in Religione remanere: non autem*

autem tenetur ad perpetuo remanendum. Ratio clara eſt. Qui enim vovit Religionem, non vovit ſolam religioſi habitus ſuſceptionem, ſed ſtatum religioſum, in quo Deo inſervire poſſit: quare, niſi experiatur ſtatum hunc minus ſibi congruum, non poteſt licite illum deſerere. Sic docent communiter omnes.

III. Quæſt. II. *Qui Religionem intraret animo exeundi, ſimulque cum propoſito Deum orandi, ut illius cor immutaret, ſatisfaceret ne voto?* Reſp. Adfirmat Leander *tract.* I. *diſp.* XXI. *quæſt.* III. ubi citat Angelum, Richardum, Sylveſtrum, Sanchez, & Baſſæum. Sylveſter *ver.* Relig. 2. *quæſt.* XIX. reipſa refert opinionem Richardi ita ſentientis: & Sanchez *Lib. IV. cap.* XVI. *num.* 75. cum pluribus aliis hanc ipſam ſententiam defendit, eo quod bona fide præſtaret omnia quæ ex parte ſua neceſſaria ſunt ad obtinendum effectum ſui voti. Verum, quando vovens animo exeundi ingreditur, propoſitum quod allegatur dandi operam ut Deus cor immutet, fallax & mendax præſumitur. Quare primum omnium animum exeundi deponere debet; ac deinde Deum orare, ut cor emolliat. Quomodo enim bona fide, & ſincere Deum orare poteſt, ut immutet cor, ſi deliberato animo exeundi ille ingreditur? Quare mihi probabilius, & ſinceritati conformius videtur prius voventem debere pravum exeundi animum deponere, deinde operam dare ut Deus cordis infringat duritiem. Si vero ingreſſus præfato animo exeundi, & cum propoſito perſeverandi (quæ duo ſimul pugnant) reipſa Religionem relinqueret; denuo illum urgerem ut, animo exeundi depoſito, periculum rei de more faceret: & tunc, ſi, bona fide experimento facto, a Religione egrederetur, eo quod ſtatum illum minus ſibi conſentaneum experiretur, eum a voto liberum declararem. Hinc potiore iure dicendum eſt, & communiter Auctores docent, non ſatisfacere voto Religionis eum qui animo non perſeverandi ingreditur, ſi poſtea, etiam ob iuſtam cauſſam exeat: quia bona fide Religionem expertus non eſt: & ideo tenetur ſincero animo negotium peragere, ut voto ſuo faciat ſatis.

IV. Quæſt. III. *Qui votum emiſit ingrediendi, & ſtatim exeundi, vel cum expreſſa intentione fruendi libertate a iure Novitiis conceſſa, ad quid tenetur?* Reſp. Votum ingrediendi, & illico egrediendi nullum eſt, & ineptum; quando tam ingreſſus quam egreſſus æquo modo conſtituunt voti materiam. Si vero votum per ſe ingreſſum reſpiceret, & egreſſus eſſet circumſtantia adiecta, votum validum foret, & vovens ad ingreſſum teneretur, atque circumſtantia, tamquam inique adiecta, ſervanda non eſſet. Qui vovet cum hac expreſſa intentione fruendi libertate, qua gaudent Novitii experientes, abſque ullius voti vinculo Religionem, dubio procul, facta experientia, egredi valet, & voto fecit ſatis. Sic expreſſe D. Thomas 2. 2. quæſt. CLXXXIX. art. 4. in cor. *Si autem intendit ſe obligare ad ingreſſum Religionis cauſa experiendi, cum libertate remanendi, vel non remanendi, manifeſtum eſt quod*

quod remanere non tenetur. Si tamen abſque omni iuſta cauſſa exiret, ſin peccaret contra votum, delinqueret tamen adverſus divinam clementiam, cuius beneficia pro nihilo duceret, & contemneret. Subdit vero Angelicus ibidem. *Si vero in vovendo ſimpliciter de ingreſſu Religionis cogitavit, abſque hoc quod cogitaret de libertate exitus, vel de perpetuitate remanendi, videtur obligari ad ingreſſum Religionis ſecundum formam iuris communis, quæ eſt, ut ingredientibus detur annus probationis: unde non tenetur perpetuo in Religione permanere.* Itaque ſi, prævio experimento, ob iuſtam cauſſam egrediatur, voto ſatisfecit.

V. Quæſt. IV. *Qui vovit Religionem abſolute, nihil ſive de perſeverantia, ſive de egreſſu cogitans, ſatisfacit ne voto, ſi ingrediatur Religionem, & facto experimento, abſque ulla cauſſa, ſed ſola libertate ceteris candidatis voto ſolutis conceſſa, egrediatur?* Reſp. Adfirmant non pauci. Henricus Gandavenſis *quodlib.* III. *quæſt.* IX. *& quodlib.* XIII. *quæſt.* XV. Navarrus *Lib. III. Conſil. de voto conſil.* 25. *ſive* 19. Angelus *ver.* Votum 3. *num.* 18. & alii, quos citat Sanchez *Lib. IV. cap.* XVI. *num.* 89. Ratio iſtius opinionis eſt, quia votum, quemadmodum & iuramentum, omnes limitationes, ac exceptiones ſuſcipit quas ius tribuit, *l. final. cap. de condict. indeb.* Ergo votum Religionis intelligitur pro ſola experientia facienda iuxta iuris regulas. Quoniam ius tribuit facultatem candidatis experiendi intra annum probationis Religionem cum plena facultate egrediendi.

VI. Contrariam ſententiam, quæ probabilior eſt, & quam communiter Auctores tradunt, amplectimur. Ratio evidens eſt. Nam qui vovet Religionem, vovet ſe vitam ducturum in tali ſtatu, admiſſo quod ſtatus iſte, facto experimento, gratus ſibi ſit, nullaque ſufficiens ratio occurrat cur debeat ab eodem recedere. Si enim voveret Religionem, ex mero arbitrio relinquendam, nulla etiam urgente cauſſa; ingreſſus iſte vanus & futilis eſſet, ineptaque voti materia. Immo omnes qui ingrediuntur Religionem, ſi prudenter, ut præſumere debemus, agant, intendunt perſeverare in eadem: idque omnes qui prudenter votum Religionis edunt, ſibi præſtituunt. Ergo, nulla occurrente cauſſa receſſus, ut votum impleat, vovens tenetur in Religione perſeverare. Nec obſtat ratio contrariæ ſententiæ, quod ius plenam intra annum probationis libertatem recedendi concedit in foro exteriori, ne ſcilicet detur actio contra Novitios egredientes. Hinc etenim minime ſequitur poſſe Novitium, tametſi voto ſolutum, abſque ulla omnino cauſſa, & mero arbitrio recedere a Religione, quam ſemel ſerio animo amplexus fuerat. Licet enim non peccaret contra votum; peccaret tamen peccato levitatis, temeritatis, & ingratitudinis adverſus divinam bonitatem. Porro, ſi vel ipſi voto ſoluti peccarent, ſaltem venialiter, quoties abſque omni cauſſa a Religione ſuſcepta recederent; quid dicendum de iis qui voto forent obſtricti? Iſti ſane & graviter peccarent recedentes, & a voto neutiquam eſſen t liberi; ſed iterum ad ingreſſum, & experien-

riendam bona fide Religionem aſtringerentur. Ita docent Caietanus 2. 2. *quæſt.* clxxxix. *art.* 4. *dub.* 3. Armilla *ver.* Novit. *num.* 10. Sotus *Lib.VII. quæſt.* 11. *art.* 1. *ad* 3. Aragon 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 3. Toletus *Lib.IV. Sum. cap.* xvii. *num.* 12. Valentia 2. 2. *diſp.* vi. *quæſt.* vi. *punct.* 4. Manual. *Tom.II. Sum. cap.* xcv. *num.* 2. Leander *tract.* 1. *diſp.* xxi. *quæſt.* lvii. Sanchez *Lib.IV. cap.* xvi. *num.* 90. & alii plures.

VII. Quæſt. V. *Quænam ſunt iuſtæ cauſſæ reſiliendi a Religione?* Reſp. Ut ex dictis patet, ſive voto ſolutus, ſive voto obſtrictus, peccat iuxta communem ſententiam, ſi abſque ulla legitima cauſſa, ſed ex mero arbitrio deſerat Religionem quam erat ingreſſus. Hoc tamen eſt diſcrimen, quod liber a voto venialiter, voto ligatus mortaliter peccaret. Aſſignandæ nunc ſunt cauſſæ ſufficientes, ut tam ille qui vovit, quam qui non vovit, recedere licite valeat. Ac primo certum eſt, maiorem requiri cauſſam in eo qui Religionis votum emiſit, quam in eo qui Religionem ſine voto ſuſcepit. Ut enim Novitius liber a voto exire licite a Religione queat, ſufficit quæcumque rationabilis cauſſa: puta, quod Religio illi grata non ſit, quod in eadem prævideat non lætam ſe vitam ducturum &c. immo ſatis eſt ut probabiliter timere poſſit eiuſmodi mala. Ceterum qui ex voto Religionem ingreſſus fuit, non niſi ob cauſſas graves, & moraliter certas a Religione quam vovit, recedere valet. Eiuſmodi porro ſunt grave periculum alicuius damni magni momenti, ſive temporalis, ſive ſpiritualis; graviſſimæ tentationes, quas ei talis ſtatus afferret; impotentia ad onera Religionis ſuſtinenda; gravis parentum neceſſitas, idque genus ſimilia: quæ omnia prudentis viri iudicio ſubiicienda ſunt, ut, circumſtantiis inſpectis, quod expediens voventi iudicaverit, decernat. Qui non ſolum vovit Religionem, ſed etiam perſeverantiam in eadem, neque ob cauſſas ceteroquin iuſtas recedere valet. Sola hunc impotentia, & quod a Religione abſque illius culpa expellatur, a voto eximere valet. Si enim ſua culpa repelleretur, a voto liber minime eſſet.

VIII. Quæſt. VI. *Qui ultra votum Religionis vovet quoque perſeverantiam in eadem, tenetur ne ita perſeverare, ut ſi ex iuſtis cauſſis eum recedere contingat, debeat denuo eam ingredi?* Reſp. Qui duo vovit, ingreſſum ſcilicet, & perſeverantiam, non ſatisfacit voto ſolo ingreſſu, niſi addat ſimul perſeverantiam: ergo, ſi recedit etiam ex iuſta alioquin cauſſa, tenetur denuo tentare ingreſſum. Sola enim, ut modo dictum eſt, evidens impotentia ad profeſſionem, vel Religionis expulſio abſque voventis culpa, poteſt eum a voti vinculo liberare. Si tamen difficultas graviſſima ſuperveniret, tempore voti ignorata, poſſet recedere; at, tali difficultate ceſſante, teneretur iterum Religionem amplecti. Hæc ſententia mihi probabilior videtur: & licet multi Auctores contrariam defendant, plures tamen noſtram tuentur. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* clxxxix. *art.* 4. Caietanus *ibidem*. Sanchez

Lib.

Digitized by Google

Lib. IV. cap. XVI. *num.* 81. citans *Navar. Covar. Azor. Valent. Rodriq.* eam quoque ſuſtinet Candidus *diſquiſ.* XXV. *art.* 15. *dub.* 21. Layman *Lib. IV. tract.* V. *cap.* VI. *num.* 13. Portell. *verb.* Votum *num.* 42. Pellizarius *Tom. I. tract.* II. *cap.* VI. *num.* 21. Toletus *Lib. IV. cap.* XVII. *num.* 12. Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* II. *punct.* 5. *§.* 6. *num.* 22. Salmanticenſes *tract.* XV. *cap.* II. *punct.* 2. *num.* 28. Leander *tract.* I. *diſp.* XXI. *quæſt.* IIX. Baſſæus *Tom. II. verb. Votum*, Suarez *Tom. III. de Relig. Lib. IV. cap.* IV. *num.* I. Trullench *Lib. II. in Decal. cap.* II. *dub.* 20. *num.* 2. Lopez *I. P. inſtruct. cap.* IV. & plures alii.

IX. Quæſt. VII. *Qui voto perſeverandi in Religione ligatus expulſus eſt, tenetur ne in ſæculo remanens caſtitatem ſervare?* Reſp. In primis, ſi abſque ſua culpa fuerit expulſus, ipſum non teneri ad caſtitatem ſervandam certum videtur: quia caſtitas non includitur in voto ingreſſus, ſed in ſola profeſſione monaſtica: ergo, dum hæc non emittitur, votum caſtitatis non obligat. Hæc ratio evincit quoque ad caſtitatem eum non teneri, etiamſi propria culpa repulſus fuiſſet. Hanc ſententiam docent Caietanus 2. 2. *quæſt.* CLXXXIX. *art.* 3. *ad* 2. Armilla *verb.* Votum *num.* 18. Navarrus *cap.* XII. *num.* 47. & 48. Azorius *Lib. XI. cap.* XXII. *quæſt.* III. Sanchez *Lib. IV. cap.* XVI. *num.* CXI. Ioannes a S. Thoma *diſp.* XXIX. *art.* II. Trullench *Lib. II. cap.* II. *dub.* II. *num.* 20. Leander *tract.* I. *diſp.* XXI. *quæſt.* LXV. Si vero quis voviſſet Religionem & caſtitatem ſimul & principaliter, ad caſtitatem teneretur, etiamſi in ſæculo remaneret: ſi vero caſtitatem voviſſet dependenter a Religione, ceſſante voto Religionis, ceſſaret quoque votum caſtitatis: quia corruit acceſſorium, principali cadente. Quando dubium occurrit, num caſtitas promiſſa fuerit dependenter a Religione, tunc exploranda eſt voventis intentio, ſi ex verbis quibus votum conceptum fuit, dubium oriatur. Si autem de ipſius voventis intentione dubitetur, nec poſſit ex circumſtantiis dubium deponi; tunc obſervanda regula eſt quæ aſſerit, in dubiis tutiorem partem eſſe eligendam.

§. IV.

De tempore quo urget neceſſitas implendi votum Religionis.

I. QUI abſolute Religionem vovit nullo præfinito tempore, tenetur, quamprimum commode poteſt, votum implere, ut declaratum habetur Deut. XXIII. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Idipſum præcipitur Eccleſiaſtæ V. *Si quid voviſti Domino, ne moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis, & ſtulta promiſſio.* Cum dicitur, quam primum commode poteſt, ſenſus mi-

minime eſt quod quæcumque difficultas ſatis ſit ad differendum Religionis ingreſſum; ſed indicatur quod ſolummodo grave aliquod obſtaculum poteſt quandoque excuſare dilationem. Si enim quæcumque difficultas ſatis foret ad licite moras nectendas, vix umquam tempus adeſſet opportunum & commodum implendi votum. Illud ergo tempus opportunum pro voti executione reputatur quo vovens moraliter, ideſt abſque urgente, gravique impedimento, ſæculum relinquere, & Religionem amplecti valet. Sicut ergo ceteræ promiſſiones hominibus factæ indefinite ad executionem obligant, prima opportunitate oblata; ita & de promiſſione Deo nuncupata dicendum eſt. Qui enim nullum præſcripſit ſibi tempus, nullam rationem habet cur debeat expectare tempus futurum: alioquin ſemel conceſſo quod in futurum tempus differre poſſet promiſſionem ſuam, iam nullum poſſet pro executione tempus definiri. Quæ tamen non ita ſevere accipias velim, ut ad incitas redigas voventem. Sed præ oculis habenda eſt leg. *Quod dicimus ff.* de ſolutionibus. *Statim ſolvere cum aliquo temperamento temporis intelligendum eſt*. Item *leg.* Continuus *ſ.* Cum ita *ff. de verbor. obligat.* Eiuſmodi ergo adverbia *ſtatim*, *quam primum* admittunt quoddam temporis intervallum, quod nec minimum, nec maximum eſt, ſed congruum. Quodnam autem dicendum ſit congruum ſpatium, abſolute definiri nequit; ſed arbitrio prudentis eſt relinquendum. Modo brevius, modo longius ſpatium concedi poteſt, diverſitate circumſtantiarum ſpectata. Si bona fide res agatur, facillime quiſque definire poterit tale temporis intervallum.

II. Quæſt. I. *Qui voto Religionis obſtrictus eſt, peccat ne mortaliter ſi ingreſſum ſuum per annum integrum differat?* Reſp. Aliqui Auctores, ut Ledeſma *Tom. II. tract. x. ſcap.* 111. *dub. ult.* Rodriguez *Tom. II. cap.* xcv. *num.* 9. cenſent, dilationem duorum aut trium annorum requiri in voto Religionis, ut notabilis mora dicatur, & ut vovens mortaliter peccet; in ceteris vero votis, ut ieiunii, eleemoſynæ, peregrinationis &c. quæ perpetuum divinum obſequium non inſpiciunt, maiorem concedunt dilationem; & tunc ſolum voventem peccare mortaliter, cum periculo non implendi votum ſe exponit. Hæc opinio nimis laxa eſt. Licet enim plus temporis requiratur in votis aliis a Religione, nullius tamen promiſſionis executio tam longo ſpatio abſque gravi culpa differri poteſt. Communiter ergo Auctores ſentiunt, peccare mortaliter voto Religionis devinctum, ſi data opportunitate ultra dimidium anni voti ſui executionem procraſtinet. Plus temporis pro aliorum votorum executione permittunt, quia in his per dilationem nihil divino obſequio ſubtrahitur. Si quis tamen ultra unum aut alterum annum etiam iſtorum executionem protraheret; peccaret mortaliter, niſi gravia excuſarent impedimenta.

III. Quæſt. II. *Qui tempus definivit pro voti ſui executione, tenetur ne intra præfiniti*

finiti temporis intervallum ſuum votum implere? Reſp. Adfirmant omnes. Difficultas ſolum occurrit, utrum, ſi prævideat impedimentum, quod impoſſibilem deſignato tempore reddat voti obſervantiam, teneatur prævenire tempus illud. Negant communiter, & merito Auctores: quia votum non obligat præter voventis intentionem: vovens autem ante definitum tempus noluit ſe obligare: ergo illud anticipare haudquaquam tenetur; quemadmodum non aſtringitur quis audire Miſſam ante diem feſtum, nec tempore bacchanaliorum ieiunare; licet prævideat & in die feſto, & in quadrageſima futura impedimenta, quibus & a ſacro audiendo, & a ieiunio ſervando prohibeatur. Suarez *Tom. I. de Relig. Lib. V. de voto cap.* XIV. *num.* 5. Bonacina *Tom. II. diſp.* IV. *quæſt.* II. *punct.* 5. *§.* 1. *num.* 11. Caſtropalaus *tract.* XV. *punct.* 15. Salmanticenſes *tract.* XV. *cap.* II. *punct.* 3. *num.* 33. & alii.

IV. Quæſt. III. *Quomodo ſe gerere debet vovens in executione voti, ſi tempus definitum latitudinem excipiat?* Reſp. Si quis promiſit ſe Religionem ingreſſurum intra annum, ſex menſes &c. non tenetur, niſi in ultimo intervallo temporis deſignati. Si tamen prævideret eo ultimo temporis ſpatio aliquod ſibi futurum impedimentum, tunc executionem anticipare deberet: quia totum deſignatum tempus executioni voti obnoxium eſt. Ergo, dum prævidet ſe non poſſe illud implere in hoc determinato temporis ſpatio, tenetur in alio. Idcirco namque dividuum, latumque tempus ſibi vovens præſtituit, ut, ſi in aliquo intervallo obſtacula occurrerent, in alio poſſet intervallo libere ab impedimentis ſuum votum implere; quemadmodum, ſi quis prævideat ſe non poſſe audire in die feſto Miſſam circiter meridiem, tenetur mane eam audire: quia totum tempus illud obligationi eſt alligatum. Ita D.Thomas in *IV. diſt.* XXXVIII. *quæſt.* I. *art.* 3. *quæſtiunc.* I. *ad* 7. Suarez *Tom. II. de Relig. Lib. V. cap.* XII. *num.* 7. Sanchez *Lib. IV. cap.* XIV. *num.* 18. Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* II. *punct.* 5. *§.* 1. *num.* 13. Salmanticenſes *tract.* XV. *cap.* II. *punct.* 3. *num.* 34. & communiter alii.

V. Quæſt. IV. *Qui tempore deſignato votum non implevit, tenetur ne elapſo tempore illud implere?* Reſp. Adfirmat communis ſententia: quia temporis definitio ſtatuta fuit, non ad extinguendam, ſed ad maturandam obligationem. Qui enim vovet tempore determinato Religionis ingreſſum, duplex ſibi imponit onus, ingreſſum ſcilicet Religionis, & executionem eius intra definiti temporis cancellos. Violata hac ſecunda obligatione, conſiſtit prima. Secus dicendum, ſi voviſſes ieiunium in vigilia alicuius ſolemnitatis: quia clarum eſt, ieiunium illud per ſe ſpectare honorem, & obſequium offerendum Deo in honorem talis Sancti: elapſo autem eo die, voti quoque finis elabitur. Ceterum vota quæ ſpectant immediate bonum voventis, elapſo tempore præſtituto, adhuc impleri debent. Anne, ſi creditori promitteres debiti ſolutionem intra menſem, liber eſſes a debito ſolvendo,

eo

eo quod intra menſem non ſolveris? Nemo id dixerit. Sententia iſthæc communis eſt.

VI. Quæſt. V. *Qui vovit Religionem ob aliquem peculiarem finem, vel dependenter ab aliqua conditione, eſt ne a voti obligatione abſolutus, ceſſante voti fine, vel conditione?* Reſp. Quando conditio, vel finis eſt tota, & unica cauſſa emittendi votum, ceſſante fine, vel conditione, ceſſat votum, ut omnes fatentur. Sic, ſi voviſti Religionem ob id ſolum ut evitares ſocietatem talis mulieris; ſi hæc denaſcitur, liber a voto es. Si Religionem voveas, dummodo a tali morbo, quo aſſidue laboras, convalueris, dummodo pater conſenſerit &c. deficientibus his conditionibus, a voto, nemine diſſentiente, immunis es.

VII. Quæſt. VI. *Qui voto conditionali ligatus ſponte impedimenta apponit ne conditio eveniat, liber ne a voto evadit?* Reſp. Priuſquam reſponſionem exhibeo, vota conditionata deſcribenda ſunt, quoniam diverſi generis eſſe poſſunt. Si quis hoc votum emitteret, *Voveo Religionem, ſi in tale flagitium lapſus fuero*, certum eſt voventem liberum a voto evadere, ſi flagitium vitaverit; quamquam animo non implendi votum ab illo abſtinuerit: ſiquidem votum illud per modum pœnæ ſibi impoſuit; &, quod primo rationabiliter intendit, fuit peccati fuga. Quare, donec in peccatum non labatur, ad votum non tenetur. Nullo autem modo peccat contra votum; etiamſi peccati fuga votum vitare ſtudeat: quia ille ſibi tale ius ſervavit, utendi ſcilicet voti, & oneris ſubeundi conſideratione, ceu freno quo facilius a peccato declinet. Idque convenit inter omnes. Difficultas potius eſt de eiuſmodi votis, *Voveo Religionem, ſi tale peccatum non perpetravero*; & vovens poſtea deliberato animo in peccatum prolabitur, ut a voto immunis evadat: *Voveo Religionem, ſi in talem locum conceſſero, ſi ab infirmitate convaluero, ſi pater conſenſerit* &c. ac deinde comeſſationibus ventrem vexat, ne ſanus fiat, ad locum illum accedit, ne conditio eveniat, patrem fraude, & dolo a conſenſu præſtando removet: difficultas, inquam, eſt utrum hic vovens qui ſic ſe gerit, ſolutus ſit a voti vinculo.

VIII. Adfirmant Salmanticenſes *tract.* xv. *cap.* 11. *punct.* 4. *num.* 40. & pro hac ſententia laudant *Suarez*, *Bonacinam*, *Laymanum*, *Filliucium*, & *Dianam*. Quandoquidem, inquiunt, vovens non aliter ſe obligare intendit, niſi conditione impleta: ergo, quocumque modo conditionis impediatur eventus, voti vinculum ſolvitur; ſicuti, ſi quis vel pedeſter in die ieiunii iter agat, ut nimium deſatigatus a ieiunii lege liberetur, vel infirmitatem conſulto contrahat, ut in quadrageſima a ieiunii obligatione evadat immunis, vel animo non ieiunandi recedat ab urbe, in qua ſit obligatio ieiunii, & ad alium locum proficiſcatur, ubi nulla ſit ieiunii obligatio; profecto liber eſt ab obſervatione ieiunii. Ut ab iſtorum exemplorum confutatione exordiamur, dicimus exempla iſthæc eſſe prorſus inepta.

Qui

Qui infirmitatem data opera contrahit, liber a quadrageſimali abſtinentia evadit, quia effectus impotens ad ieiunium ſervandum. Idem dicendum de eo qui pedes iter arripit. Si autem defatigatio tanta non eſſet, ut impotentem eum conſtitueret ad ieiunium, ieiunare teneretur. Nec magis ad rem facit exemplum, illius qui a loco lege ieiunii aſtricto ad locum liberum a tali lege pergit, ut ieiunii obligationem declinet: quamvis enim hanc ſententiam admitteremus, eum eſſe a ieiunii obligatione abſolutum; ſemper adhuc exemplum nimis a ſcopo recedit: eo quod lex illa localis eſt; vota autem de quibus loquimur in præſenti, perſonalia ſunt, quæ non locum, ſed perſonam afficiunt. Ratio porro quam produnt, exemplis reiectis ſolidior minime eſt. Quoniam, licet verum ſit voventem non aliter ſe voti obligationi ſubiicere quam adiecta conditione impleta; tamen id ſolummodo verum habet, dum vovens bona fide incedit, dum ſcilicet nihil apponit, nihil agit ut conditio non impleatur. Sed; dum ipſe fraude, & dolo impedire conditionem ſtudet; voto utique manet adſtrictus. Clarius rem enucleemus. Duplici modo intelligi poteſt voventem ſe nolle voto obligare, niſi poſita conditione: ſiquidem vel id, dum votum elicit, intendit; vel poſt emiſſum votum. Non primum. Quis enim eſt qui votum conditioni illiget, ſimulque animum habeat fruſtrandi conditionem? *Voveo Religionem, ſi convaluero; ſimulque ſtatuo me omnia præſtiturum ut ſanitatis aſſecutionem impediam. Voveo Religionem, ſi pater conſenſerit; fraudibus tamen, & dolis non parcam, ut patrem a præſtando conſenſu abſtraham.* Nonne ſtultus haberetur qui ſic voveret? Præſumi ne poteſt quempiam ratione præditum ſimilia vota edere? Nonne quiſque liber eſt ut edat, aut non edat votum? Qui animum haberet non apponendi conditionem, cui votum ſupponit, a voto, & a conditione abſtineret: qui enim non vult conditionem, non vult votum; qui autem non vult votum, votum non edit. Nemo ergo prudens, dum elicit votum, intendit fruſtraneam reddere etiam malis artibus voti conditionem. Nec videtur eſſe de hoc ambigendi locus. Porro, ſi votum ſincero animo conditioni annectit, intenditque votum impleta conditione exequi; iam ſibi facultatem non ſervat impediendi eventum conditionis: alioquin dicendum eſſet, ſibi quoque ſervare facultatem impediendi, ſeu non exequendi votum ipſum abſolute editum. Si vero poſt emiſſum votum conditionem apponit, hæc conditio nulla eſt, ut patet. Undique ergo corruit opinio iſthæc.

IX. Dicimus ergo, teneri præfatum voventem ad ſui voti executionem, quoties ſua culpa curavit aut ne conditio eveniret, aut ut eveniret contra intentionem quam habuit, dum votum emiſit. Et hoc expreſſum habemus leg. *In execution.* ſ. ult. ff. de verbor. obligar. *Quicumque ſub conditione obligatus curaverit ne conditio exiſteret, nihilominus obligatur.* Ratio quoque ex contrariæ ſententiæ con-

confutatione manifeſta eſt. Accedit quod nemò ex iniquitate & fraude proventum colligere debet; neque fas eſt ut cuiquam dolus patrocinetur. Qui votum conditionatum elicit, tacitam voluntatem habet non impediendi conditionem cui votum affigit. Qua voluntate ſemel poſita, nulla ſupereſt facultas, qua eadem conditio fruſtrari valeat. Huic ſententiæ fautores accedunt Sanchez *Lib. IV. cap.* XIII. *num.* 27. Trullenchus *Lib. II. cap.* 11. *dub.* 19. *num.* 9. Angelus *verb.* Votum 1. *§.* 10. & alii. Plurima alia quæ de hoc voto dicenda eſſent, ad tractatum de ſtatu religioſo dicenda remittimus.

DISSERTATIO III.

DE IIS QUI VOVERE POSSUNT.

De Votorum ceſſatione ob ceſſationem cauſſæ finalis, rerumque mutationem; atque de eorumdem irritatione, diſpenſatione, & commutatione.

PLURIMA verſare aggredimur in hac diſputatione, ſcitu maxime neceſſaria. Quædam dicentur Libro ſequenti *diſſ.* VII. *cap.* IV. de iuramentorum irritatione, quæ omnimodam connexionem habent cum his quæ in præſentia excutienda veniunt. Quæ ibi brevi calamo perſtringentur, fuſius hic explicabimus. De iis qui facultate potiuntur vota emittendi, facilis eſt diſputatio: ideo illam breviſſime expediemus. Longior erit ſermo de votorum relaxatione. Quinque modis ſive vota, ſive iuramenta ceſſare poſſunt, videlicet irritatione, diſpenſatione, commutatione, finis ceſſatione, & gravi rerum quæ promiſſæ ſunt, non præviſa mutatione. De quibus omnibus ſingillatim ſermonem habebimus.

CAPUT I.

De iis qui vota edere valent.

I. QUI rationis uſu potiuntur, omnes vovere poſſunt de rebus illis quæ ſub eorum cadunt dominio & libertate, ut cum omnibus Theologis docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 8. & 9. Quapropter a votis edendis excluduntur ii ſoli qui rationis uſu ſunt deſtituti, ut furioſi, amentes, ebrii, dormientes, & pueri, antequam rationis lumen illis affulgeat.

II. Porro quamvis omnes ratione præditi emittere vota valeant, ut tamen eadem exequi poſſint, dominium requiritur earum rerum quas Deo nuncupant. Quapropter vota impuberum irritari a parentibus queunt: quia firma non ſunt, niſi ſub tacita conditione quod placita parentibus ſint: quandoquidem eiuſmodi vo-

Digitized by Google

voventes, licet rationis uſum habeant, rerum tamen dominio carent, quia ſub parentum poteſtate conſtituti reperiuntur. Igitur vota Religioſorum, filiorum, famulorum, uxorum invalida ſunt, niſi conſenſus Prælati, patris, domini, mariti accedat, quando vota edita cedant in iſtorum præiudicium.

III. Quæſt. I. *Vota Religioſorum ſine Prælati licentia emiſſa de materia honeſta, quæ nec iuriſdictionem, nec ordinem ullo modo perturbat, ſunt ne valida?* Reſp. Magnum eſt hac de re diſſidium inter Auctores. Negant valida eſſe eiuſmodi vota Angelus *verb.* Votum 2. *num.* 3. Roſella *verb.* Votum 2. *num.* 14. Valentia 2. 2. *diſp.* VI. *quæſt.* VI. *punct.* 6. *num.* 1. Caramuel *in Reg. D. Bened. num.* 1798. Peyerinus *Tom. II. de Prælato quæſt.* III. *cap.* III. *num.* 3. aliique. Pro hac opinione afferri in primis ſolet ſancti Thomæ auctoritas ex 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *art.* 8. *ad* 3. ubi hæc habet. *Religioſus ſubditus eſt Prælato quantum ad ſuas operationes ſecundum profeſſionem Regulæ: & ideo etiamſi aliquis ad horam aliquid facere poſſit, quando ad alia non occupatur a Prælato; quia tamen nullum tempus eſt exceptum in quo Prælatus non poſſit eum circa aliquid occupare, nullum votum Religioſi eſt firmum, niſi ſit de conſenſu Prælati; ſicut nec votum puellæ exiſtentis in domo, niſi ſit de conſenſu patris; nec uxoris, niſi ſit de conſenſu viri.* Pro hac eadem ſententia affertur cap. *Monacho* XX. quæſt. IV. *Monacho non licet vota vovere ſine conſenſu Abbatis. Si autem voverit, frangendum erit.* Rationes quoque eidem ſuffragari videntur. Quoniam votum ſolemne Religionis, ſicut extinguit omnia vota antea emiſſa, ſic impedit ne nova emittantur. Accedit quod Religioſi vi votorum ſolemnium ſubduntur Prælatis, non ſolum quantum ad materiam promiſſam, ſed etiam quantum ad voluntatem qua promittunt. Voluntates quippe Religioſorum, quorum nec velle eſt, nec nolle, ſub dominio Prælatorum conſtitutæ ſunt. Hæc opinio ſua non caret probabilitate.

IV. Probabilior tamen eſt contraria, quæ docet, valida eſſe vota Religioſorum, quæ detrimentum nullum afferunt vel ſuperiorum iuriſdictioni, vel rectæ adminiſtrationi Religionis; nec ſunt de materia a Regula vetita, ſed de re honeſta, & ſupererogationis: puta vota ieiunandi in honorem alicuius Sancti, recitandi aliquas preces, & id genus ſimilia. Quandoquidem res promiſſa per eiuſmodi vota bona eſt; nec meliori bono infeſta, ſed conſentanea. Non eſt ergo cur vota eiuſmodi invalida ſint cenſenda. Voluntates ſubditorum ſubditæ ſunt Prælatorum dominio in iis quæ regimen, & adminiſtrationem Religionis ſpectant; in aliis vero non ita ſubduntur poteſtati ſuperiorum, ut nequeant Deo promittere quæ illi grata fore arbitrantur. Clarius rem explico. Admitto utique voluntates ſubditorum ita ſubiectas eſſe Prælatis, ut nihil contra iſtorum voluntatem agere, vel promittere queant. Et hoc ad perfectum regimen requiritur. Sed hinc tantum infertur vota Religioſorum firma, & ſtabilia eſſe non

poſſe ſine Prælatorum auctoritate: quia, quando Prælati eiuſmodi vota perſpecta habuerint, eadem irritare queunt; quouſque vero illis non innoteſcunt, valida ſunt, & ſubditi eadem ſervare tenentur. Nec obſtringuntur illa Prælatis ſuis manifeſtare, niſi ratio aliqua ſpecialis occurreret. Rationes quæ pro contraria ſententia afferuntur, evincunt vota præfata firma non eſſe, & ſtabilia: quia Prælati eadem irritare valent. Et hoc verum eſt: eiuſmodi namque vota ſemper eliciuntur, ſeu elici debent, cum hac vel expreſſa, vel tacita conditione: *Si ſuperior non contradicat, aut non impediat*. Auctoritas S. Thomæ probat quidem, vota iſthæc non eſſe firma, ideſt indiſſolubilia; minime vero non eſſe valida, uſquedum non irritentur per ſuperiorem. Id ſonant verba S. Doctoris: *Nullum votum Religioſi eſt firmum, niſi ſit de conſenſu Prælati*: firmum dicit, non validum. *Cap. Monacho* apocryphum eſt, nulliuſque ponderis. Quamquam, etſi legitimum eſſet, nihil ex eo contra ſententiam noſtram eliceretur. Aſſeritur ibi namque, *frangendum* eſſe votum editum abſque conſenſu ſuperioris, quod ultro concedimus: haudquaquam vero dicitur, votum non eſſe validum, donec a Prælato irritetur. Votum ſolemne profeſſionis impedit ne ulla edantur vota quæ regimen, & adminiſtrationem exteriorem Religionis perturbent; minime vero ne vota nuncupentur quæ voventem ſolum afficiant: & hoc in ſenſu voluntas ſubditorum ſubdita eſt voluntati Prælatorum, quatenus ſcilicet nihil poſſunt ſubditi velle quod diſciplinæ monaſticæ ingerat nocumentum. Potiori iure hoc quod dicimus, verum habet circa vota quæ ſubditi edere valent de actibus internis fidei, ſpei, caritatis, & ſimilibus. Quæ ſtatuimus de Religioſis, applicanda ſunt filiisfamilias, famulis, & uxoribus, omnibuſque ſub aliena poteſtate conſtitutis. Immo iſtorum nemo tam arctis vinculis devincitur domino, marito, parentibus, ſicut Religioſi Prælatis. Illorum ſubiectio vilioris ſervitutis ſpeciem præfert; iſtorum vero obedientia perfectius ac nobilius propriæ voluntatis exhibet holocauſtum. Hanc ſententiam docent Caietanus 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *art.* 8. *ad* 3. Navarrus *in Man. cap.* XII. *num.* 69. Ludovicus Lopez *inſtruct. cap.* XLVIII. Medina *Sum. Lib. I. cap.* XIV. *§.* 6. Prado *cap.* XXXI. *quæſt.* XII. *§.* 4. *num.* 23. Caſtropalaus *tract.* XV. *diſp.* 1. *punct.* 19. *num.* 2. Sayrus *in Clavi Reg. Lib. VI. cap.* V. *num.* 22. Sum. Coron. *III. Part. tract. de vot. num.* 6. Trullenchus *Lib. II. cap.* 11. *dub.* 11. *num.* 7. Baſſæus *Tom. I. ver.* Vot. 5. *num.* 12. & *Tom. II. verb.* Votum 1. *num.* 21. Ioannes a S. Thoma 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *diſput.* XXIX. *art.* 16. Sanchez *Lib. IV. cap.* XV. *num.* 6. Suarez *Tom. II. de Relig. Lib. III. cap.* V. *num.* 3. Filliucius *tractat.* XXVI. *cap.* VI. *num.* 172. Azorius *Lib. XI. cap.* XVII. *quæſt.* IV. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* 1. *punct.* 8. *num.* 183. Leander *tract.* 11. *diſput.* V. ubi plures alios citat, nempe Sotum, Fagundez, Armillam, Leſſium, Aragonium, Mirandam, Portellum, Peyerinum, & Tamburinum.

V.

Digitized by Google

V. Quæſt. II. *Valida ne eſſent vota quæ Religioſi ederent de rebus ſive a Regula, & conſtitutionibus, ſive a ſuperiorum præcepto vetitis?* Reſp. Omnes adfirmant, eiuſmodi vota nulla fore, etiamſi res votis ſubiectæ vetitæ tantummodo eſſent lege, ſive ſtatutò ad nullam culpam, ſed ad ſolam pœnam obligante. Ratio evidens eſt: quia votum de re mala, qualis eſt quæque res quocumque modo vetita, ut nullum ab omnibus reiicitur. Si res voto ſuppoſita vetita tantummodo foret, ne abſque licentia Prælati fieret; obtenta licentia, validum votum eſſet. Quapropter Religioſus qui vovere res eiuſmodi cupit, priuſquam votum edat, licentiam poſcere debet. Nullum eſt item votum de re vetita, etiamſi vovens ignoret prohibitionem. Quare, cognita lege vetante, non tenetur ſervare votum quod prius ſervabat ob ignorationem legis; neque aſtringitur ad petendam licentiam. Si res promiſſa, dum votum editum fuit, vetita non erat; continuo ac prohibetur, voti vinculum abrumpitur. Si talis prohibitio revocaretur, vel ad aliud Cœnobium, in quo nulla eſſet prohibitio, vovens accederet; conſurgeret votum. Quando vero teneatur vovens petere licentiam aut exequendi votum emiſſum, aut emittendi votum aliquod; id ex circumſtantiis pluribus pendet. Unde hæc omnia arbitrio prudentis viri relinquenda ſunt. Satius abſolute, tutiuſque eſt adamuſſim leges, & ſtatuta propriæ profeſſionis ſervare, miſſis votis, quæ frequentius illi edunt qui in profeſſionis propriæ obſervantia negligentiores ſunt, ſibi illudentes, quod votorum arbitraria ſuſceptio excuſare illos valeat a ſuæ profeſſionis tranſgreſſione. Antiqua debita ſolvenda ſunt, priuſquam alia nova contrahantur. Hæc omnia communia ſunt, & vera. Quin nec vota facile edenda ſunt de obſervantia Regulæ, & conſtitutionum; edita tamen valida ſunt, obligantque, uſquedum Prælatus non diſpenſaverit.

VI. Quæſt. III. *Validum ne votum eſt editum a Prælatis Regularium elargiendi eleemoſynam?* Reſp. Prælati Regularium adminiſtratores ſunt bonorum Conventuum relate ad bonum commune tum ſpirituale, tum temporale Religionis: quare congruas eleemoſynas non modo licite erogare poſſunt, ſed etiam debent: ad id enim facultatem a Conventibus habent. Conventus Regularium præcepto evangelico eleemoſynæ ſunt ſubiecti arctiori vinculo quam ſæculares: tum quia in hunc finem illis fideles bona donarunt, ut, proprio victu, & veſtitu ſubducto, quæ ſuperſunt, pauperibus diſtribuant; tum quia profeſſio paupertatis, & perfectioris caritatis evangelicæ peculiari eos aſtringit obligatione. Porro Prælati inſtituuntur, non modo ut eadem bona ſubditis diſtribuant iuxta variam eorumdem indigentiam, verum etiam ut penſionem illis bonis annexam de eleemoſyna eroganda ſolvant. Iſtorum ergo vota de conſuetis eleemoſynis valida ſunt. Si tamen extraordinarias inſignes eleemoſynas elargiendi occaſio urgens daretur,

Digitized by Google

Conventuum Patres conſulere deberent, quemadmodum leges præſcribunt. Doctrina communis, & vera.

VII. Quæſt. IV. *Valida ne ſunt vota ſubditorum Regularium edita ſine licentia Prælatorum elargiendi in eleemoſynam quidquam de bonis ipſis ad uſum conceſſis?* Reſp. Adfirmant Sanchez, Suarez, Caſtropalaus, quos laudat, & ſequitur Leander *tract.* 11. *diſp.* v. *quæſt.* ix. Votum, inquiunt, eiuſmodi emittitur ſub tacita conditione, *Si ſuperior licentiam dederit*: & ideo Religioſi, qui votum elicuerunt, ad petendam licentiam obſtringuntur, niſi ex præſcripta conſuetudine illis conceſſa ſit: nec enim talis eleemoſyna dedecet ſtatum religioſum iuxta iſtorum Doctorum opinionem. Hanc nos ſententiam ut falſam, & improbabilem reiicimus. Quoniam vota quæ ſunt de materia non ſubiecta poteſtati voventis, nulla ſunt. Regulares autem ſubditi, vi voti paupertatis, cuiuſque rei temporalis dominio deſtituti ſunt. Nullæ ergo ſunt promiſſiones diſtribuendi bona non ſua, ſed aliena. Audio innumeras adverſantium Auctorum argutationes, quæ omnes ad hoc reducuntur, nempe quod licet nihil poſſideant Regulares, uſum tamen bonorum habent; atque adeo, licentia accedente Prælati, congruam eorumdem portionem pauperibus diſtribuere licite valent. Validum ergo erit illorum votum, factum ſub conditione conſenſus a Prælato obtinendi. Hæc omnia falſo nituntur principio. Prælatus licentiam ſubditis ſuis impertiri valide, & licite poteſt utendi bonis pro neceſſario victu, & veſtitu; minime vero poteſtas eius extenditur ad impertiendam licentiam pro bonorum quæ victui, & veſtitui ſuperſunt, diſtributione: quoniam bona iſta ſuperflua ad patrimonium commune pertinent, cuius adminiſtratores ſolummodo ſunt Prælati, & officiales. Præterquamquod conceſſio iſtius licentiæ ſpeciem mali præfert: vel etenim fovet, vel potius viam aperit ad proprietatem, quæ bono communi tum ſpirituali, tum temporali ſummopere adverſatur, & paupertatis votum penitus labefactat. Contrariæ opinionis Auctores in hypotheſi loquuntur quod peculio Religioſi peculiari potiantur: quo admiſſo, inferunt poſſe ipſos eleemoſynas congruas largiri pauperibus. Conſequens rectum foret, ſi hypotheſis ex qua elicitur, vera eſſet. Sed nos conſequentiam negamus: quia principium ex quo deducitur, falſum decernimus: de quo tamen fuſius ſuo loco, ubi ſcilicet oſtendemus, falſo ſupponere Auctores iſtos, Religioſos eodem modo quo uxores, & filiosfamilias, eleemoſynas elargiri poſſe: etenim Religioſi, præter dominii privationem, in qua cum minoribus, famulis, & uxoribus conveniunt, uſu quoque (victu, & veſtitu exceptis) bonorum, & adminiſtratione, vi regularum quas profitentur, carent. Sed de hoc alibi.

VIII. Hinc colligitur, falſam omnino eſſe, ut ego quidem arbitror, ſententiam quam tradit Leander *tract.* 11. *diſp.* v. *quæſt.* x. pro qua citat, & vere, Sanchez

Lib

Digitized by Google

Lib. IV. cap. xxv. *num.* 15. valida nempe eſſe vota quæ ederent Religioſi ſubditi elargiendi eleemoſynas de bonis Conventus, quorum nullam habent adminiſtrationem. Vota eiuſmodi non modo invalida, ſed futilia quoque mihi videntur. Quid enim dementius quam aliquem ea ſpondere quæ nullo modo ſunt eius poteſtati ſubiecta? Ideo a prolixiori confutatione abſtineo. Nobiſcum ſentit Suarez *Lib. III. de voto cap.* vii. *num.* 5.

IX. Quæſt. V. *An Eccleſia valeat leges ferre quibus aliquæ perſonæ ad vovendum inhabiles declarentur?* Reſp. Si ſermo ſit de votis ſolemnibus, quæ publicam ſpectant Eccleſiæ diſciplinam, nulla eſt difficultas. Patet enim ante completum quintumdecimum annum nullam eſſe profeſſionem monaſticam. Controverſia eſt de votis ſimplicibus, ac potiſſimum de illis quorum materia ſunt actus interni. Sunt qui negant talem Eccleſiæ poteſtatem in actus internos dominantem. Nequit ergo iuxta Auctores iſtos inhabiles reddere homines ratione præditos ad elicienda vota, quibus actus ſuos interiores Deo nuncupent: eiuſmodi enim vota iuris divini ſunt, & de re Deo grata. Cur ergo non obligabunt? Pro hac ſententia Salmanticenſes *tract.* xvii. *cap.* 1. *punct.* 7. *num.* 179. laudant Caietanum 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *artic.* 9. *initio*; qui tamen aperte eam non docet, ſed ambigue loquitur, aitque tantum, quod *ante factum Eccleſia habet maiorem poteſtatem ſupra votum ſolemne quam ſupra ſimplex: quoniam ſtatuta Eccleſiæ ſunt in eius poteſtate; ſingulorum autem animi interiores motus, in quibus perficitur votum ſimplex, non ita ſubſunt Eccleſiæ*. Quod interni libertatis humanæ actus non eodem modo ſubſint ac ſtatuta & leges exteriores, Eccleſiæ poteſtati, & conſequenter quod maiorem, ut ait Caietanus, *poteſtatem* Eccleſia habeat in votum ſolemne quam in ſimplex, res evidens eſt. Hoc porro, & nihil amplius Caietanus docet. Ceterum quod indirecte poſſit Eccleſia promiſſiones etiam internas Deo factas irritas declarare, niſi tales ſerventur conditiones, nec Caietanus negavit, nec cur negetur adeſt ratio. Ideo dicimus, Eccleſiam, gravi urgente cauſſa, conditiones præſcribere poſſe, quibuſcum aliqua vota etiam interna edantur; & quibus non ſervatis, vota irrita ſint. Quænam enim repugnantia, quod Eccleſia vota reiiciat, licet de re bona, niſi tales & tales conditiones ſerventur? Hanc ſententiam docent Suarez *Tom. II. de Relig. Lib. III. de voto cap.* iii. *num.* 8. Sanchez *Lib. IV. cap.* xxiv. *num.* 42. Caſtropalaus *tract.* xv. *diſp.* xv. *punct.* 19. *num.* 2. Torre 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 9. *num.* 2. Salmanticenſes *tract.* xvii. *cap.* 1. *punct.* 7. *num.* 180.

X. Quæſt. VI. *An Epiſcopi vovere poſſint abdicationem Epiſcopatus, vel ingreſſum Religionis, ſummo Pontifice inconſulto?* Reſp. Sententia communis negans eſt: quia talis abdicatio vetita illis eſt *cap.* Niſi cum pridem *de renuntiat.* & *cap.* Licet *verſic.* Illa *de Regul. & leg. Regia* iii. *titul.* viii. *part.* 1. Cum ergo ambo

vota, tam abdicandi Epiſcopatum, quam ingrediendi Religionem, ſint de re interdicta ab Eccleſia; tenentur Epiſcopi ante voti emiſſionem ſummi Pontificis conſilium petere. Unde, licet eiuſmodi vota abſolute invalida non ſint; executioni tamen mandari nequeunt, niſi prius impetrata licentia; qua denegata, liberi voventes erunt a voti lege.

XI. Quæſt. VII. *Poſſunt ne Epiſcopi, inconſulto ſummo Pontifice, peregrinationem vovere?* Reſp. Si ſolum illius temporis intervallum quo Epiſcopi a ſuis Eccleſiis abeſſe licite poſſunt, ſatis ſit ad peregrinationem conficiendam; validum eſſe votum, certum eſt: quia peregrinatio res honeſta ſuapte natura eſt, & in hypotheſi facta nullum inferret damnum Eccleſiæ. Secus dicendum, ſi peregrinatio longius temporis ſpatium exigeret quam ſit illud quo Epiſcopi ab Eccleſiis ſuis abeſſe licite queunt. Invalidum ergo aſſerimus eiuſmodi votum, etiamſi factum ſub conditione impetrandi licentiam a ſummo Pontifice. Quandoquidem reſidentia Paſtorum, & maxime Epiſcoporum, iuris naturalis eſt, ac divini. Ergo peregrinatio quæ hanc violat naturalem, ac divinam legem, mala evadit. Votum autem de re mala illicitum eſt, & nullum. Hoc, inquiunt aliqui, verum eſt, dum votum editur ab Epiſcopo, abſque conditione petendi licentiam; ſecus, hac adiecta conditione. Verum, cum peregrinatio quæ Epiſcopum cogit valde diuturno tempore a ſua abeſſe Eccleſia, abſolute loquendo ratio ſufficiens non ſit obtinendi licentiam, nec Pontifices ſummi ob ſolam peregrinationem ab arctiſſimo reſidentiæ vinculo Epiſcopos ſoleant diſpenſare; idcirco talia vota, tamquam inepta & invalida, ſunt reiicienda. Tunc autem vota conditionata valida dicuntur, quando conditio moraliter evenire ſolet; ut, ſi Religioſus votum eliciat ieiunandi tali die, recitandi tales preces, ſi ſuperior conſenſerit, validum eſt: quia conſenſus ſuperioris res facilis eſt, & paſſim conceditur. At conditio licentiæ pontificiæ pro peregrinatione, quæ longo temporis intervallo cogat Epiſcopum abrumpere vinculum illud naturale, & divinum reſidentiæ in propria Eccleſia, vix moraliter poſſibilis eſt. Neque enim Pontifices ſummi, niſi urgentiſſima cauſſa promovendi commune bonum Eccleſiæ, facultatem Epiſcopis impertiuntur recedendi longum tempus a ſuis Eccleſiis. Peregrinatio autem, devotionis peculiaris titulo ſuſcipienda, numquam poteſt eſſe ratio prævalens bono reſidentiæ; nec conſequenter idonea cauſſa cur Pontifices ſummi valeant licentiam talem concedere. Leander *tract.* XI. *diſp.* V. *quæſt.* XVIII. contendit ambas ſententias iſtas conciliare hoc pacto. Si peregrinatio gratior ſit Deo quam ipſa Epiſcopi reſidentia, votum validum eſt; ſecus, ſi reſidentia Epiſcopi gratior Deo ſit, & maius bonum quam ipſa peregrinatio. Verum priorem hypotheſim ut inutilem reiicimus: quoniam vix excogitari poteſt eventus in quo peregrinatio moroſa melior ſit quam reſidentia; & ideo ſatius eſt abſolute pronuntiare, eiuſmodi vota nulla eſſe, quoniam de materia mala & il-

& illicita, quæ lædit debitum epiſcopalis reſidentiæ. Porro, ſi vix, ac ne vix quidem, contingere valet ut peregrinationis bonum prævaleat bono reſidentiæ; nullum datur fundamentum obtinendi licentiam a ſummo Pontifice pro talis voti executione; atque adeo conditio adiecta voto, eſt de re moraliter impoſſibili: Nullum igitur tale votum.

XII. Quæſt. VIII. *An Parochi, vel Beneficiati reſidentiæ vinculo aſtricti, poſſint Religionem vovere, eamque ingredi, proprio Epiſcopo inconſulto?* Reſp. Quod poſſint, inconſulto Epiſcopo, Religionis ingreſſum vovere, non eſt qui in dubium vocet. Ideo enim Epiſcopi nequeunt, inconſulto ſummo Pontifice, Religionem vovere, quia peculiari canone hoc illis vetitum eſt. Nulla autem lex invenitur quæ id vetet Parochis, aut ceteris Clericis, qui ob aliquod beneficium reſidentiæ debito ſint ſubiecti. Exequi vero eiuſmodi vota illos non poſſe, Epiſcopo inconſulto, contendunt non pauci, quos citat Sanchez *Lib. IV. cap.* XXV. *num.* 48. Sed contraria ſententia verior eſt: quippe nulla lex reperitur quæ prædictis vetet eiuſmodi ingreſſum. Siquidem *cap.* Licet XVIII. *de Regul.* a ſolis Religioſis petendam licentiam decernit; nec verbum autem habet ſive de Parochis, ſive de Clericis. Lege tamen convenientiæ, & urbanitatis proprium Epiſcopum conſulere tenerentur, antequam votum executioni mandarent.

XIII. Quæri ſolet, *an Deus, Chriſtus Dominus, & Angeli vota elicere valeant?* Reſp. Deo votum preſſe acceptum repugnare, compertum eſt: neque enim cultum & obſequium cuiquam Deus promittere poteſt. Quod vero minus proprie vovere, quemadmodum & iurare, valeat Deus, nulla eſt difficultas; cum habeamus ex Scripturis, Deum pluries per ſemetipſum iuraſſe. Certum pariter eſt, Chriſtum Dominum potuiſſe vota Deo nuncupare, ſicut & orare. Difficultas tantummodo eſt, num ſicut reapſe oravit, ita quoque voverit. Adfirmat, licet dubitanter, Suarez *Lib. III. de voto cap.* 1. *num.* 3. & 6. ſed conceptis verbis negat D. Thomas 2. 2. quæſt. lxxxviii. art. 4. ad 3. *Dicendum, quod Chriſto ſecundum ſe non competebat vovere, tum quia Deus erat, tum etiam quia, inquantum homo, habebat firmatam voluntatem in bono, quaſi comprehenſor exiſtens.* Sancto Thomæ ſubſcribunt communiter omnes tam domeſtici, quam extranei. Quod Angeli viatores potuerint vovere, non eſt ambigendi locus: quod voverint, dici nequit. An vovere poſſint in patria, inquiſitio eſt inutilis. Vota enim proprie viatoribus competunt.

CA-

CAPUT II.

De ceſſatione votorum ob cauſſæ finalis ceſſationem, rerumque mutationem.

I. QUæſt. I. *An ceſſante cauſſa movente, ceſſet votum, & iuramentum?* Reſp. Duplex ſolet cauſſa diſtingui, cuius intuitu vovens ſuum votum edit Altera eſt movens, altera impellens. De movente nunc ſermo eſt.

II. Dicimus ergo, canſſa movente proxima tota ceſſante, ceſſare quoque ſive votum, ſive iuramentum. Hæc eſt communis ſententia. Ratio manifeſta eſt: quia, deficiente cauſſa finali omnino, ceſſat materia voti: qnippe res voti materia non promittitur abſolute, ſed ut inducit ad finem quem ſibi vovens præſtituit. Si ergo finis deficit, deficiat quoqne medium neceſſe eſt, quatenus ad finem talem conducit, ſcilicet voti materies. Quæ ratio illi principio nititur, quod votum non obligat præter voventis intentionem. Quiſque antem vovens ob aliquem finem votum edit. Ergo, deficiente integra cauſſa finali, deficit voventis intentio; atque adeo ipſum votum. Quamobrem in libro de legibus dicturi ſumus, ceſſare legem, ceſſante fine toto in commnni, ſeu relate ad multitudinem; ſecus, ceſſante fine in particulari, ſeu relate ad aliquem ſubditum privatum: quoniam leges non privatos, ſed multitudinem, & communitatem ſpectant. Vota autem privata totidem ſunt veluti peculiares leges, quas quiſque ſibi imponit, ceu peculiaris legiſlator. Quapropter, ceſſante fine reſpectu talis voventis, ceſſat votum. Exemplis res clarior apparebit. Voviſti eleemoſynam pauperi tali erogandam: hic dives evadit: voti vinculum ſolvitur, quia finis voti fuit egeſtas panperis ſublevanda: ergo, ceſſante tali egeſtate, ceſſat votum. Voviſti peregrinationem, ut patris ſalutem obtineres: hic aut ſanus erat, aut mortuus eſt: finis voti cum voto cadit. Voviſti abſtinentiam ab ingreſſu talis domus, ut evitares occaſionem meretricnlæ: hæc aut mortua eſt, aut alio abivit: liber tibi manet in talem domum ingreſſus. Hanc ſententiam, quæ communis eſt, defendunt Suarez *Lib. IV. cap.* IX. *num.* 3. Sanchez *Lib. IV. cap.* 11. *num.* 42. Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* 11. *punct.* 3. *§.* 2. *num.* 10. Martinez de Prado *cap.* XXXI. *quæſt.* XIII. *num.* 14. Tamburinus in *Decal. Lib. III. cap.* XIII. *num.* 2. Caſtropalaus *tract.* XV. *diſp.* IX. *punct.* 20. *num.* 1. Leander *tractat.* 1. *diſput.* XII. *quæſt.* 1. Salmanticenſes *tractat.* XVII. *cap.* III. *punct.* 2. *numer.* 16.

III. Ad clariorem præcedentis ſententiæ cognitionem illud eſt animadvertendum, quod cauſſa finalis movens duplex ſit: altera *proxima*, quæ immediate allicit agens ad effectum producendum; altera *remota* & univerſalis, in quam actus cu-

iuſque

Digitized by Google

luſque generis referuntur. Dum voves eleemoſynam tali pauperi erogandam, ſublevamen pauperis cauſſa finalis proxima eſt ; cultus Dei, in quem eleemoſynam dirigis, dicitur finalis cauſſa remota. Hæc cauſſa finalis remota numquam ceſſat. nec proxime allicit voventem ad votum edendum ; quamvis vovens & vota, & ceteros actus virtutis in Dei gloriam ordinet. Cauſſa finalis proxima itidem duplex eſt. Altera *movens* ſeu *motiva* vocatur, quæ reipſa inducit, & inflectit animum ad talem actum, puta ad eleemoſynam; & hæc ceſſare debet, ut ceſſet voti obligatio. Altera dicitur cauſſa *impellens*, ſeu *impulſiva*, quæ veluti calcaria currenti adiicit; hac vero deficiente, non deficit votum : quia ſicut animum non inflexit ad vovendum, ſic non valet votum iam editum irritare. Denique ad voti ceſſationem requiritur ut cauſſa proxima movens plene & penitus ceſſet. Si enim dividua ſit, ſeu ſi ſint plures fines proximi intenti, & uno licet deficiente, alii conſiſtant; votum omnino non ceſsabit ; ſed tantum ex parte quæ deficienti fini reſpondet; quoad alteram vero partem, qua finis ſubſiſtet, incolume firmumque manebit. Item, ſi pro aliquo dumtaxat temporis intervallo ceſset finis, pro eodem etiam tempore, & non amplius, voti obligatio ſuſpenditur; reviviſcente autem fine, exurgit iterum quoque voti obligatio. Quando dubium occurrit, num ceſsaverit cauſsa impellens, aut movens integra, aut partialis; ſemper iudicandum eſt in voti favorem, ut tutior pars eligatur.

IV. Quæſt. II. *Ceſſat ne votum, ceſſante cauſſa finali movente proxima ob culpam ipſius voventis ?* Reſp. Leander negat *tract.* I. *diſp.* XII. *quæſt.* VI. ceſſare votum, eo quod nemo referre debet commodum ex ſua iniquitate. Allegat pro hac ſententia Bonacinam *diſp.* IV. *quæſt.* II. *punct.* 3. §. I. Trullench *Lib. II. cap.* II. *dub.* 4. *num.* 16. & etiam Sanchez *Lib. IV. cap.* II. *num.* 27. *& num.* 44. ubi oppoſitum docet. Explicanda res eſt exemplis, ut veritas per ſe ipſam appareat. Voviſti eleemoſynam pauperi intra menſem ſolvendam : voviſti e captivitate extrahere mancipium intra duos menſes. Tua culpa votum præfinito tempore non imples. Elapſo tempore pauper moritur, captivus moritur. Cuinam ſolvere debes eleemoſynæ pretium? Sane non videtur deſignari poſſe, cui eiuſmodi vovens præbere debeat rem voto promiſſam. Quare dicendum quaſi videtur, votum ceſsare, ceſsante fine adæquato proximo eiuſdem voti; licet culpa voventis id eveniat. Diximus diſsertatione ſuperiori *cap.* IX. §. 4. *num.* 6. votum conditionatum minime ceſsare, cum vovens libere impedit conditionem, quia ſcilicet nemo ex iniquitate proventum colligere debet. Idem nunc diceremus, ſi finis voti conſiſteret. Sed quia, ceſsante fine, impoſſibilis efficitur voti ſolutio, ut ex productis exemplis patet; ideo aſserendum videtur votum ceſsare. Quid, ſi voti ſolutio eſset poſſibilis ; puta, ſi pauper non moreretur, ſed dives evaderet, ſi captivus libertatem aſsequeretur? Tunc res adeo evidens non eſſet. In caſu ergo quo votum implendum foret,

ret, deberet ne vovens pauperi diviti effecto, & captivo in libertatem iam conſtituto voti pretium impendere? Ego ſane non video cur eleemoſyna danda ſit homini diviti, licet olim pauperi. In ſimilibus caſibus ſuaderem potius voventi ut erogaret aliis pauperibus eleemoſynam præfato pauperi promiſſam, tum in pœnitentiam culpabilis moræ, tum ut eo modo quo poſſet, voto ſatisfaceret. Si captivus liber effectus pauper ſit, pretium voto deſtinatum pro illius libertate, convertendum erit in eiuſdem vitæ ſuſtentationem. Idem dici poſſet, ſi pauper mortuus fuiſſet, nempe quod aliis pauperibus eroganda foret eleemoſyna illi per votum promiſſa. Si id diceretur, quod tutius & ſecurius eſt, decerneretur. Et revera res ſemel voto conſecrata, & in opera pietatis, & miſericordiæ deſtinata, non videtur poſſe licite, & iuſte retineri, maxime poſita aliqua culpa voventis ob moram eius in voto ſolvendo. Quotieſcumque igitur culpa gravi ipſius voventis ceſſat finis voti, ad talis voti compenſationem illum ego ſemper obſtringerem.

V. Quæſt. III. *An notabilis rerum mutatio, quæ materiam promiſſam vel in ſe, aut iuxta communem exiſtimationem diverſam efficiat, ſatis ſit ad votum irritandum?* Reſp. Adfirmat communiſſima ſententia cum D. Thoma 2. 2. quæſt. cx. art. 3. ad 5. *Ille qui aliquid promittit, ſi habeat animum faciendi quod promittit, non mentitur, quia non loquitur contra id quod gerit in mente.... Poteſt tamen excuſari ex duobus. Uno modo, ſi promiſit id quod manifeſte eſt illicitum.... Alio modo, ſi ſunt mutatæ conditiones perſonarum, & negotiorum. Ut enim Seneca dicit in Libro de beneficiis, ad hoc quod homo teneatur facere quod promiſit, requiritur quod omnia immutata permaneant: alioquin nec fuit mendax in promittendo, quia promiſit quod habebat in mente, ſubintellectis debitis conditionibus; nec etiam eſt infidelis non implendo quod promiſit, quia eædem conditiones non extant.*

VI. Quæſt. IV. *Quænam materiæ mutatio dicenda ſit notabilis, adeo ut valeat voti vinculum ſolvere?* Reſp. Quæcumque materiæ mutatio ſatis minime eſt ad votum irritandum: alioquin omnia vota nulla eſſent, cum res humanæ omnes mutationi obnoxiæ ſint. Requiritur ergo quod mutatio notabilis ſit, ideſt graviſſima, ut voti vinculum diſſolvatur, & tollatur voti obligatio. Porro quænam mutatio dicenda ſit notabilis, & graviſſima, definiri clare vix poteſt. Ea communiter nuncupatur mutatio notabilis quæ rem promiſſam in diverſo ſtatu conſtituit; ita ut iuxta communem hominum exiſtimationem, conſuetudines, aut leges, res ſub talibus circumſtantiis, aut difficultatibus obligare minime ſoleat. Hæc præterea mutatio debet eſſe evidens, & manifeſta: ſi enim dubia tantum ſit, votum non irritat. Igitur, ſi edito voto, occurrat in illius executione vitæ, aut honoris periculum, vel alterius rei gravis momenti detrimentum; tunc votum ceſsare, communiter ſentiunt omnes. Neque enim prudenter præſumi poteſt, voventem hominem ſe voluiſse in ſimilibus caſibus obligare, niſi reipſa eiuſmodi pericula prævidens deli-

Digitized by Google

deliberate votum edidiſset: quemadmodum, ſi graſsante peſte votum emitteret inſerviendi lue infectis, votum obligaret.

VII. Quæſt. V. *Irritat ne votum ea rei promiſſæ mutatio quam ſi vovens tempore quo votum edidit, cognoviſſet, a voto abſtinuiſſet?* Reſp. Adfirmat prima ſententia: quia in generali conceſſione non veniunt ea quæ quis veroſimiliter conceſsurus non eſset. *Reg. gen. de reg. iur. in 6.* Porro idem dicendum eſt de abſoluta promiſſione; in qua excipiendi ſunt eventus illi quos ſi cognoſceret promittens, reipſa exciperet: eo vel maxime quod promiſſio libera numquam præter voventis intentionem obligat. Voventis autem intentio eſt, noluiſse in tali difficili eventu ſe ſe obligare. Præterquamquod in qualibet lege locum habet epikiia, qua excipiuntur eventus illi quos ſi prævidiſset legiſlator, excepiſset. Quiſque autem vovens legiſlator privatus eſt. Tandem D. Thomas ipſe in hanc concedere videtur ſententiam *in IV. diſt.* XXXVIII. *quæſt.* I. *art.* 3. *quæſtiunc.* 1. *ad* 1. ubi hæc habet: *id liberare a voti, vel iuramenti obligatione quod ſi a principio accidiſſet, aut notum fuiſſet, ea fieri impediret*. Eamdem opinionem defendunt Navarrus *in Man. cap.* XVIII. *num.* 7. Sylveſter *verb.* Vot. 2. *quæſt.* XVII. *ſub finem.* Caramuel *Theolog. fundam. fundamento* 51. *§.* 4. *num.* 1399. Molina *Tom. II. de iuſt. diſp.* CCLXXI. *concl.* 2. *&* 7. *notabil.* 4. Citari etiam ſolet D. Antoninus *Part. II. tit.* X. *cap.* VI. *§.* 5. ſed immerito: nihil enim ibidem habet ſanctus Archiepiſcopus quod huic faveat opinioni.

VIII. Contraria ſententia probabilior eſt; quin abſolute conſiderata, & ſerius perpenſa, unica vera videtur. Si enim ſupervenientes difficultates ſatis forent ad vota immutanda, eo quod, ſi tempore voti fuiſſent perſpectæ voventi, votum non edidiſſet; iam nulla promiſſio, nullus contractus conſiſteret, & humana ſocietas perturbaretur. Quandoquidem pauci ſunt contractus in quibus graves non occurrant poſtea difficultates, quas ſi prævidiſſet contrahens, proculdubio contractum non iniiſſet; idque paſſim occurrit in quibuslibet promiſſionibus: nec propterea contrahentes, vel promiſſores a promiſſis, vel contractibus liberantur. Promiſſionis ergo, ſeu voti obligatio non ex eo quod non promiſiſſet, ſi prævidiſſet, ſed ex eo quod promiſit vovens, præviditque, metienda eſt. Promiſiſti pauperi eleemoſynam, quam minime ſpopondiſſes, pravum illum ſi deprehendiſſes; nihilominus ſtare promiſſis aſtringeris, ut communiter docent omnes. Hanc ſententiam defendunt Caietanus 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *art.* 3. Sotus *de iuſt. & iure Lib. VII. quæſt.* II. *art.* I. *ad* 3. Suarez *Lib. IV. de voto cap.* XIX. Navarrus *in Man. cap.* XII. *num.* 39. Valentia 2. 2. *diſp.* VI. *punct.* 4. Prado *cap.* XXXI. *quæſt.* XIII. *num.* 7. Fagundez *Lib. II. cap.* XXXI. *num.* 8. Sanchez *Lib. IV. cap.* II. *num.* 22. Leander *tract.* I. *diſp.* XIII. *quæſt.* III. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* II. *punct.* 2. Contrariæ opinionis argumentorum facilis ſolutio eſt. Regula iuris intelligitur non de quacumque difficultate quæ voventem afficiat; ſed de notabili rerum mutatione, de qua ſupra dictum eſt.

Qua-

Digitized by Google

Quare diſtinguenda ea ſunt quæ rei promiſſæ notabilem inducunt mutationem, ab iis quæ ipſum voventem afficiunt. Sæpius vovens, dum votum edit, nullam, aut parvam proſpicit difficultatem circa eiuſdem executionem, ac obſervantiam; & poſtea tractu temporis, re per votum promiſſa immutata conſiſtente, ita graves patitur difficultates, ut, ſi eas prævidiſſet, dum votum elicuit, a voto abſtinuiſſet. Dicendum ne propterea eum immunem a voto eſſe? Abſit. Nemo id dixerit, paucis exceptis, quorum inſtitutum eſt, morum regulas laxare. Quæ poſtea materiam ſubiectam promiſſioni tangunt, ſi notabilem graviſſimamque mutationem eius inducant, quam mutationem ſi prævidiſſet vovens, non voviſſet, liberum a voti vinculo conſtituunt voventem: & hoc in ſenſu auctoritas D. Thomæ intelligenda eſt; nempe quoties ſupervenit aliquod impedimentum, quod ante votum, vel iuramentum emiſſum conſtituiſset materiam ineptam ad inducendam obligationem, aut quod illicitam, vel inutilem, vel impoſſibilem illam reddidiſset; idipſum irritat votum, aut iuramentum emiſsum. Tria ergo ſemper in his caſibus præ oculis habenda ſunt: difficultas orta ex voventis conditione, quæ, niſi moraliter impotentem efficiat, a voto non liberat; mutatio non gravis ex parte materiæ, quæ pariter voti vinculum non infringit; & tandem mutatio notabilis, quæ materiam in ſtatu moraliter prorſus diverſo conſtituit, & quæ ſola voventem a voti obligatione eximit. Epikiia locum habet in eventibus raro contingentibus, quive communiter prævideri nequeunt. Futuræ difficultates in votorum executione obviæ cuique ſunt, nec impediunt quominus vota edantur.

IX. Quæſt. VI. *Religioſus, profeſſione emiſſa, ius ad regiam coronam acquirit; liber ne a voti vinculo evadit?* Reſp. Dubitarunt quidam Caſuiſtæ; immo Prado *cap.* XXXI. *quæſt.* V. §. 17. *& in append. cap.* XXXIII. refert, Caramuelem docere hunc Religioſum liberum omnino a voto fieri, atque matrimonium inire poſſe. Sed fallitur Prado, cum Caramuel oppoſitum expreſſe ſuſtineat *II. Part. Theol. fund. num.* 89. ſecundæ impreſſionis. Quid docuerit in prima, quæ mihi præ manibus non eſt, ignoro. Communis ergo ſententia eſt, præfatum Religioſum votis obſtrictum manere, eo quod nulla mutatio fiat ex parte materiæ promiſſæ. Utique, ſi prævidiſſet ius ſibi ad regiam dignitatem ſuperventurum, vota ſolemnia non emiſiſſet; ſed non propterea liber a voto evadit. Plurimi qui matrimonia ineunt, ſi præviderent ea omnia quæ inde conſequuntur incommoda, matrimonia non contraherent. An idcirco matrimonia erunt dirimenda? Sed de his ſatis dictum ſuperius eſt.

C A-

CAPUT III.

De votorum irritatione, atque de iis quibus ineſt eadem irritandi facultas.

I. IRritatio voti eſt *eiuſdem ablatio ab eo qui poteſtate dominante pollet facta*. Irritare namque idem ſonat ac dirimere, ſolvere, inane reddere, ſeu in nihilum redigere. Irritatio duplex agnoſcitur. *Directam* unam appellant; *indirectam* alteram, ſeu impropriam. *Directa*, ſeu propria eſt actus poteſtatem habentis quo ſolvitur voti vinculum, ſeu nullum omnino votum efficitur. Dicitur *actus poteſtatem habentis*: quia proficiſci debet ab eo qui dominium habet in perſonam voventem, ſeu in eiuſdem voventis voluntatem, ut pater in filios, & ſuperiores in Religioſos. *Indirecta*, ſeu improria materiam promiſſam ſpectat, quæ illius executionem impedit; quæve potius voti ſuſpenſio quam irritatio nuncupatur. Hinc Pontifex omnium fidelium vota irritare, ſeu ſuſpendere valet: quia poteſt prohibere materiam voto promiſſam: & tunc votum ſuſpenſum permanet, donec materia vetita perſeverat: ablata autem materiæ prohibitione, votum reviviſcit, urgetque voventem ad executionem. Secus evenit in irritatione directa voti, quod irritum ſemel factum numquam reviviſcit.

II. Cum de votorum, ſive iuramentorum (utrorumque enim eadem eſt ratio) irritatione ſermo eſt, ſtatim diſtinguenda vota ſunt, & iuramenta. Nam alia cedunt in honorem Dei tantum, alia in hominum etiam utilitatem. Rurſus iſtorum pariter eſt habenda diſcretio. Alia ſiquidem ſunt vota, & iuramenta facta hominibus, qui ius nanciſcuntur ad res promiſſas, eo quod talia vota acceptata fuerunt ab illis in quorum utilitatem facta fuere: alia ſunt iuramenta, & vota, facta utique in aliorum utilitatem & commodum; ita tamen ut nullum, vi eorumdem votorum, ius acquirant illi in quorum facta fuerunt utilitatem: vel quia non libere omnino, ſed dolo, fraude, & timore iniuſte incuſſo fuerunt extorta; vel quod intimata, & acceptata neutiquam fuerint, & conſequenter in poteſtate voventis, vel iurantis eorumdem retractatio remaneat, ſi iuſtitia ſpectetur. De veritate iuramenti promiſſorii alibi diſputabitur. De votis ergo nunc tantum diſſeritur, quæ aut ſoli Deo fiunt, aut hominibus, nullum per talia vota, aut iuramenta ius acquirentibus.

III. Quæſt. I. *An pro licita votorum irritatione cauſſa aliqua requiratur?* Reſp. Convenit penes omnes, nullam pro valida votorum irritatione cauſſam requiri. Diſputant vero, an non modo valide, verum etiam licite irritari vota poſſint, nulla cauſſa occurrente. Negant Soto *Lib. VII. de iuſt. & iur. quæſt.* 111. *art.* 1. *ſol.*

fol. 4. *verſ. De uſu autem*, Sanchez *Lib. IV. Decal. cap.* xxiv. *numer.* 13. Medina *Lib. I. Sum. cap.* xiv. *§.* 7. Aragon 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *artic.* 8. Sayrus *in Clavi Reg. Lib. VI. cap.* x. *num.* 14. Leſſius *Lib. II. de iuſtit. cap.* xl. *dubit.* 10. *num.* 70. Valentia 2. 2. *diſp.* vi. *quæſt.* vi. *punct.* 16. Corradus *I. Par. quæſt.* ccxcviii. Layman *Lib. IV. tract.* iv. *cap.* vii. *num.* 18. Villalobos *II. Par. tract.* xxxiv. *diff.* 17. Rationes iſtius ſententiæ ſatis firmæ videntur. Irritatio actus eſt iuriſdictionis: examen ergo præcedat oportet, ut actus iſte iudicetur conveniens nec ne. Quamquam enim voluntas ſubditi ſuperioris poteſtati ſubiecta ſit; non ita tamen ſubdita eſt, ut ſuperior ad nutum, & ſine ratione in eamdem dominium exercere pro libito valeat. Nulla ſiquidem occurrit ratio cur ſuperiores licite poſſint bonum ſubditorum impedire, quoties bonum illud nec optimo eorumdem regimini, nec bono communi adverſatur. Tandem ſive poteſtas iſthæc in voventium utilitatem collata ſit, ut in Prælatis, & parentibus reſpectu Religioſorum, filiorumque; ſive in commodum irritantis, ut in dominis reſpectu ſervorum; ſive in utilitatem utriuſque tam voventis, quam irritantis votum, ut in viro reſpectu uxoris: ſemper rationi adverſum eſſe cenſetur, ut ſine quacumque cauſſa exerceatur.

IV. Altera ſententia docet, nullam pro licita irritatione requiri cauſſam: & hanc defendunt D. Antoninus *II. Part. titul.* xi. *cap.* 11. *§.* 6. Sylveſter *verb.* Votum 4. *quæſt.* 1. Caietanus *in Sum. verb.* Votorum irritatio, Ledeſma *dub.* 2. *concluſ.* 4. Trullenchus *Lib. II. dub.* 39. Navarrus *in Man. cap.* xii. *num.* 73. Suarez *in III. Par. Tom. V. diſp.* iv. *ſect.* 2. *num.* 8. Toletus *Lib. IV. cap.* xviii. *num.* 9. Ludovicus Lopez *I. Part. inſtruct. cap.* xlviii. Azorius *Tom. I. Lib. XI. cap.* xvii. *quæſt.* 1. Salmanticenſes *tract.* xvii. *cap.* iii. *punct.* 3. *num.* 31. Leander *tract.* 1, *diſp.* xvii. *quæſt.* v. & apud ipſum Paludanus, Angelus, Palacius, Ovandus; Vega, Vivaldus, Beia, aliique. Ratio eſt, quia vota hominum ſubditorum ſemper fiunt cum tacita conditione conſenſus ſuperioris. Porro ſuperior nullo iure cogitur hunc præbere conſenſum; ſed pro arbitrio ſuſpendere illum valet, & conſequenter vota irritare, quemadmodum ſi quis ex bonis alterius eleemoſynam promitteret, ſub conditione quod dominus ſit conſenſurus; hic libere abſque ullius cauſſæ inquiſitione conſenſum ſuum negare valet.

V. Utraque ſententia ſuo in ſenſu vera eſt. Nam, ſi ſola civilis poteſtas, ut ſic loquar, ſpectetur; vera eſt ſecunda ſententia: ſi vero non poteſtas civilis tantum, ſed univerſalis illa lex in ipſa natura rationali defixa inſpiciatur, ratione cuius quiſque obſtringitur ex honeſta cauſſa agere; vera eſt prior opinio. Nulla ſiquidem in individuo indifferens reperitur actio: quia quælibet individua actio ob aliquem finem eliciatur oportet. Igitur iuxta finis qualitatem evadit bona, aut mala actio de ſe indifferens. Irritans ergo vota aliquem finem ſibi præſti-

tuere

Digitized by Google

tuere debet ; ſeu finis aliquis movere ſuperiorem debet ad irritanda ſubditorum vota . Igitur in praxi numquam ſuperior ſine rationabili cauſſa irritare vota licite poteſt.

VI. Quæſt. II. *An facultas vota irritandi, iuris ſit poſitivi, vel naturalis?* Reſp. Pro iure poſitivo ſtat prima ſententia . Quandoquidem vota ſolemnia Regularium tantummodo iure poſitivo ſtatum religioſum conſtituunt . Ergo iure tantum eccleſiaſtico indiſſolubilia eadem vota dicenda ſunt . Confirmatur hoc ex eo quod quædam vota a Prælatis Regularium irritari nequeant ; ut eſt votum tranſeundi ad arctiorem Religionem : *cap.* Licet *de Regul.* Ergo quod hoc , aut illud votum irritari poſſit , ex iure poſitivo ortum ducit . Denique parentes valent irritare vota filiorum realia , & perſonalia , antequam pubertatem attingant ; cum autem ad pubertatem pervenerint , perſonalia illorum vota irritare non amplius poſſunt : quia ius poſitivum ſic ſtatuit . Hanc opinionem defendunt Vaſquez 1. 2. *quæſt.* xcvi. *diſp.* clxv. *cap.* iv. *num.* 29. Leſſius *Lib. II. de iuſt. cap.* xl. *dub.* 13. *num.* 75. Sanchez *in Decal. Lib. IV. cap.* xxiv. *num.* 32. Caſtropalaus *tract.* xiv. *diſput.* ii. *punct.* 1. *num.* 4. Bonacina *diſput.* iv. *quæſt.* ii. *punct.* 7. *§.* 2. *num.* 18. *&* 26. Lezana *verb. Votum*. Probabilem eam iudicant Leander, & Salmanticenſes.

VII. Contraria ſententia probabilior eſt, & mihi vera . Hanc docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* clxxxix. *art.* 5. Caietanus 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 8. *dub.* 3. *§. Ad primum dicitur* . Soto *Lib. VII. de iuſtit. & iur. quæſt.* iii. *art.* 1. Raphael de la Torre 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *diſput.* ii. *num.* 4. *& diſput.* iv. *num.* 5. Prado *cap.* xxxi. *quæſt.* xiii. *num.* 15. Suarez *Lib. VI. de voto cap.* vi. *num.* 2. *&* 3. *& cap.* vi. *num.* 4. Trullenchus *Lib. II. cap.* ii. *dub.* 29. *num.* 1. Pontius *de matrim. Lib. VII. cap.* v. *num.* 19. Ledeſma *Tom. II. tract.* x. *cap.* vii. *dub.* 2. *concl.* 3. Garzias *Tom. II. tract.* x. *diff.* 6. *dub.* 7. *punct.* 2. *num.* 15. Pellizarius *tractat.* iii. *cap.* iv. *quæſt.* xxi. *num.* 65. Leander *tract.* 1. *diſp.* xvi. Salmanticenſes *tractat.* xvii. *cap.* ii. *punct.* 3. *numer.* 27. Rationem potiſſimam iſtius ſententiæ tradit D. Thomas 2. 2. quæſt. lxxxviii. art. 8. in corp. *Quicumque eſt ſubiectus alicui , quantum ad id in quo eſt ſubiectus , non eſt ſuæ poteſtatis facere quod vult , ſed dependet ex voluntate alterius. Et ideo non poteſt ſe per votum firmiter obligare in his in quibus alteri ſubiicitur ſine conſenſu ſui ſuperioris* . Hanc eamdem doctrinam in reſponſione ad primum argumentum repetit, inculcatque . *Et ideo non poteſt omnino ſalvari ratio voti , cum quis in poteſtate alterius conſtitutus vovet id quod eſt in poteſtate alterius ; niſi ſub conditione , ſi ille ad cuius poteſtatem pertinet , non contradicat* . Tandem loco citato nempe 2. 2. *quæſt.* clxxxix. *art.* 5. hæc de filiisfamilias ſtatuit. *Quia pueri naturaliter ſunt in poteſtate patris quantum ad diſpoſitionem ſuæ vitæ , poterit pater vota eorum revocare* .

VIII. Filii vi iuris naturalis paternæ poteſtati ſubiecti ſunt . Religioſi ſubdun-

tur Prælatorum voluntati, & dominio vi ſolemnis profeſſionis, ſeu voti obedientiæ. Iure ergo naturali, & divino patres, & ſuperiores in filios, Religioſoſque dominantur. Porro vi iſtius dominii, ſeu poteſtatis vota irritare valent ſubditorum. Ergo irritatio iſthæc eiuſdem naturalis, divinique iuris fructus eſt. Accedit quod licet aliqua lex iuris tantum eccleſiaſtici, aut humani ſit; poſita tamen tali lege, ius conſurgit naturale, & divinum. Inſtitutio huius vel illius ſuperioris a lege humana, & eccleſiaſtica præſcribitur; facta tamen inſtitutione ad formam legis, iure naturali, & divino ſubditi parere ſuperiori adſtringuntur. Iure gentium ille ſervus evadit: ſervitute contracta, ius naturale in ſervum dominus acquirit. Conſecratio calicis a iure eccleſiaſtico præſcribitur; ſed iure divino calici ſacrato obſequium, & reverentia debetur. Quamvis ergo votorum ſolemnitas a iure eccleſiaſtico oriatur; ſemel tamen votorum ſolemnitate celebrata, Religioſus lege naturali ſubiicitur ſuperioris voluntati; quemadmodum iure naturali ſubditur uxor mariti imperio, tametſi ſolemnitates matrimonii a iure eccleſiaſtico proficiſcantur. Ex quibus omnibus conſtat ſolutio argumentorum quæ pro ſe allegat contraria opinio. Nec officit quod lex eccleſiaſtica vetet ſuperioribus ne in quædam ſubditorum vota poteſtatem exerceant, ut in adductis exemplis patet: quia ad eiuſmodi vota, & ſimilia quod attinet, ſubditi non ſunt ſubiecti ſuperiorum dominio: & ad removenda diſſidia, Eccleſia declarat, ſuperiores irritare haudquaquam poſſe talia vota.

IX. Quæſt. III. *Quibus conveniat poteſtas irritandi vota?* Reſp. Varia ſunt ſuperiorum genera, quibus votorum competit irritatio. Idcirco, ut clare quæſtio reſolvatur, diſtinctione opus eſt. Alii ſunt ſuperiores qui poteſtate dominante potiuntur in ſubditos, ut parentes in filios, domini in ſervos. Alii ſolam habent poteſtatem iuriſdictionis, ſeu directionis, quam etiam indirectam vocant. Quibus poſitis, facilis eſt reſolutio.

X. Primo falſum eſt quod ſcribit Hieronymus Lamas *III. Part. cap. IV. §. 1.* nempe ſummum Pontificem poſſe cum rationabili cauſſa irritare quæcumque vota quæ poteſt pater, & tutor, & prælatus, atque dominus; cum ſit omnium pater, & tutor, & dominus. Hæc opinio falſa eſt, & reiicitur communiter ab omnibus tum Theologis, tum Canoniſtis. Quoniam convenit inter Theologos, Pontificem ſummum poteſtatem non habere in omnes fideles dominantem; ſeu fideles, licet ſubiecti ſint Pontifici tamquam ſupremo paſtori, & capiti, minime tamen illi ſubiectos eſſe tamquam domino: alioquin dicendum foret, nullum ſæcularem poſſe vovere Religionis ingreſſum, matrimonia inire, contractus celebrare abſque conſenſu Pontificis; quemadmodum nequeunt hæc peragere ſervi ſine conſenſu dominorum, filii ſine conſenſu parentum: quod aperte abludit a vero. Pontifices ergo ſummi non poſſunt laicorum vota directe irritare; ſed, iuſta oc-

cur-

Digitized by Google

currente cauſa, eoſdem a votis ſolummodo valent diſpenſare. Vota autem Regularium, & Monialium irritare Pontifex valet potiore iure ac ipſi Prælati immediati: quia eſt ſupremus & præcipuus Religioſorum omnium Prælatus. Item vota omnia Eccleſiaſticorum, quæ ad beneficia eccleſiaſtica pertinent, irritari a Pontifice poſſunt. Vota vero ſive Clericorum ſæcularium, ſive laicorum, directe irritare nequit; ſed indirecte dumtaxat prohibendo materiam.

XI. Epiſcopi irritare valent Monialium ſibi ſubiectarum vota: in has enim dominantem habent poteſtatem. Secus dicendum de Monialibus quæ eorum iuriſdictioni non ſubiiciuntur. Regularium pariter exemptorum vota irritare non poſſunt. Immo nec ſuorum Clericorum, & multo minus laicorum, vota irritare queunt. Quippe in iſtos non dominantur, ſed iuriſdictionis tantum poteſtate in eoſdem potiuntur.

XII. Ii ergo directe vota irritare tantum poſſunt qui poteſtatem quam vocant dominantem, ſeu dominativam, in ſibi ſubditas perſonas habent. Qui namque alterius dominio ſubduntur vel ratione perſonæ, vel ratione rerum quæ promiſſionibus ſubſunt, nihil firmum conſtituere valent, ſuperioribus inconſultis; ſed in omnibus iſtorum promiſſionibus includitur conditio conſenſus præſtandi a ſuperioribus. Quamobrem ſuperiores Regularium vota Religioſorum, parentes vota filiorum, tutores vota pupillorum, curatores vota minorum, domini vota ſervorum, mariti vota uxorum irritare valent: quia omnes iſti dominantur in ſubditos; & tali quidem poteſtate quæ *dominans* appellatur. Hinc ſequitur neminem poſſe propria vota irritare, quia nemo dominatur in ſe ipſum.

XIII. Quæſt. IV. *Tenetur ne ſuperior vota irritanda in ſpecie cognoſcere?* Reſp. Nemo inficiatur, poſſe abſolute ſuperiorem ſubditorum vota irritare, quin diſtinctam votorum cognitionem habeat. Dictum eſt enim ſupra, nullam cauſſam ad vota valide irritanda requiri. Sententia quoque ſatis communis ſuſtinet, ſuperiorem non modo valide, ſed etiam licite id præſtare poſſe. Vide quæ dicta ſunt *num.* 5. Sed quamvis abſolute loquendo poſſit ſuperior & valide, & licite vota ſubditorum irritare; in praxi tamen ſemper ob aliquem peculiarem finem agere tenetur. Porro ut propter finem, & prudenter vota irritet, eorumdem votorum notitiam habeat oportet. In his tamen religio vitanda eſt. Quæcumque enim cauſſa ſatis eſt in omnium ſententia ad validam licitamque irritationem. Cognitionem itaque dicimus irritandorum votorum requiri, ut ſuperior imprudentiæ notam effugiat.

XIV. Quæſt. V. *Poteſt ne ſuperior vota irritare, ſubditis repugnantibus?* Reſp. Affirmat communis ſententia, quæ vera eſt. Quippe votum ſub conditione futuri conſenſus ſuperioris emiſſum fuit. Superior autem a ſubdito pendere non debet, ut iuxta ſubditi voluntatem votum editum approbare teneatur. Quoties ergo

go expediens ſibi viſum fuerit, refragante licet ſubdito, vota irritare poterit. Quin ſuperior prohibere poteſt ne ſubditi impoſterum vota emittant.

CAPUT IV.

De poteſtate quam habent Prælati Regularium ad irritanda ſubditorum vota.

I. PRæmiſſa communi irritationis votorum notione, ad peculiares irritationes declarandas accedo. Paucis omnia expediam. Ex iis quæ dicta ſunt, compertum habetur, Prælatos regulares poſſe ſubditorum vota irritare. Diſputant vero Theologi, utrum omnia ſubditorum vota, tum interna, tum externa, ſubiecta ſint Prælatorum poteſtati: & qui ſint Prælati illi qui facultate potiuntur vota irritandi. Quare ſequentes quæſtiunculas reſolvendas propono.

II. Quæſt. I. *Vota interna Regularium, quæ regimen nullo modo perturbant, nec Religionis obſervantiam, irritari ne queunt a Prælatis eorumdem?* Reſp. Negant plures Auctores. Caietanus 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *artic.* 3. *&* *quæſt.* civ. *artic.* 5. Prado *cap.* xxxi. *quæſt.* xiii. *num.* 31. Sanchez *Lib. IV. cap.* xxxiii. *num.* 6. Leſſius *Lib. II. cap.* xl. *dub.* 13. *num.* 74. Caſtropalaus *diſp.* 1*i. punct.* 8. *num.* 1. Armilla *verb. Votum*, Sylveſter *verb.* Votum 3. *quæſt.* iii. *in fin.* aliique. Evincere hanc opinionem contendunt D. Thomæ auctoritate: quippe 2. 2. *quæſt.* civ. *art.* 5. *in corp.* hæc habet. *In his quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, ſed ſolum Deo.* Quam doctrinam altius inculcat in reſpon. ad 2. *Deo ſubiicitur homo ſimpliciter quantum ad omnia & interiora, & exteriora: & ideo in omnibus ei obedire tenetur. Subditi autem non ſubiiciuntur ſuis ſuperioribus quantum ad omnia, ſed quantum ad aliqua determinate.* Ex hac doctrina manifeſta exiſtit ratio quæ veram oſtendit opinionem iſtam. Quippe Prælati regulares idcirco vota ſubditorum irritare valent, quia in eoſdem dominantem habent poteſtatem. Porro, ſi plene in eos non dominantur, ſi ſubditi quantum ad aliqua non ſubiiciuntur ſuis Prælatis, ſed tantum in iis quæ regulam, & ordinis regimen inſpiciunt, ſecus in iis quæ intra animum ſiſtunt; planum videtur, Prælatos carere poteſtate irritandi vota interna Religioſorum, quæ nec regulæ obſervantiam, nec Religionis gubernationem tangunt.

III. Altera ſententia ſuſtinet, Prælatos Regularium omnia ſubditorum vota tum interna, tum externa irritare directe poſſe. Hanc defendunt Soto *Lib. VII. de iuſt. & iur. quæſt.* iii. *art.* 2. *dub.* 2. *§. Quartum operum genus*, Sanchez *Lib. IV. cap.* xxxiii. *num.* 6. *& cap.* xxiv. *num.* 40. Suarez *Lib. III. de vot. cap.* vii. *num.* 8. item *Tom. V. in III. Part. diſput.* iv. *ſec.* 2. *num.* 8. *&* 9. item *de Relig. Lib. VI.*

Lib. VI. cap. VII, *num.* 8. Prado *cap.* XXXI. *quæſt.* XIII. §. 2. Bonacina *diſput.* IV. *quæſt.* II. *punct.* 7. §. I. *num.* 26. Valentia *diſp.* VI. *punct.* 6. *quæſt.* V. Azorius *Lib.* XI. *cap.* XVII. *quæſt.* XVI. *&* *num.* 17. Vaſquez I. 2. *diſput.* clx. *cap.* IV. *num.* 17. Tamburinus *de iure Abb. Tom. II. diſp.* XVIII. *quæſt.* IV. *num.* 6. *&* II. Layman *Lib. IV. tract.* IV. *cap.* VII. *num.* 6. *concl.* 3. Leander *tract.* I. *diſp.* XVI. *quæſt.* XXIV. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* II. *punct.* 4. *num.* 37. aliique plures. D. Thomas in hanc quoque ſententiam concedere videtur 2. 2. quæſt. lxxxviii. artic. 8. ad 3. *Nullum*, inquit, *votum Religioſi eſt firmum, niſi de conſenſu Prælati*. Ratio quæ pro hac affertur ſententia, ſatis valida eſt. Siquidem, licet verum ſit Religioſos ſubditos in omnibus ſubiectos haud eſſe Prælatis, hoc in ſenſu quod Prælati nequeant illorum aut augere, aut minuere vota, nec ſupra, aut contra Regulam quidquam præcipere; nihilo tamen ſecius iiſdem ſubiiciuntur in hoc quod ipſi nova onera ſibi imponere nequeunt, illis inconſultis: quippe hæc nova onera poſſunt conſtituere ſubditum ineptum ad implenda illa quæ ſunt Regulæ, quæque ſolemni voto adſtringitur Deo reddere. Poteſt Religioſus plurima vota interna edere eliciendi in ſingulos dies tot amoris divini actus, totidem fidei, totidemque ſpei, recitandi prolixas preces, genuflectendi, & id genus ſimilia: quæ omnia ſimul ſanitati, & penſo vi Regulæ ſolvendo officere queunt. Cum igitur Religioſus vi ſuæ profeſſionis totus Deo dicatus ſit, Prælatorum poteſtati ſubiectus eſt etiam in hoc quod nequeat firma vota edere, niſi habita ratione conſenſus obtinendi a Prælatis ſuis. Hæc ſententia probabilior eſt, immo vera.

IV. Ex his ſoluta remanent quæ pro ſe allegat prima opinio. Verum namque eſt quod docet D. Thomas, Religioſum Prælatis ſuis quantum ad omnia non ſubiici. Hinc tamen non infertur, ſubiectos non eſſe in votis edendis. Subiiciuntur ſuperioribus quantum *ad aliqua determinate*, inquit Angelicus, ideſt quantum ad illa quæ præſcribuntur in Regula, & conſtitutionibus, quæque cum eiſdem annexa ſunt. Quorum omnium ſenſus eſt, quod Prælatus nequit cogere ſubditum ad obediendum ſibi in iis quæ nec præſcribuntur in Regula, nec ad Regulæ obſervantiam ullo modo conducunt. Ne multa: ad libitum, & pro arbitrio nequit ſubditos obligare ad ea peragenda quæ limites emiſſæ profeſſionis tranſiliunt. Similiter dicitur, Eccleſiam non habere poteſtatem directam in actus internos, quatenus poſſit quidquam mere internum vel præcipere, vel prohibere. Hinc tamen neutiquam conſequitur, illam non habere facultatem liberandi ſubditos ab aliqua etiam interna obligatione. Votorum irritatio bonum reſpicit ipſius ſubditi. Non eſt onus hæc irritatio, ſed beneficium eiuſdem. Et quamquam vota ſint interna; executio tamen votorum, licet interna, diſciplinæ exteriori præiudicium inferre poteſt, ut ex iis quæ diximus, conſtat. Noſtra ergo ſententia eſt, Prælatum poſ-

Digitized by Google

ſe quæcumque ſubditorum vota irritare. Antequam tamen irritentur; ſubditus ſervare illa debet, eo quod valida ſunt iuxta ea quæ docuimus ſupra *cap. 1. quæſt. 1.* & ſolummodo, cauſſa cognita, valet Prælatus vota irritare.

V. Aliqua tamen vota excipiuntur, quæ a Prælatis irritari nequeunt, ut ea ſunt quæ ſtatum conſtituunt, ſive ſimplicia ſint, ſive ſolemnia. Hac ratione vota quæ in nonnullis Ordinibus fiunt, ut votum Minimorum abſtinendi a carnibus, votum Mercenariorum redimendi captivos, quatuor vel quinque vota Ieſuitarum præter tria ſolemnia, Prælatorum irritationi minime ſubiecta ſunt. Votum quoque tranſeundi ad arctiorem Religionem ſuperiorum poteſtati non ſubiacet; quin nec ſummus Pontifex eiuſmodi votum tranſeundi ad arctiorem irritare valet, ut communiter Theologi docent: quoniam ut Pontifex irritandi poteſtatem minime habet, ſed tantum ut ſupremus omnium Religioſorum Prælatus. Porro ut Prælatus hæc vota nequit, ſicut nequeunt ceteri Prælati, irritare. Si plura cupis, lege Sanchez *Lib. IV. cap.* XXXIII. *num.* 13.

VI. Quæſt. II. *Qui ſunt Prælati qui hæc ſubditorum Regularium vota irritare valeant?* Reſp. Subditorum vota irritandi poteſtatem habent omnes ſuperiores qui poteſtate ordinaria potiuntur; ut ſunt Generales in univerſo Ordine, Provinciales in tota provincia, & Superiores, ſeu Priores Conventuum, ſeu domorum particularium, qui omnium ſubditorum, etiam hoſpitum, ultra diem ibidem commorantium, vota irritare queunt.

VII. Quæſt. III. *An Legati a latere, & Congregationes Cardinalium vota Religioſorum irritare valeant?* Reſp. De Legatis a latere adfirmat Prado *quæſt.* XXXI. *quæſt.* XIII. *§. 3. num.* 31. De Congregatione Cardinalium ſuper diſciplina Regularium plures idem docent. Sed probabilius eſt neque Legatos a latere, neque Cardinalium Congregationem hac poteſtate pollere. Quoniam ſolam poteſtatem *iuriſdictionis*, ſecus *dominativam* in Religioſos habent. Et quamquam hanc poteſtatem ſummus Pontifex delegare illis poſſit; minime tamen conſtat, revera eis illam delegatam fuiſſe. Ceterum in his ſtandum eſt praxi. Si enim præfati Legati, & Congregationes vota irritarent, dicendum foret, illis Pontificem talem poteſtatem delegaſſe. Convenit vero fere penes omnes, hanc poteſtatem non habere Cardinales protectores.

VIII. Quæſt. IV. *An Prælati, ſeu Superiores ſecundarii, quos Suppriores, Vicarios, Prorectores, & penes Monachos Priores, aliiſque nominibus vocare ſolent, hanc habeant poteſtatem vota irritandi?* Reſp. Communis ſententia docet, præſentibus Prælatis primariis, hos ſecundarios Prælatos nulla gaudere irritandorum votorum poteſtate: quia tunc ſunt meri Prælatorum coadiutores, nullumque in ſubditos dominium habent. Contra, abſentibus Prælatis maioribus, iiſdem in præfectura ſuccedunt, evaduntque veri ſubditorum Superiores, quibus vi voti obedire tenentur ſub-

ſubditi, eorumque præcepta exequi. Ut autem huiuſmodi poteſtate Superiores iſti ſecundarii fruantur, requiritur quod Prælati primarii vere abſentes ſint. Si enim domo exeant, eodem die reverſuri, ſeu ſi pro parvo tempore intra eamdem diem abſint; hæc in communi acceptione vera abſentia non eſt. Communiter, quando per unum, aut alterum integrum diem naturalem a Conventibus abſunt, intelliguntur vere abſentes: & tunc Superiores ſecundarii vere potiuntur poteſtate dominante in ſubditos, eorumque vota irritare, & præcepta imponere iure valent. Hæc omnia communia apud Auctores.

IX. Quæſt. V. *An Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ ſuarum Monialium vota irritare valeant?* Reſp. Aliqui contendunt, eas dumtaxat vota illa irritare poſſe quæ gubernationi, & regimini directe adverſantur; ſecus alia quæ exteriori regimini non officiunt: quia nonniſi politicam, & domeſticam relate ad bonum temporale poteſtatem habent; nec Moniales obedientiam eiſdem promittunt, niſi de rebus ad domeſticam gubernationem ſpectantibus. Communis tamen ſententia oppoſitum defendit, videlicet Abbatiſſas, & Prioriſſas omnia ea vota irritare ſuarum Monialium poſſe quæ Abbates, & Priores, ſive Prælati in ſuis Cœnobiis valent: eo quod Sanctimoniales, non ſecus ac Religioſi, obedientiam vovent, eamque reddere tenentur ſuis Abbatiſſis, & Prioriſſis, non modo in rebus domeſticis, & politicis, ſed etiam, immo potiſſime, in iis quæ ſpiritualem animarum profectum ſpectant. Prado *cap.* XXXI. *quæſt.* XIII. *§.* 2. *num.* 44. Bonacina *diſput.* IV. *quæſt.* II *punct.* 7. *§.* 2. *num.* 26. Trullenchus *Lib. II. cap.* 11. *dub.* 31. *num.* 3. Lezana *Tom. I. cap.* XXVJ. *num.* 5. Sanchez *Lib. IV. cap.* XXXIII. *num.* 19. Leſſius *de iuſt. Lib. II. cap.* xl. *dub.* 13. *num.* 107. Suarez *Lib. VI. cap.* VII. Candidus *diſp.* XXV. *art.* 3. *dub.* 4. Raphael de la Torre 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 9. *diſp.* 2. *num.* 6. Aſcanius Tamburinus *de iur. Abb. diſp.* XXXII. *quæſt.* VI. Pellizarius *Tom. II. tract.* X. *cap.* VII. Garcias *Tom. II. tract.* X. *diffic.* 6. *dub.* 7. *punct.* 2. *num.* 20. Tamburinus *in Decal. Lib. III. cap.* XVI. *§.* 3. *num.* 31. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* 11. *punct.* 4. *num.* 41. & alii.

X. Quæſt. VI. *Prælati Regularium valent ne Novitiorum vota irritare?* Reſp. Negant communiter omnes. Novitii, antequam profeſſionem emittant, ſui iuris ſunt, nullamque dominantem poteſtatem in eoſdem habent ſive Prælati, ſive illorum Magiſtri, qui proximius curam eorumdem gerunt. Perſonalia vota, quæ Novitiatus exercitia, & regimen interturbant, impedire valent; nec eadem Novitii implere tenentur: ea quoque vota quæ nimium onerant Novitios, ſuſpendere Novitiatus tempore Prælati, ſeu Magiſtri iure queunt. Si tamen Novitii, religione relicta, ad ſæculum redeant, vota reviviſcunt, eaque implere aſtringuntur. Vota realia quæ nec impediunt adminiſtrationem, ſeu regimen Religionis, nec Novitios valde aggravant, ut ſunt vota elargiendi eleemoſynam, atque de ſuis bonis diſponendi, nec irritandi, nec ſuſpendendi, ſeu impediendi facultate pollent Prælati.

lati. Hæc tamen vota, ſive realia, ſive perſonalia, commutari in alia pia onera a Prælatis poſſunt. Et hæc commutatio ceſſaret, ſi Novitius Religionem relinqueret: quia commutatio facta cenſetur dumtaxat pro tempore Novitiatus. Hæc omnia communia ſunt. Ad diſpenſationem autem quod attinet, convenit inter Theologos, diſpenſandi facultatem ſuper eiuſmodi Novitiorum votis Prælatis competere, eo quod iuriſdictionem eccleſiaſticam in illos habeant.

C A P U T V.

Quæ vota filiorum poſſint parentes, tutores, & curatores irritare.

I. DIſputant communiter Auctores, quo tempore incipiat filiorum infantia. Aliqui contendunt ab ipſa fetus animatione initium illam ducere, & ad ſeptennium uſque perdurare: quod probant auctoritate Lucæ cap. 1. *Ecce enim, ut facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.* Et in hoc medici conſentire videntur, Hippocrates, Galenus, Celſus, & Zachias, quos refert Narbona *Ann.* VII. *quæſt.* 1. *num.* 1. Alii communiter ſuſtinent, primordia infantiæ in proprio ſenſu acceptæ eſſe nativitatem. Diſſidium nullius momenti eſt. Quod fetus anima vivificatus in utero exiſtens infans vocari poſſit, quemadmodum re Evangeliſta Lucas eumdem vocat, non eſt ambigendi locus. Ceterum iuxta communem acceptionem infantia a nativitate incipit, & deſinit in ſeptennium completum: neque enim ſeptennium iſtud infantis vel diem unum includit præcedentem nativitatem. AEtas pupillaris, ſeu impubertas ab anno ſeptimo initium ducit, & in feminis duodecimo elapſo terminatur, in viris vero anno decimo quarto pariter expleto. Pubertas autem feminarum ab anno duodecimo, & virorum ab anno quartodecimo incipit, & ſecundum ius commune tam in viris quam in feminis finem habet anno vigeſimo quinto completo. Intra hoc intervallum ab anno duodecimo, & quartodecimo uſque ad vigeſimum quintum vocantur tam feminæ quam viri puberes, & minores; ſicuti a nativitate uſque ad ſeptennium infantes, & a ſeptennio ad quartum decimum uſque pupilli, & pupillæ, ſeu impuberes. Quamobrem officium tutoris, qui pupillo, ſeu impuberi ob patris defectum aſſignatur, ceſſat cum ætate pupillari, ſeu impuberi; quemadmodum curatoris, qui pariter ob defectum patris minori deputatur, miniſterium ceſſat, elapſa ætate pubertatis, ſeu minoritatis, quæ, ut iam dictum eſt, deſinit in annum vigeſimum quintum: quamvis non raro contingat Principis beneficio puberes, ſeu minores ante præfinitum a iure communi ſpatium curatoris poteſtati ſubduci. Plura hic dicenda forent de patria poteſtate, & de eiuſdem effectibus; ſed

Digitized by Google

ſed hæc omnia ſuo loco diſcuſſa reperies. Illa dumtaxat prælibare placuit quorum cognitio neceſſaria eſt ad ea quæ dicturi ſumus, percipienda.

II. Quæſt. I. *An vota filiorum impuberum irritare parentes valeant?* Reſp. Contendunt nonnulli, vota emiſſa infra impubertatis tempus invalida eſſe: pro qua opinione citatur Sylveſter *verb.* Relig. 2. *quæſt.* xv. & *verb.* Baptiſmus *quæſt.* VIII. ubi ſolum indicat quod pueri poſſint vovere prope pubertatem. Communis autem, & vera ſententia docet, vota emiſſa poſt rationis uſum, qui communiter circa ſeptennium habetur, valida eſſe: ſicut enim lucente rationis lumine impuberes peccare valent; ita poſſunt quoque vovere. Porro quod pater omnia vota ſive realia, ſive perſonalia, ſive mixta, & ipſum votum Religionis irritare valeat, docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *art.* 9. ſic inquiens. *Eſt ergo dicendum, quod ſi puer, vel puella ante pubertatis annos nondum habeat uſum rationis, nullo modo poteſt ad aliquid ſe voto obligare. Si vero ante pubertatis annos attingit uſum rationis, poteſt quidem (quantum in ipſo eſt) ſe obligare; ſed votum eius poteſt irritari per parentes, quorum curæ remanet adhuc ſubiectus.* Indiſcriminatim Angelicus loquitur de omnibus votis. Non eſt ergo quod nos diſtinguere debeamus; cum pro uno, ac pro altero potior ratio aſſignari non poſſit. Quin ſatis expediens videtur ut imbecilla illa ætas in omnibus votis quæ maximi ſunt momenti, aliena dirigatur voluntate, ſitque alterius poteſtati ſubiecta. Et, quamquam infra impubertatis annos nonnullis abundanter lumen rationis affulgeat; id tamen nimium contingens eſt, & plerumque oppoſitum evenit. Ea autem quæ communiter occurrunt, ſunt attendenda. D. Thomæ ſententiæ accedunt Caietanus 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *art.* 9. *ad* 5. Ad hoc dicitur, & in *Sum. verb.* Votum, Suarez *Lib. VI. cap.* VI. *num.* 6. & 7. Sanchez *Lib. IV. cap.* XVIII. *num.* 7. Leſſius *Lib. II. cap.* XL. *dub.* 14. *num.* 18. Prado *cap.* XXXI. *quæſt.* XXIII. *num.* 61. Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* II. *punct.* 7. *§.* 2. *num.* 18. Trullenchus *Lib. II. cap.* 1. *dub.* 34. *num.* 2. Layman *Lib. IV. tract.* IV. *cap.* VII. *num.* 10. Tamburinus *in Decal. Lib. III. cap.* XVI. *§.* 3. *num.* 9. Leander *tract.* 1. *diſp.* XVI. *quæſt.* LXXII. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* II. *punct.* 5. *num.* 45. aliique communiter.

III. Quæſt. II. *An parentes irritare vota poſſint perſonalia filiorum qui pubertatem ſunt aſſecuti?* Reſp. Quamvis tam pueri, quam puellæ ſub patria poteſtate exiſtant, etiam poſtquam attigerunt pubertatem; quæ tamen ab ipſis eduntur perſonalia vota in eo pubertatis ſtatu, ſi regimen domeſticum non interturbent, non poſſunt a parentibus irritari. Sic inquit S. Thomas 2. 2. quæſt. LXXXVIII. artic. 8. ad 2. *Ex quo homo venit ad annos pubertatis, ſi ſit liberæ conditionis, eſt ſuæ poteſtatis quantum ad ea quæ pertinent ad ſuam perſonam; puta quod obliget ſe Religioni per votum, vel quod matrimonium contrahat; non autem eſt ſuæ poteſtatis quantum ad diſpenſationem domeſticam. Unde circa hoc non poteſt aliquid*

vo-

Digitized by Google

revere quod ſit ratum, ſine conſenſu Patris. D. Thomæ ſententiæ ſubſcribunt Prado *cap.* XXXI. *quæſt.* XXIII. *num.* 63. Sylveſter. *verb.* Votum. 3. *quæſt.* VI. Raphael de la Torre 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 9. *diſp.* 4. *num.* 3. Valentia 2. 2. *diſp.* VI. *quæſt.* VI. *punct.* 6. *quæſtiunc. ult.* Suarez *Lib. VI. cap.* V. *num.* 4. Trullenchus *Lib. II. cap.* 1. *dub.* 34. *num.* 3. Sayrus *Lib. VI. cap.* V. *num.* 6. Leander *tract.* 1. *diſput.* XVI. *quæſt.* lxxxi. Salmanticenſes *tractat.* XVII. *cap.* II. *punct.* 5. *num.* 46. aliique communiter. Utraque quæſtionis pars declaratur; nempe quod pater nequeat irritare vota perſonalia quæ domeſticæ gubernationi non officiunt, ea vero quæ regimen domeſticum impediunt, pro ſui voluntate poſſit infringere. Prima pars conſtat. Nam ſtatus pubertatis conſtituit ſuapte natura iuvenem in poſſeſſione plenæ libertatis, & perfecti uſus rationis quoad illa omnia quæ propriæ perſonæ directionem ſpectant. Rata ergo & firma ſunt vota quæ in tali ſtatu filii emittunt, quando ea ipſorum perſonas tantum afficiant. Ideo namque irritationi obnoxia impuberum vota ſunt, quia iſti pleno, perfectoque uſu rationis non potiuntur. Hæc eſt unica & ſola ratio, quæ omnino ceſſat, elapſo impubertatis ſtatu, & adveniente pubertatis ætate. Altera vero pars non minus manifeſta eſt. Quia vota illa quæ regimen domeſticum perturbant, patriæ poteſtati grave inferunt præiudicium. Ergo, ut valida ſint, emitti debent cum conditione futuri conſenſus paterni: quæ enim alteri noxia ſunt, conſiſtere nequeunt, invito illo qui damnum patitur. Nequit ergo pater irritare vota caſtitatis, & Religionis, vota ieiuniorum, precum, aliarumque rerum, quæ filii puberes emittunt; dummodo adeo immoderata non ſint, ut adminiſtrationi domeſticæ adverſentur. Vota autem peregrinationis, precum, & ieiuniorum, quæ curæ paternæ forent adverſa, irritari a patre poſſunt.

IV. Vota a filiis edita in ætate pupillari, ſeu impuberi, ſi confirmata fuerint ab ipſis in pubertate, rata & firma habentur, nullique irritationi obnoxia ſunt; dummodo perſonalia ſint, nullumque damnum inferant patriæ poteſtati. Ut vero dicatur votum confirmatum, ſatis haud eſt voventem illud ſervare; ſed oportet ut nova, & explicata deliberatione illud ratum habeat, ſeu ut denuo voveat, & ſecundo voto priori quodammodo robur adiiciat.

V. Quæſt. III. *An vota impuberum, ſemel confirmata a patre, poſſint deinceps a patre irritari?* Reſp. Affirmat ut quid probabilius Leander *tract.* 1. *diſput.* XVI. *quæſt.* lxxviii. allegans pro hac opinione Sanchez, Fagundez, & Tamburinum: nec aliam rationem promit, niſi quod probabilius eſt, confirmationem patris non obſtare quominus valeat poſtea confirmata vota irritare: quæ ratio eſt, ut dicitur, petitio principii. Eam tamen roborare contendit paritate Prælatorum regularium, qui vota ſubditorum a ſe confirmata irritare ſemper poſſunt.

VI. Contraria ſententia mihi probabilior eſt, eamque defendit Suarez *Lib. VI. de*

de voto cap. VI. *num.* 15. *&* 16. Sayrus *in Clav. Reg. Lib. VI. cap.* X. *num.* 28. Philiarcus *de offic. Sacerd. Tom. I. Lib. III. cap.* XVIII. Filliucius *tract.* XXVI. *cap.* VIII. *quæſt.* VII. *num.* 233. Quod ita ſatis valide evincitur. Vota conditionata, impleta conditione, rata & firma ſunt. Vota quæ impuberes edunt, conditionata ſunt, nempe, ſi pater conſenſerit. Ergo, ſemel habito patris conſenſu, conditio impleta eſt. Ergo, conditione impleta, valorem integrum habent. Nonne alia filiorum promiſſa conditionata, rata evadunt, accedente paterno conſenſu? Quidni & vota Deo facta? Unde habetur quod pater præſtitum conſenſum retractare valeat? In nullo contractu, in nulla promiſſione contingit ut qui conſenſum abſolutum, & tamquam dominus dedit, poſſit pro libito illud revocare. Paritas Prælatorum regularium non concludit: tum quia in diſputationem vocatur a Theologis, num Prælatus, qui ſemel votum ſubditi confirmavit, valeat illud irritare: tum quia ſtatus toto cælo differt. Prælatus regularis haud valet in perpetuum confirmare vota ſubditorum: quia ſubditi ſunt immediate ſub poteſtate, & dominio Religionis, cuius Prælatus miniſter eſt non perpetuus, ſed pro tempore determinato. Quapropter nequit ſe privare poteſtate dirigendi ſubditum in commodum, & beneficium Religionis. Poteſt totum id præſtare quod confert ad bonum commune Religionis, ſecus quod aliquo modo Religionis dominio officit. Ne multa: Prælatus non eſt dominus abſolutus; idcirco conſenſum ita abſolutum dare nequit quem retractare non poſſit. Pater e contrario comparate ad filium abſolutus dominus eſt; abſolutumque conſenſum præbere valet: & hunc ſemel præſtitum reſcindere nequit. Si cauſſa ſufficiens urgebit, poterit votum commutari, vel diſpenſari ab habente auctoritatem.

VII. Vota emiſſa a filiis ſpuriis, & illegitimis irritari a patre valent; niſi ſub tutore, aut curatore ſint conſtituti: quoniam, tametſi pater civilem poteſtatem in eiuſmodi filios non habeat, iure tamen naturali imbecillæ ætati conſulere tenetur, ne votorum onere plus iuſto graventur. Et in hoc Auctores conſentiunt.

VIII. Quæſt. IV. *An vota realia filiorum puberum paternæ irritationi ſubiecta ſint?* Reſp. Adfirmat D. Thomas 2. 2. quæſt. lxxxviii. artic. 8. ad 1. *Non poteſt omnino ſalvari ratio voti, cum quis in poteſtate alterius conſtitutus vovet id quod eſt in poteſtate alterius; niſi ſub conditione, ſi ille ad cuius poteſtatem pertinet, non contradicat*. Quamdiu filii ſunt in ætate minori, ſeu intra tempus pubertatis, paternæ adminiſtrationi ſubiecti ſunt; nullaque ratione de bonis paternis diſponere valent. Nulla ergo ſunt illorum vota realia, quibus bona temporalia voto promittuntur, non accedente parentum conſenſu. Idem dicendum eſt de votis mixtis, quantum ad illam partem quæ realis eſt.

IX. Quæſt. V. *An pater irritare poſſit vota realia filiorum quæ ſunt de bonis caſtren-*

Digitized by Google

ſtrenſibus? Reſp. Peculium caſtrenſe, aut quaſi caſtrenſe, ut ſuo loco dicetur; eſt ſub dominio filiorum. *Leg.* Filiusfamil. *ff. de donat.* Vota ergo de his bonis nullo modo irritari a patre valent, quia non ſunt de bonis patris dominio ſubiectis.

X. Quæſt. VI. *An idem dicendum de votis editis circa bona adventitia?* Reſp. Quando bona adventitia ita conſtituta ſunt ſub filiorum dominio, ut iſti, licet puberes, habeant non ſolum dominium, ſed etiam adminiſtrationem; tunc pater irritare nequit filiorum vota de eiuſmodi bonis: eo quod talia vota nullum damnum inferunt paterno regimini; cum ſint de bonis quæ omnino ſubducta ſunt patris dominio, & adminiſtrationi. Contra, ſi pater bonorum iſtorum adminiſtrationem haberet, tunc vota de his bonis edita a filio irritare poſſet ob impedimentum rectæ adminiſtrationis.

XI. Si filius minor votum emiſiſſet eundi Romam pro obtinenda abſolutione ab excommunicatione, nequiret pater illud irritare; niſi adeſſet privilegium aliquod conceſſum Religioſis, vi cuius abſolutio obtineri poſſet: quia tunc ceſſaret neceſſitas. Idem dicunt de votis eundi in ſubſidium Terræ ſanctæ. Id tamen intelligendum eſt, quando filii puberes propriis expenſis vota, ſeu itinera implere valeant. Non enim pater propria bona conſerre tenetur, quibus talia vota impleantur. De votis quæ emittuntur a filiis, poſtquam liberi facti ſunt a patria poteſtate, & de tempore quo patria poteſtate liberantur, nihil in præſentia dicendum ſuppetit: quoniam extra diſputationem eſt, vota emiſſa a filiis patriæ poteſtati ſubductis non poſſe a patre irritari. Filios vero poſt completum vigeſimum quintum annum non eſſe parentibus ſubiectos, pariter certum eſt quantum ad vota elicienda, alioſque plures contractus ineundos. Difficultates quæ circa tempus quo patria poteſtas ſolvitur, occurrere poſſent, ſuo loco extricabuntur.

XII. Quæſt. VII. *Tutores, & curatores poſſunt ne impuberum, & minorum vota irritare eo modo quo patres poſſunt irritare vota filiorum?* Reſp. Antequam directe huic quæſtiunculæ occurram, diſcrimen præmitto quod tutorem inter & curatorem intercedit. Tutor primum perſonæ regendæ, deinde rerum adminiſtrationi deputatur; contra curator primum rebus adminiſtrandis, poſtea minorum directioni præficitur. Tutor pupillis, ſeu impuberibus deſtinatur uſque ad pubertatem, qua adveniente, ceſſat illius officium; curator puberibus conceditur uſque ad annum vigeſimum quintum, quo ſtatus minoritatis elabitur. Sæpe Principis privilegio eiuſmodi officia ante præfinitum a iure communi tempus ceſſant.

XIII. Dicimus ergo, tum tutores, tum curatores irritare poſſe vota impuberum, & minorum eo modo quo poſſunt parentes filiorum vota reſcindere. Tutor

tor namque impuberum, ſeu pupillorum, & pupillarum, veluti pater reputatur, qui non tam perſonarum quam bonorum curam habet. Idcirco tam perſonalia, quam realia vota eorumdem irritare poteſt. Curator irritare poteſt omnia vota realia minorum, & ea perſonalia quæ officiunt ſuæ adminiſtrationi; quæ vero neutiquam nocent regimini, firma manent, nec ſubiiciuntur curatoris poteſtati ut valeant ab ipſo irritari. Hæc omnia intelliguntur, etiamſi vota iuramento firmata eſſent. Tranſacto vigeſimo quinto anno, curatores nullam habent poteſtatem in vota minorum, cum minores amplius non ſint. Si fuerint aut puberum plures curatores, aut impuberum plures tutores, quiſque poterit vota ſubditorum intra definitum temporis ſpatium irritare. Hæc omnia communia ſunt.

XIV. Vota emiſſa a pupillo, ſeu impubere, non confirmata poſt acquiſitam pubertatem, etiamſi perſonalia ſint, poteſt curator irritare: eo quod, licet curator primum pro adminiſtratione rerum deputetur, ſecundario tamen ad ipſum ſpectat perſonæ regimen, & directio. Ita ſentiunt Sanchez, Trullenchus, Tamburinus, Baſſæus, Leander. Oppoſitum docet Suarez *Lib. VI. cap.* VI. *num.* 24. eo quod curator loco patris non ſuccedat; neque perſonæ, ſed rebus detur. Non eſt quod tempus teramus in longiore huiuſce rei diſcuſſione. Mihi tamen probabilior eſt Suarez opinio.

XV. Quæſt. VIII. *An curator datus maiori ob culpam prodigalitatis, eiuſdem vota realia irritare valeat?* Reſp. Adfirmat communis opinio: quoniam omnis adminiſtratio vetita eſt maiori dominio curatoris ſubiecto: ergo quæcumque eius promiſſa, licet voto firmata, irritari a curatore poſſunt.

XVI. Quæſt. IX. *An mater poteſtatem habeat filiorum, aut filiarum irritandi vota?* Reſp. Vivente, & præſente patre, mater poteſtate caret vota filiorum, & filiarum irritandi. Id primum ex ipſa Scriptura eruitur: ſiquidem *Num.*XXX. ad ſolam paternam poteſtatem, ſeu ad ſolum patrem irritandi vota privilegium contrahitur, nulla facta matris mentione; licet revera ibi filiarum, non filiorum fiat mentio. Ratio eſt, quia ſolus pater caput familiæ eſt. Hæc eſt communior opinio, quam defendunt Navarrus *in Manual. cap.*XII. *num.* 64. Azorius *Lib. XI. cap.* XVII. *quæſt.* III. Suarez *Lib. VI. cap.* VI. *num.* 19. Sylveſter, & Paludanus *ibi*, Leſſius *Lib. II. cap.* xl. *dub.* 10. *num.* 78. Sanchez *Lib. IV. cap.* XXXV. *num.* 78. Tamburinus *Lib. III. cap.* XVI. *§.* 3. *num.* 21. Trullenchus *Lib. II. Decal. cap.* II. *dub.* 36. *num.* 2. Caſtropalaus *diſp.* II. *de voto punct.* 7. *num.* 7. Raphael de la Torre 2. 2. *quæſt.* lxxxVIII. *art.* 9. *diſput.* IV. *num.* 10. Sayrus *Lib. VI. Clav. Reg. cap.* X. Baſſæus *Tom. II. verb.* Votum 2. *num.* 8. Leander *tract.* 1. *diſp.* XVI. *quæſt.* CXVIII.

XVII. Contrariam opinionem defendunt Prado *cap.* XXXI. *quæſt.* XIV. *§.* 4. *num.* 17. Philiarcus *Tom. I. part.* II. *Lib. III. cap.* IV. Eam probabilem reputant Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* II. *punct.* 5. *num.* 52. Inquiunt ergo, vivente, vel præſen-

te

te patre, vel eo mortuo, & tutore aſſignato, poſſe matrem vota impuberum irritare, ſicut pater; quamvis poteſtas iſthæc in patre principaliter, ſecundario in matre reperiatur. Addunt etiam, quod mater valeat vota realia filiorum puberum quæ ſuæ adminiſtrationi officiunt, irritare eodem modo ac pater. Si tamen vota realia fuerint de bonis quæ neque dominio, neque adminiſtrationi matris ſint ſubiecta; hæc a matre irritari nequeunt.

XVIII. Hæc ſententia, quatenus aſſerit poſſe matrem, vivente patre, eoque præſente, irritare vota filiorum impuberum, ſua fruitur probabilitate: quandoquidem in iis quæ filiorum regimen, & gubernationem ſpectant, naturalis potius quam civilis poteſtas conſideranda eſt. Porro, quamvis iure civili filii non ſint ſub cura matris, ſed patris, qui ſolus patria poteſtate potitur in filios; nihilo tamen ſecius vi iuris naturalis etiam matri ſubditi ſunt. Mater namque filiis, & filiabus præcipere iure valet; & iſti eidem obedire aſtringuntur: quod in filiabus potiſſimum locum habet. Ergo mater, etiam præſente patre, irritare earum vota, ac reſcindere poterit. Id confirmant paritate a filiis illegitimis petita: licet enim iſti civili lege patri ſubiecti non ſint; quia tamen iure naturali illorum dominus eſt pater, eorumdem vota reſcindere poteſt. Tametſi ergo mater civile dominium in filios non habeat; quia tamen iure naturali illorum domina eſt, poterit eorumdem vota irritare.

XIX. Hæc argumenta minime ſpernenda ſunt. Si tamen res paullo attentius ſpectetur, ſeipſis corruunt. Verum habet, matrem iure naturali dominam eſſe filiorum, & filiarum, atque filios eidem ſubiectos ad ipſi obediendum teneri. Sed æque verum eſt hanc maternam poteſtatem ſubditam eſſe poteſtati mariti. Ergo, præſente marito, ſeu patre, nequit talem exercere poteſtatem. Siquidem, quando plures ſunt domini tali ordine invicem comparati, ut unus ſit ſuperior, inferior alter; nequit inferior exercere, præſente ſuperiore, poteſtatem. Poteſtas matris in filios ſubiecta eſt paterno dominio. Ergo, præſente patre, ſeu marito, erumpere nequit in actum. Hoc patet in quocumque regimine. Præſente Prælato maiori, Prælatus inferior (quando ambo præſunt eidem familiæ) nequit aliquid præcipere. Idque ad confuſionem, ordiniſque perturbationem tollendam expedit. Affirmant contrariæ ſententiæ patroni, patriam poteſtatem, etiam iure naturali ſpectato, ſecundario eſſe in matre: quia iure naturali, & divino uxor ſubdita marito eſt. Si mater, præſente patre, irritare filiorum vota poſſet; æque in patre ac in matre patria poteſtas reſideret. Probabilius ergo eſt, matrem, vivo & præſente patre, non poſſe filiorum impuberum vota reſcindere.

XX. Quæſt. X. *Mortuo, aut procul diſtante patre, poteſt ne mater filiorum vota dirimere; etiamſi avus exiſtat, tutor, aut curator filiorum?* Reſp. Affirmat Prado cum aliis. Ceterum, quando exiſtit avus, tutor, aut curator filii, nequit mater

vota

Digitized by Google

vota filiorum irritare: quia tunc nullam in eos poteſtatem habet; nec bonorum adminiſtrationem illa exercet, ſed tota penes avum, aut curatorem, vel tutorem reſidet. Hæc communior, & probabilior opinio eſt.

XXI. Quæſt. XI. *An mater, mortuo patre, & deficientibus avo, ac tutore poſſit filiorum impuberum vota irritare?* Reſp. Negat Azorius *Lib.XI. cap.*XVII. *quæſt.*VII. cum Vivaldo, & Villalobos, contenditque, tunc ſolum matrem irritare vota poſſe, quando inſtituta ſit tutrix. Tunc ait, non qua mater, ſed quatenus tutrix filiorum vota dirimere poteſt. Contraria opinio & communior, & vera eſt, ut ex dictis patet. Iure ſiquidem naturali mater dominatur in filios; & filii ſubiecti matri ſunt, illiuſque imperio parere tenentur. Hinc, mortuo patre, & deficientibus paterno avo, ac tutore, loco patris ſuccedit mater, filiorumque impuberum gubernationi proſpicere iure naturali aſtringitur.

XXII. Quid de votis realibus filiorum puberum? Si mater curatrix inſtituta non fuerit, nequit eiuſmodi vota irritare. Si enim pater ipſe vota realia filiorum puberum, quæ nullo modo perturbant domeſticam adminiſtrationem, irritare nequit; quanto minus mater, quæ, dum puberum filiorum curatrix non eſt, nullam exercere adminiſtrationem poteſt, utpote ſibi non congruentem? Nec ſatis probabile reputamus quod inquiunt Salmanticenſes *num.* 50. videlicet filium puberem, patre, & curatore deſtitutum, eſſe tamquam minorem ſubditum matri; & hanc re ſuccedere loco curatoris: quamobrem licet ut mater nequeat, ut curatrix tamen poterit puberum filiorum vota irritare. Sed unde habent, matrem ſuapte natura fieri curatricem filiorum puberum? Id ſane neque ex lege naturali, neque ex lege poſitiva erui poteſt. Iure utique naturali ſemper mater, quoad vixerit, filiis antecellit, illiſque ſuperior eſt; & iſti eam venerari, ac obſequio colere tenentur: ceterum quod ſit illorum curatrix, quod bonorum adminiſtrationem obire iure valeat, abſque ullo fundamento adſtruitur.

XXIII. Quæſt. XII. *An deficientibus parentibus, tutore, & curatore, valeant avi, aviæ, ceterique aſcendentes vota filiorum impuberum, vel minorum irritare?* Reſp. Avus, & avia ea vota irritare queunt quæ matrem dirimere poſſe diximus: quoniam hi ſuccedunt loco parentum; illiſque filii impuberes obedire aſtringuntur. Vide Suarez *Lib.VI. cap.*VI. *num.* 22. Sanchez *Lib.IV. cap.* XXXV. *num.* 82. ubi refert Paludanum, Antoninum, Sylveſtrum, Sayrum. Idem docent Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.*II. *punct.*7. *§.*2. *num.*18. Tamburinus *Lib.III. cap.*XVI. *§.*3. *num.*21. aliique plures. Avus autem, & avia, patre vivente, neutiquam nepotum vota irritare queunt: quia patria poteſtas avi, & aviæ remota eſt; atque locum habere poteſt in nepotes, ſolummodo deficiente patre, cui filii proxime ſubiecti ſunt, & cui, quoad vixerit, obedire tenentur. Hæc omnia clara, & communia ſunt.

XXIV. Quæſt. XIII. *An tutor, curator, vel mater vota filiorum impuberum poſſint,*

ſint, tranſacta pubertate etiam poſt multos annos, quemadmodum poteſt pater, irritare? Reſp. Pater valet irritare perſonalia vota filiorum impuberum, non confirmata in pubertate, etiam poſt plurimos annos, etiam poſt emancipationem, & matrimonium contractum. Mater autem, aut curatores id nequeunt, tranſacto anno vigeſimo quinto: quippe poſt hoc tempus loco patris minime ſuccedunt; nec ullam habent in filios dominantem poteſtatem.

XXV. Quæſt. XIV. *An magiſtri diſcipulorum, domini ſervorum, heri famulorum vota perſonalia in impubertate emiſſa irritare queant?* Reſp. Affirmant Suarez *Lib. VI. cap.* VI. *num.* 23. Sayrus *Lib. VI. cap.* X. *num.* 18. Tamburinus *Lib. III. cap.* XVI. *ſ.* 3. *num.* 52. Leſſius *Lib. II. cap.* xl. *dub.* 20. *num.* 78. Laymanus *Lib. IV. tract.* IV. *cap.* VII. *num.* 10. Probabilior tamen, & communior eſt contraria ſententia: quia nec domini, nec heri, nec magiſtri dominantem poteſtatem habent in ſervos, famulos, aut diſcipulos. Ex quo namque iure hanc aſſecuti ſunt poteſtatem? Non ex iure naturali, aut civili. Ergo ex nullo. Hanc ſententiam defendunt D. Antoninus *II. Part. tit.* XI. *cap.* II. *ſ.* 6. Sylveſter *verb.* Votum 4. *quæſt.* II. *dicto* 2. Margarita Conf. *verb. de irrit. vot.* Sanchez *Lib. IV. cap.* XXXV. *num.* 84. Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* II. *punct.* 7. *ſ.* 2. *num.* 18. Fagundez *Lib. II. cap.* XXXIII. *num.* II. Prado *cap.* XXXI. *quæſt.* XIII. *ſ.* 4. *num.* 83. & *ſ.* 5. *num.* 90. Trullenchus *Lib. II. cap.* II. *dub.* 36. *num.* 7. Leander *tract.* I. *diſp.* XVI. *ſ.* 7. *quæſt.* CXXVI. Caſtropalaus *tract.* XV. *diſp.* II. *punct.* 7. *num.* 8. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* II. *punct.* 5. *num.* 54. aliique.

CAPUT VI.

De votis uxorum.

I. QUæſt. I. *An maritus poſſit omnia uxoris vota matrimonio contracto emiſſa irritare?* Reſp. Negat prima ſententia, quam defendunt D. Antoninus *III. Part. tit.* I. *cap.* XXII. *ſ. ult.* Sylvius 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 9. *concl.* 7. Sylveſter *ver.* Votum 5. *quæſt.* I. Graffis *I. Part. deciſ. Lib. II. cap.* XIX. *num.* 8. Valentia 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *diſp.* VI. *quæſt.* VI. *punct.* 6. Navarrus *cap.* XII. *num.* 65. Sayrus *Lib. VI. cap.* V. *num.* 8. Laymanus *Lib. IV. tract.* IV. *cap.* V. *num.* 12. Suarez *Lib. III. cap.* VI. *num.* XXVI. & *Lib. VI. cap.* IV. *num.* 2. Azorius *Lib. XI. cap.* XVII. *quæſt.* XII. Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* II. *punct.* 7. *ſ.* 2. *num.* 12. Trullenchus *Lib. II. cap.* II. *dub.* 33. *num.* 2. & alii. Valida ſatis eſt iſtius ſententiæ ratio. Ea irritare vota maritus poteſt quæ ſunt de rebus mariti poteſtati ſubiectis: nec enim uxor in omnibus marito ſubditur, ſed in iis tantummodo quæ matrimonium, filiorum educationem, bonorum adminiſtrationem, & familiæ regimen ſpectant. Ergo ea ſolummodo vota irritare maritus poteſt quæ huic repugnant ſubiectioni, & ordinem iſtum pertur-

Digitized by Google

turbant; ſecus alia quæ nullo modo iis quæ recenſuimus, officiunt. Id confirmatur ex eo quod ſubiectio uxoris reſpectu mariti oritur ex contractu, & ſacramento matrimonii. Hoc porro non omnimodam ſubiectionem inducit, ſed eam tantum quæ huic fini neceſſaria eſt, quæve in eumdem conducit. Ergo illa vota tantum dirimere maritus poteſt quæ huic fini obſtant.

II. Contrariam opinionem non pauciores Auctores docent. Soto *Lib.VII. de iuſt. & iur. art.* 1. *quæſt.* III. *§. At vero ſicuti*, Petrus de Ledeſma de *matrim. quæſt.*lxiv. *art.* 4. *dub.* 2. *concl.* 1. Prado *cap.* xxxi. *quæſt.* xiii. *num.* 93. Raphael de la Torre 2. 2. *quæſt.*lxxxviii. *art.* 9. *diſ.* 3. *num.* 3. Candidus *diſ.* xxv. *art.* 11. Aragonius 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 8. *dub.* 7. *quæſt.* v. Sanchez *Lib. IX. de matrim. diſp.* xxxix. *num.* 4. *& in Sum. Lib. IV. cap.* xxxiv. *num.* 3. Fagundez *Lib.II. cap.*xxxviii. *num.* 2. Villalobos *Tom. II. tract.* xxxiv. *diff.* xxi. Diana *III. Part. tract.* iv. *reſol.* 20. Leander *tract.* 1. *diſp.* xvi. *quæſt.* cxxvii. Tamburinus *Lib. III. cap.* xvi. *§.* 3. *num.* 48. Salmanticenſes *tract.* xvii. *cap.* ii. *punct.* 6. *num.* 58.

III. Hæc ſententia evincitur primo auctoritate ſacræ Scripturæ. D. Paulus ad Epheſios v. verſ. 22. *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino: quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ... ſed ſicut Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus*. Igitur quemadmodum omnia corporis membra a capite pendent, & Eccleſia Chriſto in omnibus ſubiecta eſt; ita ſubdita in omnibus uxor marito erit. Quod confirmatur ex *cap.* Noluit, *cap.* Manifeſtum xlv. *quæſt.* v. ex D. Auguſtino, & *ex cap.* Fin. *ibi.* ex D. Ambroſio de Paradiſo *cap.* x. ubi hæc habentur: *Evidentiſſime apparet ita virum eſſe caput mulieris, ut nulla vota abſtinentiæ, vel religioſæ converſationis liceat ſibi ſine eius licentia Deo offerre*. Tandem D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 8. *ad* 3. idem docet. *Religioſus ſubditus eſt Prælato quantum ad ſuas operationes ſecundum profeſſionem Regulæ. Et ideo etiamſi aliquis ad horam aliquid facere poſſit, quando ad alia non occupatur a Prælato; quia tamen nullum tempus eſt exceptum, in quo Prælatus non poſſit eum circa aliquid occupare, nullum votum Religioſi eſt firmum, niſi ſit de conſenſu Prælati; ſicut nec votum puellæ exiſtentis in domo, niſi ſit de conſenſu patris; nec uxoris, niſi ſit de conſenſu viri*. Quomodo ergo Prælatus omnia Religioſorum vota irritare poteſt, ita etiam maritus vota omnia, ſive realia, ſive perſonalia, uxoris irritare valebit. Quoniam, licet diverſi ordinis ſit ſubiectio Religioſi ad Prælatum, ac uxoris ad virum; utraque tamen ſubiectio æqualem amplitudinem habet: quod expediens eſt ad tranquillam domus gubernationem, & ad mutuum inter coniuges fovendum amorem.

IV. Utraque ſententia probabilis eſt. Et ſi ambæ opiniones invicem conferantur, vix mihi apparet quænam prævaleat. In primam tamen propendeo, quæ, omnibus penſatis, probabilior mihi eſt: immo quantum ad aliqua vota realia

Digitized by Google

ſecunda opinio falſa videtur. Nam Salmanticenſes cum aliis Auctoribus citatis pro illa opinione docent, maritum omnia, & quæcumque vota, ſive perſonalia, ſive realia (ut inquiunt *num.* 58.) ab uxore emiſſa dirimere poſſe, non ſecus ac Prælatus poteſt omnia ſubditorum vota irritare. Quæ aſſertio falſa eſt: nam vota realia quæ uxores edunt de paraphernis, nullo modo a marito irritari queunt. Siquidem in parapherna uxoris, quæ extra bona dotis ſunt, nullum dominium maritus habet. Ergo uxor eadem vovere, & diſtribuere pro libito valet. Ad hoc ergo quod attinet, falſa eſt profecto iſtorum Auctorum opinio.

V. Idem abſolute dicendum eſt de votis perſonalibus, quæ nullo modo vel indirecte officiunt mutuo coniugum officio: puta, vota de certis precibus recitandis, quæ tamen non ſint nimis prolixæ, quæve turbent cum marito converſationem, de ſuperfluo vanoque ornatu reiiciendo, de effugiendis ſpectaculis, & choreis, de ſecundis nuptiis vitandis, de ingreſſu in Monaſterium, ſi marito ſuperſtes fuerit, & id genus ſimilia. Quoniam hæc nullo modo incommoda ſunt aut mutuo coniugum amori, aut familiæ regimini, aut filiorum educationi. Hanc opinionem præter allegatos *num.* 1. defendunt Natalis Alexander *Lib. IV. Decal. ar.* 12. *reg.* 24. La Croix *Lib. III. part.* 1. *art.* 1. *num.* 493. Antoine *tract. de virt. qu. eſt.* VIII. *reſ.* 2. *num.* 2. Felix Poteſtas *Tom. I. part.* II. *de* 2. *præcep. cap.* III. *num.* 1990. Patritius Sporer *tract.* III. *de* 2. *præcep. Decal. cap.* III. *ſect.* 2. *§.* 2. *num.* 27. Franciſcus Schmalzgrueber *T. IV. tit.* 34. *num.* 90. aliique plures.

VI. Argumenta contrariæ ſententiæ facile ſolvuntur. Apoſtoli Pauli textus evincit dumtaxat, uxores ſubditas viris eſſe in iis omnibus quæ externum regimen, mutuumque amorem ſpectant. Textus quoque canonicus loquitur de votis abſtinentiæ, religioſæ converſationis, & ſimilibus, ut legenti conſtare poteſt. D. Thomas quoque de votis exteriori familiæ gubernationi contrariis ſermonem habet, ut ex eiuſdem verbis colligitur. Nam de Religioſo loquens dicit, quia qualibet hora eidem Prælatus præcipere quidquam valet; ideo nullum illius votum validum eſt, niſi a Prælato ratum habeatur. Ad rationem reſpondetur, quod vi matrimonii mulier ſubditur marito in iis omnibus quæ iura ſpectant coniugalia, ſecus in aliis. Ad fovendum amorem matrimonialem ſatis eſt quod uxor nil inconſulto marito peragere valeat ex iis quæ hunc amorem, remque uxoriam poſſunt interturbare. Paritas a ſtatu religioſo petita falſitate laborat. Unde etenim colligunt Salmanticenſes eiuſdem amplitudinis, & æqualis extenſionis eſſe ſubiectionem uxoris ad maritum, ac eſt ſubiectio Religioſi ad Prælatum? Bonorum paraphernorum uxor dominium habet; eademque adminiſtrare, erogare, diſtribuere valet. Quis dixerit, idipſum Religioſo competere? Non ſolum ergo altioris ordinis, ſed maioris quoque amplitudinis eſt ſubiectio Religioſi ad Prælatum, ac uxoris ad maritum, ut alibi fuſius dictum eſt.

VII.

VII. Quæſt. II. *Poteſt ne maritus vota, & iuramenta uxoris de operibus præceptis irritare?* Reſp. Nequit iuxta noſtram ſententiam maritus irritare uxoris vota de audiendo ſacro, de ieiunio ſervando, de non mentiendo, de non fornicando, de confeſſione facienda, & ſimilibus. Ratio patet ex his quæ dicta ſunt.

VIII. Quæſt. III. *An maritus valeat irritare votum non petendi debitum emiſſum ab uxore abſque ſuo conſenſu?* Reſp. Negat communior, & probabilior opinio: quia in iure petendi, & reddendi debitum coniugale pares ſunt maritus, & uxor: nec enim quantum ad hunc peculiarem actum vir caput eſt mulieris, ut optime advertit Durandus in *IV. diſt.* XXXVIII. *quæſt.* I. *art.* I. *num.* 7. Suadendum tamen uxori eſt ut ab hoc voto abſtineat: quia, ſin directe, aliquo tamen modo conducit ad minuendam coniugalem benevolentiam, & amorem mutuum. Nam, ſi maritus advertat uxorem tali voto devinctam, ſenſim ab illius affectu ſeiungitur.

IX. Quæſt. IV. *An maritus irritare valeat caſtitatis votum quod uxor ex illius conſenſu emiſit?* Reſp. Adfirmantem ſententiam defendit ut probabiliorem Leander *tract.* I. *diſp.* XVI. *quæſt.* CXXX. ubi laudat pro eadem opinione Sanchez, Dianam, Sotum, Ledeſmam, & alios. Sed iuxta principia quæ nos ſupra poſuimus, hæc opinio nobis minime probabilis eſt. Si enim nequit maritus votum caſtitatis ab uxore emiſſum ſe inconſulto dirimere, quanto minus poterit irritare votum quod ſemel approbavit? Unde, quæſo, aut ex quo iure eruitur quod maritus valeat retractare conſenſum ſemel deliberate præſtitum? In quibuſcumque aliis promiſſis hæc retractatio iniuſta eſt: cur non & in voto?

X. Quæſt. V. *Quando uterque coniux mutuo conſenſu vovet, vel iurat caſtitatem, valet ne maritus uxoris votum irritare?* Reſp. Certum eſt non poſſe: quia uterque ceſſit iuri ſuo: mutuo namque conſenſu vitam cœlibem Deo ſpoponderunt: neuter ergo poteſtatem amplius habet revocandi deliberatam promiſſionem Deo factam.

XI. Quæſt. VI. *Si poſt caſtitatis votum deliberato, mutuoque conſenſu emiſſum, rei coniugali ſacrilegam navaverint operam, poterit ne maritus votum uxoris irritare?* Reſp. Adfirmant Sanchez *Lib. IV. in Decal. cap.* XXXIV. *num.* 17. Caſtropalaus *tract.* XV. *diſp.* II. *punct.* 6. *num.* 6. Leander *tract.* I. *diſp.* XVI. *quæſt.* CXXXII. Hæc opinio mihi falſa eſt, & improbabilis. Nec Auctores iſti ſibi conſtare videntur. Subſcribunt præcedenti quæſito, quod nequeant coniuges dirimere votum caſtitatis mutuo conſenſu editum. Deinde nunc docent, maritum poſſe illud dirimere, ſacrilega peracta copula? Ex iniquitate ergo proventum colligent coniuges iſti? Uſquedum vitam cœlibem ducunt, votum infringere nequeunt; & violato ſemel voto, ius ſive facultas erit marito votum irritandi? Sed, inquiunt Salmanticenſes, qui *loc. cit. num.* 59. fautores accedunt huic opinioni, contractus iſte mutuo conſenſu

peractus eſt; atque adeo mutuo conſenſu diſſolvi poteſt. Verum haberet, ſi contractus ſolos contrahentes ſpectaret. Sed contractus iſte per votum Deo nuncupatum conſecratus eſt: idcirco nulla coniugibus reſtat libertas eum reſcindendi. Habent quidem coniuges vi mutui conſenſus libertatem vovendi. At, voto per conſenſum mutuum ſemel emiſſo, libertate non pollent illud revocandi, etſi in id mutuo conſentiant.

XII. Quid, ſi licentiam tantum ſibi mutuò concederent coniuges ad vovendum, non explicato genere voti? Tunc aliter ſentiendum foret. Licentia enim ſuapte natura nec perpetuitatem ſapit, nec irrevocabilis eſt. Qui licentiam concedit, ſemper præſumitur pro arbitrio illam conceſſiſſe; atque adeo re ius ſibi ſervat eam revocandi. Licentia autem ſublata, poſſet maritus uxoris votum irritare. Advertendum tamen, quod ſi animo deliberato licentiam ſibi mutuam concederent coniuges ad eliciendum votum caſtitatis perpetuæ, ſeu ad vovendum abſolute caſtitatem, nulla adiecta conditione; tunc licentiam, ſeu conſenſum præſtitum revocare amplius non poſſent, ut iam ſupra docuimus, ob generalem rationem, quod retractare conſenſus deliberatos, ſemel in quacumque materia præſtitos, non eſt amplius in facultate libera conſentientis.

XIII. Quæſt. VII. *Quando uterque coniux mutuo conſenſu Religionem vovet, poteſt ne alter tantum, aut uterque conſenſu mutuo votum iſtud irritare?* Reſp. Neque alter tantum, neque ambo ſimul valent præfatum votum dirimere. Hoc ſiquidem votum perpetuam continentiam includit, & matrimonii diſſolutionem quoad torum. Idem dicendum, quando mutuo conſenſu alter Religionem, alter caſtitatem vovet. Sententia communiſſima eſt, & vera.

XIV. Quæſt. VIII. *Vota quæ uxor ante contractum matrimonium emiſit, implenda tamen matrimonio inito, valet ne maritus irritare?* Reſp. Negat communior, & probabilior ſententia: quippe ea vota, ſpectato tempore quo fuerunt emiſſa, libera ſunt ab omni conditione, atque adeo vota abſoluta ſunt. Nullam ergo maritus poteſtatem habet in illorum valorem; ſed ſolum eadem ſuſpendere poteſt, quatenus officio coniugali forent incommoda. Idem dicendum de votis emiſſis tempore legitimi divortii: nempe ſi mutuo reconcilientur, ſuſpendere maritus talia vota poterit, neutiquam irritare: quia, cum uxor illa emiſit, libera erat a lege, & poteſtate mariti.

XV. Quæſt. IX. *Vota quæ implenda poſt diſſolutum matrimonium uxor edit, valet ne maritus irritare?* Reſp. Adfirmant Leander, Tamburinus, & alii plures quos ipſi laudant. Sed negativa opinio communior eſt, & probabilior. Quia hæc vota nullo modo officiunt iuri matrimoniali; nullumque dominium habet maritus poſt mortem in eam mulierem quæ olim fuit ſibi coniugii vinculo copulata. Et quamquam votum emittatur tempore quo uxor ſubiecta eſt viro; ad hoc tamen quod at-

attinet, haudquaquam eidem ſubdita eſt, ut ex iis quæ dicta ſunt, conſtat. Si, mortuo primo marito, uxor ad ſecundas nuptias tranſeat, ſecundus maritus valebit omnia vota irritare quæ poterat primus maritus; dummodo confirmata non fuerint tempore viduitatis.

XVI. Quæſt. X. *An uxor queat aliqua mariti vota irritare?* Reſp. Negant Soto, Ledeſma, Azorius, & alii. Communis opinio ſuſtinet, ea mariti vota uxorem dirimere poſſe quæ iuri matrimoniali repugnant. Laudati Auctores, negantes uxori hanc facultatem irritandi vota mariti, verbis dumtaxat diſcrepant a communi ſententia, potiſſimum Soto, qui *Lib. VII. de iuſt. quæſt.* III. *art.* I. *verb. An extra hanc materiam &c.* hanc rem diſcutit. Decernit enim vota quæ maritus edit in præiudicium rei uxoriæ, nulla eſſe; & idcirco non indigere irritatione. Hinc conſtat (ut ut ſit de hac opinione) communiter Auctores convenire, maritum, inconſulta uxore, non poſſe vota edere in coniugalis officii detrimentum. Laudati Auctores refugiunt concedere facultatem uxori irritandi vota mariti, eo quod ſit illi ſubdita tamquam capiti. Sed hoc, ſi preſſe expendatur, nil obſtat. Vir caput mulieris eſt, illiuſque dominus. Hoc autem minime impedit quominus uxor aliquorum bonorum dominium retineat. Nonne uxor domina eſt bonorum paraphernorum? At quanto potiore gaudet iure ad rem coniugalem? In hoc iure coniuges æquales ſunt; nec quantum ad hoc vir eſt mulieris caput, ſive dominus. Idcirco quæcumque vota a marito emiſſa, ſi officio matrimoniali obſint, irritare uxor poteſt. Excepit D. Thomas ſuo tempore votum peregrinationis Hieroſolymitanæ in ſubſidium Terræ ſanctæ: quia, inquit in IV. diſt. XXXII. art. 4. ad I. *uxor debet velle continere ad tempus ſubveniendo neceſſitati generalis Eccleſiæ*. Idem dicendum nunc eſſet, ſi ſimilis occurreret ratio publicæ utilitatis, ſive temporalis, ut defenſio patriæ, ſive eccleſiaſticæ, ut bellum adverſus impugnantes religionem. Alia pariter vota quæ matrimoniali iuri non nocent, irritare uxor nequit.

XVII. Quæſt. XI. *Votum emiſſum a marito non petendi debitum valet ne uxor irritare?* Reſp. Affirmant Layman, Trullenchus, Rodriguez, Henriquez, & alii: quia uxores contra pudorem a natura inſitum cogerentur debitum ſemper petere. At ratio iſthæc nimis eſt imbecilla. Quandoquidem nullum ius habet uxor obligandi maritum ad debiti petitionem. Illum obligare nequit ut petat, ſed ſolum ut reddat. Satis eſt ut maritus paratus ſemper ſit ad ſolvendum rogatus. Licet autem voto ligatus ſit, ut non valeat petere (ad quod utique non tenetur) ſemper tamen paratus, & promptus eſſe debet ad reddendum, quoties fuerit poſtulatus. Hæc opinio vera eſt, eamque plures defendunt. Diſſuadenda tamen maritis ſunt, & uxoribus ſimilia vota.

XVIII. Quæſt. XII. *Præfatum mariti votum licitum ne foret, & prudens?* Reſp. Ple-

Plerumque, & fere ſemper illicitum foret tale votum: tum quia nimium uxori moleſtum eſſet; tum quia vovens periculo illud violandi ſe ſe exponeret, cum non poſſet in alio lecto cubare abſque coniugis conſenſu. Porro hæc tam propinqua habitatio fortaſſis afferret peccandi periculum.

XIX. Quæſt. XIII. *An uxor poſſit irritare votum quod maritus emiſit, ferendi habitum Eremitæ, vel alicuius Religionis?* Reſp. Affirmant communiter Auctores, eo quod eiuſmodi votum præiudicat uxori: talis namque delatio habitus horrorem ingerit, & amorem coniugalem minuit; quin ad animorum ſeparationem viam ſternit. Neuter ergo coniugum ſine alterius conſenſu valet habitum laicalem in habitum Eremitæ ſive religioſum D. Franciſci, D. Dominici &c. commutare, nec votum commutandi edere: &, ſi votum emiſſum fuerit, uterque ius habet irritandi.

XX. Quæſt. XIV. *Valet ne uxor irritare mariti vota, erogandi amplas eleemoſynas, prolixas preces fundendi, crebra ieiunia peragendi?* Reſp. Cum vir adminiſtrationem abſolutam familiæ habeat, omniumque domeſticorum bonorum dominium, planum eſt, uxorem non poſſe præfatum eleemoſynarum votum dirimere, etiamſi in damnum familiæ cederet. Si vero votum eiuſmodi bona tangeret ipſius uxoris, eadem diſtribuendo; ex hac parte nullum eſſet, neque egeret irritatione. Quemadmodum nullum ſimiliter foret, ſi iuſtitiam læderet, bona prodigendo. Vota namque, ſicut & iuramenta, vincula non ſunt iniquitatis. Vota vero precum, & ieiuniorum adeo frequentium quæ corpus mariti extenuarent, ipſumque ad debitum reddendum ineptum redderent, uxor irritare poſſet, veluti noxia iuri matrimoniali.

XXI. Quæſt. XV. *Poteſt ne uxor votum longæ peregrinationis a marito emiſſum irritare?* Reſp. Affirmat communis ſententia: quia eſſet in præiudicium uxoris, ut dictum ſupra eſt. Excipitur votum peregrinationis Hieroſolymitanæ, aut ſimile in bonum publicum editum ad tempus. De peregrinatione Hieroſolymitana habetur in cap. *Ex multa §. In tanta*, & cap. *Quod ſuper his de voto*. Secus dicendum, ſi votum emiſſum fuiſſet cauſſa ſolius arbitrariæ devotionis, ut nunc fieret. Privilegio enim canonis nunc non gauderet maritus: quia nunc non adeſt cauſſa pergendi Hieroſolymam ob bonum publicum. Quamvis & tunc, quando cauſſa recuperandi Terram ſanctam votum mariti emittebant, diſputabant Theologi, an licite maritus illud votum implere poſſet perſonaliter, quando uxor nollet eum comitari, eſſetque valde iuvenis, atque a viro abſens periculo incontinentiæ expoſita remaneret. Plures negabant, poſſe tunc maritum votum implere, quia iure naturæ tenetur ſatisfacere debito prius contracto. Sed nunc non occurrit ratio de hoc diſputandi. Dictum eſt ſupra, iterumque dicimus, teneri uxorem ad continentiam ob aliquod grave bonum publicum defendendum, vel de-

Digitized by Google

deperditum recuperandum. Sed hæc rariſſime eveniunt: ideo a prolixiori ſermone abſtinendum.

XXII. Vota a marito emiſſa ante matrimonium ſuſpendi ab uxore queunt, ſi coniugali iuri repugnent; irritari autem non poſſunt. Quæ facta fuerunt poſt matrimonium cum expreſſa licentia, & deliberato conſenſu eiuſdem uxoris, irritari non poſſunt; quidquid alii dicant.

CAPUT VII.

De poteſtate dominorum in vota ſervorum.

I. Diſtinguendi ſunt famuli a ſervis. Famuli dicuntur qui conducti a dominis, pacto pretio, iiſdem inſerviunt. Iſti dicuntur proprii iuris, vel ſub poteſtate patria, aut curatoris conſtituti. Eorum vota non pendent a dominorum voluntate; ſed firma ſunt, & rata, nullo habito ad dominorum voluntatem reſpectu. Poſſunt tantummodo domini famulorum vota ſuſpendere, ſi hæc debitum ſibi ſervitium impediant: ipſique ſervi poſſunt aut executionem differre, aut a dominis recedere. Idcirco de his in præſentia ſermo non eſt.

II. Servi preſſe accepti ſunt mancipia in ſervitutem redacta. Iſti ſervi libertate nulla fruuntur: & ideo de iſtorum votis inquirimus. Omnia ſervorum vota irritationi eſſe obnoxia contendit prima ſententia, quæ evinci poteſt ex *l.* 11. *ff. de pollicit.* ubi dicitur: *Filius enim familias, vel ſervus ſine patris, dominive auctoritate voto non obligatur.* In hanc eamdem ſententiam concedere videtur D. Thomas in IV. diſt. xxxviii. quæſt. 1. art. 1. quæſtiunc. ultim. ad 3. *Servus*, inquit, *non eſt exemptus aliquo tempore a ſervitio domini ſui; & ideo nullum tempus eſt ei vacans, quo poſſit quodlibet facere. Et quia omne votum eſt aliquo tempore complendum, ideo ſicut nec ſervus, ita nec Religioſus aliquod votum emittere poteſt abſque conſenſu ſui ſuperioris.*

III. Secunda ſententia ſuſtinet, nulla ſervorum vota irritari a dominis directe poſſe. Quoniam, licet ſervorum corpora ſubdita dominis ſint, animæ tamen illorum dominio non ſubiiciuntur. Nihilominus indirecte poſſunt domini irritare vota ſervorum, quatenus hæc obſequio & ſervituti ſibi præſtandæ officere queunt. Tertia ſententia docet, dominos omnia ſervorum vota irritare poſſe, voto caſtitatis excepto: quia omnia vota, præter votum caſtitatis, indiget aliquo temporis tractu pro ſui executione.

IV. Paucis rem hanc expediam. Dominus valet irritare omnia ea vota quæ ſervitutem, & obſequium a ſervo ſibi exhibendum impediunt. Ratio evidens eſt. Dominus ius habet ut ſervitutis officia ſibi a ſervo præſtentur. Ergo ea vota

quæ huic iuri repugnant, irritationi domini ſunt ſubiecta. Hæc eſt ſententia quam docet Angelicus *loc. cit.* & 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *artic.* 8. *ad* 2. & *quæſt.* civ. *artic.* 5. *in corp.* ubi hæc habet. *Tenetur autem homo homini obedire in his quæ exterius per corpus ſunt agenda; in quibus tamen ſecundum ea quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, ſed ſolum Deo: quia omnes homines natura ſunt pares; puta in his quæ pertinent ad corporis ſuſtentationem, & prolis generationem. Unde non tenentur nec ſervi dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate ſervanda, aut aliquo alio huiuſmodi. Sed in his quæ pertinent ad diſpoſitionem actuum, & rerum humanarum, tenetur ſubditus ſuo ſuperiori obedire ſecundum rationem ſuperioritatis; ſicut miles duci exercitus in his quæ pertinent ad bellum; ſervus domino in his quæ pertinent ad ſervilia opera exequenda; filius patri in his quæ pertinent ad diſciplinam vitæ, & curam domeſticam; & ſic de aliis.* In his ultimis verbis univerſalem doctrinam tradit pro omnibus, qui ſuperioris poteſtati ſunt ſubiecti, docetque, vota eorum qui ſuperioribus ſubduntur, valida eſſe, quoties non officiant iuri reddendo. Sententiæ D. Thomæ ſubſcribunt Sotus *Lib. VII. de iuſt. quæſt.* iii *art.* i. *ad* 2. Navarrus *in Manual. cap.* xii. *num.* 64. Suarez *Tom. II. de Relig. Lib. III. de voto cap.* vii. *num.* 19. & *Lib. VI. cap.* iii. *num.* 2. Azorius *Lib. XI. cap.* xvi. *quæſt.* viii. Sayrus *Lib. VI. Clav. Reg. cap.* v. *num.* 7. Leſſius *Lib. II. cap.* xl. *dub.* 10. *num.* 82. Valentia 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *diſp.* vi. *quæſt.* vi. *punct.* 6. Bonacina *diſput.* iv. *quæſt.* ii. *punct.* 7. *§.* 2. *num.* 7. Prado *cap.* xxxi. *quæſt.* xiii. *§.* 5. *num.* 89. Tamburinus *Lib. III. cap.* xvi. *§.* 3. *num.* 45. Leander *tract.* i. *diſp.* xvi. *quæſt.* cli. Sanchez *Lib. IV. cap.* xxxvi. *num.* 2. Salmanticenſes *tractat.* xvii. *cap.* ii. *punct.* 7. *num.* 63. aliique plures.

V. Diſputari ſolet, an directa, vel indirecta hæc votorum irritatio dicenda ſit. Sed diſſidium nullius eſt momenti. Siquidem iuxta diverſas notiones quas quiſque ſibi effingit, diverſam quoque ſententiam propugnat. Ut mihi ſimilius vero videtur, indirecta potius irritatio dicenda eſt: quia domini nullum in ſervorum voluntatem dominium habent; ſed tantum in materiam, ſeu operationes eorum corporeas voto ſubiectas. Sed non eſt cur fuſius de hoc diſſerere debeamus.

VI. Itaque domini nequeunt ſervorum irritare vota caſtitatis, precum, ieiuniorum, quæ non officiunt debito obſequio; nec vota de ſervandis præceptis divinis, & eccleſiaſticis; nec vota elargiendi eleemoſynas de bonis quorum dominium ſervi habent; nec vota emiſſa tempore ſervitutis, ſed implenda poſt comparatam libertatem; nec denique vota emiſſa ante ſervitutem, ſed ſolum ea ſuſpendere poſſunt. Quid de uxore domini dicendum? Si ſervus uxoris domini ſit, pertineatque ad eiuſdem bona parapherna, quorum non dominium modo, ſed etiam adminiſtrationem habeat; ſervorum vota irritare valet eo modo quo maritus.

Uxo-

Digitized by Google

Uxores autem dominorum vota ſervorum irritare abſolute nequeunt, eo quod regimen familiæ mariti ſolum exercent: qui idcirco irritare vota ſervorum valent, quia huic regimini incommoda ſunt.

VII. Filiifamilias qui ſervos habent ceu bona ſpectantia ad peculium caſtrenſe, cuius & dominium, & adminiſtrationem habent, poſſunt illorum vota irritare, quoniam ſunt veri & abſoluti domini: dummodo tamen filiifamilias puberes fuerint. Secus dicendum, ſi ſervi pertineant ad peculium profectitium: quia tunc ſolus pater, qui dominium, & adminiſtrationem talis peculii habet, irritare illorum vota poſſet. Si vero ſervi ſpectent ad peculium adventitium, etiam tunc pater ſolus irritare vota poteſt; niſi votum ſit adverſus dominium: quo in caſu & filius, quia dominus, & pater, quia adminiſtrator, poterunt vota dominio talis peculii infeſta dirimere. Pupillus, & minor, qui careant tutore, & curatore, ſervorum vota irritare poterunt; ſecus, ſi tutorem, & curatorem habeant.

CAPUT VIII.

De votorum relaxatione vi diſpenſationis.

I. PLura quæ vim, naturam, & notionem diſpenſationis ſpectant, in tractatu de legibus diſcuſſa reperies. Quare his omnibus nunc miſſis, ſtatim quæſtiunculas ſolvendas proponimus, quæ directe ad noſtrum attinent inſtitutum.

II. Quæſt. I. *An in Eccleſia ſit facultas diſpenſandi ab obligatione votorum, & iuramentorum?* Reſp. Aiunt omnes communiter Catholici: & eruitur ex Matth. XVI. *Tibi dabo claves regni cælorum: quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Item XVIII. *Amen dico vobis, quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis.* Quæ verba generalia cum ſint, & indefinita, perperam quis eadem reſtringere contenderet, & coarctare ad quædam dumtaxat peculiaria debita relaxanda. Aſſertio conſtat etiam *ex cap.* De peregr. & *cap.* Venientis, & *cap.* Non eſt, & *cap.* Ex multa, *ext. de voto, & voti redemptione*. Quod hoc ratiocinio Angelicus confirmat 2. 2. quæſt. LXXXVIII. art. 10. *Qui vovet, quodammodo ſibi ſtatuit legem, obligans ſe ad aliquid quod eſt ſecundum ſe, & ut in pluribus bonum. Poteſt tamen contingere quod in aliquo caſu ſit vel ſimpliciter malum, vel inutile, vel maioris boni impeditivum; quod eſt contra rationem eius quod cadit ſub voto. Et ideo neceſſe eſt quod determinetur in tali caſu votum non eſſe ſervandum. Et, ſi quidem abſolute determinetur votum aliquod non eſſe ſervandum, dicitur diſpenſatio voti; ſi autem pro hoc quod ſervandum erat, aliquid aliud imponatur, dicitur commutatio voti. Unde minus eſt votum commutare quam in voto diſpenſare. Utrumque tamen in poteſtate Eccleſiæ conſiſtit.*

III.

III. Quæſt. II. *Penes quos reſideat hæc facultas diſpenſandi ab obligatione votorum?* Reſp. Penes Prælatos Eccleſiæ hæc reſidet poteſtas. Quod Angelicus 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 12. declarat his verbis. *Votum eſt promiſſio Deo facta de aliquo quod ſit Deo acceptum. Quid ſit autem in aliqua promiſſione acceptum ei cui promittitur, ex eius pendet arbitrio. Prælatus autem in Eccleſia gerit vicem Dei: & ideo in commutatione, vel diſpenſatione votorum requiritur Prælati auctoritas, qui in perſona Dei determinet quid ſit Deo acceptum, ſecundum illud II. ad Corint.* 11. Nam & ego, quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti. *Et ſignanter dicit*, propter vos, *quia omnis diſpenſatio petita a Prælato debet fieri ad honorem Chriſti*. Prælati igitur vicem Dei gerunt. Porro, cum vota facta ſint in obſequium Dei, planum eſt Prælatos poſſe eiuſmodi vota relaxare: quiſque enim remittere valet ea quæ in ſuum obſequium promiſſa ſunt. Vota ſunt promiſſiones factæ in obſequium Dei. Ergo Deus ipſe, ſeu qui Dei vices gerit, vota poteſt relaxare.

IV. Hæc poteſtas ſpiritualis eſt, & iuriſdictionis, non ordinis. Quare Epiſcopus electus, & confirmatus, licet non ſit ordinibus ſacris inſignitus, diſpenſare in votis poteſt. Vi iuris ordinarii perſonis dumtaxat eccleſiaſticis competit: quoniam hæc poteſtas ſpectat externum regimen, & gubernationem Eccleſiæ.

V. Quæſt. III. *Quid ſit diſpenſatio voti?* Reſp. Iuxta communem definitionem eſt *ablatio vinculi voti facta nomine Dei ab habente iuriſdictionem ſpiritualem in foro externo propter aliquam rationabilem cauſſam*. Definitio ita clara eſt, ut explicatione non egeat.

VI. Quæſt. IV. *Quomodo hæc vinculi ablatio efficiatur?* Reſp. Diſputare hic Theologi ſolent, quomodo hæc vinculi ablatio fiat. Plures contendunt, Pontificem, ceteroſque Prælatos relaxare ipſum ius divinum, & naturale: quod contingit, dum ſuperior cognoſcit firmum, ratumque votum eſſe, atque obligare etiam in hoc peculiari caſu; ob gravem tamen cauſſam eiuſmodi obligationem iuri naturali innixam reſcindit, & aufert. Sanchez enim *Lib. IV. Sum. cap.* xxxvii. *num.* 14. ſuſtinet, quod *diſpenſatio in voto ſit vera iuris divini naturalis relaxatio, quo id votum obligabat. Quippe conceſſa eſt Eccleſiæ facultas a Chriſto Domino diſpenſandi relaxando vere obligationem iuris divini naturalis orti ex voluntate humana, non diſpenſando in univerſum, ut id ius non obliget; ſed in peculiari caſu occurrente, relaxando eius obligationem ex cauſſa iuſta*. Dura ſatis, & aſpera mihi videtur loquendi ratio. Si enim poteſtas eccleſiaſtica vere ius divinum naturale relaxare valet; quidni & ſacramentorum vincula? Quidni verum etiam matrimonium dirimere poterit? Quod piis auribus non bene ſonat.

VII. Inhærendum ergo doctrinæ, modeſtæque, & cautæ loquendi rationi qua utitur Angelicus 2. 2. quæſt. lxxxviii. art. 10. ad 2. *Dicendum, quod ſicut ex iure natu-*

Digitized by Google

naturali, & præcepto divino tenetur homo implere votum; ita etiam tenetur ex eiſdem obedire ſuperiorum legi, vel mandato. Et tamen, cum diſpenſatur in aliqua lege humana, non fit ut legi humanæ non obediatur, quod eſt contra legem naturæ, & mandatum divinum; ſed fit ut hoc quod erat lex, non ſit lex in hoc caſu. Ita etiam auctoritate ſuperioris diſpenſantis fit ut hoc quod continebatur ſub voto, non contineatur, inquantum determinatur in hoc caſu, hoc non eſſe congruam materiam voti. Et ideo, cum Prælatus Eccleſiæ diſpenſat in voto, non diſpenſat in præcepto iuris naturalis, vel divini; ſed determinat id quod cadebat ſub obligatione deliberationis humanæ, quæ non potuit omnia circumſpicere. Cautior, ſecurior, & verior eſt doctrina iſthæc. Angelicus enim ex Patrum, & ipſius Eccleſiæ ſenſu, quem melius ac præſtantius multo poſterioribus Caſuiſtis, & Theologis aſſecutus eſt, loquitur. Verum de hoc fuſius ſuo loco.

VIII. Quæſt. V. *Qui facultate diſpenſandi vota potitur, valet ne quoque eadem commutare?* Reſp. Sermo haud eſt de illis Prælatis qui poteſtate ordinaria donati ſunt in votis diſpenſandis: quoniam nulla de iſtis difficultas eſt: compertum namque eſt iſtos omnes & diſpenſare, & commutare vota poſſe. Quippe commutatio minor eſt diſpenſatione: quare qui valet diſpenſare, potiore iure poteſt commutare. Diſpenſatio ad ſolos ſpectat delegatos, qui privilegii a ſuperiore conceſſi virtute diſpenſandi facultate ornati ſunt; ut quando ſummus Pontifex bullam, iubilæum, aliudve concedit indultum miniſtris ſacramenti pœnitentiæ diſpenſandi in votis. Porro ex conceſſione diſpenſandi inferri facultatem commutandi negant Sanchez *Lib. IV. cap.* IIII. *num.* 4. & 5. Valentia 2. 2. *diſ.* VI. *quæſt.* VI. *punct.* 7. Azorius *Lib. XI. cap.* X. *quæſt.* IV. aliique. Ducuntur in hanc opinionem, quod iſtæ duæ facultates ſint omnino diſparatæ, & diverſi generis; atque adeo una ſub altera neutiquam comprehendatur. Unde concludunt, eum qui unam concedit, eo ipſo alteram non impertiri.

IX. Contraria tamen opinio communior, & probabilior eſt: quia principium cui ſententia illa innititur, veritate caret. Diſpenſatio, & commutatio eamdem omnino voti relaxationem inſpiciunt; licet diſpenſatio amplior ſit ipſa commutatione. Unde ergo colligunt, res eſſe diſparatas, generiſque diverſi? Non alia ſane diverſitas inter has duas intercedit facultates, niſi quod diſpenſatio perfectior eſt, & latius patens; commutatio vero inferior, magiſque limitata. Ceterum in eodem relaxandi voti genere ſiſtunt ambæ, cum ſolo hoc diſcrimine, quod diſpenſatio plus, commutatio minus relaxat. Porro ex *reg. iur.* 53. habetur: *Cui licet quod eſt plus, licet utique quod eſt minus*; quando plus, & minus ſub eodem continentur genere. Et hanc opinionem docent Soto *Lib. VII. de iuſt. quæſt.* IV. *art.* 3. Barboſa de *poteſt. Epiſc. II. Part. alleg.* XXXVII. *num.* 13. Prado *cap.* XXXI. *quæſt.* XV. *num.* 48. Raphael de la Torre 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 12. *diſp.* I. *num.* 7. Caſtropalaus *tract.*

tract. XV. *diſp.* II. *punct.* 14. *num.* 4. Leſſius *Lib. II. cap.* XL. *dub.* 16. *num.* 108. Suarez *Lib. VI. cap.* XII. *num.* 9. Laymanus *Lib. IV. tract.* IV. *cap.* VIII. *num.* 20. Diana *III. Part. tract.* V. *miſc. reſol.* 25. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* II. *punct.* 9. *num.* 81.

CAPUT IX.

Quibus iure ordinario poteſtas diſpenſandi in votis conveniat.

I. Diſpenſatio votorum, quæ, ut dictum eſt, non ordinis, ſed iuriſdictionis ſpiritualis eſt fructus, omnibus, & ſolis Prælatis Eccleſiæ, iuriſdictionem in ſubditos habentibus, competit. Quare nec Principes ſæculares, nec Prioriſſæ, vel Abbatiſſæ, nec Parochi, ſimpliceſve Presbyteri facultate potiuntur diſpenſandi in votis: eo quod non ſint ſimpliciter Prælati, nec iuriſdictionem ſpiritualem in foro externo habeant.

II. Poteſtas iſthæc delegari, vel committi poteſt omnibus Sacerdotibus, & Clericis prima tonſura inſignitis, dummodo coniugati non ſint. Quia poteſtas diſpenſandi iuriſdictionis, non ordinis eſt. At, quia ſpiritualis, & eccleſiaſtica eſt, in perſona dumtaxat eccleſiaſtica reſidere poteſt. Clericus autem prima ornatus tonſura perſona eccleſiaſtica eſt: fieri ſiquidem poteſt Vicarius generalis Epiſcopi, ab excommunicatione in foro exteriori abſolvere, & excommunicationem infligere valet. Clericus autem coniugatus non reputatur perſona eccleſiaſtica; ſed ſolum privilegio canonis fruitur, ſervatis quibuſdam conditionibus, ſuo loco explicandis. Summus tamen Pontifex *etiam* clerico coniugato hanc diſpenſandi facultatem impertiri valet: quia leges omnes eccleſiaſticas moderari, amplificare, & coarctare pro temporum opportunitate, & ex rationabili cauſſa poteſt.

III. Hæc poteſtas primum in ſummo Pontifice, tamquam in ſupremo, & univerſali Eccleſiæ Paſtore, & Capite, Chriſtique Vicario reſidet: deinde in Concilio generali, in ſummi Pontificis Pœnitentiario, cuius officio adnexa eſt iure ordinario, in Legatis a latere, in Nunciis pontificiis reſpectu totius provinciæ, aut regni: in Archiepiſcopis, Epiſcopis, in Capitulo cathedrali, Sede vacante, in Abbatibus iuriſdictionem quaſi epiſcopalem habentibus, in omnibus Prælatis Regularium relate ad ſuos ſubditos. Hi omnes iure ordinario cum ſuis ſubditis diſpenſare valent in votis, tum perſonalibus, tum realibus omnibus, exceptis reſervatis, de quibus infra dicetur. Cardinales autem protectores Ordinum nequeunt iure ordinario diſpenſare in votis: quia ut tales iuriſdictionem in ſubditos deſignatos non habent.

IV. Vota communitatis diſpenſari poſſunt ab Epiſcopo, iuſta occurrente cauſſa, ſi ſermo ſit de illis qui re vota ediderunt. Succeſſores vero qui non voverunt, quive

Digitized by Google

quive ad votum aſtringuntur, non vi voti, ut dictum ſuperius eſt, ſed ſolummodo ex præcepto, & lege Epiſcopi, pro eiuſdem Epiſcopi arbitrio diſpenſari queunt. Quare nec voventes, nec populus, inconſulto Epiſcopo, a votis, vel iuramentis communitatis ſe eximere iure valent.

V. Quæſt. I. *An qui aliis diſpenſationem valet a voto concedere, poſſit quoque ſibi ipſi idem applicare privilegium?* Reſp. Sermo eſt de iis omnibus quos iure ordinario in votis diſpenſare poſſe ſtatuimus cum ſuis ſubditis, utrum valeant pariter ſecummetipſis diſpenſare. Convenit penes omnes, ſummum Pontificem id præſtare poſſe, eo quod ſuperiorem, ad quem recurrat, nullum habeat. Satius tamen erit ut, ſicuti pro criminum abſolutione Confeſſarium ſibi deligit, ita quoque eidem poteſtatem conferat ſecum diſpenſandi in votis. De ceteris Prælatis diſſidium eſt inter Theologos.

VI. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* II. *punct.* 9. *num.* 79. ſuſtinent, Prælatos quoſcumque qui cum aliis diſpenſare valent, eodem ſecum ipſis uti poſſe privilegio. Laudant pro hac opinione *Sanchez*, *Bonacinam*, *Bartholomæum a S. Fauſto*, *Pradum*, *Fagundez*, *Tamburinum*, *Azorium*, *Rodriguez*, *Fagundez*, *Trullenchum*, & *Franciſcum Suarez*. Tanti res non eſt ut omnes Auctores iſtos expendam. Ad Suarez quod attinet, cuius auctoritatem magni ſemper facio, non modo hanc opinionem ipſe non defendit; ſed conceptis verbis oppoſitam docet loco ab ipſiſmet Salmanticenſibus laudato, nempe *Tom. II. de Relig. Lib. VI. de vot. cap.* XI. *num.* 5. ubi hæc habet. „ Si vero fuerit Regularis Prior, Guardianus, & ſimiles, a Provinciali; hic a Generali, vel Commiſſario, ſi eum habuerit; & denique inferior a ſuperiore diſpenſandus eſt: quia ſuperior habet in inferiorem Prælatum iuriſdictionem, & non e converſo, neque idem in ſeipſum. Prælatus autem ſupremus Religionis, ut Generalis, a tota Religione, quæ illi ſuperior eſt. " De Epiſcopis vero numero præcedenti ſub finem hæc ſcribit. *Niſi ergo conſuetudo Epiſcoporum talem facultatem oſtendat, iure ordinario a Pontifice in hac diſpenſatione pendent: quia illi in his ſpiritualibus ſubiiciuntur.* Martinez quoque de Prado, quem pro ſe allegant Salmanticenſes, huic contrariæ opinioni favet, quando ad ſuperiorem recurſus patet: quod de ſuperioribus Regularium adfirmat quoque citatus Trullenchus *Lib. II. cap.* 11. *dub.* 38. *num.* 17. Igitur probabilius nobis eſt, Prælatos quoſque in votorum diſpenſationibus ad ſuos reſpective, ut dicitur, ſuperiores recurrere debere: quia nemo iudex in propria cauſſa, nemoque in ſeipſum iuriſdictionem exercere vere ac proprie valet. Ratio contrariæ ſententiæ, quod alioquin ſuperiores deterioris forent conditionis, ſi nequirent ſecum ipſis diſpenſare in votis, nulla eſt. Quoniam tam Prælati, quam ſubditi æqualiter legibus ſunt ſubiecti, licet diverſo modo. Quare quemadmodum ſubditi a ſuis Prælatis immediatis, ſic iſti a ſuis Prælatis ſuperioris ordinis diſpenſari debent.

Digitized by Google

CAPUT X.

De poteſtate Prælatorum regularium in diſpenſandis votis ſubditorum.

I. QUæ communia ſunt, præmittamus opus eſt. Quæ valent Epiſcopi cum ſubditis ſuæ diœceſis, ea poſſunt Regulares cum ſuis ſubditis, videlicet Generalis in toto ordine, Provincialis in tota provincia, & ſuperiores domorum in tota familia. Quoniam comparate ad ſuos ſubditos, omnes iſti iuriſdictionem quaſi epiſcopalem habent: unde etiam eamdem delegare poſſunt. Quemadmodum ergo cenſuras ferre, & ab eiſdem abſolvere; ita in votis omnibus diſpenſare poſſunt, quinque exceptis in quæ nullam habent poteſtatem. Quin ſuperflua in hæc quinque vota poteſtas foret: nam duo prima caſtitatis, & Religionis, diſpenſationi ſubiecta minime ſunt; vota autem triplicis peregrinationis fieri nequeunt a Religioſis, & facta nulla ſunt.

II. Quæſt. I. *An Prælati regulares diſpenſare valeant in ſubditorum votis emiſſis cum licentia maiorum Prælatorum?* Reſp. Dictum ſupra eſt, non poſſe ſine cauſſa Prælatos irritare vota a ſubditis cum eorum licentia edita; quamvis oppoſitum plures ſentiant. Ad diſpenſationem tamen quod attinet, nulla eſt difficultas, quod poſſint diſpenſare in votis illi ipſi Prælati qui licentiam ſunt impertiti. Licentia ſiquidem data ſpirituali iuriſdictioni nullum infert detrimentum. De votis autem editis cum licentia maiorum Prælatorum non una eſt Theologorum ſententia. Aliqui negant Prælatum inferiorem diſpenſare poſſe in eiuſmodi votis. Communis, & vera ſententia adfirmat: quia, quamvis licentia conceſſa a ſuperiori Prælato ſubducat votum a poteſtate dominante Prælati inferioris (quamobrem Prælatus inferior nequit illud irritare) minime tamen illud extrahit ab iuriſdictione ſpirituali Prælati inferioris; ac proinde in tali voto diſpenſare valet.

III. Quæſt. II. *An Prælati regulares cum ſuis Novitiis in votis diſpenſare valeant?* Reſp. Adfirmat communis opinio, paucis Auctoribus negantibus. Siquidem Prælati regulares iuriſdictionem ſpiritualem in ſuos Novitios habent: eoſdem regere, & gubernare ad Prælatos pertinet. Accedit quod Novitii privilegiis Religionis fruuntur. Eadem tamen poteſtas reſidet etiam in Epiſcopo: quippe Novitius non eſt omnino exemptus ab iuriſdictione epiſcopali, antequam profeſſionem emittat. Epiſcopus autem Novitii eſt ille in cuius diœceſi Novitius commoratur.

IV. Quæſt. III. *An Prælati regulares diſpenſare valeant cum ſuis ſubditis in voto tranſeundi ad arctiorem Religionem?* Reſp. Dictum eſt ſupra, votum illud non eſſe

Præ-

Digitized by Google

Prælatorum irritationi ſubiectum. Ab eodem vero diſpenſare poſſe Prælatum cum ſuis ſubditis, tenet communis opinio; dummodo rationabilis cauſſa adſit: videlicet, ſi prudenter Prælatus diſpenſans iudicet, ſubditum ſuum facilius perfectionem ſui ſtatus aſſecuturum in propria quam ſi ad aliam demigret Religionem. Diſtinctione tamen opus eſt. Aut vovens degit in Religione mitiori, quæ tamen profeſſionem ſuam adamuſſim ſervat; & hoc in caſu dubio procul diſpenſare valet Prælatus in voto tranſeundi ad arctiorem; quando prudenter, ſolidoque fundamento ductus iudicat, ſubditum ſuum melius evangelicæ perfectioni in ſua Religione vacaturum fore. Vel Religio non mitior eſt, ſed laxior, ſive ab obſervantia Regulæ propriæ graviter collapſa; & tunc Prælatus diſpenſare haud valet Religioſum in voto tranſeundi ad arctiorem, ſeu ad aliam in qua Regula, legeſque ſerventur. Clarius rem explico. Prælatus nequit abſolvere ſubditum, hac poſitione gravis relaxationis facta, a debito quo devincitur ſe ſubducendi periculo tranſgrediendæ ſuæ profeſſionis, atque in eo Ordine ſe collocandi in quo præſcriptarum legum obſervantia viget. Quare, dato quod poſſit illum abſolvere a voto, ſicut ipſum abſolvere valet a voto non peccandi; non tamen liberare eum poteſt a propoſito, ſeu debito tranſeundi ad arctiorem Religionem; ſicuti liberare eum nequit a debito ſe continendi a peccatis.

V. Hinc caute legendi ſunt Auctores qui paſſim docent (ut videre eſt apud Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* II. *punct.* I. *num.* 91.) poſſe quoque Prælatos Regularium diſpenſare eos qui votum ediderunt ingrediendi ſtrictiorem Religionem, ut amplectantur laxiorem. Si enim ſermo ſit de laxiori, ideſt collapſa a regulari diſciplina in *ſubſtantialibus*, falſiſſima eſt eorum doctrina: eo quod nec primum licite ingredi iuvenes poſſunt eiuſmodi Religiones. Privilegia Eugenii IV. quæ afferri ſolent, apocrypha ſunt, nec eo pertinent quo trahuntur.

VI. Neque in votis ſolemnibus, neque in votis quæ ſtatum propriæ Religionis afficiunt, ſuntque veluti ſingulares prærogativæ talis Ordinis, diſpenſare Prælati valent. Hinc vota abſtinentiæ in Religione Minimorum, votum reſtringendæ, & numquam laxandæ paupertatis in Societate Ieſu, votum non ambiendi, neque acceptandi dignitates extra Religionem, quod in quibuſdam Ordinibus editur, relaxari a Prælatis nequeunt. Quæ omnia communia ſunt, ut nemo ferme diſſentiat.

CA-

CAPUT XI.

De poteſtate Confeſſariorum regularium in diſpenſandis votis hominum ſæcularium.

I. REM nimium implexam agitare aggredimur. Vix in diſputationem vocant rei moralis tractatores facultatem Regularium diſpenſandi in omnibus votis ſæcularium non reſervatis ſummo Pontifici, ſeu in iis omnibus, vi ſuorum privilegiorum, in quibus poteſtate ordinaria diſpenſare poteſt Epiſcopus in ſua diœceſi. Hanc ſententiam, nempe Regulares poſſe diſpenſare in præfatis votis, quaſi extra omnem diſceptationis aleam poſitam communiter defendunt Auctores citandi. Sanchez *Lib. IV. Decal. cap.* xliii. *num.* 4. Rodriguez *Tom. I. quæſt. Reg. quæſt.* lxiii. *art.* 3. Miranda *Tom. I. quæſt.* xlviii. *art.* 3. Aragon. 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 12. *concl.* 6. Ludovicus Lopez *I. P. cap.* l. Sayrns *Lib. VI. cap.* xi. *dub.* 17. *num.* 95. *in clav. Reg.* Caſtropalaus *tract.* xv. *diſp.* ii. *punct.* 13. *num.* 7. Trullenchus *Lib. II. Decal. cap.* ii. *dub.* 44. *num.* 2. Tamburinus *Lib. III. cap.* xvi. *num.* 46. Pellizarius *in man. Reg. tract.* viii. *cap.* iii. Fagundez *Lib. II. Decal. cap.* xlv. *num.* ii. Leſſius *Lib. II. cap.* iv. *dub.* 18. Machadus *Lib. V. P. III. tract.* iii. *docum.* 1. *num.* 1. Bartholomæus a S. Fauſto *Lib. III. Theſau. quæſt.* clxxiii. Candidus *diſq.* xxvii *art. unic. dub.* 2. Ioanues a Cruce *Lib. II. cap.* vi. *dub.* 8. *concl.* 1. Villalobos *II. P. tract.* xxxiv. *diff.* 29. *num.* 2. Mendo *diſp.* xxvi. *in bull. cruc. cap.* ii. *num.* 34. Baſſæus *verb.* Votum 7. *num.* 10. Quintanadvenas *Tom. II. tract.* v. *ſingul.* 15. *num.* 5. Martinus a S. Ioſeph *in Regul. S. Franc.* Diana *tract.* vi. *P. VI. reſ.* 50. Leander *tract.* 1. *diſp.* xvii. *quæſt.* cxxxv. Antonius a Spiritu ſancto *in Direct. Reg. tract.* ii. *diſp.* iii. *ſect.* 2. *num.* 80. Patritius Sporer *tract.* iii. *in* 2. *præcep. Decal. cap.* iii. *ſec.* 3. *num.* 54. Salmanticenſes *tract.* xvii. *cap.* ii. *punct.* ii. *num.* 94. Vidal *tit. de vot. inquiſit.* 3. *num.* 77. La Croix *Lib. III. part.* ii. *quæſt.* cxxx. Henricus a S. Ignatio *Tom. II. Lib. X. cap.* xlviii. Conſtantinus Roncaglia *tract.* viii. *de* 2. *Decal. præcept. cap.* iv. *quæſt.* ix. *reſ.* 2. & alii communiter.

II. Privilegia multa allegant in propriæ ſententiæ confirmationem. Primum eſt *Innocentii VIII.* qui, inquiunt, conceſſit Mendicantibus poſſe diſpenſare in omnibus votis in quibus poſſunt Epiſcopi, exceptis votis peregrinationis ultra duas dietas. Sunt autem duæ dietæ viginti leucæ iuxta Rebuffum *de privil. Scholaſt. privil.* 161. Hoc privilegium, inquit Leander, referunt Rodriguez, Thomas Sanchez, Baſilius Legionenſis, Tamburinus, & communiter alii Doctores. Credidiſſes, Auctores præfatos referre ipſius Bullæ verba, locumque, ubi Bulla aſſervatur, pateſacere. Verum nec verbum unum Bullæ exhibent; ſed tantummodo eam citant eo prorſus

mo-

Digitized by Google

modo ac Leander ipſe. Rodericus dumtaxat quarumdam bullarum verba refert ex compendio privilegiorum Mendicantium.

III. Secundum privilegium eſt *Martini V.* qui conceſſit Benedictinis poſſe diſpenſare in omnibus votis, etiam Epiſcopo reſervatis. Hoc idem conceſſit *Eugenius IV.* Congregationi S. Iuſtinæ in bulla *Etſi quoslibet* XI. & Ciſtercienſibus regularis obſervantiæ in regno Caſtellæ in bulla *Commiſſum* XXII. apud Rodericum. *Iulius II.* idipſum conceſſit Benedictinis Montis Oliveti in bulla *Etſi ad univerſos* XII. & *Leo X.* Camaldulenſibus, *Etſi a ſummo* 2. apud Cherubinum. *Paulus III.* Patribus Societatis in bulla *Cum inter cunctas* VII. apud Rodericum. Quæ privilegia etiam ad vota iurata extendit *Gregorius XIII.* Item *Sixtus IV.* in bulla *Sedes Apoſtolica* V. & *Paulus IV.* in bulla *Ex clementi* I. apud Rodericum, & Cherubinum.

IV. Hæc privilegia refert Henricus a S. Ignatio ex aliis Auctoribus. Auctor iſte haud ſolet rei moralis tractatoribus ita deferre, ut illorum relationibus acquieſcat; iſthic vero aures nimium faciles præbuit, nulloque præmiſſo examine, recenſita privilegia lectoribus exhibet. Verum hæc omnia aut ſuſpecta, ne dicam plane apocrypha, aut omnino diminuta ſunt; ſeu diſpenſandi facultatem non concedunt, ſed vota tantummodo commutandi. Eorumdem examen inſtituere iuvat.

V. Ut indicavi, recentiores Theologi recenſita privilegia, tamquam monumenta nulli obnoxia dubitationi, obtrudunt. Primi, & fere ſoli, qui eadem in ſuſpicionem adduxerunt, ſunt Lezana, Martinez de Prado, & Paſſerinus. Prado *Tom. II. cap.* XXXI. *de voto quæſt.* XIV. *§.* 8. *num.* 79. relatis coniecturis quæ apocrypha oſtendunt hæc privilegia, ſic concludit. *Ideo in re tanti momenti optarem quod hæc poteſtas indubitata eſſet; vel adeo probabiliter conſtaret, quod abſque ſcrupulo poſſet practicari. Interim conſulerem quod utamur ſola facultate vota commutandi, quæ eſt certa, & abſtineremus ab uſu poteſtatis diſpenſandi in votis, quæ non extat, niſi cum tot limitationibus.*

VI. Hunc perdoctum, cautum, prudentemque Theologum nimiæ religionis arguit Leander, qui *diſp.* XVII. *quæſt.* CXXXV. poſt relata quæ tranſcripſimus verba, hæc adiicit. *Sed certe nimis ſcrupuloſus de probabilitate oppoſiti: trepidat enim timore ubi nullus eſt timor, ut evidenter conſtabit.* Ut porro timores *Pradi* in fumum amandet, cenſum ſatis prolixum texit Auctorum, & quas illi citant Pontificum bullas, citat & ipſe. Sed Prado inſiſtit, ſibi minime de iſtarum bullarum veritate conſtare. Cui ſic reſpondet Leander. *Sed quid, quia tibi non conſtat, abſtinendum eſt a facultate diſpenſandi? Hoc verum, ſi aliis doctiſſimis & verſatiſſimis in materia privilegiorum viris etiam minime conſtaret. At conſtat, ut vidimus. Credat ergo Prado illis, ut ego libentiſſime credo, & firmiſſime teneo poſſe dictos Regulares diſpenſare in omnibus votis* &c.

VII. Quiſque ſibi in animum induceret, Leandrum tam fidenter loquentem in medium produxiſſe teſtimonia adeo clara, ut Prado, ceterique omnes illis fidem adhibere integram cogerentur. Et tamen non aliud affert præter citationes Auctorum, qui mutua credulitate proprias aſſertiones excipientes numerum ampliſſimum efficiunt teſtium, qui in materia facti nullius ſunt auctoritatis, quamvis eſſent doctiſſimi. Vix unus ſerio examine bullas ſe expendiſſe palam facit: ſed alii ex aliis citarunt eaſdem. Quapropter ſatis mirari non ſubit animoſitatem Leandri, redarguentis Prado, quod *rara ſollicitudine obſcurare ſatagit omnia privilegia quibus Mendicantes gaudent circa vota ſæcularium diſpenſanda*. Leandri erat, lumen aliquod emittere, lucemque afferre, ut tenebras diſpelleret, quibus Prado obſcurare curavit Mendicantium privilegia. Neque enim illa Caſuiſtarum nubes ſola ſufficit ad facti veritatem illuſtrandam; niſi documenta promantur legitima, quæ factum, de quo diſputatur, evincant. Verum, his ſiculis gerris miſſis, ad id quod caput eſt, accedamus.

VIII. *Eugenius IV.* anno 1436. in conſtitutione data Bononiæ, cuius initium eſt *Etſi quaslibet*, & habetur in Bullario Caſſin. & in antiquo Bullario Ord. Præd. Monachis S. Benedicti Congregationis S. Iuſtinæ ad regulæ præſcriptum reformatis, hanc conceſſit facultatem: *Inſuper & vota omnia permutare, ac in omnibus, & ſingulis caſibus, etiam Ordinariis aut per ſynodales, aut provinciales conſtitutiones reſervatis, cum eis diſpenſare, præter cenſuras, pœnas, vota, & caſus de quibus eſſet merito Sedes apoſtolica conſulenda.* Hoc privilegium omnes allegant citati Auctores, ut oſtendant Regulares poteſtatem habere in votis diſpenſandi. Et tamen planum eſt, Eugenium IV. ſolam *permutandi* vota facultatem concedere, & poſtea in caſibus reſervatis poteſtatem diſpenſandi, ut cuique ſanis oculis recenſita conſtitutionis verba legenti conſtare poteſt. Id Rodericus ipſe aperte fatetur *quæſt.* LXIII. *art.* 3. item Lezana, & Paſſerinus, qui præfata verba expendunt.

IX. Miranda primus fortaſſe fuit, ut advertit Paſſerinus *Tom. II. quæſt.* CLXXXVII. *art.* 1. *inſpect.* 4. *num.* 598. qui præfatam conſtitutionem amplificavit. Sumus, inquit, in materia *favorabili*; idcirco textus dilatandus eſt ad diſpenſationem. Quæ ratiocinatio quam ſit imbecilla, nemo non videt. Ut enim commune fert axioma, bullæ tantum valent quantum ſonant. In altera conſtitutione quam idem *Eugenius IV.* conceſſit iiſdem Monachis Benedictinis, cuius initium eſt, *Regularem vitam* (eſt IX. in Bullario Cherubini) nec verbum habetur quod exprimat facultatem diſpenſandi in votis, ſed ſolum diſpenſandi in caſibus reſervatis. Hæc ſunt verba conſtitutionis: *Et diſpenſare ſuper omnes caſus, præter ea peccata, & eos caſus de quibus ipſis Confeſſoribus ad eorum Ordinarios videbitur recurrendum* &c. In hac conſtitutione laudatur etiam altera conſtitutio *Etſi quaslibet*, eademque ple-

plenius explicatur. Porro evidens eſt quod tota facultas conceſſa reſtringitur ad diſpenſandum in caſibus, ſeu cenſuris; ſecus in votis.

X. Aliud privilegium conceſſiſſe *Eugenium IV.* ferunt Benedictinis Valliſoletanis diſpenſandi in votis. Lezana ait *Tom. I. cap.* XIX. *num.* 22. ſibi non conſtare, an aliqua bulla, an vivæ vocis oraculo conceſſum fuerit privilegium iſtud. Paſſerinus aſſerit conceſſum fuiſſe per ſimplicem *Signaturam* ſupplicationis porrectæ Pontifici. In ſupplicatione autem hæc habentur: *Ac cum eis, & eorum quolibet diſpenſare ſuper votis, etiam Epiſcopo reſervatis, & ea commutare in alia pietatis opera toties quoties devotioni prædictorum videbitur expedire, auctoritate apoſtolica licite, & libere poſſint.* Ex hoc privilegio nihil in favorem Mendicantium colligi poteſt. Primo, ipſo fatente Roderico, limitatum eſt, & coarctatum ad Monaſterium Valliſoletanum; ita ut extra illud nec commutari, nec diſpenſari, nec relaxari vota poſſint. Hæc namque eſt clauſula reſtringens: *Confeſſoribus deputatis, & deputandis a Priore, ſive Præſidente Monaſterii S. Benedicti Valliſoleti.* Deinde hoc privilegio tamdiu frui illi valent, quamdiu ad normam regularis obſervantiæ vitam degunt, ut advertunt Lezana *verb.* Votum *num.* 22. & Paſſerinus *num.* 599. An ſimilem limitationem cuilibet privilegio adiicere expediens eſſet, ceteri qui melius ſapiunt, iudicent.

XI. Simile privilegium conceſſit *Sixtus IV.* anno 1478. Vicario generali Congregationis reformatæ *Ord. Præd.* in regno Caſtellæ. Conſtitutionis initium eſt, *Sedis apoſtolicæ . . . Vicario generali Ordinis Prædicatorum, Reformatorum nuncupatorum.* Extat in recenti Bullario Ordinis *Tom. III.* Nulla autem in hoc privilegio facultas conceditur diſpenſandi vota, ſed commutandi dumtaxat. *Vota peregrinationis, & abſtinentiæ per eoſdem fideles emiſſa, quæ loci Ordinarius, ſi præſens eſſet, commutare poſſet, & ipſi fideles commode adimplere non poterunt, in ipſius loci Ordinarii abſentia in alia pietatis opera commutare.* Deinde, ut obſervat Paſſerinus, poſtulantibus Ferdinando Rege, & Eliſabetha Regina Caſtellæ, & Legionis conceſſum fuit privilegium ſoli Vicario generali Congregationis Reformatæ, ſeu obſervantis, ut aiunt. Hic mos impertiendi ſolis Regularibus ad præſcriptum regulæ reformatis eccleſiaſtica privilegia prudens, rationabilis, ac iuſtus eſt: quia privilegiorum concedendorum origini omnino conſentaneus. Prima enim privilegia idcirco conceſſa fuere, ut Regulares profeſſionis ſuæ exactiſſimi obſervatores, morum ſanctitate, ac proximorum ſalutis æternæ zelo Eccleſiam illuſtrarent. Si in aliquibus hæc merita omnino ceſſarent; ſi loco obſervantiæ regularis nimia morum remiſſio ſerperet; ſi loco ſtudii ac ſollicitudinis de animarum curanda ſalute ſcandala ad Chriſtianorum offenſionem graſſarentur: non ne privilegia omnia, quo iure conceſſa fuere, eodem revocari, & ſuſpendi deberent, ut vexatio ſaltem intellectum daret, & hac pœna, via ad reformationem minus difficilis redderetur?

tur? Sic nos pro noſtra tenuitate ſentimus. Nihil enim contra, ſed omnia pro veritate poſſumus. Verum de hoc fuſius ſuo loco. In ſemitam nunc regrediamur.

XII. Privilegium quod conceſſum ab *Innocentio VIII.* Ordini Minorum ferunt; nullius eſt auctoritatis: tum quod eſt vivæ vocis oraculum, ut fatentur Rodericus, Lezana, & Paſſerinus, qui advertit ipſum Mirandam *I. Part. quæſt.* XLVIII. *art. 3.* non magni facere privilegium iſtud: tum quod non ſe extendit ad vota omnia Epiſcopis reſervata.

XIII. *Paulus III.* in privilegio conceſſo Societati Ieſu ſolam commutandi facultatem impertit. Initium conſtitutionis iſtud eſt, *Cum inter cunctas . . . Vota quæcumque per eos pro tempore emiſſa . . . . in alia pietatis opera commutandi*. Quam facultatem *Gregorius XIII.* in ſua conſtitutione *Decet Romanum* confirmavit, nec ultra commutationem extendit. *Et inſuper facultatem alias Presbyteris Societatis prædictæ a Sede apoſtolica conceſſam COMMUTANDI vota, etiam iurata, dummodo commutatio huiuſmodi in alterius præiudicium non fiat, extendimus.*

XIV. Cetera quæ allegari ſolent, privilegia *Martini V.* & *Iulii II.* nihil omnino concludunt. Nam qui privilegium *Martini V.* referunt, nullum adducunt documentum quo illud authenticum eſſe oſtendant. Ignoratur, an ſit conſtitutio, an vivæ vocis oraculum. Quin nec verba aliqua proferuntur, ex quibus colligi poſſit, quænam facultas concedatur. *Iulii II.* conceſſio eſt vivæ vocis oraculum, nihilque novi concedit, ut obſervat Paſſerinus *num. 603.* ſed privilegium *Eugenii IV.* conceſſum Monaſterio Valliſoletano extendit ad totam Congregationem. Concludit autem Paſſerinus *num. 604.* „ Privilegium *Eugenii IV.* pro Benedictinis Hiſpaniæ, „ quidquid dicat Baſſæus, eſt omnino valde reſtrictum, & competere poteſt ad „ ſummum quatuor Confeſſariis . . . & hoc privilegium nec illis PP. competere „ poteſt, niſi *quamdiu vixerint in obſervantia regulari.* Et quia hi quibus communi- „ cantur privilegia, non debent eſſe melioris conditionis quam illi quibus a prin- „ cipio conceſſa fuerunt, ut conſideravit Rota *deciſ. 177. num. 15. part. 9.* ideo „ quatenus alii Regulares communicant in hoc privilegio, non poſſunt uti eo, „ niſi cum illis tribus limitationibus, ut ſcilicet ſint ipſi de numero illorum triam „ vel quatuor, qui a ſuperioribus domorum ad hoc deputati ſunt, & diſpenſent „ ſolum cum confluentibus, aut exiſtentibus in eorum Eccleſiis, aut domibus, & „ quatenus ipſi Confeſſores *VIXERINT IN OBSERVANTIA REGU-* „ *LARI.* Sub limitationibus enim iſtis, illis Monachis hæc facultas diſpenſandi „ in votis fuit delegata, ut videre eſt in dicto privilegio, quod per extenſum „ refert etiam Lezana *verb.* Votum *num. 22.* Sed præterea ego ſuſpicor quod nec „ in dicto privilegio concedatur facultas diſpenſandi proprie, & ſtricte, ſed ſolum „ diſpenſandi commutando. “

XV.

Digitized by Google

XV. Hæc omnia fuſe referre placuit, ut hinc colligat lector, quam incerta ſint privilegia illa quæ afferunt Auctores, ut certam Regularibus afferant poteſtatem diſpenſandi in omnibus votis Papæ non reſervatis. Ex tanta Auctorum multitudine, qui pro hac opinione citantur, vix unus eſt qui ex inſtituto & privilegia ſerio expendat, & rationes afferat, quibus facultatem revera conceſſam evincat a ſummis Pontificibus diſpenſandi in omnibus votis apoſtolicæ Sedi non reſervatis.

C O N C L U S I O.

XVI. *Falſa eſt ſententia quæ privilegium concedit Regularibus diſpenſandi in votis omnibus non reſervatis ſummo Pontifici*. Et primo ex iis quæ diximus, improbabilis ac falſa apparet ſatis præfata opinio: quoniam poteſtas iuriſdictionis in votorum relaxatione privilegiis dubiis, & incertis inniti minime debet; ſed certis, atque authenticis documentis. At nulla certa, & authentica documenta hucuſque allata ſunt in favorem eiuſdem opinionis. Igitur falſa dicenda videtur.

XVII. Neque multitudo Auctorum probabilitatem addit tali opinioni: quippe in materia facti multitudo teſtium de auditu minime auget vim probationis. Porro ex tot Auctoribus neminem reperi qui ſerio controverſiam diſcutiat; ſed unus fidit auctoritate alterius, &, veluti avis aves, alii alios ſequuntur; ac tandem multitudine omnes ſe tuentur, quaſi multitudo patrocinari poſſet errori.

XVIII. Sed argumentum, quod peremtorium mihi videtur ad evincendam improbabilitatem præfatæ ſententiæ, eruitur ex conſtitutione BENEDICTI XIII. cuius initium eſt, *Pretioſus in conſpectu Domini*. In hac conſtitutione Pontifex ſummus confirmat omnia privilegia a Sede apoſtolica Ordini Prædicatorum conceſſa, eadem extendit, declarat, ac novis conceſſionibus amplificat. Tamen regulas tradens quas Confeſſarii ſervare debent in iuramentorum, & votorum relaxatione, facultatem non diſpenſandi, ſed tantum commutandi vota illis concedit. Inquit enim §. 22. *Animo quoque repetentes, a Sede apoſtolica fuiſſe conceſſa quamplurima privilegia circa abſolutionem, relaxationem iuramentorum, & votorum commutationem pro Confeſſariis Ordinis prædicti quoad perſonas ſæculares, ac præcipue ſpectantes ad ſocietates ſupra memoratas, ad tollendas ſuper hoc quaſcumque dubietates ex diverſis prædictæ Sedis, iuxta temporum, & circumſtantiarum diverſitatem, provide emanatis diſpoſitionibus, atque ex Auctorum in diverſa abeuntium opinionibus ſubortas, volumus, ſancita in prædicta conſtitutione Clementis VIII. incipiente* Quæcumque, *ab omnibus, & circa quaslibet perſonas inviolabiliter obſervari*. Porro in tota laudata conſtitutione Clementis VIII. nec verbum habetur, niſi oculi me fefellerint, de diſpenſatione votorum.

XIX. Pergit conſtitutio, & continuo declarat facultatem quam ſuper votorum relaxatione concedit Confeſſariis, his verbis. *Bene verum eſt quod circa perſonas prædictis ſocietatibus adſcriptas intelligimus, prout volumus, & de apoſtolica benignitate indulgemus, concedimus, & declaramus, ut a Confeſſariis Ordinis Prædicatorum abſolvi, eorumque iuramenta relaxari, ac vota COMMUTARI, ſicut de confratribus, & conſororibus Roſarii ſupra diximus, & conceſſimus, poſſint, ac valeant &c. .... Et circa reliquas perſonas ſæculares ſocietatibus minime adſcriptas, iiſdem Confeſſariis Ordinis concedimus ut eaſdem ab aliis prædictæ Sedi reſervatis caſibus, & cenſuris abſolvere, eorumque vota commutare, ac iuramenta ſolvere ... poſſint ac valeant.*

XX. Igitur Pontifex ſummus omnia privilegia a Sede apoſtolica Ordini Prædicatorum impertita confirmat, & novis conceſſionibus amplificat; nihilo tamen minus diſpenſationis verbum omnino ſilet: quin ad ſubmovendas omnes difficultates, dubitationeſque, quæ hac de re comperiuntur apud Auctores, conceptis verbis declarat Pontifex, ſe *commutandi* vota facultatem impertiri. Ex qua conſtitutione non ſolum colligitur, certum nunc eſſe, non poſſe Regulares in votis ſæcularium diſpenſare; verum etiam eruitur, privilegia ipſa olim ab aliis ſummis Pontificibus conceſſa numquam præbuiſſe Regularibus eiuſmodi facultatem diſpenſandi in votis laicorum. Nec enim vero ſimile eſt, BENEDICTUM XIII. voluiſſe eo ipſo tempore Ordinis ſui privilegia reſtringere quo eadem dilatare, & novis conceſſionibus amplificare ſe velle teſtatur. Nec refert quod Bulla *Pretioſus* antiquata iam ſit: quoniam hæc abolitio non minuit, ſed auget argumentationis noſtræ vim.

XXI. Hanc noſtram ſententiam confirmat Martinez de Prado *Tom. II. cap.* XXXI. *quæſt.* XIV. *§. 8. num.* 79. Lezana *Tom. I. cap.* XIX. *num.* 22. Paſſerinus *Tom. II. de ſtat. quæſt.* lxxxvii. *art.* 1. *inſpect.* 4. *num.* 598. *& ſeq.* Iſti tres Auctores in hac quæſtione maioris mihi ſunt auctoritatis quam ceteri omnes qui laudantur pro contraria opinione: quoniam tres iſti documenta quæ afferri ſolent, ſerio ad trutinam revocarunt: quod adverſarios præſtitiſſe non video. Porro, ſi dubiam, atque adeo improbabilem reputarunt tres præfati Auctores contrariam opinionem ob dubia momenta queis innitebatur; non eſt dubitationi locus, quin ut falſam nobiſcum eam reiecturi fuiſſent poſt editam conſtitutionem Benedicti XIII.

XXII. Interpretatio quam exhibent adverſarii, illius verbi *relaxare*, contendentes idem valere ac diſpenſare, nec vera eſt, nec eorum doctrinæ conformis: ſiquidem verbum iſtud genericum eſt, & communiter accipitur pro quacumque voti remiſſione; quemadmodum ipſimet Salmanticenſes *loc. cit.* ſub initium *cap.* II. concedunt. Quin Paſſerinus *loc. laud. num.* 604. contendit, vel ipſum verbum *diſpenſare* in hac materia reſtringendum eſſe ad commutationem. *Cum vero diſ-*

pen-

penſatio votorum genus quoddam ſit , & totum comprehendens , etiam commutationem .... bene habet hic locum regula illa quam dictione 100. *ponit Barboſa , ſcilicet quod quando dictio* & *ponitur inter genus & ſpeciem , tunc ſtat declarative , & limitative ; ut in propoſito ſenſus ſit , quod concedatur diſpenſare , non quomodocumque , ſed commutando vota in alia pietatis opera.* Ut ut ſit de hac ſubtili interpretatione, certum videtur quod *relaxare* non prodat iuxta communem Theologorum ſenſum præciſe diſpenſationem . Nec eſt cur diutius rem iſtam producam : cum poſt conſtitutionem Benedicti XIII. certum mihi ſit, Dominicanos, & conſequenter ceteros Mendicantes , non poſſe vota ſæcularium relaxare , niſi eadem in alia pietatis opera commutando . Nec contendo ego , Benedictum XIII. ademiſſe Regularibus facultatem vota diſpenſandi ; ſed aſſero, ex illius conſtitutione certo colligi , numquam a ſummis Pontificibus conceſſam illis fuiſſe ſimilem poteſtatem .

XXIII. Hæc noſtra ſententia , præterquamquod pontificiis conſtitutionibus eſt innixa, conſona quoque rationi, & prudenti eccleſiaſtici regiminis œconomiæ valde conſentanea eſt . Quod enim regulares Confeſſarii non ſint omnino pares Epiſcopis in iuriſdictionis poteſtate ſuper votorum relaxatione, videtur ſatis conveniens. Quod poſtea corumdem Regularium merita tum antiqua , tum recentia privilegiis ornentur , atque compenſentur , æquum etiam , iuſtumque eſt. Hæc autem omnia ſimul optime conciliantur, ſi media *commutationis* via teneatur . Nec ſic ſcribens, minori erga Regulares affectu feror ; ſed ſolum errores, laxitates, & arbitraria inventa devito ; ne vera, & indubitata eorum privilegia periculo exponantur . Si critices ars tam ſevere in rebus exigui aut nullius ponderis, non minus quam ſcholaſtica aliquorum Theologia , exercetur ; quanta adhiberi diligentia debet in hac, & ſimilibus maximi momenti quæſtionibus extricandis, ut res bono in lumine collocentur ? Sed de hoc iterum ſermo recurret in tractatu de pœnitentia .

XXIV. Ex his omnibus infertur primo falſum eſſe quod docent Salmanticenſes *loc. cit. num.* 95. poſſe videlicet Regulares diſpenſare in quibuſcumque votis cum Religioſis etiam alterius Ordinis vi privilegiorum *Eugenii IV.* & *Sixti IV.* Falſum namque eſt præfatos Pontifices talia conceſſiſſe privilegia : nec verbum *relaxare*, quod legitur in conſtitutione *Sixti IV.* idem ſonat ac diſpenſare , ut illi contendunt . Secundo falſum pariter eſt quod ſubdunt *num.* 96. ampliorem quodammodo eſſe Regularium quam Epiſcoporum in votis diſpenſandis facultatem : quoniam Regulares omnium fidelium, undecumque ad eos venientium, Epiſcopi autem ſubditorum dumtaxat vota relaxare poſſunt : quamvis altera ex parte maplior ſit Epiſcoporum poteſtas , cum illi neceſſitate urgente in votis etiam reſervatis diſpenſare queant , quod nequeunt Regulares : quamquam *num.* 97. impro-

Digitized by Google

babile iidem Salmanticenſes non iudicent, poſſe Regulares etiam in votis reſervatis diſpenſare neceſſitate occurrente, eo modo quo diſpenſare poſſunt Epiſcopi. Hæc omnia ex iis quæ ſuperius diximus, conſtat eſſe falſa.

CAPUT XII.

De votis ſummo Pontifici reſervatis. Vera iſtius reſervationis interpretatio.

I. DE numero votorum quæ Papæ reſervata ſunt, non una eſt Auctorum ſententia. Richardus *in IV. diſt.* XXXVIII. *art. 9. quæſt.* 2. hæc vota ad tria reſtringit, nempe Religionis, perpetuæ caſtitatis, & peregrinationis Hieroſolymitanæ. Alii duo eſſe contendunt, caſtitatis ſcilicet, & Religionis: vota enim peregrinationis Hieroſolymitanæ, Romanæ, & Compoſtellanæ exiſtimant non eſſe abſolute reſervata Papæ; ſed tunc ſolum cum in ſubſidium eorumdem locorum emittuntur; ſecus, ſi devotionis cauſſa ederentur. Idque colligunt ex *cap.* Ex multa, *cap.* Super his de voto. Panormitanus *in dictum cap.* Ex multa *num.* 4. Angelus *verb.* Votum 4. *num.* 6. Gloſsa *in dict. cap.* Ex multa, *verb.* Incumbit: quod etiam animadvertit Paſſerinus *quæſt.* CLXXXVII. *art.* I. *inſpect.* 4. *num.* 6.

II. In aliud extremum declinaverunt alii, ultra quinarium numerum vota Papæ reſervata extendentes. Navarrus namque votis caſtitatis, Religionis, & trinæ peregrinationis addidit votum peregrinationis Lauretanæ: *comment.* I. *num.* 21. *de Reg.* Nonnulli addiderunt votum convertendi propria credita in ſubſidium Terræ ſanctæ: Roſella *verb.* Votum 5. *num.* 7. Sylveſter *verb.* Votum 4. *quæſt.* III. *dicto* 5. Alii adiecerunt votum aſſumendæ crucis in qualibet expeditione a Pontifice deſignata, & iuſſa: Hoſtienſis *in Sum. tit. de voto §.* Qualiter *num.* 12. Tandem nonnulli addunt votum numquam peccandi, quod Caietanus *Tom. II. opuſ. tract.* XI. *quæſt.* I. incommutabile, & indiſpenſabile votum aſſerit: at id verum habet, ſi de obligatione quæ ex lege oritur, ſermo ſit; ſecus, ſi obligatio ſpectetur quam votum inducit.

III. Communiſſima ſententia eſt, quinque tantum eſſe vota ſummo Pontifici reſervata, videlicet ſimplex continentiæ perpetuæ votum, Religionis, & triplicis peregrinationis, Hieroſolymitanæ, Romanæ, & Compoſtellanæ. Quod eiuſmodi quinque vota ſint Pontifici ſummo reſervata, colligitur ex *Extravagant.* Etſi dominici 2. *de pœnit. & remiſs.* ubi excommunicantur illi qui hæc relaxare vota præſumpſiſſent. Habentur enim ibi tamquam reſervata, licet expreſſe non reſerventur. Hæc reſervatio ex Eccleſiæ diſpoſitione eſt, ut advertit Paſſerinus *loc. cit. num.* 608. non ex intentione voventis. Quare, etſi vovens votum quodcumque præter aſſi-

aſſignata, & aſſignanda ederet, hac expreſſa intentione ut eſſet Papæ reſervatum, non idcirco reſervatum foret: quia vovens non valet reſtringere poteſtatem ordinariam Epiſcoporum. Hinc infertur, nullum aliud votum, præter quinque dicta, eſſe ſummo Pontifici reſervatum: quia ex nullo ſive iure, ſive legitima conſuetudine colligitur, aut votum Lauretanæ peregrinationis, aut quodcumque aliud ex iis quæ recenſuimus, ſummo Pontifici reſervari. Excipe tamen vota ſimplicia quæ fiunt in aliquibus Religionibus de non ambiendis, nec acceptandis dignitatibus. Quare vota Pontifici reſervata ſunt plura quam quinque, ſi hæc etiam Religioſorum vota comprehendantur, ut optime advertit Paſſerinus *num. 609.*

IV. Obiicies. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 12. *ad* 3. duo tantum enumerat vota ſummo Pontifici reſervata, ſcilicet caſtitatis, & Hieroſolymitanæ peregrinationis. Reſp. Sunt qui reſpondent, D. Thomam in voto continentiæ etiam Religionis votum, & in voto peregrinationis Hieroſolymitanæ voluiſſe ſimul Romanæ, & Compoſtellanæ votum comprehendere. Sed hæc reſponſio omnino arbitraria nobis videtur. Caietanus, & Sylvius ibi reſpondent, ita S. Doctorem ſcripſiſſe, quia tempore D. Thomæ illa duo tantum vota fortaſſis erant reſervata. Sed neque hæc reſponſio ſatis firma eſt. Siquidem, ut ex numero ſequenti conſtabit, etiam tempore D. Thomæ reſervatum erat votum Religionis. Erant igitur tria ſaltem reſervata. De trina peregrinatione dubium eſſe poteſt. Dicimus ergo, D. Thomam *loc. laud.* non enumeraſſe omnia vota reſervata. Id aperte colligitur ex eius loquendi modo: *Vota vero maiora (puta continentiæ, & peregrinationis Terræ ſanctæ) reſervantur ſummo Pontifici.* Per modum exempli adduxit præſata duo vota. Alibi recenſet votum Religionis. Nullibi vero omnia quinque expreſſe dinumerat. Quare probabile ſatis eſt, eo tempore trinam peregrinationem non fuiſſe reſervatam.

V. Obiici etiam ſolet, omnia vota perpetua eſſe ſummo Pontifici reſervata: quod colligi videtur ex S. Thoma in IV. diſtinct. xxxviii. quæſt. 1. art. 4. quæſtiunc. 2. *In votis illis quæ non de facili diſpenſationem accipiunt, nec frequenter, ſed raro, ſicut votum Religionis, & alia huiuſmodi vota perpetua, ſolus Papa diſpenſare poteſt.* Quod repetit 2. 2. quæſt. clxxxiv. art. 6. & quæſt. clxxxix. art. 7. *Ad ſolum Pontificem pertinere*, inquit, *diſpenſare in votis perpetuis.* Reſp. Communis Theologorum ſententia eſt, omnia vota perpetua non eſſe Pontifici reſervata, ut vota perpetua abſtinendi a vino, a carne, idque genus ſimilia. Ad auctoritates D. Thomæ reſpondent communiter illius commentatores, eum loqui de votis quæ genere ſuo perpetuitatem fere annexam habent; ut ſunt vota Religionis, & caſtitatis, & quæ Epiſcopi emittunt, dum epiſcopalem ſuſcipiunt gradum. Id perſpicue ſatis eruitur ex his quæ ſcribit 2. 2. quæſt. clxxxv. art. 4. *Soli*

Pa-

Digitized by Google

Papæ licet diſpenſare in voto perpetuo, quo quis ſe ad curam ſubditorum adſtrinxit, Epiſcopatum ſuſcipiens.

VI. Quæſt. I. *An iuramenta Deo facta caſtitatis, Religionis, & trinæ peregrinationis, ſint eodem modo ac vota, ſummo Pontifici reſervata?* Reſp. Negant plures. Ledeſma *tract.* XI. *cap.* IV. *dub.* 2. Tabiena *verb.* Iuram. *quæſt.* XX. *num.* 21. Lopez de Texeda *Lib. III. contr.* VI. *num.* 229. Antonius a Spiritu ſancto *in direct. tract.* II. *diſput.* III. *ſect.* 2. *num.* 86. aliique nonnulli. Probabilior eſt contraria ſententia, quæ ſuſtinet præfata iuramenta, non ſecus ac vota, ſummo Pontifici eſſe reſervata: quoniam iuramentum promiſſorium, ut ſuo loco dicetur, votum includit, ſeu idem cum voto reputatur. Eſt enim promiſſio iurata Deo facta, quemadmodum iuramentum factum homini eſt promiſſio iurata illi exhibita. Ita D. Antoninus *II. Part. tit.* XI. *cap.* II. §. 2. Caietanus 2. 2. *quæſt.* lxxxix. *art.* 9. Soto *Lib. VIII. quæſt.* I. *art.* 9. Leander *tract.* I. *diſp.* XVII. *quæſt.* lxxx. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* III. *punct.* 12. *num.* 108. Moya *tract.* II. *diſp.* I. *quæſt.* IV. §. I. *num.* 5. & alii.

VII. Quæſt. II. *An Epiſcopi, & Prælati habentes iuriſdictionem quaſi epiſcopalem, neceſſitate urgente, valeant in quinque præfatis votis diſpenſare?* Reſp. Affirmat communis opinio. Sed diſtinctione opus eſt. Epiſcopi diſpenſare valent in præfatis votis, dum adeſt periculum violandi voti, infamiæ, ſcandali, alteriuſque gravis damni, ſive temporalis, ſive ſpiritualis, ſi diſpenſatio differatur. Caſus non ſunt adeo rari. Violaſti virginem voto aſtrictus caſtitatis. Ad illius honoris reparationem matrimonium neceſſarium eſt. Impedimenta ab aliquibus iniicienda times, ſi matrimonium differas. Item morti proximus alio modo honori mulieris quæ optima potitur fama, & cum qua rem habuiſti turpem, conſulere nequis, niſi matrimonium contrahendo. In his atque ſimilibus caſibus gravis urget neceſſitas. Idcirco Epiſcopus diſpenſare valet cum ſuis ſubditis in votis reſervatis. Hoc ſiquidem Eccleſiæ regimini expediens eſt: nec præſumendum venit, cum tanto animarum periculo voluiſſe Pontifices præfata vota ſibi, urgente etiam neceſſitate, & mora periculum afferente, reſervare. Secus dicendum de Prælatis regularibus. Sicuti enim diſpenſandi facultatem non habent in votis abſolute non reſervatis, multo minus in reſervatis votis poterunt diſpenſare. Primam partem communiter docent Theologi. Sylveſter *verb.* Votum. 4. *quæſt.* IV. Leſſius *Lib. II. cap.* xl. *dub.* 18. *num.* 126. Suarez *Lib. VI. de voto cap.* XXVI. *num.* 6. Sanchez *Lib. IV. cap.* xl. *num.* 44. Prado *cap.* XXXI. *quæſt.* XIV. *num.* 92. Layman *Lib. IV. tract.* IV. *cap.* VIII. *num.* 16. Barboſa *de poteſt. Epiſ. par.* III. *alleg.* XXXVII. *num.* 8. Leander *tract.* I. *diſput.* XVII. *quæſt.* CXVII. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* III. *punct.* 12. *num.* 10. & alii communiter.

VIII. Hoc idem privilegium adſcribunt Salmanticenſes *loc. cit.* & Crouſers in

Re-

Digitized by Google

Regul. S. Franc. cap. VII. *lect.* 29. Prælatis omnibus regularibus. Sed, quando quinque vota ſunt vera, & perfecta, atque adeo omnino reſervata, non poſſe in iiſdem Prælatos regulares diſpenſare, quocumque etiam poſito neceſſitatis caſu, ex noſtra doctrina ſuperius tradita manifeſtum eſt. Hanc ſententiam tenent Suarez *Lib.VI. cap.* XXVI. *num.* 18. Sanchez *Lib.IV. cap.* XLIII. *num.* 7. Barboſa *de poteſt. Epiſ. alleg.* 37. *num.* 14. Paſſerinus *quæſt.* CLXXXVII. *art.* I. *inſpect.* 4. *num.* 618. La Croix *Lib.III. tract.* 11. *par.* 1. *num.* 563. aliique communiter. Quia vi privilegiorum nulla eis facultas conceditur in vota reſervata. Seclusis autem privilegiis, nullam vel vota commutandi, vel diſpenſandi in votis habent facultatem. Quod fortius urget in noſtra ſententia: etenim demonſtravimus, Regulares poſſe tantum commutare vota vi privilegiorum, minime in iis diſpenſare. In quinque ergo vota reſervata nec commutandi, nec diſpenſandi poteſtatem habent.

IX. In præfatis vero neceſſitatis caſibus, in quibus Epiſcopos diſpenſare poſſe docuimus, advertendum occurrit, quod diſpenſatio excedere non debet neceſſitatis limites. Quare, ſi damna impediri queant ſuſpendendo voti executionem; hoc tantum concedi debet, non voti abſoluta, & integra diſpenſatio. Unde, quando ob gravem prædictam neceſſitatem diſpenſatur in voto caſtitatis, ut matrimonium contrahatur, non tollitur abſolute vinculum voti: ſoluto namque matrimonio ob talem neceſſitatem contracto votum reviviſceret, ſeu obligaret. Item, ſi tempore matrimonii contracti ſe pollueret, aut fornicationem, vel adulterium committeret, qui caſtitatis votum ediderat, contra votum peccaret.

X. In præfatis inſuper caſibus veræ, & gravis neceſſitatis diſpenſare valet Epiſcopus; etiamſi Legatus, aut Nuncius pontificius eſſet in provincia: quia iſti iure ordinario non habent maiorem poteſtatem ac ipſi Epiſcopi, ut docent Suarez, Sanchez, Layman locis citatis. Secus dicendum eſt, ſi Legatus, aut Nuncius ſpecialem poteſtatem a Pontifice delegatam haberent ſuper præfatis votis: tunc enim facilis foret acceſſus ad Pontificem in ſuis miniſtris: & idcirco Epiſcopus nulla polleret facultate diſpenſandi, aut commutandi talia vota, ut docent laudati Auctores.

XI. Quæſt. III. *An hæc votorum reſervatio late, vel ſtricte ſit interpretanda?* Reſp. Stricte eſſe interpretandam, cum ſit odii plena, & ordinariæ poteſtati Epiſcoporum contraria, communiter Auctores iure ac merito ſentiunt. Quapropter, ut dicta vota ſint reſervata, debent eſſe abſoluta, certa, expreſſa, & perfecta. Quacumque ex parte claudicent, ac dubitationem admittant aut circa conſenſum, aut circa perpetuitatem, aut circa conditionem aliquam adiectam, reſervata non ſunt; atque ita in iiſdem poteſtatem habebunt Epiſcopi diſpenſandi, & Regulares privilegiati eadem poterunt commutare. Et hæc communia ſunt.

XII. Quæſt. IV. *An qui ederet vota caſtitatis, aut Religionis expreſſa intentione ſe ſe obligandi tantum ſub veniali culpa, eſſent reſervata Pontifici?* Reſp. Non

fore

Digitized by Google

ſore tunc reſervata, ex data doctrina patet. Non enim eſſent vota integra, & perfecta. Eſt opinio communis. Immo ſupra oſtendi, non poſſe talia vota hoc modo fieri.

XIII. Quæſt. V. *An ſi præfata vota eſſent edita ex metu etiam levi, reſervata dicenda forent?* Reſp. Sive emiſſa eſſent ex metu gravi cadente in virum conſtantem, ſive ex metu levi, non ſorent reſervata: quia non eſſent undequaque perfecta.

XIV. Quæſt. VI. *An ſi dubium ſit aliquod eiuſmodi votum, vel eius reſervatio, iudicandum ſit, vota non eſſe reſervata?* Reſp. Non eſſe reſervata, docent communiter Auctores. Quoniam, licet in dubiis abſolute tutior pars ſit eligenda; in præſenti tamen quæſtione adeſt ratio peculiaris: quoniam ſola vota perfecta, & certa ſunt Pontifici reſervata; votum autem dubium non eſt votum perfectum. Si autem certum ſit votum, nullique dubitationi obnoxium; ſolumque dubitetur, an ſit, nec ne reſervatum; neque tunc reſervatum eſt ob regulam generalem, quod reſervatio ſit odioſa, & læſiva poteſtatis ordinariæ; idcirco ſtricte interpretanda. Quando ergo dubitatur vel ratione conſenſus, vel ratione materiæ integræ, vel ex quocumque alio capite, an votum ſit reſervatum; cenſendum eſt ſemper reſervatum non eſſe. Opinio communiſſima: ex qua tamen nihil in favorem Probabiliſmi valet inferri.

XV. Quæſt. VII. *An votum non contrahendi matrimonium ſit reſervatum?* Reſp. Patet votum iſtud reſervatum non eſſe ex defectu integræ materiæ. Nec enim excludit fornicationem, pollutionem, alioſque actus caſtitati contrarios. Ut votum reſervatum ſit, debet eſſe integrum, ita ut omnem materiam comprehendat, atque exhauriat. Quamobrem nec reſervata ſunt vota non fornicandi, non ſe polluendi, non tangendi mulierem, non petendi debitum, vel ſervandæ caſtitatis pro tempore definito, ſuſcipiendi ordines ſacros, & ſimilia: quoniam hæc vota non ſunt integra, & perfecta ratione materiæ; quamquam ſint talia ex parte perfectæ deliberationis. Priora enim non exhauriunt univerſam materiam. Votum autem ſuſcipiendi ordines ſacros non eſt votum caſtitatis emiſſum, ſed emittendum.

XVI. Quæſt. VIII. *An Epiſcopus vi conſuetudinis poſſit facultatem concedere petendi debitum coniugale ei qui voto caſtitatis devinctus matrimonium contraxit?* Reſp. Adfirmant communiter, talem obtinere conſuetudinem. Quæ res facti cum ſit, aliunde probari non poteſt, niſi ex ipſo uſu. Quare videndum eſt, num reipſa Epiſcopi talem diſpenſationem concedant.

XVII. Quæſt. IX. *An votum caſtitatis coniugalis ſit reſervatum?* Reſp. Certum primo eſt, votum non eſſe reſervatum, ſi altero coniuge inſcio emiſſum fuerit. Difficultas urget, quando coniuges mutuo conſenſu votum emiſerunt. Adfirmat Sanchez *Lib. VIII. de matrim. diſp.* XI. *num.* II. cum aliis quos citat, eſſe reſervatum, adeoque coniuges tunc teneri ſe ſe ſeparare, ut ſic ceſſet quodcumque in-

con-

continentiæ periculum. Alii docent, Epiſcopum poſſe diſpenſare: quoniam licet ſeparatim viverent, ſemper eſſet periculum incontinentiæ. Addunt immo vigere conſuetudinem, vi cuius Epiſcopi diſpenſent in eiuſmodi voto. Si conſuetudo iſthæc reipſa obtineat, nulla eſt difficultas. Satis probabilis hæc opinio mihi apparet ob periculum incontinentiæ. Neque reſervatum eſt votum caſtitatis ſervandæ inter coniuges, quia non eſt abſolutum.

XVIII. Quæſt. X. *An votum Religionis non approbatæ ſit reſervatum?* Reſp. Communis opinio eſt negativa: quia non eſt verum votum Religionis abſolute; quemadmodum non eſt reſervatum votum paupertatis, & obedientiæ extra ſtatum religioſum. De Religioſis Alcantaræ, Calatravæ, D. Iacobi, D. Stephani, & ſimilibus duæ ſunt opiniones. In opinione illorum qui ſuſtinent hos eſſe proprie Religioſos, votum eſt reſervatum; ſecus in altera opinione, quæ docet hos Equites veros Religioſos non eſſe.

XIX. Quæſt. XI. *Quomodo intelliguntur reſervata vota triplicis peregrinationis?* Reſp. Tunc ſunt reſervata quando edita fuerunt ob devotionem, non abſolute, ſed erga præfata loca. Si quis ſua devotione indefinita ederet votum adeundi Romam, Compoſtellam, Hieroſolymam, ut aliquam peculiarem Eccleſiam, vel imaginem inviſeret, ut virum eximiæ pietatis alloqueretur; non eſſet votum reſervatum: quia cauſſa talis voti non fuiſſet devotio ſpecialis erga loca illa ſacra. Quando ergo quis votum edit eundi Romam, ut templum divi Petri, Hieroſolymam, ut loca a Chriſto Domino conſecrata, Compoſtellam, ut corpus D. Iacobi viſitet, & veneretur; tunc votum reſervatum eſt. Opinio communis.

XX. Quæſt. XII. *An votum emiſſum cum aliqua circumſtantia ſit reſervatum, quod omiſſa circumſtantia, remanet integrum?* Reſp. Adfirmat communis opinio. Voviſti peregrinationem Romanam pedeſtrem. Epiſcopus poteſt in circumſtantia itineris pedibus peragendi diſpenſare; ſecus in voto peregrinationis, quæ fieri poteſt, quin pedibus, aut ſacco indutus, aut ſtipem precario poſtulando, eamdem exequaris. Idem dicunt communiter de voto ingrediendi Religionem ſtrictiorem, ſcilicet poſſe Epiſcopum diſpenſare, ut vovens amplectatur laxiorem. Quod verum habet, ſi nomine laxioris intelligatur Religio mitior, quæ ceteroquin ſuam exacte Regulam ſervet; ſecus, ſi intelligeretur Religio ab obſervantia regulari collapſa, quæ dici ſolet relaxata, ſeu laxior. Nemo ſiquidem concedere alicui licentiam poteſt ingrediendi ſimilem Religionem. Votum non petendi diſpenſationem ab alio quam a ſummo Pontifice, non eſt reſervatum, ut ex dictis patet.

XXI. Quæſt. XIII. *An votum diſiunctivum ſit reſervatum?* Reſp. Antequam alterutra pars eligatur, re integra manente, non eſſe reſervatum, tenet communis opinio; ut ſi voviſti Religionem, aut eleemoſynam; caſtitatem, aut ieiunium: quia in voluntate tua eſt alterutram partem eligere; idcirco diſpenſare in toto

voto

voto Epiſcopus valet. Difficultas eſt, an ſelecta a vovente parte reſervata, ſit ſubiectum epiſcopali iuriſdictioni dictum votum. Voviſti caſtitatem, aut ieiunium: elegiſti caſtitatem. Tamburinus *Lib. III. Decal. cap.* XVI. *§.* 4. *num.* 30. *&* 31. Leander *tract.* I. *diſp.* XVII. *quaeſt.* CVIII. cum aliis docent votum eſſe diſpenſabile ab Epiſcopo. Negant e contrario Sanchez *Lib. VIII. de matrim. diſp.* IX. *num.* 14. *&* *Lib. IV. cap.* XL. *num.* 43. Caſtropalaus *diſp.* II. *punct.* II. *num.* 6. Salmanticenſes *numer.* 107. utramque opinionem tamquam probabilem referunt, nihil adfirmantes, aut negantes: quod genus tractandi regulas morum, paſſim a novis Theologis poſt natum Probabiliſmum uſurpatum, nobis diſplicet. Patritius Sporer *ſect.* I. *cap.* III. *num.* 60. ait, eſſe reſervatum, ſi vovens novo voto ſe ſe ad partem reſervatam determinaverit; ſecus, ſi ſimplici determinatione eamdem elegerit: quae diſtinctio vana eſt: nec enim in dubium revocari poteſt reſervatio, quando novo abſoluto voto promittit materiam reſervatam. Nobis ergo videtur probabilius votum eſſe reſervatum: quia vovens deliberato animo elegit partem reſervatam, quam ſub voto diſiunctivo voverat: ſiquidem tunc votum abſolutum, & integrum evadit.

XXII. Quaeſt. XIV. *An ſequentia vota ſint reſervata: Si luſero, ſi in peccatum lapſus fuero, voveo caſtitatem; ſi pater meus obierit, ingrediar Religionem?* Reſp. De tertio voto fere convenit penes Auctores eſſe reſervatum: quia votum re abſolutum eſt, ſolumque apparentem explicat conditionem: ſenſus enim eſt: Quando pater obierit, ingrediar Religionem. De duobus primis, quae poenalia vocantur, diſſidium eſt. Abſolute adfirmant nonnulli eſſe reſervata. Alii cenſent eſſe reſervata, conditione impleta. Alii ſive ante, ſive poſt impletam conditionem ſuſtinent non eſſe reſervata, ſed ab Epiſcopo diſpenſabilia. Probabilior, & communior ſententia eſt, impleta conditione ea eſſe reſervata; ſecus, antequam conditio impleatur. Ratio quam adducit Leander *quaeſt.* CIII. in contrarium nullius eſt momenti. Inquit enim, eiuſmodi vota poenalia eſſe, neque oriri ex amore aut caſtitatis, aut Religionis. Quae ſuppoſitio falſa eſt. Niſi enim praeceſſiſſet affectus erga caſtitatem, & Religionem, quidquam aliud, puta eleemoſynam, ieiunium, preces, voviſſet. Vovit autem caſtitatem, quia prae aliis rebus ſibi eadem placuit. Idem dicendum de altero voto: *Voveo Religionem, ſi incolumis evaſero*: impleta conditione, reſervatum eſt; ſecus ante.

XXIII. Contrariam ſententiam defendunt fuſo calamo Salmanticenſes *loc. cit. num.* 114. Paucis ego omnia expediam. Plura illi praemittunt de votis conditionalibus; quae tamen omnia ex ſuperius dictis patent. Quando enim conditio aut eſt neceſſaria, aut de praeſenti, aut de praeterito, aut generalis, & rei inſeparabiliter adhaerens, ut, Si vixero, ſi pater obierit, ſi curſum ſtudiorum conſummavero; votum abſolutum eſt: quia conditio tota in verbis ſiſtit. Praefati porro Salmanticenſes ſuſtinent, quaecumque vota vere conditionalia de re futura contingenti, ſive ante,

Digitized by Google

ante, ſive poſt impletam conditionem, non eſſe reſervata; dummodo vovens novo, & deliberato conſenſu, conditione impleta, votum illud non confirmaverit: quia tunc eſſet novum votum abſolutum caſtitatis, & religionis; quod dubio procul foret reſervatum. Probant vero ſuam ſententiam: tum quia in votis conditionalibus conſenſus valde imperfectus eſt, utpote a conditione pendens; qui ſemper imperfectus remanet, etiam conditione impleta, quoniam ſemper idem remanet: tum quia, ſive pœnale, ſive conditionale fuerit votum, non oritur ex amore aut caſtitatis, aut Religionis.

XXIV. Hæc ſecunda ratio iam exploſa ſuperius eſt contra Leandrum, & iterum convellitur. Votum caſtitatis, & votum Religionis approbatæ ſunt abſolute reſervata, quando ſunt integra & perfecta, quacumque ratione edantur. Utique ſupra dictum eſt, quod, ſi quis votum ederet eundi Romam, vel Compoſtellam, vel Hieroſolymam ob aliquam peculiarem rationem voventis, & non cauſſa inviſendi loca ſacra, templum D. Petri, D. Iacobi, non eſſet votum reſervatum: quia reipſa tale votum non haberet pro obiecto materiam reſervatam, ſeu quæ eſt ſubiectum reſervationis: præfata namque loca ſacra ſunt vera materia voti reſervati. Qua de cauſſa ſi quis voveret viſitare talia loca ſacra, quocumque affectu ductus; votum reſervatum eſſet. Porro votum caſtitatis, vel Religionis abſolute reſervatum eſt. Ergo quacumque ratione ductus vovens illud emittat, dummodo integrum ſit & perfectum, reſervatum erit. Impleta autem conditione, votum abſolutum evadit, & perfectum. Prima ratio quam opponunt, nullius eſt momenti. Siquidem conſenſus voti conditionati circa materiam promiſſam non aliam includit imperfectionem præter ſuſpenſionem executionis, uſquedum conditio impleatur. Ergo, ſublata hac imperfectione, eſt votum abſolutum omni ſua perfectione ornatum. Nec enim conditio adiecta inficit conſenſum; quin nec illum directe ſpectat; ſed executionem eiuſdem. Quare falſum prorſus eſt quod inculcant laudati Salmanticenſes, nempe votum conditionatum oriri ex imperfecto, & diminuto conſenſu; quæ imperfectio non tollitur, impleta etiam conditione. Falſa, inquam, eſt doctrina iſthæc. Remota namque cauſſa, removetur effectus. Tota cauſſa imperfectionis quæ in voto conditionato invenitur, eſt conditio quæ executionem voti ſuſpendit. Ergo, remota, ſeu impleta conditione, votum perfectiſſimum evadit. Nonne omnes contractus conditionati, poſitis conditionibus, abſoluti evadunt, eoſdemque effectus pariunt quos producunt contractus omnino abſoluti? Hanc ſententiam defendunt Soto *Lib. VII. de iuſt. quæſt.* II. *art.* I. *ad* 4. Azorius *Lib. XI. cap.* X. *quæſt.* XIII. *& cap.* XIX. *quæſt.* XIII. Pontius *Lib. VIII. de matr. cap.* IX. *num.* 7. Leſſius *Lib. II. cap.* IV. *dub.* 18. *num.* 130. Bonacina *diſp.* IV. *punct.* 7. *§.* 4. *num.* 17. Layman *Lib. IV. tract.* IV. *cap.* VIII. *num.* 10. Petrus Paſſerinus *quæſt.* CLXXXVII. *art.* I. *num.* 637. *& ſeq.* & alii non pauci.

XXV.

XXV. Quæſt. XV. *Quando ſummus Pontifex votum reſervatum, puta caſtitatis commutat in aliud pium opus, puta ieiunium, opus iſtud eſt ne reſervatum?* Reſp. Negat communis opinio, & merito. Præfata ſiquidem quinque vota non ſunt abſolute, & ut rationem genericam voti præferunt, reſervata; ſed tantum ratione materiæ. Ergo, commutata materia, e. g. caſtitatis in ieiunium, ſuper hoc ieiunio diſpenſare poterit Epiſcopus, & Regulares privilegiati illud commutare valebunt.

XXVI. Quæſt. XVI. *An quando præfata quinque vota non ſunt reſervata, quia ex aliqua parte vel conſenſus, vel conditionis, vel materiæ non integræ, claudicant, ſint ſubiecta poteſtati Confeſſariorum regularium?* Reſp. Quando quinque dicta vota non ſunt ex aliquo capite reſervata, poſſunt eadem Confeſſarii regulares privilegiati relaxare commutando, non diſpenſando, ob ea quæ ſuperius dicta ſunt.

XXVII. Quæſt. XVII. *Qui recipit facultatem per bullam, aut iubilæum diſpenſandi, aut commutandi omnia vota, poteſt ne relaxare etiam reſervata?* Reſp. Negat communis opinio, niſi exprimatur facultas ſuper reſervatis: quia hoc aperte colligitur ex *Extravag.* Etſi dominici 2. *de pœnit. & remiſs.* ubi ſtatuitur, dicta vota a nemine, præterquam a Romano Pontifice, relaxari poſſe, *niſi ex ſpeciali licentia, & certa ſcientia noſtra.* Et *eodem titul. cap. Si Epiſ.* aſſignatur regula generalis tam pro votis, quam pro caſibus reſervatis, his verbis: *Quia in generali conceſſione non veniunt ea quæ non eſſet quis veroſimiliter conceſſurus*: de Regul. iuris in VI. ſ. 81. Si facultas concedatur indefinita ſuper reſervatis, comprehenduntur omnia reſervata; ſi excipiatur unum, aut alterum, reliqua omnia relaxari poſſunt: quia exceptio firmat regulam in contrarium. Quare, ſi ex reſervatis aliqua excipiantur, non excepta poterunt relaxari. Facultas relaxandi votum Religionis non comprehendit votum caſtitatis, aut e contrario. Quæ omnia communia ſunt penes Auctores.

CAPUT XIII.

Ad validam, licitamque diſpenſationem cauſſa rationabilis neceſſaria eſt.

I. Quælibet legis; ſeu votorum relaxatio bonum finem ſpectet neceſſe eſt, atque bonum commune: quia poteſtas collata diſpenſatori eſt in ædificationem, nequaquam in deſtructionem. Quoties autem ſine legitima cauſſa tali poteſtate uteretur, id non eſſet in utilitatem Eccleſiæ, ſed in damnum eiuſdem.

Hæc

Digitized by Google

Hæc eſt omnium Patrum, & Theologorum vox. Pauca ſubiicere lubet ad uberiorem huiuſce rei explicationem.

II. Alexander III. cap. de peregrinat. extr. de voto, & voti redempt. *Ab eius qui præſidet, pendet arbitrio, ut conſideret diligentius qualitatem perſonæ, & cauſam commutationis: ſcilicet an ex infirmitate, ſeu affluentia divitiarum, an alia cauſa probabili, peregrinatio, an recompenſatio melior fuerit, & Deo magis accepta: & ſecundum hoc habet exinde diſpenſare.*

III. D. Thomas angelicam plane doctrinam exhibet, quam omnes diſpenſatores præ oculis habere ſemper debent. Hæc namque ſcribit 2. 2. quæſt. lxxxviii. art. 12. in corp. *Prælatus in Eccleſia gerit vicem Dei: & ideo in commutatione, vel diſpenſatione votorum requiritur Prælati auctoritas, qui in perſona Dei determinat quid ſit Deo acceptum, ſecundum illud II. ad Cor.* 11. Nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti. *Et ſignanter dicit* propter vos, *quia omnis diſpenſatio petita a Prælato debet fieri ad honorem Chriſti, in cuius perſona diſpenſat, vel ad utilitatem Eccleſiæ, quæ eſt eius corpus.* Et in reſponſione ad ſecundam obiectionem. *Quidam dixerunt, quod ideo Prælati poſſunt in votis pro libito diſpenſare, quia in quolibet voto includitur conditionaliter voluntas Prælati ſuperioris; ſicut ſupra dictum eſt, quod in votis ſubditorum [puta ſervi, vel filii] intelligitur conditio, ſi placuerit patri, vel domino, vel ſi non renitantur: & ſic ſubditus abſque omni remorſu conſcientiæ poſſet votum prætermittere, quandocumque ſibi a Prælato diceretur. Sed prædicta poſitio falſo innititur: quia cum poteſtas ſpiritualis Prælati, qui non eſt dominus, ſed diſpenſator, in ædificationem ſit data, & non in deſtructionem, ut patet II. ad Cor. x. ſicut Prælatus non poteſt imperare ea quæ ſecundum ſe Deo diſplicent, ſcilicet peccata; ita non poteſt prohibere ea quæ ſecundum ſe Deo placent, ſcilicet virtutis opera. Et ideo abſolute poteſt homo vovere ea. Ad Prælatum tamen pertinet diiudicare quid ſit magis virtuoſum, & Deo magis acceptum. Et ideo in manifeſtis diſpenſatio Prælati non excuſaret a culpa; puta ſi Prælatus diſpenſaret cum aliquo ſuper voto de ingreſſu Religionis, nulla apparenti cauſa obſtante. Si autem eſſet cauſa apparens, per quam ſaltem in dubium verteretur, poſſet ſtare iudicio Prælati diſpenſantis, vel commutantis; non tamen iudicio proprio; quia ipſe non gerit vicem Dei; niſi forte in caſu in quo id quod vovit, eſſet manifeſte illicitum, & non poſſet opportune ad ſuperiorem recurrere.*

IV. Similia ſcribit S. Antoninus ex Petro de Palude II. Part. tit. xi. cap. 11. *§. 6. Item nota, quod eſt differentia inter irritationem & diſpenſationem. Nam irritatio poteſt fieri ſine cauſa, & ad libitum irritantis, ſicut vir ad libitum irritat votum coniugis; ita quod nec ipſe peccat irritando, quia nemini facit iniuriam qui utitur iure ſuo; nec illa votum omittendo, cum fuerit inefficax a principio. Sed diſpenſatio*

in voto non ſit propter inefficaciam voti, ſed propter aliam cauſam. Unde requiritur non ſolum auctoritas in diſpenſante, ſed etiam cauſa ex parte diſpenſati, ſcilicet neceſſitas, vel utilitas eius, vel Reipublicæ in omni genere diſpenſationis, & in omni diſpenſante, etiam in Papa, quia nec Petro, nec alteri commiſſa eſt auctoritas, ſeu poteſtas in deſtructionem, ſed in ædificationem: quod eſt verum in propoſito, quia voti obligatio iuri naturali, & divino innititur. Hactenus ſanctus Antoninus ex Petro de Palude. Porro ipſe ibidem §. 9. ex ſe hæc ſcribit. *Nota tertio de cauſa diſpenſationis. Et quidem in poſitivis, Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas: quia quod Principi placuit, legis habet vigorem, quamvis Iſidorus contradicat: quia lex eſt quod ratione conſtiterit*, diſt. 1. Conſuetudo. *Sed in his quæ ſunt iuris divini, ſecus.* Extr. de voto, Non eſt. *Et debent conſiderari tria, ut in* cap. Magn. *quid ſcilicet licet, quid decet, quid expedit. Debet autem eſſe talis cauſa quod melius ſit recedere a iure communi quam tenere. Non ſufficit quod ſit æque bonum; aliter erit diſſipatio; & peccat uterque, ſcilicet diſpenſans, etiam Papa, & is cum quo diſpenſatur, ſi ſciat. Unde Hoſtienſis: Peccat Papa, ſi ſine cauſa in votis diſpenſat; nec eſt ei obediendum, ſi manifeſte liqueat quod ſit contra Domini voluntatem: alias in dubio obediendum eſt.*

V. Igitur non ſolum illicita, ſed invalida etiam eſt voti diſpenſatio ſine rationabili cauſſa conceſſa, ut cum præfatis ſanctis viris communiter Theologi docent. Et ratio generalis eſt. Inferior non habet poteſtatem in legem ſuperioris. Superior autem non præſumitur facultatem impertire ad diſpenſandum in lege abſque rationabili cauſſa. Ut quid enim legem talem rogaſſet, ſi Prælati eiuſdem legis cuſtodes poſſent pro arbitrio ab eadem ſubditos eximere? Idcirco communi fere proverbio dicitur, poteſtatem diſpenſandi in ædificationem, non in deſtructionem collatam eſſe. Eſſet autem in deſtructionem, ſi pro libito poſſet diſpenſatio concedi.

VI. Quæſt. I. *An, quando cauſſa diſpenſandi dubia eſt, Prælatus valeat diſpenſare?* Reſp. Si de cauſſæ exiſtentia dubitetur, utrum nempe habeatur nec ne diſpenſandi cauſſa; tunc omnes fatentur diſpenſationi locum non eſſe. Certum quippe votum eſt, & ob incertam cauſſam ſolvi nequit. Si autem aliqua cauſſa certa ſit, ſolumque ambigatur, num ſit ſufficiens; tunc diſpenſationem locum habere poſſe, communiter docent Auctores: & in hanc opinionem propendere videtur D. Thomas 2. 2. quæſt. lxxxviii. artic. 12. ad 2. *Si autem eſſet cauſa apparens, per quam ſaltem in dubium verteretur, poſſet ſtare iudicio Prælati diſpenſantis, vel commutantis.* Non definit Angelicus, utrum diſpenſatione, vel commutatione uti debeat Prælatus, quando de ſufficienti cauſa dubium occurrit. Igitur, cum cauſſa diſpenſandi non eſt manifeſta, ſatius erit votum commutare, dummodo commutationi locus ſit: quando ſcilicet neceſſitas voventis levatur abſque novo

 gravi

by Google

gravi eius incommodo vi commutationis, tunc votum videtur commutandum; ſi autem commutatio ipſa incommoda foret voventi, tunc diſpenſatio eſſet concedenda. Nec repugno communi opinioni, in clementiorem nempe partem inclinare poſſe, ac debere Prælatos, quando ex diſpenſatione nullum conſequatur ſcandalum, aut relaxationis occaſio; & alia ex parte voventis utilitas rationabiliter ſperetur.

VII. Quæſt. II. *An valida ſit diſpenſatio, bona fide tam ex parte poſtulantis petita, quam ex parte concedentis conceſſa, quando poſtea deprehenditur, cauſſam quam utraque pars legitimam exiſtimabat tempore petitionis, ac conceſſionis, reipſa falſam eſſe, & nullam?* Reſp. Affirmant Salmanticenſes, Sanchez, Leſſius, Tamburinus, Leander, Sporer, Roncaglia: quia, inquiunt, incredibile eſt aliam eſſe mentem ſive ſuperioris humani, ſive ipſius Dei. Sic enim ſcrupuli plures vitantur, & Prælatorum geſta firma manent. Addit Sporer ad benignitatem Dei pertinere confirmare quæ bona fide conceſſa ſunt. Ita argutantur Auctores iſti.

VIII. Contraria tamen ſententia probabilior eſt mihi, quam propugnant Caſtropalaus *tract.* xv. *diſput.* 11. *punct.* 9. *num.* 4. Baſilius Legionenſis *I. Part. tract.* 111. *de leg. diſput. ult. punct.* 8. *§.* 25. Petrus Paſſerinus *quæſt.* lxxxv11. *artic.* 1. *num.* 735. La Croix *Lib. III. part.* 1. *dub.* 8. *num.* 542. Ratio ſatis manifeſta eſt. Omnes fatentur, ad validam diſpenſationem iuſtam cauſſam requiri; atque ſuperiorem peccare, & quidem graviter, ſpectata materiæ gravitate, ſi abſque legitima cauſſa diſpenſationem largiatur. Ergo, quoties cauſſa iſta deficit, diſpenſatio quoque corruat neceſſe eſt. Antecedens, nempe nullam eſſe diſpenſationem, ſi nulla adſit diſpenſandi cauſſa, omnes, ut dixi, concedunt, & propugnant. Cauſſam quoque in hac quam verſamus quæſtione deficere, pro certo conſtituunt adverſarii. Quomodo ergo negare audent, diſpenſationem nullam eſſe? Quia bona fide reputata fuit vera & legitima cauſſa tempore conceſſionis? Quid inde? Nil certe aliud hinc colligitur, niſi & diſpenſatorem, & petitorem innocenter egiſſe, & utrumque a culpa quavis immunem fuiſſe; quouſque cauſſa exiſtimata fuit vera, & legitima. Ad benignitatem Dei pertinet confirmare ea quæ bona fide conceſſa ſunt. Cauſſa tamen requiritur. Numquid autem apparens, ficta, & non vera? Abſit. Ad benignitatem ergo Dei ſpectat confirmare errorem? Quod conſentaneum divinæ ſit bonitati ad culpam non imputare quod bona peragitur fide, verum habet. Sed quod hinc velint inferre, benignitatis quoque divinæ eſſe ratum habere quod falſo nititur fundamento, immo quod reipſa falſum eſt, & nullum; rationi repugnat. Hoc ſane ſi decet benignitatem probabiliſticam, non decet hercle bonitatem divinam. At inſiſtunt, ſcrupulos vitari, ſedari conſcientias, regimen felicius procedere, ſi dicatur validas eſſe præfatas diſpenſationes. Hæ

Digitized by Google

ſunt meræ officiæ, & nugæ, ſeu conſueta Probabiliſmi principia, quibus ultra fas leges dilatari, & extendi ſolent. Sola vera legis obſervantia ſcrupulos convellit, conſcientias ſedat, & regimen felix fauſtumque conſtituit. Scrupulis tollendis, & conſcientiarum tranquillitati, & fauſto regimini optime conſulimus, ſi dicamus diſpenſationem bona fide petitam, & conceſſam a culpa excuſare, uſque dum bona fides permaneat. Sublata autem bona fide, & cauſſæ falſitate deprehenſa, lex, ſeu votum ſervandum eſt. Quid? Poſſeſſor ergo bonæ fidei retinebit bona aliena, etiam cum malæ fidei dominus evaſit? Id conſequitur ex adverſariorum principiis. Verum plura de hoc in tractatu de legibus. An poſtea e contrario cauſſa exiſtente vera, & legitima, ſed a diſpenſatore ignorata, valida ſit diſpenſatio temere, & non abſque culpa conceſſa, poſſitque diſpenſatus eadem licite uti, in tractatu citato de legibus dicetur.

IX. Quæſt. III. *Quænam ſint cauſſæ legitime diſpenſationem impertiendi?* Reſp. Antequam ſigillatim cauſſas aſſigno, pauca generatim præfabor. Tria, ut advertunt communiter Auctores, in diſpenſatione obſervanda ſunt. Primum eſt, quod liceat ſecundum æquitatem; ſecundum, quod deceat ſecundum honeſtatem; & tertium, quod expediat ſecundum utilitatem. Illud etiam tamquam principium univerſale & certum, habendum eſt, ſcilicet votum, quo gravius eſt, eo graviorem exigere pro diſpenſatione cauſſam; ita ut proportio quædam congrua ſit inter votum quod eſt relaxandum, & cauſſam talis relaxationis. Vota Religionis, caſtitatis, triplicis peregrinationis, perpetuo ieiunandi, ingentes eleemoſynas erogandi, vota graviſſima ſunt: idcirco gravem pro diſpenſatione cauſſam exigunt. Vota inferiora, magiſque frequentia, puta deferendi habitum talis Sancti, inviſendi talem imaginem, adeundi tale Sanctuarium, & his ſimilia, cum ſint minoris momenti, minor quoque cauſſa ſatis eſt ad obtinendam diſpenſationem. Ratio obvia eſt. In votis prioris generis materia Deo per votum conſecrata magnopere in illius cultum cedit. Porro nullum adeſt fundamentum præſumendi, Deum velle remittere ſolutionem gravis tributi, quando non adeſt urgens ratio quæ talem ſuadeat indulgentiam. Hinc eſt quod communis praxis obtinet ut rariſſime abſoluta diſpenſatio impertiatur in præfatis votis; ſed fere ſemper aliquid commutationis vel ipſi Pontifices ſummi permiſcere ſolent, ut communiter omnes docent. Neque tamen hinc inferendum eſt, numquam diſpenſationem integram concedendam eſſe. Poteſtas enim in Eccleſia reſidet diſpenſandi, diſtincta a poteſtate commutandi. Ergo integra, & abſoluta diſpenſatio concedi poteſt, & quandoque debet; cum iuſta & legitima occurrat cauſſa. Nec requiritur quod cauſſa evidens ſit: in moralibus enim non ſemper neceſſaria eſt certitudo evidens; & ea ſæpe haberi non poteſt. Satis ergo eſt ut cauſſa cognoſcatur moraliter, ſeu probabiliter exiſtere; ita ut, omnibus ſerio inſpectis, iudicetur

cetur expediens eſſe & bono communi, & voventis honeſtæ utilitati, votum relaxari.

X. Cauſſæ autem peculiares, quæ ſufficere poſſunt ad diſpenſationem concedendam, ſunt dubitatio de voto emiſſo, imperfecta deliberatio in vovendo, difficillima executio eiuſdem, morale periculum ſæpe votum violandi ob fragilitatem hominis voto obſtricti: item ſi ob aliquem metum, etiam levem, editum eſſet. Qualibet ex his cauſſis occurrente Epiſcopus diſpenſare valet.

XI. Quæſt. IV. *An ſola imperfecta deliberatio voventis cauſſa ſufficiens ſit ad diſpenſationem ei concedendam?* Reſp. Affirmant communiter recentiores: quia, inquiunt, omnes Auctores pro cauſſis concedendæ diſpenſationis non modo difficultatem in exequendo aſſignant, verum etiam facilitatem nimiam vovendi, & deliberationem imperfectam. Ergo, quando ex his duabus una occurrat cauſſa, diſpenſatio licite concedi poteſt. Caietanus 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 12. *dub.* 3. Soto *Lib. VII. de iuſt. quæſt.* 1. *art.* 2. Prado *cap.* xxxi. *quæſt.* xiv. *num.* 119. Caſtropalaus *diſput.* 11. *punct.* 9. *num.* 7. Suarez *Lib. V. cap.* xvii. *num.* 8. Tamburinus *Lib. III. cap.* xvi. *§.* 4. *num.* 13. Sanchez *Lib. IV. cap.* xlv. *num.* 28. Leander *tract.* 1. *diſp.* xvii. *quæſt.* ix. Salmanticenſes *tract.* xvii. *cap.* iii. *punct.* 13. *num* 122. Verum hæc ſententia mihi non probatur. Nam ſi imperfecta deliberatio fuit ta repentina, & imbecilla, ut votum nullum effecerit; ceſſat quæſtio. Si vero votum validum maneat, nullumque impedimentum obſtet executioni, cur relaxandum votum eſt? Quando ergo voto valide, licet non cum perfecta deliberatione, emiſſo additur executionis difficultas, idoneam diſpenſationis cauſſam adeſſe concedo; ſi nulla addatur peculiaris graviſque difficultas, ſolam indeliberationem illam nego eſſe ſufficientem diſpenſandi cauſſam. At, inquis, Auctores inter cauſſas diſpenſationis enumerant facilitatem vovendi abſque perfecta deliberatione. Hoc concedimus; ſed negamus ſimul illos rationabiliter talem cauſſam adducere. Et hanc noſtram ſententiam defendunt Valentia 2. 2. *diſp.* vi. *quæſt.* vi. *punct.* 7. Suarez *Lib. VI. cap.* xvii. *num.* 14. Paſſerinus *quæſt.* clxxxvii. *art.* 1. *num.* 744. ubi alios citat. Quare in praxi ſumma cautio adhibenda eſt, quando ob ſolam imperfectam deliberationem, & facilitatem vovendi petitur diſpenſatio. Expendenda ſiquidem eſt iſtius imperfectæ deliberationis natura, unde habuerit originem; conſideranda quoque eſt voti gravitas, & voventis conditio: atque omnibus ſerio perpenſis vel abſoluta diſpenſatio, vel diſpenſatio commutationi admixta poterit impertiri. Qua de cauſſa votis impuberum, ob ſolam eorum imbecillem diſcretionem, teneramque ætatem abſoluta diſpenſatio concedi non debet: quia in illa ætate poſſunt habere ſufficientem deliberationem, & ſæpe illam habent. Quando vero eiuſmodi votis adiuncta eſſet difficultas, aliave impedimenta, tunc tenera ætas faciliorem redderet diſpenſationem, ut optime advertit Paſſerinus *loc. cit. num.* 745.

XII. Quæſt. V. *An imperfecta deliberatio, orta ex timore mortis, naufragii, alteriuſve gravis periculi, ſufficiens regulariter ſit ad voti diſpenſationem?* Reſp. Adfirmant Salmanticenſes *num.* 123. ex Tamburino, & Tamburinus ex Caſtropalao; qui conceptis verbis oppoſitum docet in eo ipſo loco a Tamburino citato, nempe *tract.* XV. *diſput.* II. *punct.* 9. *num.* 9. ſic inquiens. *Timor mortis conceptus ex naufragio, infirmitate, vel alia cauſa ad extorquendum votum non appoſita, non præſtat regulariter ſufficientem cauſam diſpenſationis: quia frequenter non excludit maturam deliberationem.* Tamburinus autem *Lib. III. in Decal. cap.* XVI. *§.* 4. *num.* 16. ait. *Hinc, ſi quid voviſti ob timorem mortis, naufragii &c. ... diſpenſationem impetrare licite vales: nam tametſi hic timor non ſit incuſſus ad extorquendum votum, præſtat tamen regulariter ex Sanchez, & Caſtropalao ſufficientem cauſam diſpenſationi: quia cum immatura deliberatione ſic voveri ſolet.* Familiaris eſt *Tamburino* huiuſmodi in referendis Auctorum ſententiis diligentiæ defectus. Sententia *Caſtropalai* vera eſt. Non enim præfati timores adimunt deliberationem neceſſariam ad votum. Quid quod ſin omnia, certe plurima vota eduntur ob aliquod malum vitandum, aut commodum aſſequendum? Non negaverim tamen, quandoque timorem imminentis naufragii, alteriuſve periculi ita mentem perturbare, ut perfectam impediat deliberationem; atque adeo diſpenſationem aut abſolutam, aut commutatione intermixtam, varietate circumſtantiarum inſpecta, concedendam eſſe. Idem dicendum de voto ex aliqua vehementi commotione iræ, mœroris, & ſimilium. Talia communiter non ſolent eſſe cauſſæ ſufficientes diſpenſationis; interdum tamen eſſe poſſunt.

XIII. Quæſt. VI. *An difficultas executionis voti ſufficiat pro concedenda voti diſpenſatione?* Reſp. Si difficultas prævisa non fuit, ſed tota poſt editum votum appareat, & ſit gravis; communis eſt Auctorum ſententia, tunc iuſtam adeſſe diſpenſandi voti cauſſam; maxime ſi quidquam commutationis immiſceatur. Si difficultas prævisa fuit, etiam tunc locum eſſe diſpenſationi docet Tamburinus *loc cit. num.* 18. Tamburinum exſcribit Sporer *ſect.* 3. *num.* 40. & ſequuntur Salmanticenſes *num.* 124. qui omnes adfirmant, difficultatem prævisam regulariter loquendo cauſſam eſſe legitimæ diſpenſationis. Ego contra aio, regulariter loquendo, ipſam non eſſe cauſſam diſpenſationis; quamvis non negaverim, aliquando tales occurrere circumſtantias poſſe, quibus ſpectatis, diſpenſatio concedenda ſit. Quænam porro ſint eiuſmodi circumſtantiæ, iam iam dicam. Ratio quam opponunt *Tamburinus*, *Salmanticenſes*, *Sporer*, aliique, nullius momenti eſt; videlicet quod, licet difficultas prævisa fuerit, executio tamen ſemper addit quidquam maioris difficultatis. Hoc utique verum habet. Sed ſimul falſum eſt id ex genere ſuo vel tantillum cauſſæ præbere ad diſpenſationem concedendam. Cuiuſcumque etenim rei, & promiſſionis executio hanc indivulſam ſecum affert difficultatem.

Quis

Quis vero dixerit, hanc executionis difficultatem vel cauſsam, vel occaſionem præbere ad vinculum rei promiſsæ ſolvendum? Quare exclamatio Tamburini inquientis: *O quoties cogitatione ſoli prœliamur, in quæque pericula ruimus, ad quorum tamen primum occurſum expalleſcimus, & terga vertimus!* aut nihil concludit, aut infert omnia promiſsa reſcindenda eſse.

XIV. Dictum eſt, abſolute difficultatem prævisam natura ſua haud eſſe ſufficientem diſpenſandi cauſſam. Occurrere tamen circumſtantiæ poſſunt quæ difficultati additæ ſufficientem pro diſpenſatione impertienda cauſſam præbere diſpenſatori valeant; ut ſi difficultati implendi votum adnexum ſit grave & ingens illud violandi periculum. Quare difficultas ſine periculo non ſufficit; nec quodcumque periculum ſemel, aut iterum votum tranſgrediendi. Tunc ergo adeſt ſufficiens diſpenſandi cauſſa, quando talis eſt difficultas, quæ, perſonæ voventis conditione ſpectata, coniunctum habeat ingens periculum in voti tranſgreſſionem frequenter prolabendi. Hac ratione Alexander III. *cap. Veniens, qui Clerici, vel nov.* ob incontinentiæ periculum mulieri caſtitatis voto aſtrictæ diſpenſationem impertiit. Quæ ſententia communis eſt penes Theologos. Soto *Lib. VII. quæſt.* IV. *art.* 3. Suarez *Lib. VI. cap.* XVII. *num.* 12. Paſſerinus *quæſt.* CLXXXVII. *art.* 1. *num.* 752. & alii fere omnes. Gravis quoque conſcientiæ turbatio idoneam diſpenſationis cauſſam ſuppeditat; ut ſi vovens frequentibus angatur ſcrupulis gravibus; ita ut magis ei noceat quam proſit voti executio.

XV. Quæſt. VII. *An dubium de voto emiſſo iuſta cauſſa ſit obtinendæ diſpenſationis?* Reſp. Si dubium ſit de ſufficienti, & neceſſaria intentione tum vovendi, tum ſe obligandi; cum tunc incerta ſit voti exiſtentia, fundamentum habetur diſpenſationis concedendæ. Quod intelligas velim, dum dubium verum eſt, ſeu, ut ſolet a quibuſdam appellari, negativum. Si enim probabiliores adeſſent rationes pro voto; tunc dubitatio nullam præberet diſpenſandi cauſſam. Quin nec ipſum dubium ſolum, niſi aliquid aliud accedat, ſatis eſt ad diſpenſandum votum, ſed tantummodo ad commutandum. Similiter, ſi dubium ſit, utrum voti executio impediat maius bonum, cultumque divinum, incertum conſtituit votum, & præbet diſpenſandi cauſſam, ut communiter Theologi docent.

XVI. Tandem, ſi boni communis incrementum, aut damnum eiuſdem exigat voti relaxationem; diſpenſatio concedi poteſt. Quamobrem ad ſedandas lites, & tranquillitatem donandam provinciæ, vel civitati, diſpenſari poteſt cum homine voto caſtitatis obſtricto: idemque dicunt de eo qui ob votum ieiunandi impediretur exercere lectiones, aut conciones valde civitati utiles. Item, ſi votum cedat in damnum domus, ut ſi ex abſentia voventis familia grave damnum ſubiret; diſpenſatio concedi facile poſſet. Quare ad conſervandam illuſtrem familiam, in voto caſtitatis diſpenſari poterit; ſi aliquid commutationis addatur. Denique

Y iiij ma-

Digitized by Google

maius ipſius voventis ſpirituale bonum poterit eſſe ſufficiens diſpenſandi cauſſa: Finis namque voti eſt bonum ſpirituale voventis. Quoties ergo executione voti maius bonum voventis impediretur, & eiuſdem relaxatio conſerret in illius maiorem utilitatem; ſatis rationabilis foret cauſſa diſpenſandi.

XVII. Placet in calce huius capitis advertere, quod, quamquam verum ſit; vera, & manifeſta exiſtente cauſſa, poſſe ſuperiorem abſolute diſpenſare in votis, quia talis poteſtas reipſa reſidet in Prælatis Eccleſiæ; admodum raro tamen occurrit cauſſa adæquata diſpenſandi abſolute, præſertim in votis gravioribus & perpetuis. Hinc ipſa Sedes apoſtolica vix diſpenſationem impertitur ſine aliqua commutatione. Et hæc omnia communia ſunt. Quid, ſi vera, & evidens cauſſa diſpenſandi abſolute habeatur? Tenetur ne ſuperior diſpenſare? Affirmat Paſſerinus *num.* 760. ipſum aliquando teneri, quando ſcilicet omnibus expenſis iudicet aut bono communi, aut bono privato ſpirituali voventis id graviter expedire.

CAPUT XIV.

De votorum commutatione, ac de illis qui vota commutandi facultatem habent.

I. COmmutare eſt unum pro alio ſubſtituere. Quare commutatio voti non aufert illius vinculum, ſicuti diſpenſatio; ſed, vinculo voti manente, alteram ſubſtituit materiam, quæ in prioris locum ſuccedat; ſeu clarius, in commutatione ſolvitur prius vinculum, & aliud ſubrogatur. Commutatio ergo voti definiri poteſt: *Permutatio unius materiæ pro altera ſub eadem voti obligatione*. Differt ab irritatione, quæ eſt actus poteſtatis dominantis auferentis omnem obligationem, nulla etiam occurrente cauſſa, re abſolute ſpectata, ut ſupra dictum eſt. Diſcrepat rurſus a diſpenſatione, quæ tollit omnem obligationem.

II. Commutatio eſt effectus iuriſdictionis ſpiritualis. Omnes illi qui poſſunt diſpenſare vota, valent etiam ea commutare, quamquam non e contrario: quod verum habet non ſolum de iis qui poteſtate fruuntur ordinaria, verum etiam de illis qui poteſtate delegata inſtructi ſunt. Cur commutatio ſit actus iuriſdictionis docet D. Thomas in IV. diſt. XXXVIII. quæſt. I. art. 4. quæſtiunc. 4. *In commutatione eſt quidam contractus, qui non poteſt perfici ſine conſenſu utriuſque partis. Unde non poteſt fieri immutatio voti, niſi interveniat conſenſus eius qui vicem Dei gerit in terris, ſcilicet Prælati, niſi forte unum votum ab alio includatur. Et quia votum Religionis includit omnia alia vota, tum ratione perpetuitatis, tum ratione obedientiæ, qua homo voluntatem ſuam Deo tradit, per quam ſui, & omnium dominus eſſe poteſt; ideo ille qui aliquod votum temporale fecit, poteſt, non requiſita alicuius Prælati diſpenſatione,* Re-

Digitized by Google

Religionem intrare, non obſtante voto præcedente, quod ingreſſum Religionis impediret.

III. Quæſt. I. *An quis propria auctoritate valeat ſuum votum commutare in bonum evidenter melius?* Reſp. Quoniam non leve diſſidium eſt inter Auctores ſuper propoſita quæſtione, accuratius ea diſcutienda eſt. Et primum convenit inter omnes, quod, quando melius, ſeu maius bonum ſitum eſt in materiæ promiſſæ incremento, quiſque valeat propria auctoritate votum ſuum permutare. At hæc non eſt commutatio, ſeu ſubſtitutio unius pro alia materia; ſed eſt abundantior ſolutio: ut, ſi voviſſes erogare centum aureos in eleemoſynam, & erogares ducentos. Similiter, ſi promiſiſſes centum argenteos, & dares centum aureos, non eſſet vera commutatio, ſed redundantior ſolutio: tota quippe diverſitas materialis eſt, quia aurum prævalet argento; & quantum ad ſolvenda promiſſa diverſitas inter aurum & argentum nulla reputatur, quia hoc in illo includitur. Porro, quando minus bonum includitur in maiori bono, tunc non eſt vera commutatio, de qua in præſens; ſed, ut diximus, perfectior voti obſervatio. Hoc colligitur ex doctrina D. Thomæ, qui docet, quemquam poſſe propria auctoritate vota quæcumque privata, etiam reſervata, commutare in votum Religionis: quia hoc omnia alia particularia vota includit, quemadmodum univerſale ſingularia continet. Inquit enim 2. 2. quæſt. lxxxviii. art. 12. ad 1. *Dicendum, quod omnia alia vota ſunt quorumdam particularium operum; ſed per Religionem homo totam vitam ſuam Dei obſequio deputat. Particulare autem in univerſali includitur. Et ideo Decretalis dicit, quod reus voti fracti non habetur qui temporale obſequium in perpetuam Religionis obſervantiam commutat.* Controverſia ergo eſt de vera commutatione, in qua una pro alia diſparata materia ſubrogatur: ut, ſi voviſti ieiunium, & illud in eleemoſynam commutes; ſi promiſiſti recitare officium B. Virginis, & recites poſtea plura Roſaria. Hic eſt verus quæſtionis ſtatus.

IV. Prima ſententia, quam omnes novi Moraliſtæ ſuſtinent, adfirmat, quemque, ſive laicum, ſive Eccleſiaſticum, ſive virum, ſive mulierem, propria auctoritate poſſe ſuum votum commutare in id quod eſt evidenter melius. Ab Auctoribus recenſendis abſtineo: quia, ut dixi, omnes recentiores in hanc concedunt ſententiam. Conſule Sanchez *Lib. IV. cap.* xlix. *num.* 4. & Salmanticenſes *tract.* xvii. *cap.* iii. *punct.* 14. *num.* 132. ubi plures citant Auctores. Probant autem primum ex cap. *Scripturæ* de voto. *Reus fracti voti non habetur qui temporale obſequium in perpetuam noſcitur Religionis obſervantiam commutare.* Et ex cap. *Licet* de Reg. ubi decernitur, licentia petita, quamquam non obtenta, licitum eſſe tranſire de laxiori ad arctiorem Religionem. Unica autem illius ſententiæ ratio hæc eſt. Quod eſt evidenter melius, eſt Deo gratius, & acceptius. Quod autem Deo magis gratum eſt, non poteſt non ei placere. Quod rurſus Deo placet, licitum

eſt

eſt. Ergo commutatio voti in aliquid evidenter melius propria voventis auctoritate ſacta licita eſt. Enimvero, cum voluntas Dei ſit rectiſſima, non poteſt non acceptare quod revera eſt magis bonum, magiſque perfectum. Quando ergo evidenter conſtat, materiam ſubſtitutam eſſe abſque ulla dubitatione meliorem; non videtur ambigendum quin poſſit materia minus bona voto promiſſa in hanc maniſeſte meliorem commutari. Tametſi hominibus non ſemper placeat quod melius eſt, ſed quod eſt illis magis commodum; id tamen de Deo ſuſpicari haud poſſumus: ex ſua quippe rectitudine fertur in id quod melius revera eſt. Atque ita, quando nobis conſtat evidenter, ſubrogatam voto materiam eſse meliorem; nobis quoque conſtat de conſenſu ipſius Dei eamdem materiam acceptantis. Hoc eſt unicum fundamentum iſtius ſententiæ: quæ, ſi recentiorum Theologorum auctoritas ſpectetur, non modo probabilis, ſed communiſſima, & probabiliſſima apparet.

V. Secundam ſententiam conceptis verbis docet D. Thomas in IV. diſt. XXXVIII. quæſt. I. art. 4 quæſtiunc. ult. in corp. *Commutatio eſt quidam contractus, qui perfici nequit abſque conſenſu utriuſque partis: & ideo nequit fieri ſine conſenſu eius qui vicem Dei gerit in terris*. Hæc D. Thomæ doctrina ex ipſa Scriptura eruta eſt, in qua *Levit.* XXVII. *verſ. 9.* hæc habentur. *Animal autem quod immolari poteſt Domino, ſi quis voverit, ſanctum erit, & mutari non poterit, ideſt, nec melius malo, nec peius bono*; ſcilicet nec melius in malum, nec peius in bonum: *quod ſi mutaverit, & ipſum quod mutatum eſt, & illud pro quo mutatum eſt, conſecratum erit Domino*. Hoc etiam colligitur ex *cap.* Licet *de Regularibus*, ubi dicitur, non licere Religioſo profeſſo a laxiori ad arctiorem tranſire, niſi prius petita ſuperioris licentia. Hanc ſententiam defendunt D. Bonaventura in *IV. ſupplem. diſt.* XXXVIII. *quæſt.* I. *art.* 5. ubi de redemptione, & commutatione voti, *verſ. de voti redemptione lit. y.* Pallacios *in IV. diſt.* XXXVIII. *diſp.* III. *colum.* 27. Sylveſter *verb.* Votum 4. *quæſt.* VII. *dicto* 2. ibique allegat *leg.* 2. *ff.* Si cert. petat, *Lib. II. inſt. quib. mod. tol. obli.* ubi non liberatur ſolvens rem meliorem, niſi ſolvat quod debet. Antiquiores Canoniſtæ quoque favent communiter huic ſententiæ. Innocentius *cap.* Pervenit *num. unic. de iure iurand.* Ioannes Andreas *ibi num.* 2. Hoſtienſis *ibi num.* I. Antonius *ibi num.* 5. Baldus *ibi num.* 2. Ancharanus *ibi num.* I. Abbas *ibi num.* 2. Henricus *ibi num.* I. Bellamera *ibi num.* 2. Felinus *ibi num.* I. Alexander de Nevo *num.* 7.

VI. Hæc ſententia tum ob auctoritatem antiquorum Theologorum, ac potiſſimum ſanctorum Thomæ, & Bonaventuræ, tum ob rationum vim mihi probabilior videtur. Sed, antequam rationes promo, iuvat in mentem ſtatum revocare quæſtionis, videlicet in præſentia ſermonem eſſe de vera commutatione, in qua una materia diverſi omnino generis, & diſparata a prima iam per votum nuncu-

ra-

Digitized by Google

pata, ſubſtituitur : quod optime animadverterunt Salmanticenſes *num.* 129. Plures enim qui pro contraria ſententia allegantur, ſenſum hunc controverſiæ perſpectum minime habuerunt. Nam Henricus a S. Ignatio contrariæ ſubſcribit ſententiæ : quia, inquit *Lib. X. cap.* XLVII. *num.* 365. minus bonum continetur in maiori bono; ut, ſi promiſiſti ovem, & bovem dones. Hanc autem non eſſe veram voti commutationem, ſed perfectiorem, & abundantiorem eiuſdem ſolutionem, iam dictum eſt. Loquimur ergo de illis qui voverunt ieiunia, & ea commutant in eleemoſynam; aut contra, qui voverunt peregrinationem, & commutant illam in preces; atque de aliis ſimilibus.

VII. Rationes pro noſtra ſententia proponuntur. Commutatio voti eſt actus iuriſdictionis ſpiritualis. Sed ſæculares perſonæ carent omni ſpirituali iuriſdictione; eccleſiaſticæ autem perſonæ exercere in ſemetipſas iuriſdictionem non valent. Ergo nequeunt propria auctoritate vota ſua commutare. Prima propoſitio extra diſputationem eſt conſtituta. Siquidem Salmanticenſes *num.* 127. inquiunt : *Commutatio votorum eſt actus iuriſdictionis ſpiritualis, non minus ac diſpenſatio. Quare illi omnes, & non alii, de quibus diximus poſſe iure ordinario in votis diſpenſare ob ſuperioritatem, & iuriſdictionem eccleſiaſticam, poſſunt. commutare poteſtate ordinaria vota.* Quæ aſſertio communis eſt penes omnes eiuſdem ſententiæ patronos. Secunda etiam propoſitio manifeſta eſt. Tertia tandem neceſſario conſequitur ex utraque.

VIII. Hæc commutatio, inquiunt, non eſt actus iuriſdictionis; ſed prudentiæ, & cognitionis naturalis. Verum hoc gratis aſſeritur. Commutatio abſolute ex genere ſuo, & ſuapte natura actus iuriſdictionis aſſeritur; quidni & iſta? An quia eſt in materiam meliorem? Quid, ſi eſſet in materiam inferiorem? Eſſet, inquiunt, actus iuriſdictionis. Quid, ſi eſſet in materiam æqualem? Etiam, reſpondent. Maius ergo materiæ pretium iuriſdictionem deſtruit; eiuſdem autem vilitas illam progignit? Iuriſdictio non ſpectat directe materiam, ſed vinculum promiſſionis; iuſtitia vero æqualitatem, aut inæqualitatem materiæ promiſſioni ſuppoſitæ inſpicit. Porro, dum votum commutatur, ſolvitur prius vinculum, & aliud ſubſtituitur. Clarius rem explico. Vota plura dicuntur genere, ſeu ſpecie diſtingui ob ſpecificam diſtinctionem materiæ; puta votum ieiunii ſpecie diſtinguitur a voto eleemoſynæ ob ſpecificam materiarum diverſitatem. In vera ergo commutatione, de qua agimus nunc, unum votum commutatur in aliud. Ergo prius reſcinditur, ſeu deſtruitur, & loco illius alterum ſuccedit. Porro reſciſſio contractus, ſeu promiſſi eſt actus iuriſdictionis; & ſi contractus ſpiritualis ſit, iuriſdictionem expoſcit ſpiritualem. Hæc doctrina tota eſt D. Thomæ. *Commutatio eſt quidam contractus qui perfici nequit abſque conſenſu utriuſque partis: & ideo perfici nequit abſque conſenſu eius qui vicem Dei gerit in terris, ſcilicet Prælati, niſi forte unum votum ab alio includatur.*

IX.

Digitized by Google

IX. His paucis verbis noſtram firmat Angelicus ſententiam, & contrariæ ſententiæ æquivocationem elidit. Quando unum votum, inquit, ab altero includitur, nempe minus in maiori; tunc non eſt vera commutatio, ſed perfectior ſolutio: ut, ſi quis voviſſet quinquaginta, & donaret centum. Quando autem vota ſunt diſparata, tunc contingit vera & ſtricta commutatio; nec unum votum includitur in altero, licet perfectiori. Quis dixerit votum ieiunii includi in voto eleemoſynæ, aut votum peregrinationis in voto deferendi veſtem pœnitentiæ, vel contra? Ut ergo commutentur eiuſmodi vota, requiritur iuriſdictio ſpiritualis. Et, licet evidens ſit, votum elargiendi mille aureos in eleemoſynam valde prævalere voto unius aut alterius ieiunii; non ob id tamen mutatio fieri poteſt abſque iuriſdictione, ſeu auctoritate illius qui vicem Dei gerit.

X. Confirmatur noſtra ſententia alia ratione, qua ſimul contraria opinio convellitur. Quod potiſſimum in voto conſideratur, eſt vinculum illud quo vovens devincitur ad offerendum Deo id quod promiſit: neque tam æſtimatur res promiſſa, quam debitum illam dandi, & fidelitas exequendi. Eiuſmodi ligamen quo vovens Deo aſtringitur, eſt ſacrificium pretioſius quacumque victima promiſſioni ſubiecta. Deo ſiquidem magis placet fidelitas implendi promiſſum quam cuiuſque rei promiſſæ pretium. Quemadmodum e contrario maioris iniquitatis reus efficitur qui votum non implet, ob mendacium infringendi promiſſum Deo factum, quam ob iniuſtitiam ſurripiendi Deo rem promiſſam. Qui autem propria auctoritate votum commutat, infringit promiſſionem, & mendax evadit. Illicite ergo illud commutat.

XI. Ita eſt, inquiunt, quando certi non ſumus de conſenſu creditoris. Quando autem materia ſubſtituta evidenter melior eſt, certi ſumus de conſenſu ipſius Dei, qui, cum rectiſſimæ voluntatis ſit, ſemper id quod melius eſt, acceptat. Reſponſum iſtud ex iis quæ diximus, convulſum remanet. Siquidem id quod eſt gratius Deo, magiſque acceptum, eſt oppignoratam fidem exonerare, ſeu promiſſionem exacte implere. Porro qui votum iam nuncupatum commutat, fidem datam non ſolvit, ſed violat. Non violatur votum, reponis, quia melior hoſtia ſubſtituitur, atque adeo melius impletur. Scire vellem quomodo votum violari poſſit, niſi materiæ mutatione. Nulla quippe alia via eſt promiſſi infringendi, niſi aut ſubtractione, aut mutatione materiæ. Si materia aut omnino ſubtrahitur, aut diminuitur, fides ſimul, & iuſtitia, quæ debitum compenſationis rei detractæ parit, violantur. Si materia mutatur aut in æquale, aut in melius bonum; integra conſiſtit iuſtitia, quæ rei æqualitatem ſpectat; ſed & fides data ex parte promittentis, & ius quod promiſsarius acquiſivit, ut ſibi ſervetur facta promiſſio, peſsumdantur. Hinc magis patet quam imbecillis ſit reſponſio data, ſcilicet certos nos eſse de conſenſu ipſius Dei in rem meliorem. Certi namque ſumus, Deum velle ut ſibi

Digitized by Google

ſibi ſervetur promiſsum factum, & nullo modo mutetur, ipſo inconſulto. Hoc eſt melius, & maximum bonum, quod Deo præ quacumque alia quantumlibet pretioſa victima placet. De hoc nos certi ſumus, ſecus de aliis quæ obiiciuntur.

XII. Accedit quod ratio adverſariorum non modo probat, poſſe quemquam commutare votum proprium in melius, ſed etiam in æquale bonum; quod tamen maior illorum numerus negat, ut videre licet penes Sanchez *Lib. IV. cap.* xlix. *num.* 12. Siquidem, ſi id quod melius eſt, magis Deo placet; id quod æque bonum eſt, æque Deo placere debet. Cur ergo præſumitur conſenſus Dei in melius bonum, ſecus in æque bonum? Gratius eſt Deo, inquit Sanchez *num.* 12. hominem perſeverare in priori voluntate, ſuppoſita promiſſione facta, quando loco prioris materiæ non ſubrogatur aliquid pretioſius, quo compenſetur receſſus a priori voluntate Deo oblata. Nos vero reponimus, nullum incrementum maioris tributi Deo perſolvendi ſatis eſſe ad hoc ut vovens ſurripere licite valeat victimam ſemel Deo per votum oblatam. Enimvero, quantumlibet melior, & pretioſior ſit materia offerenda, efficere nequit ut non ſit mendax, & datæ fidei violator qui materiam promiſſam non offert, ſeu qui promiſſionem non implet.

XIII. Tandem, ſicut difficillimum eſt, & ferme impoſſibile, cognoſcere æqualitatem inter duo bona moralia, ita ut bonum iam promiſſum poſſit commutari in aliud æquale bonum; ita difficile eſt iudicare quodnam ſit melius bonum, quod dici debeat gratius Deo: quia maius rerum pretium fundamentum ſufficiens minime eſt ad inferendum quod illud ſit Deo gratius. Etenim quæ nobis videntur meliora, non ita ſemper talia ſunt coram Deo. Melior a nobis eſſe cenſetur eleemoſyna mille aureorum quam unius diei ieiunium; & tamen fortaſſis gratior Deo erit obſervantia ieiunii quam talis elargitio eleemoſynæ.

XIV. Concludamus itaque, neminem poſſe propria auctoritate commutare ſuum votum in aliud votum diverſi generis; puta votum ieiunii in eleemoſynam, quantumvis magnam, peregrinationis in ieiunia &c. De hac quippe commutatione huc uſque locuti ſumus, & de hac una commutatione diſputant Auctores, ut clare explicant Salmanticenſes. Idque præ oculis eſt ſemper habendum, ne confundatur cum vera voti commutatione perfectior voti ſolutio, ut quando intra eamdem ſpeciem auges rem promiſſam.

XV. Ex his patet ſolutio ad argumenta contrariæ ſententiæ. Auctoritas enim quæ opponitur ex *cap.* Scripturæ *de voto*, loquitur de eo cui adſtrictus voto privato, amplectitur ſtatum Religionis, omnia vota includentem, ut explicat Angelicus, qui eamdem auctoritatem citat, ut dictum eſt *num.* 3. Alter textus favet noſtræ ſententiæ: quia eſt commutatio intra idem quaſi genus Religionis; ſeu eſt ſermo in illo textu de perfectiori obſervantia profeſſionis monaſticæ: & tamen etiam

etiam in hac commutatione, quæ ſane vera, & rigoroſa non eſt, licentia petenda præſcribitur; quamquam poſtea, ſi iniuſte denegetur, tranſitus ad arctiorem Religionem fieri permittatur. Ad rationem reſpondetur, quod liberare fidem oppignoratam Deo in priori voto, Deo acceptius, gratiuſque eſt quacumque alia materia, quantumlibet meliori. Accedit quod nos certi ſumus, bonum eſſe, Deoque ſumme gratum, & acceptum impleri promiſſum, ſeu votum nuncupatum ſervari. Quod vero illa victima noviter offerenda, tametſi nobis appareat evidenter melior, ſit Deo gratior, potiſſimum comparatione facta cum obſervantia prioris voti, certi eſſe non poſſumus.

XVI. Ex his clarius multo colligitur, neminem propria auctoritate poſſe commutare votum ſuum ſive in æquale, ſive in minus bonum. Quod non poſſit commutari votum in minus bonum, omnes concedunt; quod neque in æquale, communior opinio defendit. Diſputant vero, an peccaret mortaliter qui propria auctoritate commutaret proprium votum ſive in minus, ſive in æquale bonum? Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* III. *punct.* 14. *num.* 136. affirmativam opinionem defendunt. Siquidem eiuſmodi commutatio nulla eſt. Commutatio namque votorum actus iuriſdictionis eſt ſpiritualis, quæ reſidet in ſolis Eccleſiæ Prælatis. Ergo actus ſine hac iuriſdictione nullus eſt. Si nullus, remanet obligatio implendi prius votum ſub gravi culpa; perinde ac ſi nulla commutatio facta fuiſſet. Pro hac ſententia citant Suarez, Palaum, Pradum, Azorium, Raphaelem de la Torre, quibus & nos accedimus.

XVII. Quæſt. II. *An qui vovit unam ingredi Religionem, valeat propria auctoritate aliam æque bonam intrare?* Reſp. Negat communior, & probabilior opinio, quæ ſuſtinet, votum commutari non poſſe propria voventis auctoritate in æquale bonum. Quod ſi votum eſſet de ingreſſu in quoddam peculiare Monaſterium, tunc licere propria auctoritate aliud eiuſdem ordinis ingredi, docet Sanchez *Lib. IV. cap.* IV. *num.* 15. ex Suarez *Lib. VI. cap.* XIX. *num.* 11. niſi tamen in obſervantia regulari eſſet magna diſparitas inter utrumque Monaſterium. Additque Sanchez aliam quoque limitationem, niſi ſcilicet quædam peculiaris maioris divini ſervitii ratio induxiſſet voventem ad determinatum Monaſterium. Mihi autem neque aliam Religionem, neque aliud Monaſterium talem voventem ingredi poſſe, probabilius eſt. Quoniam ſicut qui voviſſet aliquam eleemoſynam, aliquem calicem, & quodcumque donum huic Monaſterio determinato, nequiret alteri Monaſterio, eiuſdem licet ordinis, illud conferre; ita qui ſui ipſius victimam voto conſecravit uni Monaſterio, non valet propria auctoritate alteri Monaſterio eiuſdem ordinis, & regularitatis ſe ſe tradere. Non me latet, iuxta Caietanum *opuſc.* XI. *quæſt.* III. & Becanum *quæſt.* X. *de voto* poſſe quemlibet propria auctoritate commutare votum reale donandi lampadem argenteam Eccleſiæ D. Petri in votum eamdem,

dem donandi Eccleſiæ B. Virginis. Verum hæc mihi non probatur ſententia: quoniam, licet ſimplex propoſitum, ſeu promiſſio facta, & non acceptata ab Eccleſia, ſeu Rectore eiuſdem, poſſit mutari: quia nullum ius habet Eccleſia, uſquedum non fuerit acceptata promiſſio: hoc tamen dici nequit de voto Deo facto dandi aliquid tali Eccleſiæ: quia vi voti aſtringitur vovens plene, & ex omni parte illud implere. Porro, ſi uni Eccleſiæ alteram ſubrogaret, illud integre non impleret. Idem dic de voto dandi eleemoſynam huic pauperi determinato.

XVIII. Quæſt. III. *An in rebus quæ uſu conſumuntur, poſſit una pro alia voto promiſſa ſubſtitui?* Reſp. Adfirmat Sanchez *loc. cit. num. 6.* quia non eſt mutatio moralis, ut in vino, oleo &c. Si mutatio ſiſtit intra eamdem ſpeciem, ut ſi voviſti hoc vinum, hoc triticum, hoc oleum, & aliud oleum pro primo oleo ſubſtituis; & ipſe ſentio nullam reperiri mutationem realem. Quamquam hæc vix contingunt in praxi. Aut enim periit prius vinum, oleum, triticum &c. aut non. Si periit, ceſſat quæſtio. Si conſiſtit, cur mutare debes? Si vero mutatio eſſet in diverſam ſpeciem, puta ſi vino ſubſtituendum foret triticum, aut vinum oleo; tunc minime concederem talem mutationem, quia eſſet moralis mutatio. Nec video quo fundamento aſſerat Leander *quæſt.* XIV. pro quantitate vini ſubſtitui poſſe eamdem quantitatem olei. Hoc ego nequaquam concederem. In rebus vero quæ unico uſu non conſumuntur, idem Sanchez cum Suarez docet, mutationem fieri non poſſe: ut, ſi voviſti ſervum, non ſatisfacis dando valorem in pecunia; nec, ſi voviſti pecuniam, votum imples dando calicem: quia hæc non eidem uſui inſerviunt; & una materia utilior altera eſſe poteſt.

XIX. Quæſt. IV. *An qui vovit tradere filium determinatum Religioni, poſſit alterum propria auctoritate offerre?* Reſp. Negant D. Antoninus *II. P. tit.* XI. *cap.* II. §. 8. Sylveſter *verb.* Votum 4. *dic.* 6. ubi citat Petrum de Palude. Eſt opinio probabilior. Ratio patet ex iis quæ dicta ſunt.

XX. Quæſt. V. *An laicus, vel Clericus coniugatus capax ſit iuriſdictionis commutandi vota?* Reſp. Negat communis, & vera opinio; niſi accedat pontificia diſpenſatio. Feminæ quoque ſunt incapaces talis ſpiritualis iuriſdictionis. Qua de cauſſa Abbatiſſæ non poſſunt commutare vota Monialium, ſicut neque cum illis diſpenſare valent. Similiter Prælati excommunicati denuntiati, aut notorii Clericorum percuſſores commutandi vota facultatem non habent. Solis ergo illis per ſe competit poteſtas commutandi vota qui in iiſdem poſſunt diſpenſare.

CA-

CAPUT XV.

Quam æqualitatem ſervare debeant legitimi votorum commutatores ; & quæ cauſſæ requirantur ut legitima fiat commutatio.

I. NEminem propria auctoritate commutare poſse ſua vota in materiam ſive inferiorem, ſive æqualem, ſive meliorem, iam oſtenſum eſt. Nunc explicandum ſupereſt, quem modum in materiæ ſubrogatione ſervare debeant qui legitima auctoritate potiuntur vota commutandi. De pura ac ſimplici commutatione nobis in præſens ſermo eſt, quæ nihil diſpenſationis permixtum habeat. Sunt enim qui tum diſpenſandi, tum commutandi facultatem habent, ut Pontifices, Epiſcopi, & Prælati regulares reſpectu ſuorum ſubditorum. Hi, dum vota commutant, aliquid diſpenſationis permiſcere valent; atque adeo in minorem obligationem, ſeu materiam commutare vota queunt. De illis ergo loquimur qui tantummodo commutare vota poſsunt, ut ſunt illi qui commutant vi bullæ cruciatæ, aut iubilæi, aut alterius privilegii; & ut ſunt in noſtra ſententia Confeſsarii regulares, qui commutare vota, ſecus in eiſdem diſpenſare poſsunt.

II. Quæſt. I. *An in mera votorum commutatione æqualitas materiæ ſervanda ſit?* Reſp. Prima ſententia ſuſtinet, licitum eſse commutare votum in materiam minorem: tum quod difficile ſit punctum æqualitatis acu tangere; quapropter dubitationibus, & ſcrupulis, atque conſcientiarum perturbationibus expoſita res eſſet: tum quod probabile ſit quemquam propria auctoritate poſse commutare ſua vota in materiam æqualem; ex quo ſequitur aliquid amplius poſse ſuperioris facultatem; alioquin fruſtranea eſset. Hanc ſententiam defendunt Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* II. *punct.* 7. *ſ.* 3. *num.* II. Diana *II. Part. tract.* XVI. & *in Miſcell. reſol.* 8. Leander *tract.* I. *diſp.* XVIII. *quæſt.* XII. laudatque Sa, Medinam, Aragon, Leſſium, Toletum, & alios.

III. Altera ſententia communior, & probabilior eſt, meram votorum commutationem in æqualem moraliter materiam faciendam eſse. Ratio ex doctrina D. Thomæ ſuperius tradita colligitur. Dictum eſt, commutationem contractum eſse inter commutantem nomine Dei & voventem. Sed contractus quilibet æqualitatem expoſcit. Ergo & contractus iſte commutationis. Hæc autem æqualitas in contractu permutationis in hoc ſita eſt, quod materia quæ ſubſtituitur, æquet materiam cui ſubrogatur. Nonne in quolibet civili contractu hæc æqualitas integra conſiſtere debet, ne iuſtitia violetur? An miniſter recte negotium domini age-

Digitized by Google

ageret, ſi poteſtate ſibi collata res illius commutandi abuteretur pro maiori re minorem recipiendo ? Privilegia, & Principum beneficia latam utique interpretationem excipiunt, ſalvo ſemper verborum legitimo ſenſu, & iuſtitiæ integritate. Cum datur poteſtas commutandi, non confertur facultas diſpenſandi. Commutatio, utpote contractus quidam, ſuapte natura in rebus permutandis æqualitatem poſtulat; nullumque ſuppetit fundamentum latius interpretandi privilegium commutationis: quoniam, ſublata rerum permutandarum æqualitate, perit natura veræ commutationis. Hanc ſententiam defendunt Paludanus *in IV. diſt.* XXXVIII. *quæſt.* IV. *art.* 3. Caietanus 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII, *art.* 12. Roſella *verb.* Votum 5. *num.* 6. Sylveſter *verb.* Votum 4. *quæſt.* VIII. *in fin.* Sotus *Lib. VII. de iuſtit. quæſt.* IV. *artic.* 3. Sanchez *Lib. IV. cap.* V. *num.* 4. Suarez *Lib. VI. cap.* XII. Azorius *Lib. XI. cap.* XVIII. *quæſt.* VI. Sayrus *Clav. Reg. Lib. VI. cap.* XII. *num.* 9. Layman *Lib. IV. tractat.* IV. *cap.* VIII. *num.* 34. Caſtropalaus *tractat.* XV. *diſp.* II. *punct.* 16. *num.* 6. Salmanticenſes *tractat.* XVII. *cap.* III. *punct.* 15. *num.* 139. VVigandt *tractat.* X. *exam.* 3. *num.* 64.

IV. Hæc æqualitas, quam præfati Auctores poſtulant, non eſt arithmetice, & mathematice accipienda, ſed moraliter, ſeu quæ prudenter & bona fide talis exiſtimatur: nec enim nimis religioſe metienda res eſt. Et hoc etiam in aliis contractibus ſervatur. Hinc corruit primum contrariæ ſententiæ fundamentum. Ad id quod ſecundo loco dicunt, negamus opinionem illam probabilem eſſe. Qua etiam probabilitate admiſſa, non inde infertur, poſſe legitimum commutatorem ſubſtituere in commutatione minorem materiam. Sed vovens in materiam evidenter æqualem, ut ait illa opinio, & Prælatus in probabiliter æqualem votum debent commutare.

V. Hinc non parum fallitur Patritius Sporer *tractat.* III. *in* 2. *præcept. Decal. cap.* III. *ſec.* 4. *num.* 122. ubi ſuos Dianam, Tamburinum, & Gobatum ſequens, docet poſſe fieri commutationem ab habente poteſtatem in minorem, ſeu inæqualem materiam; dummodo hæc inæqualitas non ſit ita magna, quæ ſatis ſit diſpenſationi alicui. Inſuper contendit, ita docere Sanchez, alioſque communiter Theologos. *Neque aliud* (inquit Sporerius) *velle videntur Sanchez, & alii communiter*. Sanchez, & Auctores alii communiter noſtram ſententiam conceptis verbis propugnant. Quare, ut quoquo modo excuſetur Sporerius, dicendum eſt, eum nec legiſſe Sanchez, nec alios. Contendit ſiquidem ille non eſſe ſervandam in commutatione votorum eam æqualitatem quæ in aliis ſervatur contractibus: quia in iſtis, inquit, *nulla intervenit poteſtas iuriſdictionis, ſicut in noſtra commutatione votorum*. Poterunt ergo miniſtri dominorum abſque poteſtate contractus ab illis initos commutare? Non requiritur utique poteſtas ſpiritualis iuriſdictionis, ſicut in votis; ſed requiritur poteſtas civilis. Ceterum & Sanchez, & alii Theo-

logi eam æqualitatem in votorum commutatione requirunt quæ in contractibus reliquis communiter ſervatur; ut cuique eoſdem legenti conſtare poterit.

VI. Cum dubia eſt æqualitas inter materiam voto ſubiectam, & materiam voto ſubiiciendam, commutationi locus relinquitur. Quoniam non requiritur, ut dictum eſt, æqualitas mathematica, ſed moralis. Quando dubitatio occurrit, non eſt certa inæqualitas nec pro una, nec pro altera parte: idcirco dubium deponendum eſt, &, nimia miſſa religione, ſive ſuperſtitione, bona fide ea æqualitas ſervetur quæ in ceteris contractibus a viris prudentibus ſervari ſolet. Conſule quæ infra dicturi ſumus.

VII. Ex his colligitur, commutationem in materiam minorem, & abſque debita æqualitate, non carere culpa mortali, ut inquit Sanchez *loc. cit. num.* 8. quia læditur ius divinum in re gravi, & divinus cultus minuitur. Maior tamen, vel minor inæqualitas attendenda eſt: quia, ſi inæqualitas parva ſit, levem ſolummodo culpam commutans perpetrabit. Quare, ut ſecure ſibi proſpiciat commutans, in quidquam melius ſemper permutare votum ſtudeat. AEqualitatem enim attingere difficillimum eſt. Dum autem Dei cauſſa agitur, melius bonum ſubrogandum videtur, ut tutius Dei negotium promoveatur, inquit vel ipſe Sanchez *loc. cit. num.* 10.

VIII. Quæſt. II. *Quæ cauſſa requiritur ad licitam, validamque commutationem?* Reſp. Cum commutatio (ut dictum eſt) ſit contractus initus inter voventem & Deum ipſum, ut licite, valideque executioni mandetur, cauſſa requiritur: quod iam ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 12. ſuperius demonſtravimus.

IX. Quando tamen commutatio in evidenter melius bonum facienda eſt a Prælato, legitima poteſtate prædito, nullam requiri cauſſam concedunt omnes. Exceſſus enim boni ſubſtituendi ſufficiens exiſtimatur cauſſa commutationis. Negavimus ſupra id fieri poſſe a vovente, eo quod nullam habeat facultatem commutandi propria vota. Hæc autem facultas Prælato ineſt: idcirco ille etiam ſine cauſſa externa commutare vota poteſt in bonum quod ſit evidenter melius. Tunc enim duo quæ ad commutationem neceſſaria ſunt, occurrunt, nempe augmentum divini cultus, & legitima auctoritas.

X. Si materia in quam facienda eſt commutatio, ſit evidenter æqualis, & ſimul probabiliter melior, fieri poſſe commutationem a Prælato etiam ſine cauſſa, docent communiter Auctores; nec ipſe repugno: quoniam ex una parte tunc certum eſt nullam occurrere divini cultus iacturam, ſive diminutionem, & altera ex parte probabile eſt eiuſdem divini cultus incrementum haberi.

XI. Dum commutatio facienda eſt in rem æqualem, cauſſam aliquam Prælatus habere debet. Ut quid enim infringenda eſt voti obligatio, nulla cauſſa ex parte voventis, nulla utilitate maioris cultus ex parte Dei exiſtente? An ne pru-

Digitized by Google

prudens haberetur miniſter ille qui contractus ſui domini pro arbitrio abſque ullo commodo permutaret ? Hæc quoque opinio communis eſt.

XII. Quando ſummus Pontifex in iubilæo, vel bulla cruciatæ, aut aliquo alio privilegio dat facultatem vota commutandi, non requiritur aliqua cauſſa peculiaris, ut valida, & licita ſit commutatio; ſed ſola ſufficit executio illorum operum, eleemoſynæ, precum, & ieiuniorum quæ in præfatis bullis præſcribuntur. Talem ſiquidem facultatem in ſimilibus eventibus ob bonum commune ſummus Pontifex impertitur, & ſimilia opera imponit. Secus vero dicendum eſt, dum Prælati commutant vi poteſtatis ordinariæ, aut dum Confeſſarii regulares commutant vi poteſtatis delegatæ. Immo ad iſtorum commutationem potiori iure cauſſa neceſſaria eſt.

XIII. Quæſt. III. *Quænam cauſſa requiritur, quando votum commutatur in æquale bonum?* Reſp. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* III. *punct.* 16. *num.* 145. ubi allegant Caietanum, Pradum, Sanchez, Dianam, & alios, docent ſufficere pro cauſſa præfatæ commutationis ſolam petitionem voventis: quod fuſius docet Sanchez *Lib. IV. cap.* I. *num.* 23. Eorum ratio eſt, quia hæc benignitas, inquiunt, cedit in Dei honorem. Concedunt illicitam eſſe commutationem, ſi Prælatus pro arbitrio illam præſtaret; ſecus, dum illam impendit, ut petitioni voventis indulgeat. Hæc opinio ſatis ſibi conſtare non videtur. Fatentur præfati Auctores, naturam ipſius commutationis cauſſam exigere, etiam dum fit in æqualem materiam: quod potiſſimum Sanchez probat *loc. cit. num.* 17. Quod porro hæc cauſſa ſita univerſe ſit in voventis petitione, quoddam paradoxon videtur. Nam petitio diſpenſationis, & cauſsa ſive diſpenſandi, ſive commutandi, duo ſunt omnino diſtincta. Et, ſi quis abſolute diceret, ipſam petitionem privilegii, favoris, & cuiuſque gratiæ, eſſe iuſtam conceſſionis cauſſam, quid inauditum proferret.

XIV. Dicimus ergo, præter petitionem voventis aliquam aliam requiri cauſſam ad licitam voti commutationem in æqualem materiam. Non eſt tamen neceſſe quod ſit cauſsa gravis, ſed ſufficit levis, eo quod, dum æqualis materia ſubrogatur, non diminuitur cultus divinus, ſed ſolum voventis fidelitas leviter violatur: idcirco levis cauſsa ſatis eſt, puta aliqua peculiaris difficultas, quæ obſit executioni. Ita ſentiunt Sylveſter *verb.* Votum 4. *in fine*, Roſella *verb.* Votum 5. *num.* 6. Angelus *verb.* Votum 4. *num.* 10. Sotus *Lib. VII. de iuſt. quæſt.* IV. *art.* 3. Azorius *Lib. XI. cap.* XVIII. *quæſt.* III. Sayrus *Clav. Reg. Lib. VI. cap.* XII. *num.* 26. Vivaldus *candelab. ſacram. III. Par. cap.* XIV. *num.* 15. *&* 22.

XV. Quæſt. IV. *An commutatio in rem æqualem ſine cauſſa facta ſit invalida?* Reſp. Illicita profecto eſt talis commutatio, ſecus invalida. Iuſtitia enim abſolute ſervatur, quæ æqualitatem depoſcit. Solummodo abutitur Prælatus poteſtate

Digitized by Google

ſibi tradita in re levi. Idcirco ex defectu iſtius levis cauſæ non poteſt invalida effici præfata commutatio.

XVI. Quæſt. V. *An commutatio voti in minus bonum abſque rationabili cauſſa ſit invalida?* Reſp. Omnes conſentiunt, eo graviorem cauſam in voti commutatione requiri, quo minor materia, ſeu obligatio ſubrogatur priori obligationi; quemadmodum maior cauſſa neceſſaria eſt pro diſpenſatione, in qua omnino voti vinculum ſolvitur, quam pro commutatione, in qua non ſolvitur omnino voti vinculum, ſed unum pro alio ſubſtituitur. Diſputant vero Auctores, num ſicut defectus rationabilis cauſſæ invalidam reddit diſpenſationem, ita nullam efficiat commutationem. Dictum eſt, commutationem in æqualem materiam conſiſtere validam, etiamſi cauſſa deficiat. Controverſia ſolummodo eſt de commutatione in minus bonum ſine cauſſa facta.

XVII. Validam eſſe eiuſmodi commutationem, docent non pauci Auctores, hac adiecta conditione, quod vovens teneatur ſupplere defectum materiæ ſubrogatæ, ita ut æquet priorem materiam. Hanc opinionem defendunt Sanchez *Lib. IV. cap.* v. *num.* 8. Candidus *diſq.* xxv. *art.* 2. *dub.* 3. *concluſ.* 6. & 7. Diana *Par. II. tract.* xvi. aliique. Rationes illorum ſunt, quod mitius cum Deo quam cum hominibus agatur. Permutationes autem civiles inter homines validæ ſunt, etiam abſque cauſſa factæ, ut patet *leg.* 2. *de reſcindenda venditione*. Potiori ergo iure idem de votorum commutatione dicendum eſt. Accedit quod commutatio in minus bonum cum cauſſa facta, valida eſt iuxta omnes cum ſola obligatione ſupplendi æqualitatem prioris materiæ: ergo etiam ſine cauſſa valorem habebit.

XVIII. Contraria ſententia, cui adhæremus, communior, & probabilior eſt. Quoniam commutatio actus eſt iuriſdictionis ſpiritualis, qui ſine cauſſa nullus eſt; ut patet in diſpenſatione, quæ ſine cauſſa invalida eſt iuxta D. Thomam 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 12. Siquidem Prælatus, ſive diſpenſet vota, ſive vota commutet, Deum refert, eiuſdemque vices gerit. Deo autem acceptum minime eſt quod ſine cauſſa relaxentur vota ſibi nuncupata: neque enim ſuam conceſſit poteſtatem in deſtructionem, ſed in ædificationem. Porro, ſi abſque cauſſa vota relaxarentur, ſive diſpenſando, ſive commutando, totum eſſet in deſtructionem. Ergo, ut valida ſit commutatio, Deoque accepta, ob cauſſam rationabilem fieri debet. Hanc ſententiam defendunt Suarez *Lib. VI. de voto cap.* xix. *num.* 14. Prado *cap.* xxxi. *quæſt.* xv. *num.* 40. Ludovicus Lopez *I. Par. cap.* l. Caſtropalaus *diſput.* ii. *punct.* 17. *num.* 2. Salmanticenſes *tract.* xvii. *cap.* iii. *punct.* 16. *num.* 148. & alii.

XIX. Contrariæ ſententiæ argumentis facillime fit ſatis. Mitius cum Deo quam cum hominibus agendum eſt, ſed ſalva ſemper iuſtitia. Commutationes civiles validæ

Digitized by Google

lidæ ſunt, etiam ſine cauſſa factæ: quia ſic leges decreviſſe ſcimus ad lites, & diſſidia vitanda. Nullibi vero nobis conſtat Deum facultatem impertiiſſe relaxandi vota ſine cauſſa; ſed oppoſitum immo ratio, & Doctores ſuadent. Ad ſecundum negatur conſequentia: quia, dum adeſt cauſſa commutandi, & poteſtas in Prælato, concurrunt omnia ad valorem commutationis requiſita. Si vero Prælatus plus iuſto deficiat in ſubrogatione materiæ, delinquit contra æquitatem; quod non officit valori actus. Verum, dum cauſſa deficit, poteſtas quoque deeſt: quia conceſſa a Deo eſt, ut in ædificationem exerceatur; quod tunc contingit, cum rationabilis cauſſa commutandi occurrit.

XX. Ex his colligitur, potiori iure nullam eſſe voti commutationem in minus bonum factam propria auctoritate, ſeu ab eo qui caret iuriſdictione, ut ex dictis conſtare poteſt. Nec ſatis ſibi conſtat Sanchez, dum *cap.* 11. *num.* 11. contendit non eſſe omnino irritam commutationem præfatam: quoniam capitibus præcedentibus nullam aſſeruit voti commutationem factam ſine legitima poteſtate in bonum æquale, nedum in bonum minus. Quare qui votum commutaret in minus bonum, prius votum implere deberet.

XXI. Quæſt. VI. *Quodnam peccatum committat Prælatus abſque cauſſa legitima votum commutans in minus, aut æquale bonum?* Reſp. Suarez *Lib. VI. cap.* XIX. *num.* 14. docet, Prælatum hunc graviter peccare, eo quod abutatur poteſtate ſibi tradita. Idemque potiori iure adfirmat de eo qui propria auctoritate votum in æquale bonum commutaret, niſi ignorantia excuſaret a culpa. Verum, quando non eſſet notabilis diminutio ex parte materiæ ſubrogatæ, ſed æqualitas moralis ſalva conſiſteret, non auderem peccati mortalis damnare Prælatum. Peccaret equidem, quia abuteretur aliquo modo poteſtate ſibi conceſſa. At difficile in praxi eſt tantam reperiri malitiam in commutatione voti, æquali materia ſubrogata, ut mortalis noxæ reus evadat Prælatus commutans: tum quia difficile eſt nullam occurrere cauſſam talis commutationis; tum quia ignorantia illius culpam facile diminuere poteſt. Commutabit namque perſuaſus opinione probabili, quæ licet eum non excuſet omnino, culpam tamen eius extenuat. Sanchez *loc. cit. cap.* 11. *num.* 16. ſuſtinet, voventem quoque qui propria auctoritate commutat votum in rem æqualem, non excedere limites culpæ venialis, eo quod ſit infidelitas modica. Sed ego ſubſcribere huic opinioni detrecto. Quandoquidem vovens ille uſurparet ſibi auctoritatem in re gravi, qualis eſt commutatio votorum. Quamvis etenim haberetur æqualitas in permutatione materiæ, foret tamen læſio iuris in uſurpatione poteſtatis; quæ, ut mihi videtur, levis dici minime valet.

XXII. Quæſt. VII. *An præſumenda ſit diſpenſatio permixta commutationi, cum commutatio apparet illegitima, utpote manifeſte in rem minorem?* Reſp. Volunt nonnulli, præſumendam tunc eſſe diſpenſationem, quando vir doctus votum commu-

tat : quia præſumitur , virum doctum non ignorare rem adeo claram . Si autem non conſtet de ſcientia commutantis , ut non raro evenit ; tunc ſubdunt, commutationem illegitimam habendam eſſe, potiſſimum ſi certum habeatur , Confeſſarium permutare vota vi bullæ, aut iubilæi, quibus ſola commutandi , non diſpenſandi facultas conceditur. Si non expreſſit, cuius facultate commutaverit, nec cauſſam commutandi poſtulaverit ; illegitima præſumenda commutatio eſt : quia, ſi diſpenſaſſet, cauſſam requiſiviſſet. Contra, ſi cauſſam examinavit , & commutans erat Confeſſarius ex Regularibus fruentibus privilegiis, præſumenda eſt diſpenſatio admixta commutationi. Si denique, omnibus expenſis, dubia res maneat, poſſeſſio ſtat pro priori voto. Sic docet Sanchez *loc. cit. num.* 17. Quæ omnia nobis non probantur . Quod de Confeſſoribus regularibus aſſeritur , iam ſupra demonſtratum eſt , eoſdem minime frui privilegio diſpenſandi in votis . Confirmamus vero votum primum ſervandum eſſe , cum de valore commutationis dubitatio occurrit.

CAPUT XVI.

De commutatione votorum vi iubilæi, aut bullæ cruciatæ.

I. QUamvis bulla cruciatæ, ut vocatur, in pluribus regnis minime obtineat; quia nihilominus eædem fere de illa ac de iubilæo occurrunt difficultates enucleandæ, idcirco inquirentes nos, quid in votorum commutatione poſſint Confeſſarii vi iubilæi , bullæ quoque cruciatæ meminimus , de qua tamen non niſi oblique verba faciemus . Clauſula quæ in bulla iubilæi continetur pro votorum commutatione, hæc eſt : *Ac vota quæcumque ab eis emiſſa (caſtitatis , & Religionis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare.* Facultas vero quæ in bulla cruciatæ conceditur, eiuſmodi eſt : *Et illis vota omnia (ultramarino , caſtitatis , & Religionis dumtaxat exceptis) in aliquod ſubſidium huius expeditionis per eumdem Confeſſorem commutari poſſint .* Ut ex diverſitate utriuſque clauſulæ patet , amplior eſt facultas conceſſa in iubilæo quam in bulla cruciatæ . Nam in hac, præter vota caſtitatis, & Religionis , excipitur inſuper votum peregrinationis ultramarinæ . In iubilæo vero facultas conceditur commutandi vota triplicis peregrinationis, Hieroſolymitanæ, Romanæ, & Compoſtellanæ . In bulla quoque reſtringitur facultas commutandi vota in aliquod ſubſidium ad ſacrum bellum peragendum ; quæ coarctatio deeſt in iubilæo, vi cuius fieri commutatio poteſt in quæcumque pietatis opera.

II. Vota caſtitatis, & Religionis, quæ excipiuntur tum in bulla, tum in iubilæo, ſunt

ſunt vota perfecta, & abſoluta, ut ſupra dictum eſt. Quare non intelliguntur reſervata vota non nubendi, non fornicandi, caſtitatis coniugalis, caſtitatis ad tempus limitatum; nec vota dolo, metu, aut errore edita. Omnia ſimilia vota vi bullæ, aut iubilæi commutari poſſunt, ſive edita fuerint ante promulgationem iubilæi, ſive poſt, ſive etiam facta ſpe obtinendæ commutationis per iubilæum, ut communiter Auctores docent.

III. Quæſt. I. *An hæc commutatio fieri debeat intra, aut extra Confeſſionem?* Reſp. Quicumque facultatem vota commutandi habent ſive vi bullæ cruciatæ, ſive iubilæi, ſive privilegiorum, valent tam intra, quam extra confeſſionem commutationis beneficium largiri. Et ratio clara eſt: quoniam privilegia quæ commutandi facultatem impertiuntur, eam non illigant confeſſioni ſacramentali. Cur ergo limitari a nobis debet talis facultas pro ſola confeſſione præfata? Non eſt ergo neceſſe ut Confeſſarius audiat voventis confeſſionem, ut poſſit licite, & valide vota commutare. Opinio communis eſt.

IV. Quæſt. II. *An vi iubilæi, vel bullæ fieri in minus commutatio poſſit?* Reſp. Adfirmant non pauci, eo quod privilegium aliquid operari debet. Nihil autem efficeret, niſi prior obligatio in minorem mutari poſſet: quia in æquale quiſque auctoritate propria ſuum commutare votum poteſt. Ex iis quæ ſupra dicta ſunt, conſtat falſam hanc eſſe opinionem. Privilegium operatur ut fiat commutatio in æquale moraliter bonum; quod propria auctoritate nemo efficere valet. Ceterum privilegium non impartitur facultatem iniuſtam efficiendi commutationem, quæ ſuapte natura æqualitatem poſtulat. Eſſet autem iniuſta, ſi in minus bonum fieret.

V. Quæſt. III. *An vi iubilæi, vel bullæ poſſint commutari vota Religionis, & caſtitatis neceſſitate urgente?* Reſp. De hac quoque difficultate ſuperius diſputatum eſt. Ii qui ſuſtinent, poſſe Regulares vi privilegiorum diſpenſare, quemadmodum valet Epiſcopus, in voto caſtitatis, urgente neceſſitate, defendunt etiam id eos poſſe vi iubilæi, aut bullæ. Hanc ſententiam nos improbavimus, & nunc quoque reiicimus, negantes, etiam neceſſitate premente, poſſe vi iubilæi vota reſervata caſtitatis, vel Religionis commutari.

VI. Quæſt. IV. *An votum, ſive iuramentum erogandi eleemoſynam Eccleſiæ, aut pauperi determinatò, poſſit poſt illius acceptationem commutari virtute iubilæi, aut bullæ cruciatæ?* Reſp. Leander *tract.* I. *diſp.* XVIII. *quæſt.* XXI. Trullenchus *Lib. I. in Bull.* §. 7. *cap.* III. *dub.* 8. Tamburinus *Lib. II. in Decal. cap.* XVI. §. 5. *num.* 5. docent, eſſe probabile id fieri poſſe: quia omnia vota Deo, tamquam fini præcipuo, nuncupantur; ad pauperem vero, vel Eccleſiam diriguntur, ceu in finem minus principalem, & ſecundarium. Ergo, ſicut votum in ſolum Deum directum poteſt propria voluntate in melius commutari, ita poterit commutari votum quod

Digitized by Google

cedit in maiorem aut pauperis, aut Eccleſiæ utilitatem. Hanc vero opinionem ut improbabilem nos reiicimus: quoniam pauper, vel Eccleſia poſt acceptationem promiſſionis, voto, aut iuramento firmatæ, ius acquirit in rem promiſſam. Porro nullum privilegium impertiens facultatem commutandi vota, poteſtatem ſimul impertit lædendi iuſtitiam, ſeu ius tertii. Antequam votum acceptetur, votum commutari poteſt, quia nondum pauper ius habet in bona promiſſa. Sed acceptatione ſecuta, nullo modo abſque illius conſenſu promiſſio data infringi poteſt. Et eſt opinio communis, ac vera.

VII. Quæſt. V. *An qui ſemel lucratus eſt iubilæum, poſſit poſt illud commutationem votorum obtinere?* Reſp. In bulla cruciatæ expreſſe definitur, quod *anno durante* gratiæ in eadem conceſſæ obtineri poſſint, ſecus eo tranſacto. In iubilæo res definita non eſt. Ideo qui illud lucratus eſt, ſi vota commutari ſibi non fecit, quia illorum fortaſſe eſt oblitus, poterit illo elapſo commutationem conſequi, ſicut poteſt a caſibus reſervatis abſolutionem obtinere, etiam tranſacto iubilæo, quod tempore debito lucratus eſt, ut docent Sanchez *Lib. IV. cap.* xlv. *num.* 36. Leander *tract.* v. *diſp.* xiv. *quæſt.* xcviii. Henriquez *Lib. VII. de indulgent. cap.* xi. *num.* 14. Salmanticenſes *tract.* xvii. *cap.* iii. *punct.* 17. *num.* 157. ubi volunt, poſſe voventem qui etiam data opera, & ſciens omiſit impetrare votorum commutationem, tranſacto iubilæo, eamdem obtinere commutationem. Hoc mihi difficile videtur: qui enim deliberato animo contemnit recipere favores, & beneficia quæ definito tempore Princeps elargitur, dignus minime eſt ut pro libito eadem accipiat. Sed hæc vix reipſa occurrunt.

VIII. Quæſt. VI. *Si quis principio hebdomadæ publicati iubilæi commutari ſibi vota curaverit, animo lucrandi iubilæum, ſed poſtea aut negligentia, aut oblivione opera pro ſuſcipiendo iubilæo neceſſaria omiſerit, atque adeo illud minime adeptus fuerit; conſiſtit ne talis commutatio?* Reſp. Si quis bona fide votorum commutationem obtinuiſſet abſolutam, & ab omni conditione præciſam, eam validam reputarem. Nihil ſiquidem deprehendere valeo quod eius valori obſit: ea quippe extra confeſſionem fieri poteſt ab eo qui auctoritatem habet. In vovente quoque diſpoſitio animi parati ad lucrandum iubilæum fuiſſe ſupponitur. Extincta ergo fuit prior obligatio. Obligatio autem ſemel extincta numquam reviviſcit. Si vero commutatio illigata fuiſſet piorum operum executioni, quæ neceſſaria ſunt ad aſſequendum iubilæum; planum eſſet quod commutatio nulla fuiſſet, quia utpote conditionata, effectum ſuum habere non poterat, niſi conditione impleta. Ita Suarez *Lib. VI. cap.* xv. *num.* 9. Sanchez *Lib. IV. cap.* liv. *num.* 99. Salmanticenſes *tract.* xvii. *cap.* iii. *punct.* 17. *num.* 158. aliique. Addunt Sanchez, Diana, Trullenchus, & Bonacina, ut referunt præfati Salmanticenſes, non peccare mortaliter eum qui bona fide votorum commutationem obtinuit animo lucrandi iubilæum, etiam ſi dein-

ceps

ceps opera deliberato animo negligat neceſſaria ad illud conſequendum : quod mihi haudquaquam probatur. Siquidem nullo modo præſumi poteſt Pontificem velle beneficia vi iubilæi impertiri illis qui voluntarie iubilæum iſtud contemnunt accipere. Quapropter ruit fundamentum Salmanticenſium Patrum ſcribentium, non conſtare, Pontificis mentem eſſe ad hoc obligare. Immo addimus nos, cuique ſecundum leges prudentiæ iudicanti perſpectum eſſe, mentem Pontificis eſſe denegare ſua beneficia iis omnibus qui eadem contemnunt.

IX. Quæſt. VII. *Peccat ne Confeſſarius qui poſtulatus renuit tempore iubilæi vota commutare?* Reſp. Si iuſta cauſſa denegandi commutationem adſit, nullam perpetrabit culpam ; ſi abſque cauſſa commutare vota poſtulanti recuſet, peccat plus minuſve pro circumſtantiarum varietate.

X. Plura alia quæ diſputanda hac de re occurrerent, ad tractatum de iubilæo diſcutienda, & reſolvenda remittimus.

CAPUT XVI.

De regreſſu ad priorem materiam poſt voti commutationem factam, & acceptatam a vovente.

I. QUæſt. I. *An quando votum commutatur in aliam materiam, extinguatur prior obligatio?* Reſp. Convenit inter Theologos, in hoc differre commutationem a diſpenſatione, quod in hac vinculum voti omnino ſolvatur ; in illa vero tantummodo mutetur, ut conceptis verbis tradit Angelicus in IV. diſt. xxxvii. quæſt. 1. art. 4. quæſtiunc. 3. *Quando votum commutatur, vovens abſolvitur ab uno, & ligatur ad aliud; ſed quando in voto diſpenſatur, ſimpliciter a voto abſolvitur, ſine hoc quod ad aliud ligetur.* Extincta vero obligatione præſtandi primam materiam voto promiſſam, conſurgit altera eiuſdem generis obligatio, quæ nempe ſub voti, & religionis vinculo aſtringit voventem ad ſolvendum penſum ſubrogatum.

II. Quæſt. II. *An facta voti commutatione, teneatur vovens exequi priorem materiam, ſi materia ſubſtituta facta ſit impoſſibilis, vel ipſe ſua culpa eam præſtare omiſerit?* Reſp. Certum eſt voventem contra votum peccare, ſi materiam, ſeu onus ſubrogatum deliberate exequi negligat. V. g. voviſti eleemoſynam : hæc in ieiunium tibi commutata fuit tali hebdomada exequendum. Hoc tua culpa omiſiſti, aut ob infirmitatem obſervantia reddita eſt impoſſibilis. Quantum ad primam quæſiti partem, communis opinio eſt, te non teneri ad implendam rem prius promiſſam : quia per commutationem extincta eſt illa obligatio. Res autem extincta non reviviſcit. Teneris vero onus ſubſtitutum implere, etiam elapſo tempore defini-

finito: quia non fuit illigatum tali tempori ob aliquam eiuſdem temporis circumſtantiam, ſed tamquam termino congruo ſolutionis, non tamquam termino finiendæ obligationis.

III. Advertunt communiter Auctores, non reviviſcere priſtinam obligationem, quando commutatio facta fuit legitima Prælati, ſeu iuriſdictionem habentis, auctoritate; ſecus, dum commutatio facta fuit propria voventis auctoritate: tunc enim, ſi materia per ſemetipſum ſubrogata impoſſibilis quocumque modo facta ſit, tenetur vovens priorem implere obligationem.

IV. Quæſt. III. *Facta voti commutatione, & a vovente acceptata, liberum ne illi eſt ad priorem redire materiam?* Reſp. Quædam certa ſunt in hac quæſtione, & quædam contentioſa. Si commutatio facta ſit in minorem obligationem, admixta diſpenſatione; dubio procul ad priſtinam regredi materiam vovens licite valet, relicta materia ſubſtituta: quia nemo cogitur privilegio uti diſpenſationis ſibi faventis; ſed quod melius eſt, amplecti ſemper poteſt. Idem tamquam certum ſtatuunt Salmanticenſes de commutatione facta in æquale: quia commutatio eſt in favorem voventis, cui favori, & beneficio perſonali renunciare pro libito poteſt.

V. Diſputant vero Auctores, an liber ſit regreſſus ad priorem materiam, quando commutatio legitima auctoritate facta ſit ſive in æquale, ſive in melius. Adfirmant Sanchez *Lib. IV. cap.* lv. *num.* 26. Leander *tract.* I. *diſp.* XVIII. *quæſt.* XXIV. Caſtropalaus *tractat.* XV. *diſp.* II. *punct.* 18. *num.* 10. Leſſius *Lib. II. cap.* xl. *dub.* 16. *num.* III. Azorius *Lib. XI. cap.* XVIII. *quæſt.* X. Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* II. *punct.* 7. *§.* 3. *num.* 20. Laymanus *Lib. IV. tract.* IV. *cap.* VIII. *num.* 27. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* III. *punct.* 18. *num.* 169. aliique. Siquidem commutatio, quocumque modo fiat, in favorem, & beneficium voventis fit. Sed unuſquiſque renuntiare poteſt proprio favori, ut colligitur ex *cap.* Statuimus *de regul. iur.* Accedit quod commutatio ſit cum tacita hac conditione, ut vovens impleat quod ſibi fuerit ſubſtitutum, niſi malit votum prius factum implere. Tandem benignitas Dei in hoc potiſſimum ſplendet, ut voventes percipiant, mitius cum Deo quam cum hominibus agi. Ex quo inferunt, poſſe voventem, quoties ſibi placuerit, redire ad priſtinam materiam, omiſſa ſubrogata; & contra reſpuere priſtinam, quam, relicta ſubſtituta, iterum elegerat, & redire ad ſubſtitutam.

VI. Altera ſententia, cui ſubſcribo, negat voventem poſt commutationem factam in melius, & acceptatam, poſſe ad priſtinam redire materiam. Quoniam, licet commutatio ſit in favorem voventis, quod omnes concedunt; hinc tamen haudquaquam conſequitur poſſe voventem ſemper, & quacumque circumſtantia inſpecta, redire ad priorem obligationem. Ut commutatio dicatur, & ſit in voventis favorem, ſatis eſt quod reſcindat prioris vinculi obligationem, & alterum

onus

Digitized by Google

onus ſubſtituat. Hic eſt unicus commutationis favor. Anne, quia commutatio favet voventi, licitum eſt levem pro gravi materia ſubſtituere? Immo omnes fatentur, æqualitatem moralem ſervandam eſſe. Favor ergo commutationis eo unice ſpectat ut prior obligatio reſcindatur, & altera ſubſtituatur. Quoties vero ſuperior, dum votum commutat, imponit aliquam meliorem materiam, id præſtat, ut compenſet reſciſſionem prioris obligationis, qua valde premebatur vovens; onuſque levius exiſtimavit materiam ſubſtitutam, licet abſolute meliorem, implere quam exequi priſtinam. Nec enim exiſtimandum eſt, ſuperiorem pro arbitrio votum in melius commutare; ſed ideo id quandoque facit, ut libertatem compenſet quam donavit voventi, illum a priori obligatione eximendo. Commutatio quippe contractus quidam eſt, in quo æqualitas, quoad fieri moraliter poteſt, ſervanda eſt, Quando ergo vovens in hoc contractu acceptavit onus ſubſtitutum, vinculo religionis ſe adſtrinxit ad illud implendum. Maior materiæ ſubſtitutæ valor in obligationem voti tranſiit; & hanc obligationem libere vovens acceptavit. Nequit ergo ad priſtinam minorem obligationem redire. Quandoquidem iam vovens beneficium commutationis ſenſit ob ſolutionem prioris vinculi: quod beneficium eo in pretio commutatori habitum fuit, ut iudicaverit æquum fuiſſe aliquid melioris materiæ voventi imponere ad priorem obligationem æquandam. Ergo ab hoc ſolvendo onere nequit vovens licite reſilire. Accedit quod dum commutatio fit in favorem voventis, ſimul etiam peragitur in maiorem Dei cultum. Ergo, ſi vovens fruitur beneficio libertatis a priori vinculo, æquum eſt ut cultus quoque divinus eluceat per excellentiorem materiam ei offerendam. Tandem confirmatur exemplo quorumcumque civilium contractuum. Contractu inito Petrum inter & Paulum ſuper vaſe argenteo Petro donando, fit commutatio petita a Paulo, & vas argenteum in aureum commutatur, Petro, cui ſolvendum eſt, conſentiente, & Paulo, qui ſolvere debet, acceptante: licitum ne Paulo eſset reſilire ab hoc ſecundo contractu, & ad primum reverti, inconſulto Petro? Si id ageret, nonne iuſtitiam læderet? Quod ſi iniuſtum hoc eſt in humanis permutationibus; quidni & in divinis? Hanc ſententiam defendunt Suarez *Lib. VI. cap.* xx. *num.* 1. *&* 4. Raphael de la Torre 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 12. *diſp.* v. *num.* 12. Filliucius *tract.* xxvi. *cap.* x. *num.* 288. Reginaldus *Lib. X. cap.* 1. *num.* 362. Caſtropalaus vero *tract.* xv. *diſp.* 11. *punct.* 18. *num.* 9. & Prado *cap.* xxxi. *quæſt.* xv. *num.* 104. ſatis probabilem eam exiſtimant. Contrariæ opinionis argumenta ſoluta remanent ex probatione noſtræ ſententiæ. Nam commutatio quantum ad aliqua eſt in favorem voventis, ſecus quantum ad omnia: eſt enim in favorem ſimul divini cultus. Si autem in quocumque caſu ſemper licitum eſset voventi recedere a commutatione facta, & ad priorem redire; item priorem obligationem ſuſceptam relinquere, & ad materiam ſubrogatam denuo regredi; tunc certe commu-

mutatio eſset in ſolam voventis utilitatem. Verum, cum commutatio contractus quidam ſit, in utilitatem, & favorem utriuſque partis cedere debet. Quod ſubdunt, commutationem fieri ſub conditione, gratis aſseritur, & eſt contra naturam contractus permutationis. Denique benignitas Dei in hoc ſummopere elucet quod ob quamcumque congruam cauſsam remitti priorem obligationem, aliamque ſubſtitui patiatur.

VII. Hucuſque diſputatum eſt de voti commutatione in melius; nunc pauca addimus de commutatione voti in bonum æquale. Quæ dicta ſunt in favorem ſententiæ negantis licitum eſse regreſsum ad priorem materiam, quando commutatio eſt in melius, evincunt quoque licitum non eſse hunc regreſsum, quando commutatio eſt in æquale. Siquidem etiam, quando commutatio eſt in æquale, facta fuit ex conſenſu utriuſque partis, & voventis poſtulantis commutationem; & ſuperioris loco Dei conſentientis, ac permutantis. Ergo regreſsus ad primum contractum, ſeu votum, licitus minime eſt, Dei miniſtro inconſulto. In hanc ſententiam concedit perdoctus Petrus Paſſerinus *quæſt.* clxxxvii. *art.* i. *num.* 772. ubi, ſententiæ utriuſque relatis fundamentis, rationes pro contraria opinione allatas, tamquam infirmas, reiicit; quæ, ut verum fatear, tales mihi quoque videntur. Nam, ut omnia breviter complectamur, permutatio voti naturam voti non tollit; ſed permanet votum cum ſola materiæ diverſitate; & vovens vi voti tenetur implere obligationem ſibi impoſitam a commutante. Atqui, etiam ſecundum plures Auctores contrariæ opinionis, maxime Sanchez, Salmanticenſes, alioſque, vovens non poteſt propria auctoritate commutare ſuum votum in materiam æqualem. Ergo fateantur neceſſe eſt, illicitum quoque eſſe regreſſum voventis ad priorem materiam. Quoniam tunc propria auctoritate commutaret votum. Prior ſiquidem obligatio voti extincta eſt, atque nullo modo reviviſcit, quemadmodum fatentur omnes adverſarii: etenim ſi materia ſubrogata evadat impoſſibilis, non tenetur vovens priorem obligationem exequi. Dum ergo ad priorem materiam reverteretur, novam ſibi vovens auctoritate propria obligationem imponeret. Hæc obligatio eſt obligatio voti. Ergo vovens propria auctoritate commutaret ſuum votum in æqualem materiam: quod fieri poſſe, adverſarii ipſi renuunt concedere.

C A-

CAPUT XVII.

Regulæ ſervandæ in votorum commutatione.

I. QUamquam nulla certa, & præciſa regula commutandorum votorum afferri poteſt; nihilo tamen ſecius quædam aſſignari regulæ ſolent generales, quæ vi prudentiæ Superioris commutantis vota, moderari, & applicari debent, inſpectis circumſtantiis loci, temporis, & perſonarum. Licet enim non oſtendant præciſam commutationis faciendæ menſuram, magnopere tamen deſervient commutanti, ut in praxi proximius limites prudentis æqualitatis attingat.

II. *Regula prima*. In voti commutatione ſola materia voto promiſſa ſpectanda eſt, nulla habita vinculi ratione. In diſpenſatione & materia promiſſa, & vinculum promiſſionis conſideratur, quia utrumque per eam tollitur; ſecus vero in commutatione, in qua vinculum remanet, ſeu aliud eiuſdem naturæ ſubrogatur. Secundum hanc communem regulam in commutatione voti vitandi alicuius peccati non eſt neceſſaria impoſitio gravis materiæ: quippe vinculum præcepti non aufertur, nec vinculum voti; ſed transfertur in materiam ſubſtitutam. Itaque in voto vitandi fornicationem, ſpectanda eſt vis voti ad removendum voventem a lapſu in tale peccatum. Hic enim proximus eſt iſtius voti finis. Si deprehendatur votum iſtud magnam habere efficacitatem ad ſubducendum voventem a lapſu in tale peccatum, ita ut ſine voto frequenter vovens labatur in fornicationis flagitium, raro autem voti vinculo obſtrictus; tunc votum ſummopere cederet in divinum cultum, & voventis utilitatem: quapropter commutandum eſſet in materiam gravem, quæ pari polleret, iuxta prudentem exiſtimationem, efficacia ad arcendum voventem a crimine fornicationis. Hanc porro materiam ſubſtituendam, gravem, efficacemque ad præfatum finem, communiter reputant Auctores confeſſionem perpetuam in ſingulos menſes. Si contra, votum nihil, aut parum conferret in finem præcipuum liberandi voventem a peccato; ſed potius vovens ſacrilegia multiplicaret frequenti criminum perpetratione; tunc materia valde levis in commutatione ſubſtituenda eſſet, qualis foret recitatio officii B. Virginis, aut illius Roſarii ſemel in hebdomada per quinquennium, plus minuſve, variis circumſtantiis inſpectis.

III. *Secunda regula*. Maior, aut minor materiæ dignitas repetenda haudquaquam eſt ab excellentia ſolius virtutis cuius fructus eſt; ſed inſpiciendæ circumſtantiæ ſunt, & potiſſimum voventis utilitas, loci, temporiſque conditio. Ad reprimendam carnis rebellionem voviſti ieiunium, ad temperandam avaritiæ ſitim eleemoſynam. In commutatione facienda non recte ſubrogaretur ieiunio, quod eſt

eſt actus abſtinentiæ, oratio, quæ eſt actus religionis, virtutis licet excellentioris ipſa pœnitentia; nec eleemoſynæ prudenter ſubſtitueretur actus internus caritatis, aut oratio mentalis: quia eiuſmodi exercitia parum conducunt ad finem præſtitutum ſibi a vovente in ſuis votis. Nec tamen ſemper ſubſtituenda eſt materia eiuſdem generis; ut, ſi prior voti materia fuit opus pœnitentiæ, neceſſario ſubroganda ſint opera laborioſa pœnitentiæ; ſed illuc commutans ſpectare principaliter debet, ut utilitas ſpiritualis voventis, & divinum obſequium ſalva ſint, & integra, quoad fieri poteſt. Sacramentorum frequentia eſt bonum univerſale, quod ſolet æquare quamcumque alterius materiæ efficacitatem ad liberandos voventes a criminum perpetratione. Adverſus vero avaritiam eleemoſyna prævalida eſt; ſed circumſtantiæ ſemper ſunt attendendæ.

IV. *Tertia regula*. In quolibet voto præ oculis potiſſimum finis qualitas, ſive dignitas habenda eſt. Finis enim quem vovens ſibi præſtituit, materiam voto ſubiectam quodammodo erigit, pretioſioremque conſtituit. Votum abſtinendi a ludo, ut periuria, & blaſphemiæ vitentur, nobilius ac præſtantius multo eſt ob talem finem, quam ſi editum fuiſſet, ne pecuniæ prodigerentur. Finis ergo voventis accurate perpendendus eſt in commutatione, ut poſſit ſubrogari materia quæ aptior ſit ad eum aſſequendum. Et, quo nobilior finis eſt, eo gravior, digniorque ſubſtituenda materia requiritur.

V. *Quarta regula*. Exequendi voti difficultas etiam conſideranda eſt, eo quod difficultas huiuſmodi meritum auget. Si votum ieiunii commutandum ſit pauperi in eleemoſynam, minor quantitas eſt illi imponenda quam ſi votum diviti hoc pacto commutaretur: quia Deo acceptior eſt parva pauperis oblatio quam magna divitum dona, dummodo cetera ſint paria. Vires quoque voventium inſpiciendæ ſunt. Plura ieiunia imponenda ſunt otioſis, robuſtis, helluonibus quam debilibus, & operariis hominibus laborioſam vitam ducentibus. Hac ratione in votis peregrinationum examinandæ ſunt expenſæ, moleſtiæque itinerum, ut congrua materia, quæ hæc omnia moraliter æquet, ſubſtitui poſſit; quemadmodum communiter Auctores docent, quos citat Sanchez *Lib. IV. cap.* LVI. *num.* II. *& ſeq.* ubi etiam animadvertit in ſupputatione expenſarum attendendum eſſe ſtatum, & conditionem voventis: quia res æſtimandæ ſunt, prout moraliter contingere ſolent. Et quia communiter divites pedites itinera non arripiunt, plus multo expendere ſolent quam pauperes; idcirco computandæ ſunt expenſæ peregrinationis per reſpectum ad eorum ſtatum & dignitatem: quod etiam Suarez cum aliis docet. Nec ſolæ itus, ſed reditus etiam expenſæ computandæ ſunt, ut colligitur ex *cap.* Magnæ *de voto*, ubi expenſæ ſupputantur in commutatione voti Hieroſolymitanæ peregrinationis. *Expenſas quas fueras eundo, morando, & redeundo facturus*, inquit Pontifex ſummus. Si vovens tamen deliberaſſet domicilium

Digitized by Google

cilium figere in termino ſuæ peregrinationis, tunc reditus expenſæ computandæ minime forent. Quando autem ſacrarium, aut imago, cuius viſitationem quis vovit, propinquior, aut remotior poſt editum votum evadit, vel quia vovens domicilium mutavit, vel quia translata imago proximior voventi facta eſt; tunc conſiderandum eſt, quonam ex loco votum obliget. Si voti executio peragenda erat ex loco ubi votum nuncupatum fuit, in computatione expenſarum eiuſdem loci ratio habenda eſt. Contra vero, ſi votum ſolum ex loco propinquiori obliget. Denique itineris pericula, & damna quæ paterentur res domeſticæ ex voventis abſentia, ac expenſæ commorationis in loco peregrinationis, temporiſque ſpatium, quod fuiſſet in peregrinatione inſumendum, haberi præ oculis debent. In his omnibus ſicut nimia moroſitas declinanda eſt, ita quoque ſupina oſcitantia vitari debet, & ad prudentis œconomiæ leges omnia ſunt revocanda, ut communiter Auctores docent, potiſſimum Suarez.

VI. *Quinta regula*. Neceſſe haud eſt ut votum perſonale in perſonale, & reale in reale commutetur; quamquam id congruum, & expediens ſit, dum commode poteſt commutator talem ſervare regulam. Hoc colligitur ex *cap.* 11. *de voto*, ubi votum peregrinationis Hieroſolymitanæ, quod eſt perſonale, in votum eleemoſynæ, quod eſt reale, commutatum legitur. Ratio quoque clara eſt. Quippe in votorum commutationibus cultus Dei, & ſpiritualis voventis utilitas conſideranda ſunt. Hæc autem duo æque reperiri poſſunt in actionibus perſonalibus, ac realibus. Non eſt ergo attendenda æqualitas mathematica, ſed moralis: quæ prout magis vel minus promovet divinum cultum, magis aut minus apta eſt ad conſtituendam æqualitatem cum priori materia.

VII. *Sexta regula*. In votorum conditionalium commutatione conſiderandum eſt quam contingens ſit eventus conditionis, dum votum conditioni illigatum commutandum eſt in abſolutum. Voviſti e. g. erogare decem aureos in eleemoſynam, ſi navis ſalva pervenerit ad portum. Petis ante adventum navis, votum commutari in abſolutum. Prout magis vel minus probabilis eſt adventus navis in portum, poterit augeri, vel minui quantitas eleemoſynæ. Si dubius ſit adventus, decem in quinque; ſi valde probabilis, in ſeptem circiter commutare poterit; ſicuti fit in contractu aſſecurationis, in quo maius exigitur pretium, prout magis incertus eſt eventus. Voviſti Religionem, ſi pater incolumis ex infirmitate evaſerit. Petis commutari votum, antequam pater ſanus fiat. Tunc commutandum eſt in maius, aut minus onus, ſecundum quod maius, aut minus eſt paternæ vitæ periculum. Si votum conditionale commutetur in aliud conditionatum, & conditiones ſint æque dubiæ; in æqualem materiam commutatio facienda eſt. Si vero magis certa conditio adiiciatur; materia quæ ſubſtitui debet, minuenda eſt. Si commutatio fiat, conditione impleta; tunc commutatio fieri

debet

debet in æqualem materiam : quia votum abſolutum in aliud abſolutum commutatur. Idem dicendum eſt de voto pœnali, ſi commutandum ſit poſt pœnam contractam : tunc enim votum evaſit abſolutum, atque adeo regulæ commutationis voti abſoluti ſervandæ ſunt. Quando autem votum commutandum eſt, pœna nondum contracta ; tunc conſideranda eſt non ſolum materia, ſed etiam pœna. Qui plura de hoc cupit, conſulat Sanchez *loc. cit.* nec enim tanti momenti ſunt, ut fuſiorem requirant ſermonem.

VIII. *Ultima regula*. In qualibet votorum commutatione ſemper ſpectanda, & ponderanda eſt voventis fragilitas, cavendumque ne multum gravetur, aut periculo tranſgrediendæ novæ obligationis expoſitus maneat. Facillime eſt indulgendum, ut commutatio in ea opera fiat quæ eidem faciliora evadunt. Ut, ſi ſolitus vovens ſit ieiunare, preces fundere, ſacram lectionem frequentare &c. in eiuſmodi opera vota commutari poſſunt, ceteris tamen circumſtantiis ſpectatis. Quandoque optio exhibenda voventi eſt, ut ea ſibi ſeligat onera quæ minus ſibi gravia videntur. Frequentia ſacramentorum eſt ſanctum illud opus in quod plurima vota commutari poſſunt. Cui namque hæc non prodeſt frequentia moderata, v. g. ſemel in menſem, ſummopere de eo eſt pertimeſcendum.

IX. Exempla quædam votorum commutatorum ſubiicio ex iure, optimiſque Auctoribus eruta. *Cap.* Venientis *de voto*, commutatur votum Hieroſolymitanum editum a quodam puero, cum quo diſpenſandi cauſſa iuſta erat, in votum eleemoſynæ, qua toto vitæ curriculo uni pauperi provideret. Et *cap.* Magnæ, *eodem titulo*, votum talis peregrinationis ab Epiſcopo factum commutatur in hoc ut expenſas acceſſus, & receſſus illuc mittat ; itineris vero incommoda, & labores vigiliis, ac frequentibus ieiuniis compenſet.

X. In peregrinatione communiter Auctores conſiderant, utrum iter pedeſtre ſit, nec ne. Si vovens pedeſter peragere debeat peregrinationem ; laborem unius diei itineris pedeſtris in unius diei ieiunium recte commutari poſſe decernunt, & duorum dierum in duo ieiunia &c. Si iter pedeſtre non fuerit, ſed equeſtre, laborem quatuor dierum in unius diei ieiunium optime permutandum eſſe conſtituunt.

XI. Animadvertit Medina *Lib. I. Sum. cap.* XIV. *ſ. 7. reg. 3.* quod qui commutare deberet votum ingrediendi Religionem Dominicanam, perpendere deberet onera ſubeunda a vovente, nempe quotidianam officii canonici recitationem, ieiunia ſeptem menſium in annos ſingulos, perpetuam a carnibus abſtinentiam, induſia lanea ad carnes ſemper deferenda. Porro infert, hoc votum commutandum eſſe in hæc onera, ut ſcilicet vovens ieiunet toto tempore vitæ ſuæ ſingulis ſextis feriis, de quindena in quindenam, ſacra exomologeſi præmiſſa, ſacram ſumat Euchariſtiam, quotidie pſalmos recitet pœnitentiæ, & eleemoſynam iuxta ſuam

fa-

Digitized by Google

facultatem eroget. Adderem ipſe veſtitum modeſtum cum in colore, tum in ornamentis aureis, vel argenteis non adhibendis. Votum ſimplex caſtitatis non poſſe pura commutatione tolli, docet Sotus *Lib. VII. de iuſt. quæſt.* IV. *art.* 3. iuxta illud Prov. XVI. *Omnis ponderatio non eſt digna continentis animæ*. Propterea ſubdit aliquid diſpenſationis neceſſario permiſcendum eſſe.

XII. Votum non ineundi matrimonium commutare ſolent in confeſſionem ſingulis menſibus peragendam per biennium, aut triennium. Adderem aliquam eleemoſynam erogandam puellæ pauperi quæ religioſum ſtatum amplecti vellet.

XIII. Votum ſacerdotii ſuſcipiendi commutandum eſſe communiter dicunt in quotidianam pſalmorum pœnitentiæ cum litaniis, vel officii B. Virginis, vel Roſarii recitationem, in confeſſionem, & communionem in quindenas ſingulas, in votum caſtitatis ſervandæ in ſæculo, & in obligationem conferendi ſingulis menſibus eleemoſynam pro una Miſſa celebranda. Si votum reſpuat caſtitatis, ut eſt probabile, ieiunet ſingulis ſextis feriis toto tempore vitæ ſuæ. Sed in votis ſimilibus ſatius erit ſimul cum commutatione diſpenſationem poſtulare ab illis qui facultate pollent eam impertiendi. Quia in tam gravibus votis vix adeſt materia digna ſubroganda, ut optime advertit Sanchez *loc. cit. num.* 43. Et hæc de votis dicta ſufficiant.

LIBER QUINTUS

IN DECALOGUM,

SECUNDUM PRAECEPTUM TRACTANS:

Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum : nec enim habebit inſontem Dominus eum qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra.
Exod. cap. xx. verſ. 7.

PRAELOQUIUM.

AMpliſſimam diſputationis materiem nobis primum Decalogi præceptum ſuppeditavit. Secundum vero argumentum exhibet diſſerendi, non quidem adeo vaſtum, ſed multo ob Chriſtianorum pravitatem luctuoſius. In iſtius namque præcepti commentario quod fuſiore calamo verſandum ſuſcipio, eſt illud iuſiurandum quod gentibus omnibus, quantumvis feris, barbaris, & incultis, ſummæ ſemper fuit venerationi, magnoque in pretio habitum. At o tempora, o mores! Quamvis chriſtiana religio præ omnibus aliis ſectis iuramenti ſanctitatem profiteatur; quamvis in extremis dumtaxat eventibus, pluribuſque ſervatis conditionibus, maximaque cautione, & reverentia ſanctum Dei nomen uſurpandum doceat; nihiloſecius tantus eſt huius ſanæ, & evangelicæ doctrinæ abuſus, ut Chriſtianorum plurimi nihil frequentius in ore habeant quam iuramenta, modo in pactis, & contractibus firmandis, modo in rerum emptione, & venditione, nunc in ludis, & oblectamentis, nunc denique in omni familiari ſermone. Hæc porro iurandi frequentia tantam peierandi invehit conſuetudinem, ut IESU Chriſti legem, & profeſſionem contemptioni, ludibrio, & vituperio vel penes infideles ipſos exponat. Nec enim in animum ſibi inducere Ethnici valent, ut credant Chriſtianos verum Deum fide, ſpe, & caritate colere, ac diligere, cum illos audiunt ſacroſanctum eiuſdem nomen paſſim contemnere, eodemque in omni fere verbo abuti. Verum enimvero, quod uberiorem lacrymarum fontem de-

depoſcit, eſt Caſuiſtarum quorumdam doctrina, qua non iurandi conſuetudinem ad iuſtas, rectaſque in iuramentorum uſu ſervandas regulas revocant; ſed contra, leges ipſas, & regulas iuramentorum ad pravos peierantium mores accommodant: quod non eo in ſenſu accipi velim, ut ipſorum quiſquam horrendum periurii ſcelus adprobet; ſed ita potius ut falſa, crudelique benignitate decepti eorum non pauci, cum audiunt in omni fere ſermone ſanctum Dei nomen uſurpari, ad plurimos peierandi periculo ſubducendos, id quod revera iuramentum ſecundum Scripturas divinas, Patreſque ſanctos eſt, iuramentum non eſſe, ſed dicendi formulam huius, vel illius patriæ propriam, ſuadere miſericordi intentione, bonaque fide adnitantur. Effrenis namque, & impotens multorum licentia divinum nomen ſine delectu, iudicio, & iuſtitia adhibendi Summiſtarum pluribus occaſionem dedit ſcribendi, non iurare homines, quamquam adfirment *Per Deum* verum eſſe id quod enuntiant: quoniam vel iurandi animum non habent; vel hæc invocatio *Per Deum* apud quaſdam nationes ad patrium loquendi morem reducitur; vel *reſtrictionibus mentalibus* ſubtrahitur iuramento materia; vel alio, quam ille cui iuratur, intelligit, iuramentum dirigitur. Hinc Chriſtianorum iurandi frequentia Caſuiſtas non paucos ad laxas opiniones cudendas impulit; iſtorum vero opiniones audaciores in iuramentorum uſu Chriſtianos fecerunt; ac denique tum ob illorum ſcribendi laxitatem, tum ob iſtorum vanam divini nominis uſurpationem ſacrilega peierandi conſuetudo tam altas egit radices, & tam impune ubique obfirmata viget, ut criminis enormitatem iam fere exuerit. Quapropter, antequam ad iuramenti difficultates enucleandas accedo, de more hæreticorum errores, & quorumdam Caſuiſtarum propoſitiones, partim ab Eccleſia proſcriptas, & partim, licet proſcriptæ non ſint, nimium tamen ab honeſtate evangelica aberrantes, ob oculos ponam. His omnibus tamen præmittam oportet, quid reipſa Deus hoc ſecundo ſuo mandato præcipiat, quidve prohibeat. Plura ſiquidem in his verbis, *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum*, continentur, quæ niſi in anteceſſum ediſſeram, oratio, utpote nullo definita orbe, non poſſet ubique ſibi conſtare, ac recta incedere via. Primum ergo omnium variam verborum, quibus Deus ſuum expreſſit ſecundum mandatum, ſignificationem pateſaciam; deinde ad propoſitum argumentum verſandum accedam.

DISSERTATIO PRIMA
DE
IURAMENTO.
CAPUT I.

Quæ Deus præcipiat, quæve prohibeat hoc ſecundo Decalogi præcepto, exponuntur.

I. TRiplicem ſenſum quo Dei nomen uſurpari poteſt, explicat D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxxix. in eiuſdem quæſtionis proœmio his verbis. *De aſſumptione divini nominis nunc agendum eſt. Aſſumitur autem divinum nomen ab homine tripliciter. Uno modo per modum iuramenti ad propria verba confirmanda: alio modo per modum adiurationis ad alios inducendum: tertio modo per modum invocationis ad orandum, vel laudandum.* De his tribus & nos, Angelici veſtigiis inſiſtentes, ſermonem habebimus. Ceterum latius D. Thomas explicat *opuſc.* VII. plures modos quibus nomen Dei in vanum uſurpari valet. Verum quia, dum de variis iuramentorum formulis nobis ſermo erit, de illis quoque diſſeremus; ideo ad id quod reipſa Deus hoc ſuo mandato præcipiat, quodve prohibeat, manifeſtandum, gradum facimus.

II. Lex quæque, dum aliquid fieri vetat, ſimul quæ præſtanda ſunt iubet. Quare, cum Deus prohibeat nomen ſuum in vanum uſurpari, ſimul præcipit ut idem ſanctum nomen a nobis colatur, honoretur, atque per ipſum ſancte iuretur. Duo itaque hoc ſecundum Decalogi mandatum continet. Primo prohibet ne quiſquam ſacroſanctum Dei nomen contemnat, polluat, vane, ſeu ſine neceſſitate, uſurpet; atque ne falſo, vel fruſtra, aut temere per ipſum iuret. Secundo iubet nos ſummo obſequio idem ſanctum nomen laudare, & venerari. Hæc perſpicue docet Catechiſmus Concilii Tridentini de ſecundo præcepto cap. III. ſect. 3. *Quæ imperat, illa ſunt, nomen Dei eſſe honorandum, ac per illud ſancte iurandum. Hæc rurſus quæ prohibet. Nemo divinum nomen contemnat, nemo illud in vanum aſſumat, neve per ipſum aut falſo, aut fruſtra, aut temere iuret.*

III. Nomen divinum, cui honorem & cultum exhibere iubemur, non accipitur dumtaxat ſecundum ſyllabas, litteraſque, ſeu vocis ſonum, ſed potiſſimum iuxta id quod nomen ipſum ſignificat. Nomen autem hoc divinam maieſtatem prodit, eiuſ-

eiuſque infinita attributa. Quocumque itaque nomine immenſa Dei maieſtas exprimatur, nos adſtringimur nominibus iſtis honorem tribuere. Frequenter enim in divinis Scripturis Deus appellatur Dominus, Omnipotens, Excelſus, Altiſſimus, Rex Regum, Iuſtus, Pater miſericordiarum, modiſque aliis, ſub quibus omnibus honorandus a nobis eſt. Quare merito Catechiſmus Tridentinus *loc. cit. ſec.* 4. reprobat Iudæorum ſuperſtitionem his verbis: *Ex his facile colligitur inanem eſſe nonnullorum Iudæorum ſuperſtitionem, qui, quod ſcriberent Dei nomen, pronuntiare non auderent; quaſi in quatuor illis litteris, non in re divina, vis eſſet.*

IV. Tum autem Deum laudamus, & honoramus, cum in omnium conſpectu illum confitemur; cum illius bonitatem, iuſtitiam, ſapientiam, miſericordiamque prædicamus; cum rerum omnium auctorem, opificemque illum agnoſcimus; cum illius legem, & mandata addiſcimus, & exequi ſtudemus. Divinum nomen honoramus, cum ſive in proſperis, ſive in adverſis eventis Deo gratias rependimus, dicentes cum Iob cap. I. *Sit nomen Domini benedictum*: vel cum David Pſal. XXXIII. *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* Inſuper divinum nomen honoramus, cum illius opem imploramus, auxiliumque, quo nos a malo liberet, a tentationibus præſervet, forteſque, & conſtantes reddat ad calamitates omnes ferendas, atque perſeverantes in via virtutis efficiat. Denique nomen Dei colimus, cum Deum ipſum, neceſſitate cogente, ad confirmandam incredulis veritatem in teſtem vocamus, iuxta illud Deut. VI. *Dominum tuum timebis, & illi ſoli ſervies, ac per nomen illius iurabis.* Si plura hac de re cupis, conſule Natalem Alexandrum *Lib. IV. cap.* IV. ubi quæ Catechiſmus Tridentinus loco laudato *ſec.* 5. tradit, fuſius explicat.

CAPUT II.

Hæretici plures ſacrum iuſiurandum, tamquam illicitum, improbant. Eorum errores recenſentur. Iuramentum actum honeſtum, & licitum Chriſtianis, virtutiſque religionis, ſeu latriæ fructum eſſe, oſtenditur.

I. PLures recenſet tum antiquos, tum recentes hæreticos, qui iuramenta omnia damnarunt, Alphonſus a Caſtro *Lib. VIII. verb. Iuramentum*. Antiqui hæretici qui iuramentum quodcumque illicitum eſſe Chriſtianis docuerunt, ſunt Albanenſes, Bagnolenſes, ſeu Baiolenſes, Cathariſtæ, & Pelagiani. Recentiores vero ſunt Valdenſes, Pſeudoapoſtoli, & VVicleffiſtæ. Siquidem inter quadraginta quinque propoſitiones Ioannis VVicleffi damnatas in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* XLV. an-

anno 1418. hæc reperitur, quæ in ordine eſt 43. *Iuramenta illicita ſunt quæ ſiunt ad corroborandum humanos contractus, & commercia civilia.*

II. Ut hunc errorem ſuum præfati hæretici evincant, plura tum a Scriptura ſacra, tum a ratione arceſſita momenta promunt. E Scriptura quidem afferunt illud Oſeæ IV. *Neque iuraveritis: Vivit Dominus:* & illud Zachariæ V. *Omnis fur iudicabitur, & omnis iurans ex hoc ſimiliter iudicabitur.* Plura quoque ex Evangelio obtrudunt. Primo opponunt illud Matthæi V. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non periurabis; reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei eſt; neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius; neque per Hieroſolymam, quia civitas eſt magni Regis. Neque per caput tuum iuraveris: quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem ſermo veſter, Eſt, eſt, Non, non: quod autem his abundantius eſt, a malo eſt.* Quo in textu duo præſcribuntur. Primo abſolute iuramentum prohibetur: id enim ſignificare videtur particula illa *omnino*. Deinde formula firmandi aſſertiones noſtras deſignatur illis verbis: *Sit autem ſermo veſter, Eſt, eſt, Non, non.* Quæ vero ſequuntur, validius iuramenta inhibent: *Quod autem his abundantius eſt, a malo eſt.* Iacobus quoque Apoſtolus *cap.* V. tanta emphaſi iuramentum proſcribit, ut hoc præceptum ceteris præferre videatur. *Ante omnia autem, fratres mei, nolite iurare neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum. Sit autem ſermo veſter, Eſt, eſt, Non, non; ut non ſub iudicio decidatis.* Patres etiam Chriſtianis interdicta eſſe iuramenta non obſcure indicant. Tertullianus namque *Libro de idololatria cap.* XI. hæc ſcribit. *Taceo de periurio, quando nec iurare quidem licet.* Clemens Romanus, ſeu Auctor conſtitutionum apoſtolicarum Lib. VI. cap. XI. *Magiſter noſter præcepit ut neque per verum Deum iuraremus, ut ſermo noſter firmior, credibiliorque ipſo iureiurando haberetur.* Ratione tandem hoc ipſum confirmari poteſt. Quoniam nequit homo, utpote infimi ſubſellii, Deum in teſtem adducere, potiſſimum ad confirmandos humanos contractus, pacta, & negotia. Perſona enim Dei ſupremi ordinis eſt: idcirco non poteſt ad hæc inferiora commercia firmanda invocari ſine monſtroſa ordinis perverſitate.

III. Veritas fidei eſt, non omne iuramentum prohibitum, vel illicitum eſſe Chriſtianis. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxxix. *art.* 2. hanc aſſertionem tum Scripturarum auctoritate, tum ratione, tum Sanctorum exemplis evincit. Iuramentum in primis ſuapte natura honeſtum demonſtrat ex illius origine, & fine. *Ex origine quidem, quia iuramentum eſt introductum ex fide, qua homines credunt Deum habere infallibilem veritatem, & univerſalem omnium cognitionem, & proviſionem. Ex fine autem, quia iuramentum inducitur ad iuſtificandum homines, & finiendum controverſias.* Deinde oſtendit Deum ipſum iuramentum præcepiſſe; quod numquam feciſset, ſi iuramentum ſuapte natura illicitum eſſet. Porro *Deuter.* VI. hæc

ha

Digitized by Google

habentur : *Dominum tuum timebis, & illi ſoli ſervies, ac per nomen eius iurabis.*

IV. Confirmatur aſſertio noſtra Sanctorum exemplis. Apoſtolus Paulus ad *Rom.* XI. Deum in teſtem vocavit his verbis : *Teſtis enim mihi eſt Deus*. Iuramento quoque uſus eſt II. ad Corinth. I. *Ego autem teſtem Deum invoco in animam meam quod parcens vobis non veni ultra Corinthum*. Quæ ad Galatas ſcripſit, iuramento firmavit cap. I. *Quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior*. Quid plura? Deus ipſe promiſſionem Abrahæ factam iuramento confirmavit : *Per memetipſum iuravi, dicit Dominus, quia feciſti rem hanc* &c. Tandem ſacræ Scripturæ teſtimoniis accedit conſuetudo Eccleſiæ, quæ iuramentorum uſum, neceſſariis conditionibus ſervatis, ſemper adprobavit, ſæpius iuramenta exegit vel ad abiurandam hæreſim, vel ad delictorum purgationem, vel ad confirmandam pacem, & obedientiam, vel ad finiendas lites, ut teſtatur Paulus *ad Hebr.* VI. ubi aſſerit, quod iuramentum ſit *omnis controverſiæ finis, & confirmatio*. Quæ fuſius declarata habentur in *titulis de hæret. de iureiurand.* & in Conciliis *Epheſin. I. & Conſtant.* & *in titul. de purgat. canonica*.

V. Ad argumenta hæreticorum, omiſſis variis reſponſionibus Hieronymi, Bernardi, & aliorum Patrum, ea reponimus quæ exhibent Auguſtinus, & Thomas. Iſtorum enim reſponſa omnibus fere probantur. Porro Auguſtinus *de ſerm. Dom. in mont. Lib. I. cap.* XVII. exponit deſcriptum Matthæi textum, illumque his verbis interpretatur. *Ita ergo intelligitur præcepiſſe Dominum ne iuraretur, ne quiſquam ſicut bonum appetat iusiurandum, & aſſiduitate iurandi ad periurium per conſuetudinem delabatur. Quapropter qui intelligit, non in bonis, ſed in neceſſariis iurationem habendam, refrenet ſe quantum poteſt, ut non ea utatur, niſi neceſſitate... Ad hoc itaque pertinet quod ſic dicitur :* Sit autem ſermo veſter, Eſt, eſt, Non, non: *hoc bonum eſt, & appetendum :* Quod autem amplius eſt, a malo eſt: *ideſt, ſi iurare cogeris, ſcias de neceſſitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid ſuades: quæ infirmitas utique malum eſt : unde nos quotidie liberari deprecamur, cum dicimus:* Libera nos a malo. *Itaque non dixit, Quod autem amplius eſt malum eſt.... ſed a malo eſt illius cuius infirmitate iurare cogeris*. Hanc eamdem reſponſionem præbet Auguſtinus citato *Tom. IV. Lib. de mendac. cap.* XV. ubi eam firmat Pauli exemplo. *Iuravit autem ipſe Apoſtolus in Epiſtolis ſuis ; & ſic oſtendit quomodo accipiendum eſſet quod dictum eſt:* Dico vobis non iurare omnino : *ne ſcilicet iurando ad facilitatem iurandi veniatur, & ex facilitate ad conſuetudinem, atque ita ex conſuetudine in periurium decidatur. Et ideo non invenitur iuraſſe, niſi ſcribens, ubi conſideratio cautior non habet linguam præcipitem*. Has duas divi Auguſtini reſponſiones adoptat D. Thomas *loc. cit.* eiſque ſolvit primum, & ſecundum argumentum. Et per hæc quoque patet reſponſio ad auctoritatem Iacobi, qui eodem in ſenſu ac Matthæus loquitur.

Aa iiij VI.

Digitized by Google

VI. Ad Patrum teſtimonia dicimus, illos improbaſſe facilem iurandi uſum; neutiquam vero negaſſe neceſſarium. Verum utique eſt hanc exceptionem illos non aſſignaſſe, quoniam id neceſſe minime erat; quemadmodum nec Chriſtus hanc exceptionem declaravit, ut animadvertit Soto *de iuſt. & iur. Lib.VIII. art.* 2. Cum enim tunc reprehenderent homines ob aſſuetudinem propenſos ad iurandum, idcirco ad inſtitutum eorum minime pertinebat eoſdem docere, aliquando licitum eſſe iurare: id ſiquidem erat per ſe manifeſtum. Hoc ipſum nobis paſſim accidit, qui dum vitium aliquod redarguimus, & improbamus, non ſemper oppoſitam virtutem explicamus. Hanc interpretationem firmat Auguſtini doctrina, quam, non tamquam probabilem, vel recenter invectam, ſed tamquam communem, nullique controverſiæ obnoxiam, præbet. Ad rationem autem dicitur, non poſſe hominem Deum inducere ut propria voce, vel ſigno veritatem oſtendat; quod nec iurans, nec ille cui iuratur, intendunt; ſed tantum homo in teſtem Deum advocat, ut veritas quam profert, maiorem auctoritatem fidemque apud alios homines mereatur, & credibilior evadat; quod ſatis eſt ad iuramenti utilitatem. Opponi etiam ſolet factum S. Baſilidis martyris, de quo hæc ſcribit Euſebius Lib. VI. hiſt. cap. v. *Cum a contubernalibus ſuis ſacramento adigeretur, nefas ſibi eſſe affirmavit omnino iurare: quippe Chriſtianum ſe eſſe, idque palam profiteri.* At communis reſponſio eſt, *Baſilidem* militem Chriſtianum recenter factum, regulas quas Chriſtiani in iuramentorum uſu ſervabant, ignoraſſe. Et quoniam obſervabat Chriſtianos ſumma cautione a iuramentis abſtinere, quia non niſi urgente neceſſitate iurabant; falſo exiſtimavit non licere Chriſtianis iuramentum. Præterquamquod non a iudice, ſed a contubernalibus ad iurandum inducebatur, & forte per eorum falſa numina: ideo iurare recuſavit.

VII. Iuramentum itaque Chriſtianis licitum eſt, ſervatis conditionibus quas infra explicabimus. Immo D. Thomas, poſtquam *art.* 2. adverſus hæreticos demonſtravit, iuramentum licitum eſſe, & honeſtum, *art.* 4. oſtendit actum eſſe virtutis religionis, ſeu latriæ: quoniam iurator, invocans Deum in teſtem, Dei fidem profitetur, qua Deum recognoſcit tamquam primam veritatem, omniumque rerum conditorem, & proviſorem. Quemadmodum ergo actus religionis eſt precatio, qua Deus ut auxiliator invocatur; ſic religionis actus eſt iuramentum, quo Deus ut teſtis veritatis invocatur: utrobique enim Deo reverentia exhibetur. *Unde*, concludit Angelicus, *manifeſtum eſt quod iuramentum eſt actus religionis, ſive latriæ.*

C A-

Digitized by Google

CAPUT III.

Recenſentur propoſitiones quæ iuramentum ſpectant, ab Eccleſia proſcriptæ.

I. INter ſexagintaquinque propoſitiones quas anno 1679. damnavit Innocentius XI. quatuor, ſeu quinque (una namque ad amphibologias directe pertinet) iuramenti materiam ſpectant. Sunt autem ſequentes, quas iuxta ordinem quo in decreto pontificio recenſentur, iſthuc tranſcribam.

24. *Vocare Deum in teſtem mendacii levis non eſt tanta irreverentia propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.*

25. *Cum cauſa licitum eſt iurare ſine animo iurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.*

26. *Si quis, vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocumque alio fine, iuret ſe non feciſſe aliquid quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis alius additum verum; revera non mentitur, nec eſt periurus.*

27. *Cauſa iuſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum; ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.*

28. *Qui mediante commendatione, vel munere ad magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare iuramentum, quod de mandato Regis a ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum.*

II. Nihil in præſentia de recenſitis propoſitionibus dicimus, quoniam in ſequentibus de eiſdem fuſius differemus, varioſque ſenſus quos eædem admittunt, exponemus, & omnia quæ pro plena earumdem cognitione neceſſaria ſunt, explicabimus.

CAPUT IV.

Recenſentur propoſitiones laxæ, ſeu improbabiles, quas non pauci Caſuiſtæ docent.

SAcrum iusiurandum ad hominum fœdera, pacta, & commercia firmanda, ut dictum eſt, adhibetur. Ad hoc ſacramentum, tamquam ad ſupremum, & quaſi divinum iudicem, & contendentes in foro, & bellantes in caſtris, & cuiuſque ſectæ, ac religionis homines ſummo obſequio accedunt, ut diſſidia componant, ut mutuam amicitiam ſoveant, confirmentque, ut controverſiis finem imponant. Sceleſtus habetur qui iuranti fidem adhibere recuſat. Nemo ergo non videt, ſtricto in ſenſu interpretandum iuramentum eſſe, non modo ob reverentiam Deo debitam, verum etiam ne apud homines vileſcat, parvique fiat; perdatque veritas in diſcrimen adducta perfugium quo ſe recipiat, ut victoriam reportet. Nemo non videt regulas pro iuramenti uſu tradendas eſſe, quæ ſinceritatem ſine fuco, veritatem ſine æquivocatione, ingenuitatemque ſine circuitione ſpirent. Hinc conſequitur reiiciendas eſſe illas Caſuiſtarum opinationes quæ ambagibus iuramenta involvunt, quæ amphibologiis, & æquivocationibus uti docent in iuramentorum uſu, quæ denique iurandi conſuetudinem facillime excuſant. Ne lector iſtarum opinionum lenociniis decipiatur, congruum duxi cenſum non omnium, ſed quarumdam dumtaxat propoſitionum, quæ iuriſiurandi leges nimium laxare videntur, ſub initium diſputationis de more meo texere, illumque ob oculos ponere.

I. „ Per quæcumque verba, etiam expreſſum iuramentum continentia, iuretur, „ in foro conſcientiæ omnino ſemper attendenda eſt mens, & intentio iurandi ad „ dignoſcendum, an vere iuraverit nec ne. Aut enim poſitive quis intendit in„ vocare Deum in teſtem, aut poſitive noluit invocare Deum, aut negative ſe „ habens, vel ignorans præſcindit ab invocatione Dei. Si primum, certum ſem„ per eſt iuramentum. Si ſecundum, certo non eſt iuramentum in foro conſcien„ tiæ, *ſed tantum mendacium, ſi falſum ſic aſſeruit*. Si tertium, *iterum non eſt iu„ ramentum, quia eo ipſo Deus non invocatur ut teſtis; alioquin ſemper iurarent, „ & ſæpiſſime periurarent, qui ad ſingula fere verba effutiunt illud ſuum* Per Deum, „ per ſacramentum &c. *Unde Confeſſarius audiens pœnitentem, falſo iuraſſe ſe ac„ cuſantem, non ſtatim periuraſſe cenſere debet, ſed interrogare, an intenderit Deum „ invocare in teſtem, & quidem falſitatis. Et longe ſæpiſſime deprehendet, non fuiſ„ ſe periuria, ſed tantum mendacia ex materia ſua diiudicanda, aliquando officioſa, „ aliquando iocoſa, & ſic venialia.*" P. Patritius Sporer *tract.* III. *in* 2. *præcep.* De-

Decal. cap. I. *ſec.* I. *num.* 9. *pag.* 203. Neque, cum iurans ſe falſo iuraſſe teſtatur, ei fides habenda; ſed interrogandus, utrum, quando *Per Deum* affirmavit rem ita eſſe, intenderit *Deum invocare in teſtem*, & quidem falſitatis?

II. „ Per quæcumque verba, etiam perſpicue Deum continentia, multo magis „ dubie, emittatur iuramentum, erit omnino, & ſemper in foro conſcientiæ ad „ intentionem iurantis attendendum, ſi velimus deprehendere, an vere iuramen- „ tum ſit. Vel enim, quæcumque tandem verba proferantur, intendit quis pri- „ mo poſitive invocare Deum, vel ſecundo poſitive non invocare, vel tertio (ſi- „ ve quia non advertit, ſive quia neſcit) præſcindit ab eiuſmodi invocatione; „ hoc eſt, nec intendit, nec non intendit invocare. Partitio videtur adæquata: „ continet enim contradictoria, & præciſionem ab ipſis. Iam ſi primum, certo „ erit iuramentum, ut ex ſe patet. Si ſecundum, certo iuramentum non erit, „ ut fatentur communiter Doctores... Licet enim ego dicam, Iuro per Deum, ſi „ nolim per hæc verba Deum ut teſtem mei dicti implorare, utique non implo- „ rabo, *niſi valde materialiter, ſicuti pſittacus a magiſtro edoctus eadem verba pro-* „ *ferret*. Certe in Sicilia ignobiles viri unoquoque verbo *Par Dio* iurant. Quis „ autem dicat eos ignobiles vere iurare, cum nec ipſi aliquando ſciant quid ſi- „ gnificet illud *Par Dio*. Videtur autem ex ſua notione ſignificare *per Deum*. „ Denique ſi tertium, *certo item iuramentum non erit, quia non invocat Deum*. „ Cum enim hic abſtrahat ab invocatione, clare apparet invocationem non ex- „ hibere. “ Thomas Tamburinus *Lib. III. in Decalog. cap.* I. *§.* 3. *num.* 6. *pag.* 78. Felix Poteſtas *Tom. I. part.* II. *de* 2. *præcept. Decalog. cap.* II. *numer.* 1553. *pag.* mihi CXI. vide infra *cap.* VI.

III. „ Ad veritatem iuramenti aſſertorii exigitur, & ſatis eſt ut iurans ita rem „ ſe habere arbitretur prudenter, & non levi coniectura ductus, ſed certa, aut „ veriſimili, atque probabili... Tamburinus tamen addit, quod ad iurandum non „ ſufficiat quælibet probabilitas; ſed ea quæ ad certitudinem moralem faciendam „ perveniat, neceſſaria ſit. Sed certe *quælibet probabilitas facit moralem certitudi-* „ *nem*, ut ſæpe diximus cum communi. Unde, ut bene ait PALAUS, ſufficiet, „ ſi prudenter, hoc eſt ſecundum probabilem rationem, ita eſſe arbitretur. “ Leander a SS. Sacram. *tract.* I. *de iuramento diſp.* VII. *quæſt.* VIII. *pag.* 46. Quod quælibet probabilitas faciat moralem certitudinem, eſt propoſitio quæ in altera ab Eccleſia damnata continetur. Sequitur ex hac doctrina ut quiſque valeat eamdem rem iuramento aut adfirmare, aut negare. Vide infra *cap.* IX. *num.* 5 *§.* 4.

IV. „ Iuro v. g. *per Deum me hac nocte non dormiviſſe*, intelligendo *veſtitum:* „ *me non habere pecuniam*, intelligendo, *quæ tibi elargiri velim: uxorem, vel ma-* „ *ritum matrimonii leges non fregiſſe*, intelligendo *manifeſte: non deberi a me ti-*

„ *bi*

„ *bi centum*, intelligendo, *ita ut non paſſim ea mihi compenſare cum aliis centum* „ *quæ tu mihi debes*. "

„ Reſp. *licere*, ut iidem docent (nempe Leſſius, Caſtropalaus, Rebellus, Bona- „ cina) & docetur paſſim, præſcindendo tamen a damno quod doloſo hoc iura- „ mento iniuſte facerem, *etiam ſi quis non ſit rogatus iurare, ſed ſe offerat*. " Thomas Tamburinus *Lib. II. in explic. Decal. cap.* II. *§.* 2. *num.* 1.

V. „ Rogatus a iudice de delicto, quod ſaltem ſub opinione probabili non te- „ netur manifeſtare, ut ſi ſolum detur ſemiplena probatio, *negare poteſt ſe illud* „ *commiſiſſe*, ſubintelligendo *in carcere*, vel *ad dicendum... Immo poteſt ſe offerre* „ *ad ſic iurandum, quando id opus eſſet*. " Antonius a Spiritu ſancto *tract.* v. *de iuram. diſp.* 1. *ſec.* 9. *num.* 53. *pag.* 142.

VI. „ Mulier quæ adulterium commiſit, poteſt *ſub iuramento negare ſe commi-* „ *ſiſſe*, ſubintelligendo, *ut manifeſtare teneatur*. " Idem *ibid. num.* 54. *pag.* 143.

VII. „ Mercatores qui non poſſunt iuſtum pretium ab emptoribus obtinere, ni- „ ſi iurent tanti, vel tanti ſibi mercem ſtare, cum de facto non ſtet, *iurare qui-* „ *dem poſſunt tanti ſibi ſtare*, ſubintelligendo *computatis omnibus expenſis*, vel „ *tanti ſibi ſtare cum alia merce quam habent domi, vel alibi emerant*. " Caſtro- palaus *tract.* XIV. *diſp.* 1. *punct.* 7. Leſſius *Lib. II. cap.* XLII. *dub.* 9. *num.* 4. Leander *tract.* 1. *diſp.* XLV. *quæſt.* XXVII. Candidus *diſp.* II. *art.* 3. *dub.* 14.

VIII. „ Idem dicendum de emptoribus, qui, ne cogantur emere mercimonia a „ mercatoribus ſupra iuſtum pretium, adfirmant ſub iuramento, res ab aliis mi- „ noris emiſſe, vel ſibi offerri minori pretio, ut venditores deſcendant ad iu- „ ſtum, vel infimum pretium, intra iuſtum tamen, mente concipiendo res mi- „ noris emiſſe, vel ſibi oblatas minori pretio, quas alio tempore emerunt. " Candidus *diſput.* XXVI. *art.* 4. *dub.* 14. Leander *tract.* 1. *diſput.* XLV. *quæſt.* XXVIII. Palaus, Bonacina, Rebellus, & alii penes Leandrum. Vide infra *diſſ.* IV. *cap.* IV. *num.* 15.

IX. „ Etiamſi rogans omnem æquivocationem vellet excludere, & ultra iura- „ mentum de re facta, petat iuramentum de calumnia, exigatque iuramentum „ dicendi veritatem ſincere abſque ulla æquivocatione, adhuc poteris iurare am- „ phibologico iuramento, & reſtrictione facta: quia ſubintelligere potes, te iura- „ turum abſque æquivocatione iniuſta. *Nulla enim propoſitio tam ampla ſumi* „ *poteſt, quin aliquam reſtrictionem habere poſſit in mente*. " Caſtropalaus *tract.* XIV. *diſp.* 1. *punct.* 7. *num.* 16. *pag.* mihi XI. Leander *tract.* 1. *diſp.* XLV. *quæſt.* XXXVII. & penes iſtos Sanchez, Bonacina, Suarez, Leſſius, Trullench, Diana, & alii eiuſdem recentis Theologiæ. Vide infra *diſſ.* IV. *cap.* IV. *§.* 15.

X. „ Titius, qui inducit teſtem ad iurandum falſum, quod teſtis putat eſſe ve- „ rum, non peccat, licet ipſe Titius ſciat eſſe falſum. " Petrus Hurtado, Dia-

na,

na, Tancredus apud Tamburinnm, qui hanc opinionem ut probabilem ſuſcipit *Lib. II. cap.* 1. *§.* 6. *num.* 7. *pag.* 80. P. Matthæus Moya Tom. II. ad tractat. 11. diſp. 1. quæſt. VII. num. 2. pag. 116. *Ego puto in praxi ſecuram.* Probabilem dixerunt Tamburinus, Diana, Leander, Hurtado, & alii ſimiles: ſecuritatis incrementum adiecit P. Moya. Vide *diſs.* VII. *cap.* III. *num.* 31.

XI. „ Conſuetudo culpabiliter retenta iurandi falſum deliberate, ſeu indifferen-„ ter verum, & falſum, probabilius non eſt peccatum diſtinctum aperiendum in „ confeſſione ab ipſo peccato actuali periurii; ſed ſufficit confiteri ipſum actum „ periurii. " Patritius Sporer *tract.* III. *in* 2. *præcep. Decal. cap.* 1. *ſec.* 4. *num.* 151. *pag.* 223. ex Tamburino *Lib. III. cap.* 1. *§.* 5. & aliis. Vide *diſs.* VII. *cap.* V

XII. „ Moraliter enim minus deliquiſſe cenſendus eſt qui conſuetudinis contra-„ ctæ impetu peieravit, *quamvis deliberate*, quam qui recenti, & ſpontanea men-„ te, ac libertate. " Sporer *ibidem.*

XIII. „ Igitur impertienda eſt pœnitenti abſolutio volenti, & proponenti ceſſa-„ tionem peccati, & nullam externam habenti occaſionem, *quantumcumque con-„ ſuetudini peccati addicto.* " Ioannes Sanchez *in ſelectis diſ.* IX. apud Tamburinum *Lib. III. cap.* 1. *§.* 5. *num.* 3. *pag.* 79. Vide *diſs.* VII. *cap.* VI.

XIV. „ Qui ex inveterata conſuetudine advertenter iurat falſo, ſatis eſt ne „ dicere, ſemel iuravi falſum; an potius neceſſe erit etiam addere, id fuiſſe ex „ mala conſuetudine? Reſpondeo, non eſſe neceſſe... Idem dic, ut ſemel hac „ occaſione dicam, de inveterata conſuetudine fornicandi, blaſphemandi, & ce-„ terorum ſimilium: par enim eſt ratio. " Tamburinus *Method. exped. Confeſs. Lib. II. cap.* III. *§.* 3. *num.* 21. *pag.* 109. Vide *diſs.* VII. *cap.* VI.

XV. „ Intellige tamen, dummodo actu poſitivo illam pravam conſuetudinem „ non acceptet, vel approbet; ſed ſolum negative ſe habens eam vincere ne-„ gligat, *vel deſperet: quod ſane non rarum*, & valde notandum Confeſſario, ne „ nimium vexet conſcientias afflictas. " Patritius Sporer *loc. cit. num.* 154. Non eſt vexandus qui deſperat vincere conſuetudinem iurandi: quia non raro contingit eos ſic deſperare victoriam; ideo urgendi non ſunt ad præfatam conſuetudinem evellendam. An hæc doctrina quid Ianſeniſmi oleat, vide *diſs.* VII. *cap.* V. & VI.

XVI. „ Qui vero habet conſuetudinem tam iurandi, quam mentiendi, non ta-„ men coniungendi iuramentum cum mendacio, ſi quoties iurat, advertenter iu-„ rat, & procurat non coniungere cum iuramento mendacium, neque tenetur „ ſub mortali talem conſuetudinem extirpare. " P. Dominicus Viva *Tom. I. par.* II. *quæſt.* VII. *art.* 7. *num.* 3. *pag.* 86. eamdem plures alii docent. Vide *diſs.* VII. *cap.* V.

XVII. P. Ferdinandus Caſtropalaus *Tom. III. tract.* XIV. *diſp.* 1. *punct.* 7. *num.* 4:

„ Si

Digitized by Google

„ Si enim aliqua cauſa honeſta occultandi veritatem intercedat, qualis eſſet, ſi „ ad tuam tuorumque ſalutem, honorem, rem familiarem tuendam conveniret „ occultatio; aut ſi conveniret, ne annueres interroganti iniuſte; nullam culpam „ committis ſic amphibologice iurans. Quod verum habet, etiamſi non rogatus „ iures, ſed te offeras ad iurandum; ſi tamen iurandi, occultandique veritatem „ honeſta cauſa intercedat. “

XVIII. „ Rogatus de delicto, quod ſaltem ſub opinione probabili non teneris „ manifeſtare, vel ex eo quod non iuridice rogaris, vel ex eo quod tibi grave „ nocumentum ex manifeſtatione provenit, negare poteris te feciſſe, ſubintelli- „ gendo in carcere, vel ad dicendum. “ Idem *ibid.*

XIX. „ Rogatus, an promiſeris matrimonium, a cuius obligatione ſecundum „ *opinionem probabilem* immunis es, iurare poteris non promiſiſſe, ſubintelligen- „ do, ut tenearis. “ *Ibi num.* 5.

XX. „ Exemptus *probabiliter* a gabellæ ſolutione, iurare poteris, te non por- „ tare talem, aut talem rem, *eſto portes*, ſubintelligendo, ita ut gabellam de- „ beas. “ Idem *ibi*.

XXI. „ Mercatores qui non poſſunt iuſtum pretium ab emptoribus obtinere, „ niſi iurent tanti, vel tanti ſibi mercem ſtare, cum de facto non ſtet, iurare „ quidem poſſunt tanti ſibi ſtare, ſubintelligendo computatis omnibus expenſis; „ vel tanti ſibi ſtare, ſubintelligendo cum alia merce quam habent domi, vel „ alibi emerant. “ Idem *ibi*.

XXII. „ Pro ſupra dictis eſt maxime advertendum, utentem aliqua ex di- „ ctis amphibologiis debere ſcire, ſaltem in genere, ſe poſſe abſque mendacio „ veritatem tegere. *Non tamen opus eſt in particulari cognoſcere modum quo* „ *debet tegi*. Quocirca, ſi intendat iurare eo ſenſu quo vir doctus verum re- „ periet, & ſciat verum reperiri poſſe, ſufficiet ad excuſationem periurii. “ „ Idem *ibi*.

XXIII. P. Dominicus Viva in Comment. *propoſ.* XXVII. Innoc. XI. „ Quando „ tamen non occurrit *commoda* æquivocatio, aut reſtrictio externa, ſi cauſa ſit „ gravis, ruſtici poſſunt uſu duplicis ſcientiæ facile obvio veritatem occultare, „ non animo decipiendi, *ſed ſolum permittendo deceptionem*. “

XXIV. Conſuetudinarius, ut in peierando, etſi ſæpe promiſerit, & emendatus numquam fuerit, abſolvi poteſt, dummodo dolorem habeat, & emendari pro- „ mittat. “ P. Torrecillas *Tom. I. Sum. tract.* III. *diſp.* I. *cap.* II. *ſec.* I. *num.* 105. Laudat Palaum, & Bonacinam.

XXV. „ Etſi verba ſecundum ſe æquivoca non ſint, nec niſi verum ſenſum „ habeant, nihilominus ratione circumſtantiarum loci, temporis, officii, interro- „ gantis, & reſpondentis &c. reſtrictio, quæ alias eſſet pure mentalis, fieri poteſt

„ ſen-

„ ſenſibilis, & a mendacio, & periurio excuſari, ac cum iuſta cauſſa eius uſus „ licitus fieri." Idem *conſult.* 23. *num.* 134.

XXVI. „ Immo nec opus eſt quod iurans vel atteſtans agnoſcat ſpecificum mo„ dum quo veritatem celare poſſit. Sufficit enim præcipue pro indoctis, quod etſi „ verbis negantibus utatur, in animo addat, Volo veritatem celare, quin men„ tiar, vel periurem *eo modo quo Doctores id fieri poſſe docent.*" Idem *ibi num.* 188. citat Sanchez, Suarez, Caſtropalaum.

XXVII. „ Similiter non eſſet pluſquam veniale mendacium, dicere *uro* ablata „ I, cum vere nihil *urat.*" P. Thomas Sanchez *Lib. III. in Decal. cap.* VI. *num.* 3.

CAPUT V.

Quid ſit iuramentum. Variæ iurandi formulæ exponuntur.

I. IUramentum definitur a D. Thoma 2. 2. *quæſt.* lxxxix. *art.* 1. quod ſit *invocatio divini nominis ad fidem faciendam, aut promiſſionem firmandam.* D. Auguſtinus ab ipſo D.Thoma relatus *loc. cit.* definit iuramentum his verbis ſer. xxvIII. de verb. Apoſt. *Quid eſt iurare per Deum, niſi, teſtis eſt Deus?* Differt ab oratione: quia per hanc petitur divinum auxilium; per illud autem poſtulatur ut veritas manifeſtetur. Quare turpiter errat Franciſcus Budeus Lutheranus, qui in ſuis *Inſt. Theolog. Moral. P. II. cap.* III. *§.* 5. *§.* 10. effutit, *Deum hic non ſpectari ut teſtem, quaſi iusiurandum ſit teſtimonium Dei; aut quod Deus ipſe de veritate iurantis teſtetur.* Error Lutherani iſtius ſeipſo corruit. Iuramentum a *iure* dicitur: quia, inquit idem Angelicus, quaſi pro iure introductum eſt, ut pro vero habeatur id quod ſub invocatione divini teſtimonii enuntiatur. Aliqua enim ſunt facta vel occulta, vel contingentia, quæ humano teſtimonio probari nequeunt: ideo, ut divino teſtimonio, neceſſitate cogente, confirmentur, iure ſtatutum eſt decretumque ut factis divino teſtimonio firmatis fides adhibeatur.

II. Iuramentum, iusiurandum, & ſacramentum ſynonyma ſunt. Ex Scriptura ſiquidem ſcimus pro eodem uſurpari iuramentum, & iusiurandum, iuxta illud Zachariæ Luc. 1. *Iusiurandum, quod iuravit ad Abraham patrem noſtrum daturum ſe nobis.* Sacramentum quoque nuncupatur tam in Scriptura, quam in iure, ut conſtat ex *capit.* Qui ſacramentum XXII. *quæſt.* IV. Et quamquam ſacramenti vocabulum alios magis proprios ſignificatus habeat, uſurpatur tamen etiam pro iuramento: quia & iſtud ſignum eſt rei ſacræ, nempe infallibilis veritatis.

III. Ad clariorem datæ definitionis intelligentiam D. Thomas *loc. cit. in reſponſ.* *ad*

Digitized by Google

ad 1. animadvertir, nos dupliciter teſtimonio divino uti poſſe. Primum teſtimonio quod Deus iam dedit in Scripturis ſuis, cum ſcilicet textum, ſeu auctoritatem ſacræ Scripturæ allegamus ad aliquam veritatem probandam: quod dum facimus, nullo modo iuramus. Secundo, cum imploramus teſtimonium ut exhibendum, nempe ut Deus veritatem illius facti manifeſtet in cuius confirmationem eius teſtimonium invocamus. Et hoc modo iuramus. Porro, dum in teſtem Deum invocamus, ut aſſertiones noſtras confirmet, non intendimus ut Deus ſtatim inſolito prodigio ſeu miraculo aſſertiones noſtras ſua auctoritate confirmet, & manifeſtet; quod qui faceret, Deum tentaret; ſed petimus tantum ut Deus dictis noſtris teſtimonium ſuum adiiciat, & veritatem revelet, quando ſibi placuerit, in vita vel in morte, in hoc vel in futuro ſtatu.

IV. Divinum teſtimonium duobus modis invocari poteſt. Primo *expreſſe*, cum Deus ipſe in teſtem affertur: ſecundo *tacite*, quando creaturarum teſtimonium cum peculiari reſpectu ad Deum invocatur; quod clarius infra explicabimus. Utrobique autem iuratur, quia utroque modo divinum teſtimonium imploratur.

V. Hæc divini teſtimonii invocatio fieri poteſt *verbo*, ut ſi ore proferas, *Iuro per Deum*; *nutu*, ut ſi interroganti, utrum *per Deum iures*, oculis, capite, vel aliquo geſtu annuas; *facto*, ut ſi tibi offeratur iuramentum cum libro Evangeliorum, & librum ipſum tangas, etiamſi nihil proferas, iurare cenſeris; *mente*, ut ſi intra animum tuum iures te aliquid facturum, virtute religionis ad id præſtandum adſtringeris in foro interno; ut vero in foro externo obligeris, neceſſe eſt ut uno ex tribus deſcriptis ſignis iuramentum enuntiatum extrinſecus manifeſtetur.

VI. Si quis iuraret, librum Evangeliorum tangendo, ac poſtea deprehenderet librum illum omnino profanum fuiſſe; verum eſſet iuramentum, illudque obſervare deberet: quia diverſitas materialis foret, quoties iurans per ſacra Evangelia iurare intendiſſet. Contra, qui iurat per falſos deos, iuramentum non facit: quia ſolus verus Deus meretur ſibi ab hominibus fidem præſtari.

Variæ iurandi formulæ.

VII. Quoniam verba quibus iuramentum profertur, determinata non ſunt, ſequitur plurimas eſſe iuramentorum formulas. Ad triplex genus omnes revocare poſſumus. Primi generis ſunt quæ iuxta communem ſenſum, & acceptionem iuramentum, ſeu divini teſtimonii invocationem continent; quæve in omni foro pro iuramentis habeantur, niſi manifeſte conſtet de contraria intentione illius qui eaſdem pronuntiat. Secundi generis ſunt quæ in communi acceptione divini teſtimonii aſſumptionem non continent; quæve pro iuramento non habentur, niſi qui

qui illas profert, declaret ſe illis verbis iuramentum edere voluiſſe. Tertii tandem generis ſunt quæ ambiguæ ſunt, quæve aliquando iuramentum continent, aliquando non, iuxta varium modum quo illæ proferuntur. Exemplis res clarior apparebit.

VIII. Primi generis ſunt *Iuro per Deum*, *Mihi Deus teſtis eſt*, *Vivit Deus*, *Teſtem invoco Deum vivum*. Nec tamen neceſſe eſt ut uſurpetur verbum *iuro*; ſed ſatis eſt coſirmare propria dicta *per Deum*, *per fidem Dei*, *per fidem Chriſti*. Ad hanc quoque claſſem reducuntur iuramenta quæ fiunt per creaturas, ut cum dicitur, *per cælum*, *per terram*, *per animam meam*, *per ſalutem meam*, *per Angelos*, *per B. Virginem*, *per Sanctos* &c. Hic tamen advertas velim, quod creaturarum teſtimonium multipliciter invocari poteſt. Primo tamquam argumentum infallibilis veritatis; & hæc invocatio blaſphema foret, quia ſolus Deus infallibilis eſt. Secundo creaturæ rationales invocari poſſunt, tamquam perſonæ quadam peculiari auctoritate ornatæ, ut fidem faciant dictis noſtris, abſque reſpectu ad Deum; & hæc invocatio non conſtituit iuramentum, quemadmodum non iuramus, cum homiues viventes in teſtes vocamus. Tertio creaturæ in teſtimonium veritatis appellantur, quatenus in eis maxime Deus ſplendet, habentque ad Deum peculiarem reſpectum, & earum invocatio Dei memoriam in nobis ſingulariter excitat; ut cum iuramus *per evangelia*, *per templa*, *per altaria*, *per cælos*, *per terram*, *per elementa*. Secus diceudum, cum iuratur per creaturas infimas, vileſque; ut ſi quis iuraret *per ſuam barbam*, *per ſuos capillos*, *per ſuum canem* &c. non eſſet verum iuramentum. Licet enim omnes ſint creaturæ Dei, in his tamen iuxta communem acceptionem non ſplendet modo peculiari divina maieſtas. Si quis tamen invocando has creaturas, Deum ſimul in obliquo nominaret, iuramentum foret; ut ſi quis diceret, *Per hunc Dei panem*, *per Dei ignem*, *per aerem Dei*, *per hunc Dei lapidem*, *per hanc creaturam Dei*. Quoties namque Deus ſive in recto, ſive in obliquo caſu appellatur in teſtem, iuramentum profertur. Ad hanc pariter claſſem revocantur ſequentes formulæ: *Sic Deus me adiuvet*, italice *ſe Dio m' aiuti*: *dæmon me arripiat*, *moriar*, *peream*, *ſi ita non eſt*. Hæc iuramenta ſunt execratoria, & reddunt hunc ſenſum, *Deus me non adiuvet*, *ſi verum non eſt quod profero*: *morti*, *dæmoni me tradat* &c.

IX. Ad ſecundam claſſem revocantur ſequentes formulæ. *In rei veritate*, *profecto*, *in veritate*, *per fidem meam*, *in fide mea*, *in fide boni viri*, *per fidem viri probi*, *per meam conſcientiam*, *in mea conſcientia*. Eiuſmodi formulæ ſecundum communem exiſtimationem vim iuramenti non habent. Niſi ergo qui eas profert, habeat expreſſam intentionem iurandi, iuramenta non ſuut. Si quis tamen relata verba proferens intenderet Deum in teſtem vocare, iuramenta forent. Iuramenta pariter non eſſe affirmant communiter Auctores quæ ſequuntur. *Per fidem boni*

Chriſtiani, *in fide Chriſtiani*, *in fide Religioſi*, *per fidem Sacerdotis*, vulgo, *Da Criſtiano*, *alla fe di Criſtiano*, *da Religioſo*, *da Sacerdote*, *in fede di Sacerdote*. Quia, inquiunt, in his expreſſionibus fides divina non invocatur, ſed humana; efficiuntque hunc ſenſum: *Ea veritate loquor qua bonus Chriſtianus*, *bonus Sacerdos loqui debet*. Sic Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* II. *punct.* 3. *num.* 23. ubi plures citant Auctores, & reipſa penes Caſuiſtas communis eſt. At, ſi id quod ego ſentio, candide fateri debeam, nullo modo permittendas cenſeo Chriſtianis eiuſmodi expreſſiones in communi locutione. Nec enim ratio mihi ſuppetit qua præfatas formulas a vi iuramenti liberare valeam. Communiter Theologi adfirmant, quod iurare per res ſacras, puta per templa, per altaria, per reliquias Sanctorum, ſit verum iuramentum. Quidni ergo iuramentum erit dicere *per fidem Chriſtiani*, *Religioſi*, vel *Sacerdotis?* Non ne ſacrum eſt ſacerdotium, ſacer religioſus, & chriſtianus ſtatus, ſeu chriſtiana, & ſacerdotalis profeſſio? Si quis dicat, *per habitum*, ſeu *veſtem hanc D. Petri*, *D. Franciſci*, *D. Dominici*, ſecundum omnes vere iurat. Cur ergo non iurabit, ſi dicat, *da Sacerdote*, ſeu *per Sacerdotis fidem?* Vereor ſubinde ne Auctores laudati idcirco interpretentur recenſitas formulas iuramentum non continere, quia homines paſſim illam uſurpant; &, ne periurii reos plurimos damnent, illos minime iurare doceant. Nec enim raro accidit vitiis horrorem ſubtrahi, cum homines vitiis ſubduci nequeunt. Non inficior, iuramenta plurimum ab intentione pendere iurantis. Sed, quando locutiones vim iuramenti produnt, etſi defectus vel intentionis, vel conſiderationis excuſare, vel diminuere valeat præteritam malitiam, non excuſatur tamen aut Confeſſarius, ſi omittat pœnitentes obligare ad linguæ cuſtodiam, aut pœnitens, ſi a præfatis formulis abſtinere non conetur. Accedit quod communiter homines pro iuramento accipiunt ſimiles expreſſiones, *per fidem Sacerdotis*, *Religioſi*; vulgo *da Sacerdote*, *da Religioſo*. Hæc tamen quæ de his tribus ultimis formulis, videlicet *per fidem Religioſi*, *Sacerdotis*, *&* *Chriſtiani*, diximus, non adeo manifeſta nobis ſunt, ut contrariam, communemque opinionem improbemus: ſola ſiquidem moralis certitudo a communi recentium Auctorum ſententia recedere quandoque nos cogit. Qua certitudine ſublata, communi & nos accedimus opinioni. Et quia talem certitudinem circa rem hanc nunc nobis non adeſſe fatemur; ideo ut probabilem celebramus contrariam ſententiam. In praxi tamen omnes quorum ego confeſſiones audirem, abſtinere ab eiuſmodi expreſſionibus iuberem. Sotus quoque *Lib. VIII. de iuſt. & iur. art.* I. *quæſt.* I. *concl.* 4. ſubdubitanter loquitur de his iurandi modis.

X. Sequentes formulæ, *Voveo Deo*, *iuro Deo*, *promitto Deo*, vulgo *voto a Dio*, *giuro a Dio*, *prometto a Dio*, verum iuramentum continent: quia revera Deus in teſtem vocatur. Et licet eiuſmodi expreſſiones & voti rationem habere videantur,

tur, & promiſſionis; attamen, cum ii qui eas proferunt, in ſuarum aſſertionum confirmationem eaſdem adhibeant, iuramentum conſtituunt. Sequens autem formula, *Iuro me hoc facturum*, vel *hoc ita eſſe*, nullo addito verbo, ex vi verborum, & ſuapte natura iuramentum eſt. Contrarium docent Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* II. *punct.* 3. *num.* 24. Bonacina *diſp.* IV. *punct.* I. *ſub finem*. Immo tam Salmanticenſes, quam Bonacina allegant pro ſe Suarez, ſed falſo: quia potius oppoſitum docet, inquiens Lib. IV. cap. XIII. num. 4. *Per ſe, & ex vi verbi in ſua rigoroſa ſignificatione ſine dubio ſufficit ad iurandum. In uſu tamen conſiderandæ ſunt circumſtantiæ*. Idipſum docemus & nos. Præfata verba abſolute iuramentum produnt; intentio tamen eadem proferentis, aliæque circumſtantiæ attendendæ ſunt. Quare, ſi quid addatur quod ab invocatione divini teſtimonii verba illa extrahat, iuramentum non erit: puta, ſi quis iuraret hoc modo, *Iuro per meam barbam, per decem, iuro per memetipſum*, in his formulis nullum foret iuramentum. Nullum quoque iuramentum proferre volunt communiter Auctores illum qui diceret, *Iuro per hanc crucem*, nulla deſignata cruce: quia qui a formando crucis ſigno abſtinet, intentionem non iurandi habere præſumitur. Quod ſi crucem efformaret, iuramentum proferret. Circumſtantiæ tamen ſpectandæ. Pariter, ſi quis rogatus, ut ſub iureiurando quidquam affirmaret, reſponderet, *Iuro ita eſſe* vere iuraret.

XI. Ad tertium genus reducuntur formulæ illæ quæ quandoque iuramentum continent, & aliquando non continent; cuiuſmodi ſunt, *Scit Deus, coram Deo loquor, Deus videt ita eſſe*. Quæ, ſi *enuntiative* proferantur, iuramenta non ſunt; contra, iuramenta totidem ſunt, ſi *invocative* pronuntientur; ut conſtat ex Apoſtolo Paulo ad *Galatas* I. iurante illis verbis: *Quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior*. Advertas tamen velim, quod, ut deprehendantur *enuntiative*, vel *invocative* prolata, non ſolum hominis loquentis intentio, ſed etiam loquendi modus eſt inſpiciendus. Nam ſi dicatur, *Deus videt quæ facio, D audit quæ loquor*, niſi conſtet de oppoſita intentione; non præſumitur iuramentum. Contra vero, ſi dicatur, *Deus ſcit me verum dicere*, Navarrus in *Manual. cap.* XII. *num.* 2. Leander *tract.* I. *diſp.* III. *quæſt.* IV. ſuſtinent talem formulam verum iuramentum continere: quæ ſane opinio ſatis probabilis mihi videtur. Ceterum, quia aliquid ambiguitatis præfata formula includit, idcirco circumſtantiæ attendendæ ſunt, & potiſſimum loquentis intentio.

XII. Ad hanc claſſem quoque revocant plures Auctores ſequentes formulas; *Deus mihi teſtis eſt, quod verum dico, Vivit Deus, Vivit Dominus, Deus eſt veritas*. Verum communior, & mihi unice vera ſententia oppoſitum docet. Quandoquidem, ut a prima formula exordiar, D. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXXXIX. *art.* I. *ad* 3. abſolute aſſerit, illam iuramentum continere. Idem docet D. Auguſtinus ſerm. 2.

edit. Lov. cap. VI. *Non vos fallant qui neſcio quo modo volentes ipſas iurationes diſcernere, vel potius non intelligentes, dicunt, non eſſe iurationem, quando dicit homo :* Scit Deus: teſtis eſt Deus : invoco Deum ſuper animam meam, verum me dicere. *Invocavit Deum, teſtem fecit Deum : numquid iuravit? Qui hæc dicunt, nil aliud volunt, niſi, invocato Deo teſte, mentiri. Ita ne, quiſquis es pravi cordis, & perverſi cordis, ſi dicas, Per Deum, iuras ; ſi dicas, Teſtis eſt Deus, non iuras ? Quid eſt enim per Deum, niſi teſtis eſt Deus? Aut quid eſt, Teſtis eſt Deus, niſi per Deum? Quid eſt autem iurare, niſi ius Deo reddere, quando per Deum iuras; ius ſaluti tuæ reddere, quando per ſalutem tuam iuras; ius filiis tuis reddere, quando per filios tuos iuras? Quod autem ius debemus ſaluti noſtræ, filiis noſtris, Deo noſtro, niſi caritatis, veritatis, & non falſitatis? Maxime autem per Deum cum ſit, ipſa eſt vera iuratio : quia & cum dicit quiſque, per meam ſalutem, ſalutem ſuam Deo obligat ; quando dicit, Per filios meos, oppignorat Deo filios ſuos, ut hoc veniat in caput eorum quod exit de ore ipſius: ſi verum, verum; ſi falſum, falſum.* Quare perperam inter ambiguas iurandi formulas illam collocant *Sporer, Felix Poteſtas, La Croix*, & alii plures Caſuiſtæ. De aliis formulis res clarior eſt, quoniam Scriptura illas præſcribit pro vero iuramento. Ierem. IV. *Iurabunt, Vivit Dominus*. Eadem formula uſus eſt Elias : *Vivit Dominus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto :* III. Reg. XVII. Nullo ergo modo inter æquivocas expreſſiones recenſendæ ſunt deſcriptæ formulæ, quidquid afferant recentiores non pauci.

XIII. Iuramentum non continent ſequentia dicta, *Sim nequam, mendax, infidelis, hæreticus; ſim fur; amputetur mihi naſus, auricula, ſi ita non eſt:* ſimiles namque locutiones, iuxta communem acceptionem, non niſi quamdam præferunt ſponſionem. Sequentes vero formulæ, *Interficiar, moriar, diſpeream*, ſi per modum execrationis proferantur, iuramentum continent, ut dictum eſt ſupra : reddunt enim hunc ſenſum : *Deus, quem in teſtem appello, me occidat, ſi verum non eſt quod profero.* Secus dicendum, ſi *enuntiative* ſolummodo pronuntientur : communiter enim hoc pacto non niſi quamdam ſponſionem præferunt. Iuramentum quoque non eſſe mihi probabilius videtur, *Iuro per me ipſum, per eum qui ſum*, vulgo *giuro da quel che ſono* : quamvis enim homo ſingularis Dei creatura ſit, iuxta tamen communem ſententiam non aliud intelligitur quam interpoſitio fidei, & auctoritatis humanæ.

C A-

Digitized by Google

CAPUT VI.

Nonnullæ aliæ quæſtiunculæ circa iuramentorum formulas, potiſſimum circa hanc, Per Deum, *reſolvuntur. Regulæ quoque pro iuramentis diſcernendis aſſignantur.*

I. A Deo familiaris eſt hominibus conſuetudo iurandi, ut Auctores non pauci, cum præfatam conſuetudinem abolere nequeant, iuramentum non eſſe adfirment id quod abſolute iuramentum eſt; quemadmodum ex ſequentibus planum erit.

II. Quæſt. I. *An iurent homines paſſim aientes*, Par Dios que ſi, *ut Hiſpani*; Par Diu, *ut Foroiulienſes*; Per Dio, *ut Itali*; Par Dio, *ut Siculi: quæ omnia idem ſonant ac per Deum?* Reſp. Patritius Sporer *tract.* 111. *in* 2. *præcep. Decal. cap.* 1. *ſec.* 1. *num.* 9. docet, homines Deum ſic invocantes, ſi præſcindant ab invocatione divini teſtimonii; ſeu ſi, dum præfata verba proferunt, *negative* ſe habeant (quod idem valet ac ſi neque intentionem habeant iurandi, neque non iurandi) nullo modo iurare. En illius verba. *Iterum non eſt iuramentum, quia eo ipſo Deus non invocatur ut teſtis: alioquin ſemper iurarent, & ſæpiſſime periurarent qui ad ſingula fere verba effutiunt illud ſuum*, Per Deum, Per ſacramentum &c. *Unde Confeſſarius audiens pœnitentem falſo iuraſſe ſe accuſantem, non ſtatim periuraſſe cenſere debet; ſed interrogare, an intenderit Deum invocare in teſtem, & quidem falſitatis; & longe ſæpiſſime deprehendet non fuiſſe periuria, ſed mendacia ex materia ſua diiudicanda, aliquando officioſa, aliquando iocoſa, & ſic venialia.* Animum intendas velim ad rationem quam Auctor iſte prodit, ut evincat iurantes *per Deum* non iurare: quia *alioquin ſemper iurarent, & ſæpiſſime periurarent*. Quapropter, ne hoc ſequi fateamur, dicendum eſt illos non iurare. Hoc eſt familiariſſimum principium plurium recentium Caſuiſtarum. Quia homines paſſim ex pecunia mutuo data proventum accipiunt, non committunt uſuram. Cur? quia alioquin omnes fere eſſent uſuræ labe infecti. Hoc ratiocinio frequentiſſime utuntur. Sed & conſecutio quam Auctor iſte deducit, digna conſideratione eſt. Subdit namque, quod licet pœnitens ſe accuſet falſi iuramenti, ſua conſcientia ſic dictante; non propterea tamen ei fidem habere debet Confeſſarius. *Unde Confeſſarius audiens pœnitentem falſo iuraſſe ſe accuſantem, non ſtatim periuraſſe cenſere debet.* Hæc a Theologo prolata fuiſſe, vix credibile foret, niſi typis edita legerentur. Concludit tandem, quod, licet falſitatem ſub illa divini teſtimonii invocatione pronuntient iurantes, non niſi mendacium iocoſum, vel officioſum pro materiæ diverſitate

Digitized by Google

committant; & conſequenter ſolum venialiter peccent. Quid Chryſoſtomus, quid Auguſtinus, quid Patres omnes tam acriter invehuntur adverſus iurandi conſuetudinem? Nam qui ex conſuetudine iurant, expreſſam intentionem iurandi non habent, nihilque de iuramento cogitant. Hanc doctrinam hauſit Sporer ex Tamburino, quem in album ſuorum magiſtrorum perſcribit. Non abs re cenſeo verba etiam Tamburini iſthuc tranſcribere, ut cautiores reddam lectores huiuſcemodi Auctorum. Tamburinus itaque *Lib. III. in Decal. cap.* 1. *ſ.* 3. *num.* 6. hæc ſcribit. *Per quæcumque verba, etiam perſpicue Deum continentia, multo magis dubie, emittatur iuramentum, erit omnino, & ſemper in foro conſcientiæ ad intentionem iurantis attendendum, ſi velimus deprehendere, an vere iuramentum ſit. Vel enim, quæcumque tandem verba proferantur, intendit quis primo poſitive invocare Deum, vel ſecundo poſitive non invocare, vel tertio [ſive quia non advertit, ſive quia neſcit] præſcindit ab eiuſmodi invocatione; hoc eſt, nec intendit, nec non intendit invocare. Partitio videtur adæquata: continet enim contradictoria, & præciſionem ab ipſis. Iam ſi primum, certa erit iuramentum, ut ex ſe patet. Si ſecundum, certo iuramentum non erit, ut fatentur communiter Doctores.... Licet enim ego dicam,* Iuro per Deum, *ſi nolim per hæc verba Deum ut teſtem mei dicti implorare, utique non implorabo, niſi valde materialiter, ſicuti ſi pſittacus a magiſtro edoctus eadem verba proferret. Certe in Sicilia ignobiles viri unoquoque verbo* Par Dio *iurant. Quis autem dicat, eos ignobiles vere iurare, cum nec ipſi aliquando ſciant quid ſignificet illud* Par Dio*? Videtur autem ex ſua notione ſignificare* per Deum. *Denique ſi tertium, certo item iuramentum non erit, quia non invocat Deum. Cum enim hic abſtrahat ab invocatione, clare apparet invocationem non exhibere.* Duo hic docet Tamburinus: quorum unum certiſſime falſum eſt, nempe quod iurans ſine animo iurandi, non iuret: quæ propoſitio ab Eccleſia damnata eſt, ut infra videbimus: alterum quod iurans, ſi non advertat ſe iurare, ſeu ſi præſcindat ab invocatione divini teſtimonii, non iuret; quæ pariter propoſitio falſa omnino mihi eſt, & ſcandali plena. Sed, quod magnopere animadvertere debemus, eſt, Tamburinum teſtari, has ſuas propoſitiones communiter a Doctoribus edoceri. Landat namque Layman, qui ſane *Lib. IV. tract.* 111. *cap.* 1. *num.* 3. eas docet. Citat deinde pro ſe etiam Suarez *Lib. I. de iuram. cap.* 1. *num.* 4. ſed falſo: nihil enim ibi habet inſignis iſte Theologus quod his opinionibus faveat. Rationem porro allegat Tamburinus ad ſuas propoſitiones confirmandas, quæ eadem eſt ac illa quam ex Sporer modo produximus. Iurant enim Siculi, inquit, unoquoque verbo, *Par Dio*, quod idem ſonat ac *per Deum*. Quis autem dicat, eos iurare? Nonne valida ratio? Sed ſubdit: Ignorant enim, vel non advertunt, quid ſit illud *Par Dio*, quidve ſignificet. Qui ſunt iſti qui hoc ignorant? Chriſtiani? Catholici? Ignorant ergo chriſtiani populi ſecundum Decalogi præceptum? At, dum ſanctiſſimum Dei nomen pronuntiant, tamquam pſittaci a magiſtro do-

cti,

Google

cti, materialiter illud proferunt. Pſittaci ergo ſunt Siculi ignobiles circa Dei cognitionem? Quid, quæſo, eos docent Parochi, & magiſtri, dum illis ediſſerunt *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum?* Obſolevit ne hoc mandatum in Sicilia? Hæc Tamburini doctrina minus congruit eius patriæ, cuius gens acumine ingenii præſtat; & præterea chriſtianæ profeſſioni nimium probroſa, ac infeſta eſt. Et profecto, ſi dum *per Deum* aſſertiones noſtras firmamus, iuramentum non proferimus, hac ſola ratione, quia non advertimus nos iurare; eadem ratione excuſare licebit blaſphemias, convicia, maledicta, & flagitia quæque. Hanc Tamburini doctrinam docent, præter Sporer, & Layman citatos, Felix Poteſtas *Tom. I. part.* II. *de* 2. *præcep. Decal. cap.* II. *num.* 1553. Laurentius Piſani in ſuo *Gladio Gedeon. prop.* XXV. *ſub finem*, Leander *tract.* I. *diſp.* III. *quæſt.* XI. & alii non pauci.

III. Doctrinam itaque, & opinionem quam ex citatis Auctoribus deſcripſi, tamquam falſam, & improbabilem reiicio. Ad pleniorem tamen quæſiti, & reſponſionis intelligentiam dico, eos qui ſuas aſſertiones confirmant his formulis, *Par Dio que sì*, *Par Diu sì*, *Par Deu nò*, *Per Dio*, quod idem eſt ac dicere *per Deum*, vere iurare; & ſi frequenter his formulis utantur, in conſuetudine iurationis verſari. Si quis vero ira ſubita percitus, vel moleſtia affectus proferret iſtud *Per Deum*, utique non iuraret, quia nihil adfirmaret, vel negaret; ſed nihilominus nomen Dei in vanum aſſumeret; ſicut in vanum illud aſſumunt alii dicentes, *Di Dio*, *Po far Dio*, nihil adfirmantes, vel negantes.

IV. Quæſt. II. *An qui paſſim nomen Dei aſſumunt in vanum, licet nihil adfirment, vel negent, peccent mortaliter?* Reſp. Qui in quacumque iræ, tædii, gaudii, alteriuſve perturbationis occaſione, nomen Dei uſurpat, proximo periculo iurandi, & peierandi ſeſe committit. Vix enim fieri poteſt ut in omnibus fere animi ſui motibus Dei nomen pronuntiet, & data occaſione adfirmandi aliquid, vel negandi, illud nomen non invocet. Graviter ergo peccare eos aſſero qui Deum continenter nominant, non tantum ob vanam, continuam, & ſcandali plenam Dei invocationem, quantum ob graviſſimum voluntariumque peierandi periculum. Quare Confeſſarius prudens & pius neminem illorum qui paſſim nomen Dei uſurpant, abſolvat, niſi promittant, & periculo facto, reipſa linguam ſuam cohibeant ab eiuſmodi vana, & continua divini nominis aſſumptione. Et quamquam ſub initium divinæ nominationis peccatum grave Confeſſarius non deprehendat, non ob id pœnitentem abſolvere debet, quando a divini nominis aſſidua pronuntiatione abſtinere detrectat. Ex oſcitantia ſiquidem plurium Confeſſariorum, & ex quorumdam Auctorum nimis laxa doctrina, ſacrilega conſuetudo iurandi non raro proficiſcitur.

V. Quæſt. III. *An maiorem vim habeat hac formula*, Per meam animam, per meam conſcientiam, *præ iſta*, In mea anima, in mea conſcientia? Reſp. Nul-

Digitized by Google

lum diſcrimen in præfatis formulis, ad vim confirmandi aſſertiones quod attinet; ego deprehendo: idque communiter ſentiunt Auctores. Iurat ergo qui dicit ſive *per animam*, ſive *in anima mea*: quia anima eximium ac præclarum eſt Dei opificium, in quo, tamquam in imagine, ſpeciali pacto divina maieſtas effulget. Non iurat vero, ut mihi veroſimilius videtur, qui dicit ſive *per meam*, ſive *in mea conſcientia*: quia hæc formula dicendi iuxta communem acceptionem reddit hunc ſenſum, *Hoc quod dico, eſt quod ſentio in mea conſcientia, quod mihi ſuggerit, dictatque mea conſcientia*. Ita docent magis communiter Auctores, Sotus, Suarez, Ledeſma, Fagundez, Leſſius, Sanchez, & recentiores fere omnes. Oppoſitum docent Sylveſter, Azorius, Aragonius, & alii. Ideo tutius erit abſtinere a ſimili loquendi formula. Sacroſanctum eſt iuramentum, idcirco ſevere lingua cuſtodienda.

VI. Quæſt. IV. *An iuret qui dicit*, Iuro per meam conſcientiam, *vel* in mea conſcientia? Reſp. Negant Sanchez, Ledeſma, Leander, & alii. Ego vero cum Soto, Sylveſtro, Azorio, Navarro, aliiſque ſuſtineo hominem ſic loquentem iurare. Quia illud verbum *iuro* ex ſua propria ſignificatione ſufficit ad iuramentum, niſi per aliquod additum vocabulum diſtrahatur a ſuo ſignificatu; puta, ſi quis diceret, *Iuro per meum naſum, per decem* &c. At, dum quis *per ſuam conſcientiam* iurat, rem prodit graviſſimam, atque æſtimatione dignam. Siquidem, dum quis abſolute quidquam adfirmat *in ſua conſcientia*, magnam vim addit ſuæ aſſertioni. Propria ſiquidem conſcientia in communi acceptione quidpiam habetur permagni momenti. Falſum ergo eſt quod adverſarii obtrudunt, ſcilicet hoc vocabulum, *propria conſcientia*, diſtrahere verbum *iuro* ab eius nativa ſignificatione; quin e contrario illud in proprio ſignificatu magis confirmat. Et ſane, quod rem conficere videtur, ipſi adverſarii fatentur, eum qui pronuntiat talia verba, *in propria conſcientia*, reipſa iurare, ſi expreſſe iurare vellet. Id namque concedunt Salmanticenſes cum aliis *tract.* XVII. *cap.* 11. *punct.* 3. *num.* 28. At qui dicit, *Iuro per meam conſcientiam*, expreſſe iurare vult: ergo iurat: expreſſe namque adhibet verbum *iuro*, ac teſtem invocat ſuam conſcientiam. Cedo: cum quis dicit, *Iuro*, qua ratione dicere poſſumus nos, vel ille ipſe qui tali verbo utitur, ſe non iurare? Licet ergo non iurare cenſeatur qui ſolum adfirmat aliquid *in propria conſcientia*; dum tamen pronuntiat, *iuro per meam conſcientiam*, ipſum cum laudatis graviſſimis Theologis, iurare ſentiendum eſt. Similiter, licet dum quis quidquam *in fide ſua* adfirmat, non iuret; cum tamen dicit, *Iuro per fidem meam*, eum iurare aſſerendum eſt ob rationem iam aſſignatam.

VII. Quæſt. V. *An iuraret qui diceret*, per vitam mei equi, per conſervationem huius arboris, *aut alterius rei inanimatæ?* Reſp. Hoc quæſitum ſub iiſdem ter-

terminis proponit Leander *tract.* 1. *diſput.* 111. *quæſt.* 111. Reſpondet autem his verbis: *Ex vi verborum eſt iuramentum: quia ad illud ea verba ex ſe ſufficiunt, niſi ex circumſtantiis appareat ea dici ad evitandum iuramentum verum.* Idipſum docet Suarez *cap.* XIII. *num.* 27. & Sanchez *num.* 36. Id ego quoque non nego; ſed ſolum addo, potiori iure dicendum, proferre iuramentum eum qui iurat per ſuam conſcientiam, per ſuam fidem, quam cum dicit, *Iuro per vitam huius equi, huius arboris*, vel *lapidis*, aut alterius rei inanimatæ.

VIII. Quæſt. VI. *An ſi quis interrogaret hoc modo*, Iuras mihi per Deum, rem ita ſe habere? *& interrogatus reſponderet*, Ita res ſe habet, *iuramentum ederet ſic reſpondendo?* Reſp. Sanchez *Lib. III. cap.* 11. *num.* 28. docet hunc non iurare; adfirmat vero illum iurare, ſi reſponderet, *Ita*, aut capite dumtaxat annueret. Hoc diſcrimen commentitium, & inane mihi videtur. Sive enim reſpondeat interroganti ſub iuramento, *Ita res ſe habet*, ſive *ita* abſolute, perinde eſt: quoniam reſponſio correſpondere debet interrogationi, quæ ſub iuramento petit reſponſionem. Quare dum reſpondet tali interrogationi, vere iurat, omni circuitione ſublata, niſi ex circumſtantiis colligatur reſpondentem declinare velle iuramentum.

IX. Quæſt. VII. *An iuret qui his expreſſionibus utitur:* Volo dictum meum iuramentum eſſe: tam certum eſto dictum, & promiſſum meum, ac ſi foret iuramentum? Reſp. Layman proponit hanc iurandi formulam, quam Germanis familiarem aſſerit, reſolvitque ſic loquentem iurare, ſi intentionem iurandi habeat, & quoties ea verba profert coram iudice exigente iuramentum, ac tandem quando deliberate, & ſerio verba illa pronuntiat: quoniam iuxta communem exiſtimationem pro iuramento accipiuntur. Addit vero, iuramentum non eſſe, ſi intentio deſit iurandi: cui ſubſcribit Patritius Sporer *num.* 8. At, quando præfata verba iuxta communem populi intelligentiam pro iuramento accipiuntur, & loquens ſerio ac deliberate ea profert, intentio interna vim non habet adimendi iis verbis illum ſignificatum quem ſecundum communem acceptionem habent, ut ſupra dictum eſt.

X. Quæſt. VIII. *An eiuſmodi formulæ, quas familiares habent Foroiulienſes*, Al ſeugnuli sì, Seugnuli sì, *ſive* Seugneli nò: Al ſeugnuli ſagri, iuſt, e potent, *præferant veram iuramenti rationem?* Reſp. Quiſquis Auctor varias iuxta ſuæ patriæ morem iuramentorum formulas proponit: idcirco conſentaneum, opportunumque duxi & ego recenſitas noſtratum Foroiulienſium peculiares aſſeverandi formulas proponere. Porro quid illa dialectus, *Al ſeugneli*, ſive *ſegnuli*, ſive *ſeugnuli*, reipſa præciſe ſignificet, a nemine colligere potui. Hoc certum eſt præfatam formulam apud talem nationem quamdam præferre iuramenti ſpeciem: videtur enim idem ſonare ac *per Evangelium:* & quod contineat quempiam reſpe-

ſpectum ad Evangelium, ac Deum ipſum, conſtat ex attributis in ultima formula deſcriptis: *Al ſeugneli ſagri, iuſt, e potent*: quod ſignificare videtur, *Per Evangelium ſacrum, iuſtum, & potens*, ſeu *per Deum potentem*: quam formulam verum continere iuramentum, nemo non videt. Nudum autem verbum, *ſeugneli*, ſeu *ſeugnuli*, ſuapte natura iuramentum non continet: nec enim abſolute ſignificat, etiam in illo idiomate, *Evangelium*: quoniam ſuo proprio nomine nuncupatur *Vangeli*, aut *VVagneli*. Quia tamen ſub initium fortaſſe pro Evangelio uſurpatum fuit *τὸ ſeugnuli* (idioma namque illud conflatum quoddam eſt ex linguis Latina, Hiſpanica, Gallica, Longobardica, aliiſque exoticis) idcirco temporis decurſu quædam vocabula ſuam avitam ſignificationem amittunt: quod de præfato verbo *ſeugnuli* mihi compertum eſt. Plurium annorum intervallo illud proferre audivi, quin intelligerem quidpiam. Dicendum ergo, quod verbum illud abſolute prolatum ambiguum ſit (quantum mihi in præfata lingua educato conſtare poteſt.) Intentio itaque proferentis attendenda eſt. Exploratum namque habeo, plurimos illud proferre vocabulum, quin quid ſignificet percipiant. Tunc ergo ſolum hæc formula, *Al ſeugnuli*, ſeu *ſegnuli sì*, iuramentum continet, quando qui illam adhibet, iurare ſerio intendit; ſecus, cum ab illis pronuntiatur qui neque iurare in animo habent, neque verbum illud iuramentum continere ſciunt: quia reapſe ex ſe iurationem non continet. Curet tamen Confeſſarius ut a tali verbo pro viribus caveant fideles, ſuamque linguam cohibeant.

XI. Quæſt. IX. *An licitum ſit iurare per falſos deos; & an iuramentum per eoſdem factum a Chriſtianis obliget?* Reſp. Iam ex iis quæ dicta ſunt, conſtat, invocantem creaturas quaſque, tamquam infallibile teſtimonium veritatis, impiam proferre blaſphemiam. Qui ergo iuraret per falſos deos, illorum teſtimonium tamquam manifeſtum veritatis argumentum invocando, peccatum idololatriæ perpetraret: quia attribueret idolis, & creaturis quod ſoli vero Deo competit. Hinc Deus prohibuit Iudæis iuramentum per falſos deos, Exod. XXIII. *Per nomen externorum deorum non iurabitis: neque audietur ex ore veſtro*: quemadmodum etiam illis iurare prohibuit Chriſtus in Evangelio, *neque per cælum, quia thronus Dei eſt; neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius; neque per Hieroſolymam, quia civitas eſt magni Regis*: Matth. V. quoniam propenſi erant Iudæi in idololatriam, & adorationem cæli, & terræ. Nullo itaque modo licitum eſt per falſos deos ſerio iurare. Et, cum aliquando per iocum dicitur, *per Iovem, per Mercurium, iuro Iovis lapidem*, non eſt iuramentum; ſed iocoſa quædam phraſis, quæ in communi acceptione nihil adfirmat, aut negat: & qui ea utuntur, effugere ſive adfirmationem, ſive negationem ſtudent. Hinc patet ſecunda quæſiti pars. Nam, ſi iuramentum nullum eſt, nulla conſequi ex illo obliga-

ligatio valet. Solum ex conſcientia erronea quis adſtringi poſſet ad implendum promiſſum, Sic Ethnici per idola iurantes, illoſque ut verum numen colentes, vi conſcientiæ erroneæ tenebantur implere iuramenta facta, Similiter, ſi Chriſtiani aliqui putarent iuramentum factum per falſos deos, verum eſſe iuramentum, illud obſervare deberent, donec conſcientiam errantem, ſeu errorem deponerent. Errore tamen excuſſo, promiſſio iuramento firmata obſervanda eſſet tum a Chriſtianis, tum ab Ethnicis, non vi iuramenti, ſed vi fidelitatis humanæ. Quæ omnia communiſſima ſunt.

XII. Quæſt. X. *Quid dicendum de ſequentibus formulis? Hæc faciat mihi Deus: Hæc addat: Numquam Deus mihi parcat, nec me ſalvet, nec me defendat: Mala morte obeam: Non vivam uſque in craſtinum: Malum Paſcha ſuper me veniat: ardeam in inferno: Diabolus me ad infernum deportet, ſi ita non eſt.* Reſp. In primis formulis, in quibus nomen Dei invocatur, dubio procul iuramentum execratorium continetur; quemadmodum & in ceteris aliis, ſi in confirmationem veritatis formulæ illæ adhibeantur. Quin hæc inter iuramenta execratoria ſunt omnium potiſſima.

XIII. Quæſt. XI. *An hæ aliæ formulæ contineant iuramentum execratorium? Amputentur mihi aures, abſcindatur naſus, caput, brachium, ſi ita non eſt.* Reſp. Abſolute, & ſermonis rigore ſpectato, eiuſmodi phraſes vim iuramenti execratorii habere poſſunt: qua de cauſſa prohibuit Deus Matth. v. *Neque per caput tuum iuraveris.* Attamen, ut communiter proferuntur, iuramentum non continent. Nil ſiquidem minus intelligunt homines quam iurare, cum vulgo fantur, *Mi ſiano tagliate le orecchie, il naſo, la teſta, il braccio, ſe non è così.* Quas formulas alio modo etiam ſæpius proferunt, nempe: *Ci metto, ſcommetto la teſta, le orecchie, il naſo, il braccio, ſe non è così.* Ubi apparet, nullo modo Deum invocari tamquam vindicem, ſeu, ut tamquam iudex vindictam ſumat; ſed meram & nudam ſponſionem hæc & ſimilia præferre.

Regulæ nonnullæ pro praxi.

XIV. Quamvis ex reſolutionibus plurium quæſtionum, circa quas hucuſque verſati fuimus, colligere quiſque poſſit, quando aſſertiones iuramento firmentur, nec ne; lubet nihilominus paucas generales regulas exhibere, quibus iuramenta a ſimplicibus aſſertionibus diſcernantur, ut unico quaſi intuitu valeat lector quæ latius diſputata ſunt, conſpicere.

XV. *Regula prima.* Communiter Doctores primum omnium docent, in iuramento, quibuslibet verbis illud concipiatur, attendendam eſſe mentem, & intentionem iurantis: quia, inquiunt, licet quis Deum invocet, ſi tamen intentionem ex-

expreſſam non habet iurandi, reipſa non iurat. Quam regulam præ ceteris inculcant Sanchez, Sporer, Tamburinus, & alii plures. Hæc regula partim vera, partim falſa eſt. Utique mens, intentio, & voluntas iurantis attendi debent; ſed verum quoque eſt iurantem teneri ſuam intentionem, ſeu mentem & animum conformare ad verba quæ profert. Heinc falſa eſt, niſi fallor ego, recentiorum plurium regula data, quatenus illi docent, Dei invocationem non eſſe iuramentum ex defectu intentionis iurantis. Quoniam, dum pronuntiant illud ſuum, *per Deum*, atque adfirmant *per Deum rem ita ſe habere*, & advertere adſtringuntur ad divinum teſtimonium, quod invocant; & intentionem verbis divinum teſtimonium invocantibus aptare tenentur. Quandoquidem, dum prohibemur *nomen Dei in vanum aſſumere*, ſimul iubemur ſumma conſideratione, & recogitatione illud uſurpare. Quare ipſe defectus intentionis, & conſiderationis, quem recentiores Theologi obtrudunt ad excuſandos Chriſtianos, paſſim *per Deum* ſuas aſſertiones confirmantes, peccatum eſt. Quando ergo formula verborum ſuapte natura iuramentum exprimit, cuiuſmodi eſt hæc, quæ expreſſe invocat divinum teſtimonium, *Per Deum ita eſt*, vulgo, *Per Dio sì*, aut *Par diu nò*, *Teſtis eſt mihi Deus*, ſimileſque, iuramentum eſt; tametſi iurans expreſſam intentionem non habeat iurandi: quod ſupra demonſtratum eſt, & infra, dum de conſuetudine iurandi ſermo erit, fuſius oſtendetur. An vero qui expreſſe invocaret divinum teſtimonium, ſimulque expreſſe iurare nollet, reipſa iuraret, infra reſolvam. Tunc vero intentio iurandi potiſſimum neceſſaria eſt, cum verba ſenſum ambiguum, & varium habent: cuiuſmodi ſunt hæ, *In veritate*, *vere*, *per fidem meam*, quæ de veritate, & fide humana, vel divina intelligi poſſunt ſecundum diverſam iurantis intentionem.

XVI. *Regula ſecunda*. Ad iuramentum non requiritur verbum *Iuro*; ſed ſatis eſt divini teſtimonii invocatio expreſſa, ut ſi dicatur, *Per Deum*, *per Virginem Mariam*. Hoc verbum *Iuro* abſolute prolatum ſine alio addito ſtricte acceptum iuramentum conſtituit; communiter tamen qui iurant, addere ſolent id per quod iurant. Si verbum addatur indicans non invocari divinum teſtimonium, & quod illud verbum *Iuro* a ſua propria ſignificatione diſtrahat, iuramentum non editur. Si quid vero addatur denotans Deum in teſtem vocari, iuramentum efficitur. Interdum, etſi nihil addatur, ſolum verbum *Iuro* ſufficit ad verum iuramentum. Id autem colligendum ex circumſtantiis eſt; ut, ſi qui iuramentum exigit, dicat, *Iuras mihi per Evangelium? Iuras mihi in forma iuris?* & alter reſpondeat, *Iuro*.

XVII. *Regula tertia*. Verba quæ duplici in ſenſu uſurpari poſſunt, ut ſunt iſta, *Deus videt quæ facio*; *quod narro, eſt Evangelium*, & alia ſimilia, quæ *enuntiative*, aut *invocative* proferri poſſunt, interpretari debemus habito reſpectu ad illos

qui

qui eadem pronuntiant. Nam, ſi vir bene moratus, minimeque iurare ſolitus, illa proferat (niſi oppoſitum ſit ſatis apertum) ipſum *enuntiative*, non *invocative* ea protuliſſe interpretari debemus. Secus dicendum de viris iurando aſſuetis.

XVIII. *Regula quarta*. In verbis ambiguis, potiſſimum in iis in quibus non reſplendet peculiari modo divina maieſtas, attendenda eſt intentio loquentis, patriæ conſuetudo, item aliæ circumſtantiæ, & maxime mores proferentis ea verba.

XIX. *Regula ultima*. Ob oculos ſemper habenda eſt regula illa divina quam Chriſtus ipſe tradidit Matth. v. *Sit autem ſermo veſter Eſt eſt, Non non: quod autem bis abundantius eſt, a malo eſt*. Hoc memoriæ defigendum eſt, a malo nempe proficiſci vel loquentis, vel audientis animo omne id quod præter ſimplicem affirmationem *eſt*, vel negationem *non* additur. Quapropter non modo abſtinere debemus a verbis ambiguis, & æquivocis, quæ pro iuramentis accipi, & non accipi poſſunt; verum etiam a quibuſdam verbis corruptis, ut *per chriſta, per dia, per diana, per diobacco*, aliiſque id genus, quæ, quamquam diſtrahant verbum *iuro* a ſua germana ſignificatione, habent nihilominus cum iuramento quamdam affinitatem, & quamdam iuramenti ſpeciem obiiciunt. Abſtinendum, inquam, eſt ab eiuſmodi, & ſimilibus corruptis vocabulis, tum propter ſcandalum quod interdum puſillis ingeritur; tum propter facilitatem, ſive periculum uſurpandi vocabula, & veras iuramentorum formulas pro fictitiis; tum quia Chriſtus Dominus prohibuit aſſertionibus noſtris præter *eſt eſt, non non*, quicquam addere, ſubdens a malo eſſe, ſeu malum eſſe, quicquid addatur: *quod autem bis abundantius eſt, a malo eſt*. Hæc itaque Chriſti Domini regula ante oculos tuos ſemper ſit. Quam regulam multo ante hominibus tradiderat Eccleſiaſticus cap. XXIII. *Indiſciplinatæ loquelæ non aſſueſcat os tuum: eſt enim in illa verbum peccati*. Ex his omnibus collige, quam peius loquantur, graviuſque delinquant illi qui non ſolum vocabulis corruptis utuntur, ſed paſſim exclamantes effutiunt vulgo, *Po far Dio, Poter, o potenza di Dio, Servo di Dio*. Iſti continenter violant ſecundum Decalogi præceptum, aſſumentes Dei nomen in vanum: & licet non iurent, ſed exclament, vel tædio affecti, vel admiratione, ſeu alia animi perturbatione moti; nihilominus, ut dictum eſt, peccant, tum propter ſcandalum, tum propter vanam Dei nominationem, tum propter facilitatem, ſive periculum prolabendi ex continua Dei vana nominatione in conſuetudinem iurandi, & peierandi. Quapropter numquam ego iſtis abſolutionem impartio, niſi emendationem promittant, & pro viribus præſtent.

CA-

CAPUT VII.

Iuramentorum diviſiones traduntur: & an omnia iuramenta ſint eiuſdem ſpeciei, explicatur.

I. EXpoſita iuramenti definitione, exhibitiſque variis iurandi formulis, reliquum nunc eſt ut plurimas item iuramentorum diviſiones promamus. Ex duplici capite D. Thomas *cit. quæſt.* lxxxix. *art.* 1. diviſionem iuramenti arceſſit, videlicet ex parte rei iuratæ, & ex modo iurandi.

II. Ex parte materiæ, ſeu rei quæ iuratur, dividitur iuramentum in *aſſertorium*, & *promiſſorium*. Iuramentum *aſſertorium* eſt quo Deus in confirmationem veritatis vel præſentis, vel præteritæ invocatur. Si dicas, *Iuro me illud delictum nudius tertius non commiſiſſe*, iuramentum eſt de re præterita. Si dicas, *Iuro me nunc ignorare prorſus iſtud de quo interrogor*, iuramentum eſt de re præſenti. Hoc iuramentum aſſertorium fieri poteſt vel ſuper veritate actionis præſentis, aut præteritæ ipſius iurantis; ut cum quis iurat ſe illud crimen non commiſiſſe, vel ſe credere, & profiteri fidem catholicam: aut ſuper notitia actionis præteritæ, vel præſentis, quæ alteram perſonam ſpectat; ut cum teſtes iurant, ſe ſcire, vel neſcire, Petrum perpetraſſe tale delictum. Iuramentum *promiſſorium* eſt illud quo quis rei futuræ promiſſionem firmat, ut alterum ſecuriorem reddat: v. g. cum quis iurat ſe hanc pecuniam daturum alteri, aut quidpiam aliud facturum. En verba ipſius D. Thomæ. *Divinum teſtimonium quandoque inducitur ad aſſerendum præſentia, vel præterita; & hoc dicitur iuramentum aſſertorium: quandoque autem inducitur divinum teſtimonium ad confirmandum aliquid futurum; & hoc dicitur iuramentum promiſſorium*. Quæ omnia ut clarius intelligas, adverte ſequentia. In iuramento aſſertorio ſemper id quod primo inſpicitur, eſt notitia præſens rei iuratæ. Quare, ſive actio ſit præſens, ſive ſit præterita, veritas iuramento ſubiecta ſemper præſens eſt in mente ipſius iurantis. In iuramento *promiſſorio* ſemper includitur *aſſertorium*: quia qui iurat ſe aliquid facturum, primo Deum in teſtem vocat veritatis præſentis, ſe nempe nunc reipſa habere animum, ſeu voluntatem efficiendi quod promittit; ſecundo autem Deum invocat tamquam fideiuſſorem veritatis futuræ, videlicet quod implebit, & executioni mandabit rem promiſſam. Nec propterea diviſio ſuperflua eſt. Siquidem, licet promiſſorium iuramentum includat aſſertorium, non tamen contra. Cum quis iurat quidquam de futuro ab altero præſtandum, puta, *Iuro Petrum ingreſſurum Religionem*, eſt iuramentum non promiſſorium, ſed aſſertorium: iuro enim me nunc ſcire, Petrum amplexurum ſtatum religioſum. Qui hoc modo iurat, vehementes, & graviſſimas rationes habere debet

bet id teſtandi: aliter iuramentum temere fieret. Iuramentum promiſſorium dividi etiam ſolet in *abſolutum*, ſeu ſimplex, quo quis abſolute iurat ſe quidquam facturum; & in *confirmatorium*, quo ſcilicet confirmatur vel votum Deo factum, vocaturque *votum iuratum*; vel pactum cum homine initum, & dicitur *pactum iuratum*; vel promiſſio facta Deo, & homini ſimul, ut quando cum iuramento promittis Deo, pecuniam te daturum tali pauperi, qui promiſſionem tuam acceptat, & dicitur *votum cum pacto iuratum*. Prævaricator duplicem vel triplicem malitiam contrahit. Nam qui votum iuratum Deo violat, peccat & contra votum, & contra iuramentum, ſeu duplici peccato adverſus religionis virtutem. Qui vero votum non implet Deo factum, & iuramento poſtea firmatum tum Deo, tum homini, præter duplicem malitiam adverſus religionem, violat fidelitatem Deo, & homini debitam, & ſimul iniuſtitiæ peccatum adverſus hominem promiſſarium committit.

III. Ex parte modi, ſeu formulæ pronuntiandi iuramentum, ſecernitur in *conteſtatorium*, quod fit per ſimplicem conteſtationem, ſeu invocationem divini teſtimonii, ut cum ſimpliciter dicitur, *Iuro per Deum ita eſſe*; & in *execratorium*, quo invocatur Deus, non tantum ut infallibilis teſtis veritatis, ſed etiam ut vindex falſitatis. Hoc autem iuramentum poſterius triplici formula concipi, & proferri valet. Primo, dum quis abſolute & expreſſe ſibi malum imprecatur a Deo infligendum: v. g. cum dicit, *Deus me puniat*, *perdat*, *damnet*, *mei obliviſcatur in mortis articulo* &c. Formula quæ olim communiter obtinebat, talis erat: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat*. In iure canonico hæc nunc viget: *Ita me Deus adiuvet, & hæc ſancta Evangelia*. Hæc execratio graviſſima eſt: hunc enim ſenſum reddit, *Deus me non adiuvet*, *ſi falſum pronuntio*. Secundo, cum quis iurat imprecando ſibi malum a creatura infligendum, Deo ſic permittente; ut cum dicit: *Fulmen me occidat*, *diabolus me rapiat*, *terra me deglutiat*, *morte ſubita moriar* &c. In his tamen imprecationibus, ut verum ſit iuramentum, neceſſe eſt iurantem reſpectum habere ad Deum, illumque invocare ut vindicem talia permittentem. Si enim quis ſolum imprecaretur ſibi malum ſine ullo reſpectu ad Deum, iuramentum non ederet. Tertio modo iurari poteſt per ſalutem, & vitam parentum, filiorum, Principis, Cæſaris &c. quorum ſenſus eſt: pereat ſalus, pereat vita filiorum, parentum, Principis, Cæſaris, ſi ita non eſt quod dico. Sancti viri cum veteris, tum novi fœderis uſi ſunt interdum iuramentis execratoriis. Ioſeph iuravit hoc modo: *Per ſalutem Pharaonis non egrediemini hinc*: Gen. xlii. verſ. 15. D. Paulus iuravit ſuper animam ſuam: *Teſtem Deum invoco in animam meam*: II. Cor. I. Per execrationem David quoque iuravit: *Si reddidi retribuentibus mihi mala*, *decidam merito ab inimicis meis inanis*: Pſal. vii. In cuius Pſalmi commentario hæc ſcribit Auguſtinus. *Iurare videtur per execrationem*, *quod eſt graviſſimum iuriſiu-*

randi

Digitized by Google

randi genus ; *cum homo dicit : Si illud feci, illud patiar*. Illud animadvertendum eſt, quod dum iuramentum execratorium profertur per ſalutem, ſeu vitam aliarum perſonarum, hæ debent ad iurantem aliquo titulo pertinere ; ut patet in exemplis adductis parentum, Principis, Cæſaris, filiorum, uxorum &c. Quapropter, dum quis dicit, *Sagitta me comburat, niſi verum dixero*, maledictum non iuramentum profert.

IV. Iterum ex parte formæ iuramentum dividitur in ſimplex, & ſolemne. Iuramenta ſimplicia ſunt quæ a privatis hominibus fiunt verbis illis quæ ipſis magis placent. Iuramentum ſolemne illud eſt quod fit quodam ſolemni ritu, & forma vi iuris, aut conſuetudinis præſcripta. Ethnici innumeros iurandi ritus habebant, de quibus conſule Alexandrum ab Alexandro *Lib. V. genial. cap.* x. Iudæi quoque plures pro iuramenti uſu ritus obſervabant. Celebriores erant manuum elevatio. Gen. XIV. verſ. 22. *Levo manum meam ad Dominum Deum excelſum*. Tranſitus item inter duas vituli occiſi, ſeu cuiuſcumque victimæ partes. *Vitulum quem conciderunt in duas partes, & tranſierunt inter diviſiones eius* : Ierem. XXXIV. verſ. 18. Sed ſolemnior erat ritus ponendi manum ſub femore illius qui iuramentum exigebat. Hoc ritu Abraham exegit iuramentum a famulo ſuo ſeniore : *Pone manum tuam ſubter femur meum* : Gen. XXIV. verſ. 2. Eodem quoque ritu Iacob morti proximus petiit a filio ſuo Ioſeph : *Si inveni gratiam in conſpectu tuo, pone manum tuam ſub femore meo* : Gen. XLVII. verſ. 29. Super hac cæremonia variæ ſunt Patrum, & interpretum ſententiæ. Aliis omiſſis, communior eſt illa quam refert Hieronymus in Quæſtionibus Hebraicis, nimirum illo ſigno indicatum fuiſſe, iuramentum præſtari in fide Chriſti, qui tum continebatur in lumbis Abrahæ, & Iacob, ut Paulus loquitur *Hebr.* VII. Et reipſa non legimus hanc cæremoniam adhibitam ab aliis fuiſſe quam ab Abraham, & Iacob.

V. Noſtris pariter temporibus varii ritus præſcribuntur pro iuramentis ſolemnibus tum in iure civili, tum in iure canonico. Communior ritus elucet in contactu rerum ſacrarum, ut Evangeliorum, reliquiarum, & etiam ſacroſanctæ Euchariſtiæ. In foro civili ſolent tangere ſceptrum regium, aut attollere priores digitos. Si varias iſtius fori ſolemnitates in iuramento ſervari ſolitas ſcire cupis, conſule *Leg.* Generaliter *ſ. ultim. cod. de reb. cred.* Olim ritus ſolemnis, & communis Chriſtianorum, erat contactus altaris, ſeu ſacræ menſæ, qui ritus etiam in iuramentis privatis ſervabatur. De hoc iuramento loquitur Chryſoſtomus homil. XV. ad popul. *Cum ſuper menſam adiuras ſacram, & ubi Chriſtus poſitus eſt immaculatus, ibi fratrem tuum immolas.... ſaltem librum iſtum reverere quem in iuramentum porrigis.*

VI. Iuramentum ſolemne triplex eſt, ſeu triplici modo fieri ſolet. Primum eſt *verbale tantum*, quod ſolis verbis fit, & in ipſis verbis certa quædam forma ſervatur ;

tur; ut quando iuramentum fit per expreſſam Dei invocationem ,,' vel etiam ſanctiſſimæ Virginis, aliorumve Sanctorum. Secundum iuramentum *reale tantum* nuncupatur, quod fit ſimplici contactu Evangeliorum, pectoris, crucis, altaris &c. nullis omnino verbis adhibitis. Tertium iuramentum *mixtum* dicitur, quod & verbis, & contactu rei ſacræ fit. Iuramentum itaque ſolis verbis fieri poteſt; & dicitur *verbale*: item ſolo ſigno exteriori, tactu, geſtu, ſeu nutu, ſine verbis (neque enim verba neceſſaria ſunt ad iuramenta] & dicitur *reale*: tandem verbis, & ſignis ſimul; & dicitur *mixtum*, vel etiam *corporale*, quia præter verba inſuper corporalis actio adhibetur.

VII. Iuramenta ſolemnia ſolent etiam eſſe *iudicialia*, quæ videlicet in iudiciis præſtantur: ſuntque varii, ut ita dicam, generis. Primum iuramentum *iudiciale* illud eſt quod fit ſub initium litis, & vocatur *iuramentum calumniæ*, quo videlicet actor iurare debet ſe litem moviſſe, non animo calumniandi, ſed ob ſolam cauſſæ veritatem; & reus ſimiliter iurare debet ſe exiſtimare iuſtam habere reluctandi rationem. Imperator Iuſtinianus *leg. 2. cod. de iureiurando prop. calum.* hunc iurandi morem invexit, ut litigantes a calumnioſa litium proſecutione abduceret. Quod ut validius efficeret, iudicibus omnibus remittendi hoc iuramentum facultatem ademit his verbis loc. laud. *§. 4. Sed quia veremur ne forſitan quidam colluſione aliqua utentes, remittere videantur inter ſe huiuſmodi ſacramentum, & ex prædicta diſſimulatione noſtram ſanctionem deludant; ſancimus, omnes iudices, licet ex compromiſſo cognoſcant, vigorem ſuum exercentes (quia non pro commodo privatorum, ſed pro communi utilitate præſentem legem poſuimus) minime pati tale ſacramentum remitti*. Rationem addit *§. 8. Sic enim non lites ſolum, ſed etiam calumniatores minuentur*. Pluribus ſæculis viguit hic iuramenti uſus; ſed nunc in curiis Principum penitus obſolevit, ut Auctores communiter advertunt. Rationem deſuetudinis prodit Maranta *de ord. iud. par. VI. tit. de iuramento num. 11.* his verbis: *Unde ego puto quod litigatores noſtri temporis potius iurant de calumnia committenda quam vitanda; & ideo melius eſſet, ſi ex toto tolleretur a iudicio, cauſa vitandi tot periuria*. Hoc iuramentum *calumniæ*, quod in exordio litis fit, vocatur iuramentum *credulitatis*, diſtinctum a iuramento *veritatis*. Hanc diſtinctionem tradit Iulius Pacis celebris inter utriuſque iuris conſultos in *Iſagogicis ad Lib. II. Cod. tit. 58.* ,, Tertium preparatorium (inquit) eſt bona fides, quam lex a litigantibus requi- ,, rit, ne temere litigent. Quamobrem tam actorem, quam reum de calumnia ,, iurare iubet . . . . Nota hoc iuſiurandum eſſe [ut noſtri loquuntur] de *credu-* ,, *litate*, non de *veritate*. Non enim iurant litigantes, ſe bonam cauſſam habere; ,, ſed ita ſe credere." Diſtinctio hæc materialis eſt. Nam materia proxima iuramenti, etiam credulitatis, eſt veritas: quia verum eſt ita ſe credere, nempe bonam cauſſam habere.

VIII. Secundum iuramentum iudiciale vocatur iuramentum *malitiæ*, quod in progreſſu litis a iudice partibus datur, quoties ſibi bene viſum fuerit; quod iuramentum *malitiæ* nunc appellatur etiam *calumniæ*. Uſus iſtius iuramenti malitiæ, quo litigatores iurant ſe extraordinarias dilationes ad calumniandum non petituros, nec accepturos, etiamnum viget in pluribus foris ſæcularibus quoad certos articulos, aut propoſitiones. Iudex, inſtante parte, negat, vel concedit hoc iuramentum, prout opportunum eſſe arbitratur. In foris vero eccleſiaſticis frequentiſſimus eſt iſtius iuramenti uſus, de quo conſulendi ſunt Canoniſtæ.

IX. Tertium iuramentum iudiciale vocatur *ſuppletorium*, quo inopia probationum ſuppletur, ſeu deficientibus probationibus, ſubſtituitur iuramentum, tamquam ultimum remedium ad lites, & controverſias dirimendas. Finis namque iuramenti eſt dubiæ veritatis manifeſtatio. Quare, cum in controverſiis veritas per probationes, vel teſtes deprehendi nequit, Apoſtolus ipſe iuramentum adhibendum aſſignat ad litem dirimendam. *Omnis controverſiæ eorum finis ad confirmationem eſt iuramentum*: Hebr. VI. Hoc iuramentum in cauſſis civilibus appellatur *ſuppletorium*; in cauſſis criminalibus nuncupatur *purgatorium*.

X. Quartum iuramentum iudiciale dicitur in *litem*: quod triplex eſt. Unum dicitur iuramentum *veritatis*, ſeu *veræ æſtimationis*, quia defertur ad probandum valorem, & quantitatem rei amiſſæ per dolum alterius: v. g. ſi ſcrinium cauponi, vel alteri ſervandum conſignaſti, & ab eodem tibi reſtituatur fractis ſeris, & ſigillis ſublatis, ſitque gravis præſumptio de dolo cauponis, ſeu *conſignatarii*; aut ſi damnum quis paſſus a fure, probato furto, rei ablatæ pretium iuramento teſtetur. Hoc iuramentum nuncupatur a Iureconſultis *veritatis*. Secundum dicitur iuramentum *affectionis*, quando res tua, culpa alterius deperdita, vel deſtructa eſt, quam tu ſummopere utilem, commodamque reputabas, conceditur tibi iuramento pretium illius rei æſtimare: in quo, ne duplum communis exiſtimationis excedas, prohibitum eſt. Idcirco iuramentum iudicis definitioni ſubiectum eſt. Tertium dicitur iuramentum ſuper *intereſſe ſingulari*, *&* *extra rem*: v. g. nummos tuos depoſuiſti penes depoſitarium pro libito tuo tibi reſtituendos: depoſitarius ſua culpa nummos definito tempore non reſtituit; quam ob cauſſam damnum tu paſſus es, & lucri amiſſionem: permittitur tibi hoc in caſu, tuo iuramento interpoſito, damnum cui fuiſti obnoxius, æſtimare. *l.* Nummis *ff. de in litem iurando*. Quod de nummis dictum eſt, idem dicendum de aliis rebus in quibus damnum, vel iacturam paſſus fueris ob dolum depoſitarii.

XI. Tandem iuramentum iudiciale aliud *neceſſarium*, aliud *voluntarium* nuncupatur. *Neceſſarium* illud eſt quod in cauſſa dubia, ob momentorum quæ litem dirimant, inopiam iudex defert, aut ex officio, aut parte inſtante. Neceſſarium appellatur, tum quia iudex interdum illud deferre cogitur, tum quia ſine iuſta cauſ-

Digitized by Google

cauſſa a parte, cui indicitur, nequit recuſari. Tunc actor iuſtam declinandi iuramenti cauſſam habet, quando intentionem ſuam evidenter demonſtraverit; reus vero, ſi cauſſæ oblivionem confiteatur. *Voluntarium* eſt quod pars parti defert, & evitari poteſt. Quando tamen defertur, iudice approbante, neceſſarium quodammodo evadit: quoniam ille cui delatum eſt, iurare debet, niſi iuſtam habeat recuſandi cauſſam; alioquin cauſſa cadit. Ne verborum ignoratio confuſionem pariat, hoc inter *deferre* & *referre* diſcrimen eſt, quod ille dicitur *deferre* iuramentum qui primus offert. Quando pars illud recuſat, & offert adverſario, *referre* dicitur.

XII. Diſputant in utramque partem Iureconſulti, utrum reo, vel actori in cauſſa dubia deferendum ſit iuramentum quod *ſuppletorium* dicitur. Et, quamquam placita varia ſint, communior tamen ſententia eſt, iuramentum reo deferendum eſſe abſolute loquendo, non actori: quia iura promptiora ſunt ad abſolvendum quam ad condemnandum. Et revera, ſi actori per iuramentum *ſuppletorium* cauſſam ſuam definire liceret, neceſſitas probationum de medio tolleretur; ac proinde aditus pateret ampliſſimus falſis criminationibus ac periuriis. Iudicis tamen eſt perſonarum contendentium, & litis qualitates, ac circumſtantias ſerio perpendere, atque illi parti, ſive actori, ſive reo, iuramentum deferre cui magis rationes, vel præſumptiones favere perſpexerit.

XIII. Illud ſummopere Auctores graves omnes inculcant, videlicet hoc iuramentum quod *ſuppletorium* vocant, non niſi in graviſſima neceſſitate eſſe adhibendum. Antonius Faber *Lib. IV. tit.* I. *definit.* I. *nota 9. in cod.* abſolute improbat hoc iuramentum *ſuppletorium*, illiuſque uſum inveteratum errorem appellat. Sed Fabri opinio erronea eſt: quoniam D. Paulus ad finiendas controverſias, neceſſitate cogente, hoc iuramentum utile eſſe decernit. Illud ſolum præ oculis eſt habendum, ut ſumma circumſpectione, & cautione deferatur ad tollendam periurii occaſionem. Hominum enim plurimi, religione contempta, faciles ſunt ad peierandum; nonnulli vero uſque ad ſuperſtitionem timidi (pauci tamen hi ſunt) iurare non audent.

XIV. Similiter docent Auctores, in cauſſis criminalibus, in quibus pœna corporalis reo infligenda eſt, iuramento *ſuppletorio* locum non eſſe. Quandoquidem in his cauſſis probationes luce clariores requiruntur: quæ probationes iuramento ſuppleri nequeunt. *l.* Sciant cuncti *eod. de probat.* 2. *quæſt.* VIII. In actione quoque civili *famoſa* abſtinendum communiter tradunt Auctores ab huius iuramenti delatione. Actio famoſa ea dicitur quæ cognita infamiam gravem reo infert, ut eſt furtum clandeſtinum. Si tamen graves urgeant rationes, deferri poteſt. Vaneſpen *III. P. tit.* VII. *cap.* VIII. *num.* 19. abſolute negat actione famoſa convento deferendum eſſe iuramentum, allegatque auctoritatem Gregorii IX. *tit. de iure*

 iu-

iurando cap. fin. ubi inquit Pontifex: *Nec liceat convento famoſa actione referre huiuſmodi iuramentum*. Quæ auctoritas clare opponitur aſſertioni *Van-eſpenii*. Nam Pontifex prohibet reo iuramentum ſibi oblatum *referre*, ſeu regerere in actorem. Ergo ſupponit licitum eſſe aliquando actione famoſa convento iuramentum deferre. In hac tamen actione, ut dictum eſt, ſicuti & cauſſis non famoſis, ſed arduis, cuiuſmodi eſt cauſſa matrimonialis, requiritur pluſquam ſemiplena probatio, quæque exceptioni obnoxia non ſit; & maxime præſumptio debet eſſe contra reum, ut actori minime ſuſpecto iudex deferre iuramentum valeat. In cauſſis autem non famoſis, nec arduis, ſufficit ſemiplena probatio, nempe unicus teſtis, qui non ſit obnoxius exceptioni, ut iudex deferre iuſiurandum queat. Sed de iuramentis iudicialibus forſitan pluſquam ſatis, cum eorum tractatus ad noſtrum non pertineat inſtitutum.

XV. Explicatis variis iuramentorum diviſionibus, breviter diſquirendum remanet, num hæc iuramenta ſint eiuſdem, vel diverſæ ſpeciei. Promiſſorium, & aſſertorium iuramentum diverſas conſtituere ſpecies defendit Caſtropalaus *Tom. III. tract.* XIV. *diſp.* 1. *punct.* 2. *num.* 7. In eamdem ſententiam ſe valde propenſum declarat Suarez *Lib. I. cap.* IX. *num.* 5. & ſane rationes probabiles prodit, ac ſatis valide argumenta oppoſita reſolvit. Communior ſententia eſt, omnia iuramenta eſſe eiuſdem ſpeciei, ſive aſſertoria ſint, ſive promiſſoria, ſive imprecatoria, ſive execratoria, ſive per Deum fiant, ſive per creaturas, ſive contactu Evangelii, ſive quacumque alia ſolemnitate.

XVI. Rationem validiſſimam afferunt iſtius ſententiæ patroni. Quoniam notio primaria, & eſſentialis cuiuſcumque iuramenti eſt invocatio divini teſtimonii in veritatis confirmationem. Quod autem veritas hæc præſens ſit, vel præterita; quod invocatio præfata fiat per ſimplicem conteſtationem, aut per execrationem; quod expreſſe Deum quis nominet, vel tacite, quatenus in creaturis effulget, nullo modo rationem formalem variat iuramenti, cum Deus in teſtem vocetur. Sola itaque accidentalis, & materialis diverſitas eſt. Et quamvis in iuramento promiſſorio Deus non ſolum ut teſtis veritatis præſentis, ſed etiam ut fideiuſſor veritatis futuræ, ſeu executionis rei promiſſæ, & iuramento firmatæ, invocetur; quemadmodum in execratorio invocatur ut teſtis ſimul, & ut vindex: nihilominus hæ rationes eiuſmodi non ſunt quæ inducant ſpecificam inter iuramenta diverſitatem ob rationem iam datam: quia ratio formalis, a qua iuramentum ſuam ſortitur naturam, ſeu notionem eſſentialem, eſt invocatio divini teſtimonii. Quapropter, cum hæc eadem ſit in omnibus iuramentis, neque varietur ex variis formulis quibus iuramenta efferuntur; idcirco iuramenta omnia unius eiuſdemque ſpeciei debent exiſtimari.

XVII. Non eſt quod tempus teramus in longiore iſtius controverſiæ diſcuſſione

ne. Nam, ſi intra limites metaphyſici ratiocinii conſiſtamus, utraque opinio ſua fruitur probabilitate. In genere autem moris unum iuramentum maiorem quamdam præ alio obligationem inducit : quo enim ſolemnioribus formulis iuramentum concipitur, eo etiam graviore illius violatio malitia inficitur, ut docet Angelicus 2. 2. quæſt. XCVIII. art. 3. ad 2. *Eſt gravius peccatum, ſi quis ſolemniter iuret per Evangelium, quam ſi per Deum in communi ſermone iuret, tum propter ſcandalum, tum propter maiorem deliberationem. Quibus æqualiter hinc inde penſatis, gravius eſt, ſi quis per Deum iurans periuret, quam ſi periuret iurans per Evangelium.*

XVIII. Certum itaque eſt penes omnes, periuria quædam graviorem, ſaltem intra eamdem ſpeciem, prodere malitiam. Sed iuxta alteram opinionem, quæ aſſerit iuramenta promiſſoria, & aſſertoria ſpecie differre, malitia quoque unius periurii ſpecie differt ab alia. Quare ſecundum hanc ſententiam neceſſe erit explicare in confeſſione iuramenri ſpeciem. Iuxta primam vero opinionem, ſi circumſtantia malitiæ ſit valde aggravans, manifeſtanda pariter erit, ut ſuo loco demonſtrabitur : quidquid in oppoſitum dicant plures novi Doctores.

XIX. Non raro iuramenta afficiuntur moralitate alterius lineæ, ſeu generis. Nam, ſi quis iuraret, *Pereat Deus, ſi ita non eſt*, præter iuramenti malitiam eſſet malitia blaſphemiæ. Rurſus, ſi iudici ſuperiori, legitime præcipienti iuramentum, veritatem non pateſaceres, duplicem contraheres malitiam, alteram periurii, alteram inobedientiæ. Tandem, ſi in iudicio iurares in damnum alicuius, triplex peccatum perpetrares, videlicet periurii, inobedientiæ, & iniuſtitiæ.

CAPUT VIII.

Ut iuramentum licitum ſit, tres conditiones ſunt neceſſariæ, veritas, iuſtitia, & iudicium. Alias plures iurandi regulas D. Thomas aſſignat.

I. IAM capite II. huius diſſertationis adverſus hæreticos demonſtratum eſt, iuramentum actum eſſe honeſtum, licitumque, immo virtutis actum, religionis ſcilicet, ſive latriæ, dummodo neceſſariis ſtipatum ſit conditionibus. Hoc in capite conditiones iſtas, quæ iuramentum comitari debent, explicandas ſuſcipimus. Sed, antequam ſeorſum ſingulas diſpiciamus, ex D. Thoma advertendum eſt, iuramentum non eſſe abſolute appetendum, & frequenter uſurpandum. Quare inter ea bona recenſetur quæ, neceſſitate dumtaxat urgente, ſunt appetenda ; cuiuſmodi eſt medicina, quæ bona eſt, poſita infirmitate cui occurrit. Sic iuramentum ad proſpiciendum infirmitati, nimirum incredulo homini, inſtitutum eſt.

Sicut medicina (inquit Angelicus quæſt. lxxxix. art. 5. ad 3.) *eſt utilis ad ſanandum, & tamen quanto eſt virtuoſior, tanto maius nocumentum inducit, ſi non debite ſumatur; ita etiam iuramentum utile quidem eſt ad confirmationem; tamen quanto eſt magis venerandum, tanto eſt magis periculoſum, niſi debite inducatur.*

II. Porro ut iuramentum opportune adhibeatur, tres conditiones illud comitari debent, divina Scriptura ſic iubente Ierem. IV. *Iurabis, Vivit Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iuſtitia.* Cur hæ tres conditiones requirantur, rationem aſſignat S. Thomas loc. cit. art. 3. in corp. *Iuramentum non eſt bonum, niſi ei qui bene utitur iuramento. Ad bonum autem uſum iuramenti duo requiruntur. Primo quidem quod aliquis non leviter, ſed ex neceſſaria cauſa, & diſcrete iuret: & quantum ad hoc requiritur iudicium, ſcilicet diſcretionis ex parte iurantis. Secundo quantum ad id quod per iuramentum confirmatur; ut ſcilicet neque ſit falſum, neque ſit aliquid illicitum: & quantum ad hoc requiritur veritas, per quam aliquis iuramento confirmat quod verum eſt; & iuſtitia, per quam confirmat quod licitum eſt. Iudicio autem caret iuramentum incautum; veritate autem iuramentum mendax; iuſtitia autem iuramentum iniquum, ſive illicitum.*

III. Ex hac angelica doctrina præfatarum conditionum ſenſus manifeſto elucet. In omni itaque iuramento primum neceſſaria eſt *veritas*, in cuius confirmationem divinum teſtimonium invocatur. Hæc *veritas*, ſeu certitudo *veritatis* conſiderari poteſt & ex parte rei iuratæ, & ex parte iurantis. Ex parte rei iuratæ requiritur quod res quæ iuratur, ſit vera iuxta communem intelligentiam, & conſuetudinem. Sic qui iurat diſcipulum frequentaſſe gymnaſia, verum iurat, licet aliquando abſuerit: quia ſic communiter intelligitur. Certitudo ex parte iurantis in eo ſita eſt quod homo iuramento rem confirmet, qualem in mente habet, ſeu prout ſcit, vel arbitratur eſſe veram. Si rem ſcit eſſe certam, non poteſt eam iurare ut dubiam; & ſi arbitratur dubiam eſſe, ut certam eam iurare nequit. In iuramento promiſſorio duplex veritas importatur: altera præſens, ſeu dicti; altera futura, ſeu facti. Prior eſt qua quis iurat ſe nunc habere animum implendi quod promittit: poſterior in executione futuræ rei promiſſæ conſiſtit. Sed de hac duplici veritate ſuſius infra. Secundo requiritur *iuſtitia*: quæ non eſt illa peculiaris iuſtitiæ virtus qua cuique quod ſuum eſt tribuitur; ſed ea iuſtitia ad iuramentum neceſſaria eſt quæ excludat a materia confirmanda per iuramentum quamcumque rem, dictum, vel factum culpabile, iniquum, & improbum, ſive iuſtitiæ, ſive alteri cuique virtuti adverſetur. Ille ergo in *iuſtitia* iurare dicitur qui rem iuſtam, honeſtam, licitamque iurat. Tertio neceſſarium eſt *iudicium*: quod non accipitur pro *iuſtitiæ* executione, ſed pro prudenti conſideratione; & in eo conſiſtit quod homo, antequam iuret, mature, ſerioque perpendat utilitatem, & neceſſitatem iurandi. Sicut enim prudentia eſt omnium virtutum dux,

dux, ſive regula; ita potiſſime iuramentum dirigit. Hæc tertia conditio ſummopere neceſſaria eſt, ut iuramentum licitum ſit, & virtutis actus; priores autem duæ requiruntur, ne ſit peccatum. Sub hoc *iudicio* aliquo modo omnes conditiones ceteræ continentur. De veritate, & iuſtitia patet: nam ſicut hoc *iudicium* præſcribit iurandum eſſe, attenta rerum utilitate, & neceſſitate; ita vetat iurare rem falſam, aut vitioſam. Alias quoque conditiones, potiſſimum *fidem* theologicam, qua creditur Deus omnia ſcire, & *devotionem*, qua ex parte iurantis reverentia Deo debita exhibetur, ſub iudicio eſſe concluſas, docet aperte D. Thomas loc. cit. art. 3. ad 2. *Devotio, & fides, & omnia huiuſmodi, quæ exiguntur ad debitum modum iurandi, intelliguntur in iudicio.* De hoc *iudicio* præclare D. Auguſtinus ſerm. XXVIII. de verb. Apoſt. cap. IX. *Quantum ad me pertinet, iuro; ſed, quantum mihi videtur, magna neceſſitate compulſus. Cum videro non mihi credi, niſi faciam; & ei qui mihi non credit, non expedire quod non credit; hac perpenſa ratione, & conſideratione librata, cum magno timore dico, Coram Deo, aut teſtis eſt Deus, aut ſcit Chriſtus ſic eſſe in animo meo.*

IV. Angelicus non ſolum tres communes conditiones quæ iuramentum quodcumque comitari debent, explicat; ſed inſuper eventus perſequitur illos in quibus iuramentum a culpa immune eſt, immo virtutis meritum habet. Sex autem aſſignat caſus huiuſmodi. I. quando iuramentum eſt pacis concluſio. II. neceſſitas conſervandæ propriæ famæ. III. pro pignore fidelitatis. IV. in argumentum obedientiæ ſuperiori præſtandæ. V. cum urget neceſſitas aſſecurandi rem promiſſam. VI. ut credibilis reddatur veritas, quæ ut credatur, plurimum refert. En verba S. Doctoris lect. IV. in Epiſt. ad Hebræos cap. VI. *Cauſæ autem in quibus liceat iurare, hæ ſunt. Pro pace firmanda, ſicut Laban iuravit Gen. XXX. Secundo pro fama conſervanda. Tertio pro fidelitate tenenda, ſicut feudatarii iurant dominis. Quarto pro obedientia implenda, ſi præcipitur a ſuperiore aliquid honeſtum. Quinto pro ſecuritate facienda. Sexto pro veritate atteſtanda. Sic iuravit Apoſtolus Rom. 1. Teſtis eſt mihi Deus.*

Digitized by Google

CAPUT IX.

Quæ veritas requiratur in iuramento aſſertorio. Defectus cuiuſque minimæ veritatis in hoc iuramento peccatum mortale eſt. Nonnullæ quæſtiunculæ de periurio iuramenti aſſertorii.

I. VEritas eſt potiſſima ex conditionibus neceſſariis ad licitum iuramentum; ut dictum eſt. Neceſſe tamen non eſt ut hæc veritas ſit ſemper in re; ſed ſatis eſt ut iurans bona fide exiſtimet rem de qua iurat, veram eſſe, licet reipſa aliter ſe haberet: ſeu non requiritur veritas metaphyſica, ſed moralis. Quare veritas non tam ſumitur ex ipſo obiecto, ſeu re iurara, quam ex ipſo iurantis animo. Accidere namque valet rem falſam te iurare, quin periures; quando videlicet ſincero animo putas eſſe veram: & contra contingere poteſt te iurare rem veram, & periurare, eo quod putas eſſe falſam. Ut omnes difficultates quæ in iuramenti aſſertorii uſu occurrere poſſunt, clarius reſolvam, ſequentes quæſtiunculas cum ſuis reſponſionibus exhibebo.

II. Quæſt. I. *An qui in re leviſſima falſum iurat, peccet mortaliter?* Reſp. Angelus, ſeu Summa Angelica refert Gotfredum docentem in cap. *Quod autem* periurium in leviſſima re, eſſe veniale peccatum: quam opinionem probabilem reputat Angelus verb. *Periurium*, his verbis. *Poſſet tamen dici, quod mendacium iocoſum non ſit proprie mendacium, ut in dicto cap. Quod ait. Ideo poſſet teneri opinio Gotfredi, quod non peccat mortaliter, quia non proprie periurat. Sed opinio Theologorum eſt tutior.* Auctor *Theologiæ Moralis Ieſuitarum*, & Henricus a S. Ignatio in *prolegomeno* 1. *cap.* 1. hanc eamdem ſententiam adiudicant Baunio in *Sum. pag.* 65. *edit.* xv. ubi eam docet his verbis: *Vocare Deum in teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia propter quam velit, aut poſſit damnare hominem:* quæ propoſitio eſt xxiv. inter damnatas ab Innocentio XI. Dominicus Viva in ſua Trutina theologica interpretatur, Baunium admittere parvitatem materiæ in iuramento dumtaxat promiſſorio. Sit ita. Libenter ſiquidem & nos ſano in ſenſu, quoad fieri poteſt, catholicos Scriptores interpretamur. Id quod negotium faceſſit, eſt, iiſdem omnino verbis eſſe conceptam propoſitionem damnatam ab Innocentio XI. quam cum ceteris Theologis ipſe P. Viva teſtatur proſcriptam fuiſſe in ſenſu iuramenti aſſertorii, non promiſſorii. Utcumque res iſta ſe habeat, ratio proſcriptæ propoſitionis evidens eſt. Quandoquidem periurii malitia ſuam gravitatem non deſumit ex mendacio ſive levi, ſive gravi, ſive iocoſo, ſive

Digitized by Google

ve pernicioſo; ſed ex irreverentia quæ Deo irrogatur. Porro graviſſima irreverentia, & ſumma iniuria Deo irrogatur, cum in teſtem falſitatis vocatur, ſive materia talis invocationis, ſeu iuramenti graviſſima ſit, ſive levis. Qui enim Deum in teſtem falſitatis invocat, tacite teſtatur Deum fallere, aut falli poſſe: atque adeo ex parte ſui infallibilem veritatem Deo adimit. Ergo omne periurium eſt peccatum mortale. Quin addit Angelicus Doctor 2. 2. *quæſt.* XCVIII. *artic.* 3. ubi ſtatuit omne periurium eſſe peccatum mortale: addit, inquam, *ad* 2. periurium in re levi gravius ex una parte peccatum eſſe quam in materia gravi. *Ille qui iocoſe periurat, non evitat divinam irreverentiam, ſed quantum ad aliquid magis auget; & ideo non excuſatur a peccato mortali.* Solus defectus conſiderationis, & deliberationis, ſeu advertentiæ, a mortali culpa excuſare poſſet; ſed in tali caſu non eſſet periurium: quia ad iuramentum neceſſaria eſt deliberatio iurandi, modo infra explicando. En verba Angelici. *Ille autem qui ex lapſu linguæ falſum iurat, ſi quidem advertat ſe iurare, & falſum eſſe quod iurat, non excuſatur a peccato mortali, ſicut nec a Dei contemptu. Si autem hoc non advertat, non videtur habere intentionem iurandi: & ideo a crimine periurii excuſatur.* Sic docent omnes Auctores, poſtquam Innocentius XI. damnavit recenſitam propoſitionem.

III. Quæſt. II. *An qui rem dubiam ut certam, aut contra, iurat, peccet mortaliter?* Reſp. Adfirmative reſpondent omnes Doctores. Quia qui rem dubiam ut certam, aut rem certam ut dubiam iurat, revera mentitur: ergo profert periurium, quod eſt peccatum mortale. Debes ergo eo modo rem adfirmare, vel negare, quo tu prudenter, rebus omnibus perpenſis, eam ſe habere exiſtimas. Si res tibi dubia eſt, ſolum ſubdubitando prodere eam debes; ſi certa, non dubitando, ſed aſſeveranter eam proferto.

IV. Quæſt. III. *An peccet mortaliter qui per hyperbolem aliquid iurat, quod, ut ſonat, verum non eſt?* Reſp. Sanchez *Lib. III. in Decal. cap.* IV. *num.* 9. Tamburinus *Lib. III. in Decal. cap.* II. *§.* I. *num.* 4. Leander *tract.* I. *diſp.* VII. *quæſt.* VII. Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* I. *punct.* 3. *num.* 6. negative reſpondent: eo quod dicere aliquid falſum per hyperbolicam, & figuratam locutionem non eſt mendacium; nec peccatum. Laudant pro hac opinione D. Auguſtinum, & D. Thomam, qui 2. 2. *quæſt.* CXI. *art.* I. plura ſacræ Scripturæ dicta recenſet quæ per figuratam ſignificationem exponit. Hoc modo explicatur dictum illud Davidis I. Reg. X. *Ionathas, & Saul aquilis velociores, & leonibus fortiores.* Quod plures ſacræ Scripturæ expreſſiones exponantur per figuratam, & hyperbolicam locutionem, res comperta eſt. Quod vero homines qui neque Prophetæ ſunt, neque Patriarchæ; ut communiter erant illi quos figurate locutos fuiſſe ex Scriptura habemus, iuramento firmare valeant ſuas hyperbolicas aſſertiones, mihi minime probatur. Qua de

de cauſſa ſobrie & caute uſurpanda ſunt illa iuramenta quæ obtrudit Tamburinus loco citato, videlicet, *Iuro Petrum infinitis pollere divitiis, a me infinito amore te diligi, innumerabiles eſſe tuos æmulos* &c. Quoniam in primis certum eſt hæc iuramenta ut plurimum eſſe incauta, atque adeo carere iudicio, conſequenter illicita. Præterea iuramentum ſtricti iuris eſt, atque per modum medicinæ conceſſum: ergo urgente dumtaxat gravi morbo, ſeu neceſſitate, adhibendum.

V. Quæſt. IV. *An licitum ſit iurare rem quam probabiliter tantum iudicas eſſe veram?* Reſp. Hoc quæſitum proponit La Croix *Lib. III. part.* I. *cap.* II. *dub.* 3. *quæſt.* lxx. *num.* 267. Reſpondet vero his verbis. „ Sanchez *Lib. III. cap.* IV. *num.* „ 10. Caſtropalaus *part.* V. *num.* 2. aliique apud Dianam *part.* IV. *tractat.* IV. *re-* „ *ſol.* 77. affirmant: quia iuras hoc quod iudicas verum: ergo non peieras: un- „ de quod aliquis audivit a viro notabili, & fide digno poteſt, ſecundum illos „ AA. affirmare, & extra iudicium iurare eſſe verum. Quod aliqui apud Dia- „ nam extendunt ad iuramentum etiam in iudicio. " Leander vero *tract.* I. *diſp.* VII. *quæſt.* VIII. *pag.* 46. ad examen revocans genus probabilitatis neceſſariæ ad licitum iuramentum, refert Tamburinum exigentem probabilitatem quæ moralem inducat certitudinem. At hoc nimis rigidum reputans, hæc addit: *Sed certe quælibet probabilitas facit moralem certitudinem, ut ſæpe diximus cum communi. Unde, ut bene ait Palaus, ſufficiet, ſi prudenter, hoc eſt ſecundum probabilem rationem, ita eſſe arbitretur.* Si laxitatem iſtius doctrinæ deprehendere cupis, in memoriam revoces oportet principia probabilitatis, quæ in tota amplitudine Leander adhibet. Ait namque, quamcumque probabilitatem parere certitudinem moralem; ac propterea quamlibet opinionem probabilem regulam eſſe honeſtæ operationis, atque adeo iuramenti. Quæ ſane aſſertio indefinita, & univerſim prolata continetur in hac propoſitione ab Alexandro VII. damnata, quæ eſt in ordine 3. *Generatim, dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quamtumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* Leander aſſerit quamlibet probabilitatem, nimirum ſive gravem, ſive tenuem, gignere moralem certitudinem, quam quiſque prudenter ſequi poteſt, tamquam ſuæ conſcientiæ regulam. Hoc expreſſe damnavit Eccleſia. Potiori ergo iure diris devovendum eſt id quod addit Leander, nempe quemquam poſſe iurare rem eſſe veram, quam tantum probabilem iudicat. Nonne communiter docent Theologi, Deum iuramento vocari in teſtem *veritatis?* Secundum vero Leandrum, & quos citat, Sanchez, Dianam, Caſtropalaum, ipſum invocare poterimus in teſtem *probabilitatis*. Quomodo iurare poſſumus eſſe verum quod non verum, ſed probabile nobis tantummodo eſt? Verum falſo, & probabile non falſo, ſed improbabili opponitur. Cum itaque de eadem re ſæpiſſime occurrant contra-

trariæ rationes probabiles, poterit quiſque modo eamdem rem adfirmare iuramento, modo eamdem iuramento negare. Poteſt quis ſecundum Probabiliſtas ex opinionibus probabilibus quam mavult ſequi, & nunc unam amplecti, nunc eamdem reſpuere. Aut ſaltem poterit eam partem iuramento adfirmandam, vel negandam ſeligere quæ ſibi magis opportunior, rebuſque ſuis accommodatior viſa fuerit. Quæ omnia nedum laxitatem produnt, ſed horrorem etiam incutiunt. Si Leander cum Auctoribus quos adducit, dixiſſet, poſſe aliquem iurare rem quam cognoſcit probabilem ut probabilem; utcumque videretur ferendum. Sed, cum aſſerat nos poſſe iurare ut verum quod dumtaxat probabile exiſtimamus, & præterea probabilitatem quamcumque inducere moralem certitudinem; id nullo modo admittere poſſumus. Quapropter nos opinionem Leandri tamquam falſam reiicimus. Opinionem vero quam *P. La Croix* ex Sanchez, aliiſque refert, ceu improbabilem reſpuimus: quoniam quæ coniectura tantum probabili, ſicuti loquitur Sanchez, cognoſcimus, non poſſumus affirmare ut vera, ſed ut probabilia. Communis namque Theologorum ſententia eſt, materiam iuramenti eſſe veritatem non abſolute ſpectatam, & ut in re eſt; ſed eo modo quo ab intellectu iurantis percipitur. Ergo, ſi iurans cognoſcit rem ut probabilem, non poteſt eam iurare ut veram; & ſi ut veram cognoſcit, nequit eam ut probabilem tantum iurare. Quod poſtea ſubdunt, ad iuramentum in iudicio præſtandum requiri certitudinem moralem, in ceteris vero privatis iuramentis ſufficere probabilem, ut ego quidem arbitror, merum commentum eſt. Eiuſdem ſiquidem rationis eſt iuramentum privatum, & publicum: & eadem eſt ratio formalis quæ utrique ſpeciem tribuit, invocatio nempe divini teſtimonii in veritatis confirmationem. Ergo eadem pro utroque iuramento certitudo neceſſaria eſt. Sive in iudicio, ſive extra iudicium, qui cognoſcit rem ut probabilem, non poteſt eam iurare ut veram, ſed ut probabilem; & contra. Verum utique eſt, iuxta legum decreta in iudicio non admitti niſi iuramenra earum rerum quarum iurans habet evidentiam, ſeu non admitti niſi teſtes *de viſu*; proindeque neceſſariam eſſe veritatis cognitionem omnino evidenter. Ceterum quacumque poſitiva lege præciſa, in omni iuramento, ſive publico, ſive privato, neceſſaria eſt certitudo moralis, quam quæſtiuncula ſequenti explicabimus. Dum autem quis iuramento confirmat notitiam probabilem quam habet, materia iuramenti non eſt vel probabilitas, vel dubitatio; ſed veritas probabilitatis, & dubitationis: dum enim opinor, vel dubito de re aliqua verum eſt me opinari, & dubitare: idcirco, cum iuro me vel ſuſpicionem, vel probabilem notitiam habere de re aliqua, veritatem iuro: quia verum reipſa eſt me talem vel opinionem, vel dubitationem, aut ſuſpicionem habere.

VI. Quæſt. V. *Quænam certitudo requiratur, ut quis licite iurare poſſit?* Reſp. Ad clariorem præcedentis quæſiti explicationem, & ad pleniorem notitiam illius cer-

certitudinis quæ requiritur ut quis iurare valeat ſine culpa, hanc quæſtiunculam dirimendam propoſui. Certitudo alia eſt evidens, ac metaphyſica, alia experimentalis, alia moralis, alia probabilis, quæ varios gradus admittit. Plurimi ex recentioribus Theologis, & Caſuiſtæ omnes docent, ſufficere notitiam veriſimilem, vel probabilem de re aliqua, ut quis iurare valeat. Ita docent præter laudatos num. præced. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* II. *punct.* 5. *§.* 1. *num.* 42. & laudant Candidum, Leſſium, Azorium, & alios. Hæc opinio mihi minime probatur, & iuxta adverſariorum principia falſa videtur. Nam, ſi ipſi docent, quamlibet opinionem probabilem parere moralem certitudinem; noſque poſſe inter duas opiniones de eadem re eligere quam nobis opportuniorem reputamus: conſequitur profecto poſſe nos etiam eamdem rem iuramento vel confirmare, vel negare, prout tempus, & rationes noſtræ poſtulaverint: quod quam falſum & erroneum ſit, nemo non videt.

VII. Reprobata igitur hac opinione, dicimus primo, utique non requiri ſemper in iuramento certitudinem, ſeu notitiam mathematicam, & omnino evidentem, quia hæc in pluribus haberi nequit; ſed aſſerimus neceſſariam eſſe certitudinem moralem, quæ omnem prudentem dubitationem excludat. Hæc autem certitudo moralis haudquaquam inducitur per coniecturas, & rationes probabiles, ac veriſimiles: quoniam rationes tantum probabiles non auferunt omnem dubitationem: & ipſi adverſarii, ut hanc dubitationem tollant, ad propoſitiones reflexas confugiunt. Neceſſaria ergo ſunt fundamenta graviſſima, & rationes quæ nos certos reddant de re circa quam iurare debemus. Hæc noſtra ſententia clare eruitur ex Catechiſmo Concilii Tridentini Part. III. de ſecundo præcept. Decal. ſec. 2. *Primum itaque in iureiurando locum veritas habet, nimirum ut quod aſſeritur, & ipſum verum ſit, & qui iurat id ita eſſe arbitretur, non quidem temere, aut levi coniectura adductus, ſed CERTISSIMIS ARGUMENTIS.* Hoc ipſum docet Cardinalis Bellarminus Lib. I. de Sacram. in genere cap. XVI. *Etiamſi habeat probabilem rationem credendi, tamen non habet certitudinem. Poteſt enim fieri ut putet ſe credere, & tamen revera non credat. At ad teſtificandum nomine Dei aliquid requiritur veriſſima certitudo, nec ſufficit probabilis opinio, ut patet in ſimili de iuramento. Non enim licet iuramento, ideſt Dei teſtimonio, uti in re quam opinamur veram; ſed ſolum in re quam certiſſimi ſumus eſſe veram.* Confirmari hæc ſententia poteſt ex iis quæ ſcribit D. Ambroſius in Pſal. CXVIII. ſer. XIV. num. 14. *Vox ambulantis in lumine eſt dicere*, Iuravi . . . *Nemo bene iurat, niſi qui poteſt ſcire quod iurat. Iurare igitur iudicium ſcientiæ, teſtimonium conſcientiæ eſt . . . Lux tibi præeat, ſi iurare diſponis; ideſt, cognitio veritatis præcedat, ut vinculum ſacramenti tibi non poſſit nocere.*

VIII. Verum eſt etiam adverſarios fateri, neceſſariam eſſe certitudinem moralem;

Digitized by Google

lem; ſed in hoc deficiunt quod doceant, hanc moralem certitudinem haberi poſſe per conie&turas dumtaxat veriſimiles, & rationes ſolum probabiles. Licet enim concederemus opinionem probabilem tantam certitudinem parere quæ ſufficiat pro regula honeſtæ operationis; non ob id tamen recte poſſet inferri tantam gignere certitudinem quæ ſufficiat ad iurandum verum eſſe id quod tantum probabile opinamur. Maior namque certitudo requiritur ad iuramentum quam ad quamcumque opinionem moralem. Ad hanc ſola vera probabilitas ſufficit, ut regula ſit honeſtæ operationis. At, quando quis iurat quidquam tamquam verum, non ſatis eſt quod ſit probabile; ſed requiritur quod iuranti verum appareat, non per rationes dumtaxat probabiles, ſed per principia, ſeu argumenta graviſſima, & certa. Quæ certitudo ſi deſit, & appareant tantum coniecturæ, ac rationes probabiles, tum iurans adfirmare, aut negare debet rem ut probabilem, ſecus ut veram.

IX. Quæſt. VI. *Quæ certitudo requiritur ad iuramentum præſtandum in iudicio?* Reſp. In foro neceſſaria eſt notitia certa. Cum quis iurat de facto alterius, neceſſaria eſt notitia experimentalis, qualis habetur per viſum, quia ibi teſtes de auditu non admittuntur. Recentes Theologi communiter docent, ſufficere unicum teſtem fide dignum ad iurandum extra iudicium, ſecus in iudicio. Sic inquiunt Salmanticenſes, Sporer, La Croix, & plures alii, quos ipſi citant. Sed dicendum mihi videtur, ſive in iudicio, ſive extra iudicium, neminem poſſe iurare rem ut abſolute veram, quam ſolum ab unico teſte, etiam fide digno, audiverit; ſed debere eam iurare eo modo quo eam ſcit, nempe vel quia compertam oculis habuit, vel quia narratione ab aliis accepit. Quamvis teſtis fide dignus fundamentum mihi ſit ad prudenter credendum quod narrat; tantæ auctoritatis tamen mihi eſſe nequit hæc fides, ſeu credulitas, ut ipſi innixus iurare abſolute valeam verum eſſe quod audivi; ſed ſolum iurare poſſum illud me audiviſſe. Cur coram iudice iurare nequimus abſolute verum eſſe quod ab unico teſte audivimus? Non alia profecto ratione, niſi quia unicus humanus teſtis certitudinem ſufficientem ad iuramentum non inducit. Et quamquam in iudicio agatur de proximi damno; attamen huiuſmodi maxima certitudo depoſcitur in iudicio, non tam ad damnum cuiuſcumque vitandum, quam ut omnis peierandi occaſio tollatur. Hoc eſt peculiare illud quod circa iuramenta iudicialia dicendum occurrit, nimirum iudices, ut ſententiam ferant, talia exigere iuramenta, ut quod adfirmatur, oculorum teſtimonio innotuerit, ſcilicet iuramenta experimentalis, ut dicitur, certitudinis. Falſum eſt igitur quod communiter afferunt recentes Theologi, extra iudicium te poſſe iurare abſolute verum eſſe quod tantum per probabiles rationes, & coniecturas agnoſcis; ſed ſive in iudicio, ſive extra, quod ex auditu dumtaxat ſcis, iurare debes ex auditu te ſcire; & quod tibi conſtat ex viſu, iurare debes tibi ex viſu conſtare. Cuius

ius ratio eſt, quia ſive in iudicio, ſive extra, ratio formalis iuramenti eadem eſt, nempe invocatio teſtimonii divini; & eadem reverentia Deo ubique & ſemper debetur. Hoc vero diſcrimen eſt inter iuramenta iudicialia, & privata, quod iudex nihil decernit, niſi teſtes iurent rem viſu compertam; homines vero privati fidem ſæpius adhibent, & multa deliberant (potiſſimum ubi de tertii damno non agitur) iuramentis innixi de rebus auditis. Quare, ſi mihi iuras te audiviſſe a viro fide digniſſimo, nullique exceptioni obnoxio, factum aliquod, ceu homo privatus tibi fidem integram adhiberem; & prout talis notitia rationes meas, ſeu negotia ſpectaret, illa tamquam regula plurium mearum deliberationum uterer; ceterum ut iudex fidem tibi non haberem, nihilque ſancirem tali innixus iuramento.

X. Quæſt. VII. *Quæ diligentia requiritur in inquirenda veritate neceſſaria ad iuramentum?* Reſp. Salmanticenſes *loc. cit. num.* 4. reſpondent his verbis. „ Non exigi- „ tur æqualis diligentia in omni materia ad perſcrutandam veritatem rei iuratæ; „ ſed ſecundum conditionem rei adhibenda eſt maior, vel minor. In rebus nam- „ que maioris ponderis maior eſt adhibenda cura quam in rebus minoris momenti. “ Hæc regula mihi videtur falſa. Quandoquidem non rei iuratæ natura, ſed ſumma gravitas, & dignitas iuramenti norma eſſe debet diligentiæ quæ neceſſaria eſt in inquiſitione veritatis, antequam iuretur. Nonne periurium aſſertorium etiam in re leviſſima peccatum eſt mortale? Cur? Quia non ex re iurata, ſed ab iniuria divinæ veritati irrogata gravitas periurii repetitur. Ergo, cum iuramentum ſuapte natura, nullo habito ad rem iuratam reſpectu, penes omnes gentes ſit res ſummi momenti; ipſum præcedere debet diligentia ſumma pro veritatis inquiſitione. Solum igitur diligentia adhibenda dici poteſt maior vel minor non in ordine ad rem iuratam, ſed ad veritatem ipſam, quæ magis vel minus obvia eſt & pervia. Quando vero res quæ iuratur, gravis momenti eſt, quia famam, vel fortunam proximi ſpectat, maior diligentia, & deliberatio requiritur non vi iuramenti, ſeu virtutis religionis; ſed vi alterius virtutis, iuſtitiæ, vel caritatis: quia, ſi iuras falſum adverſus proximum tuum in re gravi, præter periurium committis peccatum iniuſtitiæ. Et hoc ſenſu dicitur, quod quando res iurata eſt magni ponderis, etiam ex hoc capite requiritur gravis diligentia, ut præter periurium peccatum quoque iniuſtitiæ vitetur. Hæc omnia mihi certa videntur, neque negari poſſunt a recentioribus; quamvis verbis ambiguis contrarium aſſerant.

XI. Quæſt. VIII. *An qui notabiliter negligens eſt in inquirenda veritate rei quam iurat, peccet mortaliter; tametſi contingat rem quam iurat, eſſe veram?* Reſp. Sanchez *Lib. III. in Decal. cap.* IV. *num.* 10. Leander *tract.* I. *diſp.* VII. *quæſt.* I. & apud ipſos Scotus, Caietanus, Richardus, Sotus, Navarrus, & communiter omnes docent, hunc peccare mortaliter: quia iſte exponit ſe periculo peierandi, & in re gravis momenti omittit diligentiam neceſſariam. Ut autem validius omnia quæ

in

in præcedentibus quæſitis dicta ſunt, confirmentur; & potiſſimum illa regula in qua diximus, notitiam probabilem, quæ ſatis eſſe poteſt ad regendos ceteros actus humanos, minime ſufficere ad iuramentum edendum, placet doctrinam D. Thomæ in medium afferre. Hæc igitur habet S. Doctor 2.2.quæſt.lxxxix. art.3. ad 3. *In iuramento eſt periculum magnum, tum propter Dei magnitudinem, cuius teſtimonium invocatur, tum etiam propter labilitatem linguæ humanæ, cuius verba iuramento confirmantur. Et ideo huiuſmodi* (nempe veritas, iudicium, & iuſtitia) *magis requiruntur ad iuramentum quam ad alios humanos actus*. Ea itaque probabilis notitia quæ ad alios humanos actus ſufficit, ad iuramentum ſatis minime eſt.

XII. Quæſt. IX. *An, ut ſcholaſtici poſſint licite iurare aliquem ſocium ad ſcholas acceſſiſſe tempore ab univerſitate requiſito pro curſu conficiendo, ſufficiat quod illum viderint communiter ſcholas frequentaſſe?* Reſp. Tamburinus *Lib. III. cap.* 11. *§.* 1. *num.* 8. refert hunc caſum ex Hurtado apud Dianam Part. V. tract. VII. reſ. 10. *Scholaſticus volens probare recurſum, ad quem eget duobus teſtibus, adhibere poteſt duos amicos, qui illum non viderunt intereſſe lectionibus; at ſatis ſibi perſuadent illum interfuiſſe: at non poſſunt iurare ſe id vidiſſe*. Quam deciſionem approbat Tamburinus, cui ego accedere minime valeo. Involuta namque eſt & valde implexa reſolutio iſthæc. Hi duo amici ſcholaſticum minime viderunt; & nihiloſecius iurare poſſunt, non ſe illum vidiſſe, ſed abſolute illum ſcholas frequentaſse? Cur iurare poſſunt? Quia ſibi ſatis perſuadent illum interfuiſſe lectionibus? Cur id ſibi perſuadent? Nullum iſtius perſuaſionis momentum adducitur. Quare innui videtur, amicos iſtos iurare abſolute poſſe, quia vel ſcholaſticus id teſtatur, vel ipſi libere, & benigne ex quadam in amicum ſcholaſticum propenſione perſuaſi ſunt reipſa ſcholaſticum gymnaſia frequentaſſe. Nemo autem non videt, hæc fundamenta ad iuramentum ſatis minime eſſe. Si enim præfati amici iurare debent, ſcholaſticum interfuiſſe lectionibus, neceſſum eſt ut vel eumdem viderint, vel teſtes fide dignos habeant id affirmantes. Quod poſtea communiter docent Auctores, ad hoc iuramentum ſine culpa præſtandum, non oportere ut iurantes ſingulis diebus viderint ſcholaſticum ſcholas adeuntem, verum eſt. Hæc enim cognitio haberi haud poteſt. Satis igitur erit eos ſcire ſcholaſticum communiter audiviſſe lectiones: quia id, & non plus exigunt univerſitates. Quamquam ut iuramentum debita cum religione proferatur, iurantes communem, non quotidianam in ſcholis præſentiam iuramento firmare debent. Evitanda tamen extrema ſunt. Quando iuramentum fit ad mentem interrogantis, bona fide comitantibus veritate, iudicio, & iuſtitia, cavendum a nimia anxietate, & ſuperſtitione eſt, ne dum unum extremum vitare ſtudes, in altetum incidas.

XIII. Quæſt. X. *An licitum ſit perſuadere alicui ut iuret veritatem quam ipſe ignorat?* Reſp. Certum eſt apud omnes non licere: quia qui iurat ſine certa cognitione, pec-

Digitized by Google

peccat mortaliter : ergo ſimiliter peccat qui illum ad iurandum hoc modo, nempe ſine certa cognitione, inducit. Ad cuius rei claritatem proponi ſolet hic caſus. Petrus mercator, ut probet Paulum ſibi debere centum aureos, quos revera debet, & alioquin ſe eos debere negat, inducit Antonium ad iurandam veritatem iſtius debiti. Iurat Antonius, ſe ſcire Paulum debere Petro centum aureos; cum tamen falſum ſit Antonium hanc habere ſcientiam. Illius ergo iuramentum certe periurium eſt. Ad reſtitutionem tamen non tenetur, eo quod debitum centum aureorum verum ſupponitur. Et quamvis Petrus mercator producat rationes quæ tib ſuadeant, verum eſſe creditum, non propterea in iudicio iurare potes te id ſcire; quin neque extra iudicium : ſed ſolum iurare potes te audiviſſe a Petro, hanc pecuniæ ſummam illi a Paulo debitam eſſe.

CAPUT X.

De iuſtitiæ, & iudicii defectu in iuramento aſſertorio. Nonnullæ quæſtiunculæ reſolvuntur.

I. IAM ſupra explicatum eſt quid ſint tum iuſtitia, tum iudicium, neceſſaria ad quodcumque iuramentum. In præſentia autem id potiſſimum diſcutiendum ſuſcipimus, utrum, ſicuti defectus veritatis in iuramento aſſertorio ſemper eſt peccatum mortale; ita etiam defectus iuſtitiæ, & iudicii in eodem iuramento mortale peccatum conſtituat. Atque, ut nonnullas difficultates circa hoc reſolvamus, ſequentia quæſita proponimus.

II. Quæſt. I. *An defectus iuſtitiæ in iuramento aſſertorio ſit peccatum mortale?* Reſp. Antequam directe reſpondeo, animadverto, dupliciter aliquem rem iniuſtam iurare poſſe. Primo, cum quis rem iniquam veram narrat ob iuſtam cauſſam; puta, dum ob bonum finem iuramento confirmat peccatum vel a ſe, vel ab alio commiſſum. Hoc modo honeſte, ac iuſte rem iniuſtam, & iniquam ille iuraret. Secundo, cum rem iniquam ob malum finem manifeſtat : v. g. ſi quis revelaret occultum delictum proximi, cuius fama ex tali revelatione graviter læderetur. Hoc pacto ille rem iniquam iniquo modo iuraret, & iuramento uteretur tamquam inſtrumento ad confirmandam manifeſtationem iniquam. In primo caſu confirmaret veritatem iniquitatis commiſſæ, iuſta cauſſa urgente : in ſecundo confirmaret iniquam manifeſtationem delicti, ſola malitia impellente.

III. Ad quæſitum Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* 11. *punct.* 5. *§.* 1. *num.* 47. reſpondent docendo ex Suarez, Sanchez, Palao, Tamburino, & Leandro, defectum iuſtitiæ in iuramento aſſertorio non eſſe mortale, ſed veniale peccatum; niſi iuramentum aſſumatur ut inſtrumentum iniquitatis, in quo caſu peccatum eſſet mortale.

Digitized by Google

tale. Exemplum afferunt. Tu manifeſtas crimen verum, ſed occultum proximi tui, quo illius fama grave damnum perpetitur. Deinde, ut detractionem tuam certiorem efficias, ipſam iuramento confirmas. Tunc profecto peccas mortaliter, non ſolum peccato detractionis, ſed etiam peccato adverſus iuſtitiam, iuramenti comitem. Si vero tuum peccatum proprium patefacis ob iactantiam, & deliberatam oblectationem, ſimulque iuramento confirmas te peccatum illud commiſiſſe; peccas quidem mortaliter peccato complacentiæ, at non peccas mortaliter adverſus iuſtitiam neceſſariam iuramento, ſed tantum venialiter. Sic differunt Salmanticenſes cum Auctoribus a ſe citatis. Mihi probabilior videtur ſententia Soti *Lib. VIII. de iuſt. & iur. art. 3. col. 2. De ſecundo autem*, Toleti *Lib. IV. cap.* XXI. *num.* 13. *&* 11. Ledeſmæ *II. Tom. Sum. tract.* XI. *cap.* 11. *dub.* 4. Aragon. 2. 2. *quæſt.* lxxxix. *art.* 10. nimirum defectum iuſtitiæ in iuramento aſſertorio eſſe peccatum mortale, quando iurantis aſſertio eſt peccatum mortale; ſi vero aſſertio quæ iuramento firmatur, ſit ſolum venialis; veniale quoque erit crimen iuramenti. Ratio videtur manifeſta: quia graviſſima iniuria Deo infertur, dum illius auctoritas adhibetur ad confirmandam aſſertionem graviter iniquam. Et, ut adverſariorum exemplo utamur, non video diſparem rationem cur dicant, non peccare mortaliter adverſus iuſtitiam iuramenti eum qui iuramento confirmat complacentiam mortalem proprii peccati; peccare vero graviter contra eamdem iuſtitiam illum qui infamiam proximi iuramento certiorem reddit. Quandoquidem, licet ex parte rei iuratæ gravius ſit crimen diffamare proximum quam delectari propria iniquitate commiſſa; attamen ex parte modi iurandi, ut dicitur, quoties Deus in teſtem gravis iniquitatis adducitur, gravis illi irrogatur iniuria. Neque alicuius momenti eſt adverſariorum reſponſio, nempe, deficiente iuſtitia, adhuc finem iuramenti ſubſiſtere, qui eſt confirmatio veritatis: qua conſiſtente, non vocatur Deus in teſtem mendacii, ſed iniquitatis. Siquidem concedimus & nos, finem præcipuum iuramenti eſſe confirmationem veritatis, ſeu veritatem eſſe potiſſimam ex conditionibus ad licitum iuramentum neceſſariis: & idcirco dicimus omnes, defectum veritatis, etiam in re leviſſima, mortale peccatum inducere; defectum vero duarum aliarum conditionum in re levi eſſe dumtaxat peccatum veniale. At hinc inferri minime poteſt, defectum iuſtitiæ in materia gravi non eſſe peccatum mortale. Concludimus itaque, quod, quoties iurans utitur divino teſtimonio ob malum finem, ſeu animo culpabili, & pravo ad roborandam manifeſtationem iniquam, ſive proprii, ſive alieni peccati mortalis, committat duplex peccatum, unum adverſus illam virtutem cui opponitur res narrata, alterum adverſus iuſtitiam iuramenti.

IV. Quæſt. II. *An defectus iudicii in iuramento aſſertorio ſit peccatum mortale?* Reſp. De iudicio ad iuramentum aſſertorium requiſito ſupra locuti ſumus. Hæc *iudicii* con-

ditio poſtulat rationabilem cauſſam iurandi: quoties enim deeſt ratio, ſeu cauſſa iurandi, iuramentum iudicio caret, ut dictum eſt. Sex quoque iurandi cauſſas ex D. Thoma produximus *cap.* VIII. *num.* 4. Nunc addimus, tunc potiſſimum adeſſe neceſſitatem, & cauſſam iurandi, quando hæc duo concurrunt. Primum eſt, quod veritas alia via probari nequeat, niſi iuramento. Alterum eſt, quod probatio, ſeu confirmatio iſtius veritatis ſit neceſſaria, nempe quod cedat aut in publicam, aut in privatam utilitatem. Gradus præciſus iſtius neceſſitatis præſcribi nequit. Sex aſſignavit iſtius neceſſitatis caſus D. Thomas a nobis ſupra relatos, præter quos alii etiam occurrere poſſunt. Neceſſitas autem iſta, quando reapſe adſit, vel non adſit, prudentis arbitrio relinquendum eſt. Regula generalis ſit, abſque aliqua morali utilitate numquam adeſt iurandi neceſſitas.

V. Ut autem propoſito quæſito directe reſpondeamus, diſtinctionem præmittamus oportet. Si res quæ iuranda eſt, ſit manifeſte vera, & iuſta, ſeu licita, ſolumque ſit defectus iudicii in expendenda neceſſitate iurandi, abſolute loquendo non eſt niſi culpa venialis. Si vero defectus iudicii ſit in inquiſitione veritatis, tunc, ſi negligentia levis eſt, culpa erit levis; ſi negligentia gravis, peccatum erit mortale. Reſponſio patet ex dictis ſupra.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

DE

IURAMENTO PROMISSORIO.

QUAE hactenus diſputata ſunt, iuramentum in communi, & potiſſimum aſſertorium ſpectant. Illud nunc eſt reliquum ut de iuramento promiſsorio ſermonem inſtituam. Iſtud ſiquidem ſuas peculiares habet difficultates: quoniam ultra veritatem præſentis aſsertionis, ſecum promiſſionem in futurum implendam defert. In hac autem diſputatione primum omnium eas difficultates diſpiciam quæ ad veritatem, iudicium, & iuſtitiam pertinent: deinde obligationis vim, quam iuramentum hoc inducit, exponam.

CAPUT I.

De veritate, & iudicio neceſſariis in iuramento promiſſorio. Quæſtiunculæ non parvi momenti examinantur.

I. Hugo Grotius *Lib. II. de iur. belli, & pacis cap.* XIII. *§.* 21. negat licitum eſſe iuramentum promiſſorium, eo quod rei promiſſæ incertus ſit eventus. Et contra hæc iuramenta adducit textum Evangelii: *Nolite iurare omnino*. Sed Grotius, Auctor alioquin inter heterodoxos gravis, errat, eiuſque errorem iam refutarunt vel ipſi hæretici in notis. Quare, hoc miſſo errore, ſententia Catholicorum explicanda eſt. Concors eſt igitur Doctorum ſententia, omnes tres conditiones, nempe veritatem, iudicium, & iuſtitiam, neceſſarias eſſe in iuramento promiſſorio, non ſecus ac in aſſertorio. Præfatæ quippe conditiones iuramentum abſolute acceptum comitari debent, & conſequenter quodcumque particulare iuramentum. De iudicio, cuius eſt iurandi neceſſitatem examinare, nil occurrit dicendum præter ea quæ in præcedenti diſſertatione dicta ſunt. Nullum ſiquidem iuramentum fieri ſine rationabili neceſſitate licite poteſt. Hæc neceſſitas modo maior, modo minor eſt, pro materiæ quæ iuratur, diverſitate. Omiſſo itaque examine iſtius conditionis, quæ nullam novam affert difficultatem, enucleandam ſuſcipimus veritatem, quæ neceſſaria eſt in iuramento promiſſorio, & quæ peculiaribus difficultatibus eſt obnoxia.

II. Quæſt. I. *An defectus veritatis de præſenti in iuramento promiſſorio ſemper ſit*

Digitized by Google

peccatum mortale? Reſp. Iam dictum eſt, iuramentum promiſſorium duplici conſtare veritate: altera de præſenti, quæ in hoc conſiſtit quod iurans habeat, dum iurat, ſincerum animum implendi quod promittit: altera de futuro, quæ in futura executione rei promiſſæ ſita eſt. Reſpondetur ergo ad quæſitum, defectum veritatis præſentis in iuramento promiſſorio eſse ſemper peccatum mortale. Ita omnes. Ratio eſt evidens: quia iuramentum promiſsorium ratione veritatis præſentis convenit cum aſsertorio, ut ſupra indicatum eſt. Falſitatis autem atteſtatio in iuramento aſsertorio eſt ſemper peccatum mortale, etiam in re leviſſima: ergo etiam in promiſſorio. Utrobique enim Deus invocatur in teſtem falſitatis, quod graviſſimam ipſius præfert iniuriam. Sive itaque parva res, ſive magna, ſive licita, ſive illicita promittatur, ſine veritate de præſenti, hoc eſt ſine animo implendi talem promiſſionem iuramento confirmatam, ſemper erit peccatum mortale.

III. Quæſt. II. *An defectus ſecundæ veritatis gravis ſit indicandus; ſeu an qui rem promiſſam iuramento firmatam in materia gravi non implet, peccet mortaliter?* Reſp. Omnes adfirmative reſpondent: quia violatio iuramenti in re gravi, graviter Deum contemnit: & ſi violatio voti in materia gravi eſt mortalis, potiori iure id dicendum de violatione iuramenti. Neque difficultas aliqua eſt de hoc inter Theologos.

IV. Quæſt. III. *An peccet mortaliter qui rem promiſſam iuramento firmatam in materia levi non implet?* Reſp. Diſputant in utramque partem Theologi acri conatu. Primum quæ penes omnes certa ſunt, præmittam; deinde quid mihi probabilius videtur, exponam. In primis itaque omnes fatentur, peccare mortaliter eum qui promiſſionem verbalem iuramento confirmat ſine animo promittendi, quia ſic eſt periurus, ut dictum eſt. Omnes pariter adfirmant, peccare mortaliter eum qui intentionem habet promittendi, ſed animum implendi non habet, ob eamdem rationem: quia in utroque caſu mentitur, & peierat. Cum enim quis iurat ſe aſſumpturum alicuius obligationis onus, & reipſa defectu intentionis non aſſumit, mentitur; ſicuti qui iurat ſe quidquam facturum, iurat ſe propoſitum habere faciendi. Propoſitum ergo ſi non habeat, mentitur, & periurus eſt. Omnes pariter aſſentiuntur duplicem dari veritatem in iuramento promiſſorio: unam de præſenti, quæ, ut diximus, ſita eſt in animo promittendi, & implendi rem promiſſam; alteram de futuro, quæ in executione rei promiſſæ conſiſtit. Denique omnes concedunt, defectum cuiuſcumque veritatis in iuramento eſse ex genere ſuo, & abſolute peccatum mortale. In hoc autem vertitur totius controverſiæ ſtatus, num ſcilicet detur parvitas materiæ in ſecunda veritate iuramenti promiſſorii. Et triplex de hac re reperitur ſententia. Prima, quæ negat; altera extrema, quæ adfirmat; tertia media, quæ diſtinctione utitur. Si res promiſſa eſt

inte-

Digitized by Google

integra, & tota materia iuramenti, aut voti, quamvis ſit levis; v. g. ſi iuraſti, vel voviſti te pauperi daturum unum obolum: tunc omiſſio executionis eſt peccatum mortale. Si autem materia omiſſa eſt partialis; puta, ſi iuraſti te daturum decem ſolidos, & des dumtaxat octo: tunc omiſſio eſt tantum peccatum veniale. At communiter Auctores utriuſque extremæ ſententiæ reiiciunt hanc tertiam mediam, tamquam inutilem. Nam admiſſo quod defectus veritatis in materia tota ſit mendacium, idem contingit in defectu partis materiæ. Adducere enim Deum in teſtem mendacii, quocumque modo contingat, ſemper eſt peccatum mortale Relicta ergo hac media opinione, ſub examen inducitur, quænam ex duabus extremis ſententiis probabilior ſit.

V. *Dico, eum qui rem promiſſam iuramento firmatam non implet, etiamſi materia levis ſit, periurium committere, & peccare mortaliter.* Ut tamen clarius percipias ſenſum iſtius noſtræ ſententiæ, advertas velim, nos in præſentia non loqui de illis iuramentis quibus matres iuratæ pueris pomum ſpondent, aut rem levem, quam poſtea non exhibent; nec de iis quibus viri ingenui, hortante modeſtia, iurati negant ſe prægreſſuros, ut ſocios honore afficiant, & nihilominus quandoque prægrediuntur. De his, inquam, aut ſimilibus iuramentis nobis minime ſermo eſt. Immo cum Comitolo *Lib. II. quæſt.* IV. fatemur, nimis durum fore damnare noxæ mortalis ſimiles matres, aut viros ingenuos: quoniam eiuſmodi locutiones aut iuramenta vera non ſunt ex defectu ſufficientis deliberationis; aut veram excipiunt interpretationem, quam alibi dedimus. Abſtinendum tamen ab eiuſmodi iuramentis. Loquimur ergo de iuramento ſerio, & deliberato, quo homines aliquid iurati ſpondent. Hanc ſententiam ideo ut probabiliorem eligimus, quia conceptis verbis eam docent, ut ego arbitror, D. Auguſtinus, D. Thomas, D. Raymundus, & graviſſimi Theologi infra citandi. D. Auguſtinus *epiſ.* XII. alias III. hæc habet: *Expectationem autem eorum quibus iuratur, quiſquis deceperit, non poteſt non eſſe periurus.* Clarius D. Thomas 2. 2. quæſt. LXXXIX. art. 7. in corp. *Sicut autem iuramentum aſſertorium, quod eſt de præterito, vel de præſenti, debet habere veritatem; ita etiam & iuramentum de his quæ ſunt fienda a nobis in futurum. Et ideo utrumque iuramentum habet quamdam obligationem; diverſimode tamen: quia in iuramento quod eſt de præterito, vel præſenti, obligatio eſt non reſpectu rei quæ iam fuit, vel eſt, ſed reſpectu ipſius actus iurandi, ut ſcilicet iuret id quod iam verum eſt, vel fuit. Sed in iuramento quod præſtatur de his quæ ſunt fienda a nobis, obligatio cadit e contra ſuper rem quam aliquis iuramento firmavit. Tenetur enim aliquis ut faciat eſſe verum id quod iuravit; alioquin deeſt VERITAS iuramento.* Adeo comperta, adeo evidens eſt D. Thomæ mens, ut nulla eludi tergiverſatione valeat; quemadmodum iam iam clarius patebit. D. Raymundus *Lib. I. Sum. tit. de iuram. & periurio pag.* 92. *col.* 2. hæc habet. *Si tunc quando iura-*

bat, credebat ſe non poſſe ſolvere, vel credebat quod poſſet, ſed fatue, quia non habebat cauſſam credendi; tunc in utroque caſu peierabat: quia in primo caſu deerat veritas in conſcientia, in ſecundo iudicium. Si vero ab initio credebat ſe poſſe ſolvere, & probabiliter, non peierabat quantum ad hoc; ſed poſtea ſi fecit poſſe ſuum in utroque caſu, & non potuit perſolvere in termino, non eſt periurus ex hac cauſa. Multo magis excuſatur, ſi miſit tempore debito, ſed caſu fuit amiſſa in via pecunia, ut colligitur ex cap. Querela *ext. de iuramento, ex canone* Si nulla *cauſ.* XXIII. *quæſt.* VIII. *& canone* Sicut *diſt.* I. *de confeſ. Si tamen elapſo termino poſſet, & non perſolveret, eſſet PERIURUS. Lapſus enim termini non ſuſtulit obligationem iuramenti, ut colligitur ex cap.* Cum dilecti *ext. de dolo, & contumacia.* Hanc eamdem ſententiam docet Catechiſmus Tridentinus *P. III. de 2. præcept. num.* 23. ubi hoc proponit quæſitum: *Qui non ſervat quod iuravit, aut vovit ſe facturum, qualiter peccet.* Reſpondet. *Eiuſdem vero peccati* [nempe periurii, de quo numero præcedenti ſermo eſt) *reus cenſendus eſt qui ſe aliquid iureiurando facturum promittit; cum tamen aut promiſſum implere in animo non fuerit, aut ſi fuit, quod promittit, reipſa non præſtat.* Gerſonius in expoſitione præceptorum Decalogi de iuramento, & periurio inquit: *Quantum ad iuramentum de futuris, perſona ſtatim periurat tunc cum habet voluntatem firmam non implendi, vel quia non implet de facto.* D. Antoninus II. P. tit. X. cap. VII. de periur. §. I. *In iuramento promiſſorio ſi omittit implere quod promittit, propter legitimum impedimentum, excuſatur a mortali, ſecundum Petrum de Tarantaſia. Idem Bonaven. in III.* XXXIX. *diſ. Ergo a contrario non excuſatur, cum deeſt legitimum impedimentum.* Lege integrum caput, ubi fuſe evincit, omne periurium eſſe peccatum mortale. Quare locus cavillandi non remanet, illum loqui in gravi, ſecus in parva materia. Ex his colligitur ſecundum Auguſtinum, Thomam, Raymundum, Antoninum, Catechiſmum Tridentinum, & Gerſonium, reum eſſe periurii qui non implet id quod ſub iuramento promiſit. Periurium autem ſemper eſt peccatum mortale.

VI. Rationibus evincitur noſtra ſententia. Iuramentum promiſſorium, prout diſtinguitur ab aſſertorio, habet pro materia veritatem futuræ executionis rei promiſſæ, & iuratæ. Ratione ſiquidem veritatis de præſenti non diſtinguitur ab aſſertorio, ut fatentur adverſarii, qui omnes concedunt, iuramentum promiſſorium duplicem habere veritatem, alteram de præſenti, alteram de futuro. Hæc itaque prima propoſitio nulli eſt obnoxia tergiverſationi. Sed, cum res iurata, & promiſſa non impletur, deeſt hæc veritas propria iuramenti promiſſorii. Ergo qui iurat, & non implet, periurium committit: ergo peccat mortaliter.

VII. Ratio adducta tota eſt D. Thomæ, qui conceptis verbis aſſerit in allata auctoritate, materiam iuramenti promiſſorii eſſe executionem futuræ rei promiſſæ; quemadmodum aſſertorium habet pro materia veritatem vel de præterito,

vel

vel de præſenti. *Sicut autem iuramentum aſſertorium, quod eſt de præterito, vel de præſenti, debet habere veritatem; ita etiam & iuramentum de his quæ ſunt fienda a nobis in futurum*. Subdit vero Angelicus, deeſſe veritatem huic iuramento, quoties iurans non implet ſuo tempore rem iuratam. *Tenetur enim aliquis ut faciat verum eſſe id quod iuravit: alioquin DEEST VERITAS iuramento*. Si deeſt veritas iuramento, ergo iurans vocat Deum in teſtem falſitatis, ergo peierat, ergo peccat mortaliter.

VIII. Confirmantur hæc omnia. Ideo defectus veritatis in iuramento aſſertorio in materia leviſſima eſt ſemper peccatum mortale, quia Deus adducitur in teſtem falſitatis. Sed, quoties non impletur res promiſſa iurata per iuramentum promiſſorium, Deus adducitur in teſtem falſitatis. Ergo peccatum eſt mortale. Nonne iuramentum promiſſorium eſt verum iuramentum? Ergo invocat Deum in confirmationem veritatis: non autem præſentis, quia ex hac parte eſt aſſertorium: adducitur ergo in confirmationem veritatis futuræ: ergo, deficiente hac veritate, Deus vocatur in teſtem falſitatis.

IX. Mirifica ſunt reſponſa quæ ad has evidentes rationes adverſarii exhibent. Reſpondet Cardenas [& eſt communis reſponſio] *differt.* XVII. *art.* 2. *num.* 24 his verbis: *Licet in eo caſu falſum ſit quod iurans impleturus ſit iuramentum* [*Deus enim ſcit non eſſe implendum*] *at id non eſt falſum ex intentione iurantis, cum habeat intentionem implendi. Unde ſolum eſt falſum materialiter*. Eamdem reſponſionem exſcribit La Croix. Viden' quo tandem recidunt iſtorum Theologorum acumina? *Falſum materialiter?* In iuramento aſſertorio dicimus, Petrum iurare falſum *materialiter*, quando, prævia debita diligentia, iurat falſum putans eſſe verum. At ſi ſua culpa verum ignorat, iurat falſum *formaliter*, licet putet eſſe verum. Qui rem iuratam non implet, ſua culpa non implet. Idque ut certum ſupponimus. Si enim ex vera impotentia non impleret, tunc eſſet falſum materialiter. Sed adverſarii omnes loquuntur in hypotheſi quod iurans poſſit, & deliberate nolit exequi quod promiſit. Ergo, cum Cardenas, aliique concedant, defectum iſtius executionis inducere falſitatem, falſitas *formalis* erit, non *materialis*: quoniam ex deliberata, & culpabili voluntate ipſius iurantis, nolentis implere promiſſum, ortum ducit.

X. Confirmatur ultimo noſtra ſententia. Omnes ad unum adverſarii concedunt, peccare mortaliter adverſus iuramentum promiſſorium eum qui in materia gravi non implet quod ſub iuramento promiſit. Omnes pariter ad unum fatentur, rationem formalem cuiuſcumque iuramenti deſumi, non a gravitate, vel parvitate rei iuratæ, ſed ab invocatione divini teſtimonii; & ob hanc rationem communiter, præter Caſtropalaum, alioſque paucos, defendunt, ut ſupra vidimus, omnia iuramenta eſſe eiuſdem ſpeciei. Tandem omnes adfirmant, iuramentum promiſſo-

Digitized by Google

rium ſemper includere aſſertorium, quatenus debet habere animum præſentem iurandi, promittendi, & implendi promiſſum; diſtingui vero ab aſſertorio ob hoc quod Deum invocet in confirmationem veritatis futuræ. Hæc omnia certiſſima ſunt penes adverſarios. Ex quibus ego hanc colligo validam pro mea ſententia probationem. In violatione promiſſionis iuramento firmatæ, & acceptatæ duplex committitur peccatum: alterum adverſus iuſtitiam, alterum adverſus iuramentum. In controverſiam hanc propoſitionem adverſarii non vocant. Sed peccatum quod eſt contra iuramentum, eſt contra veritatem: nec enim peccari poteſt adverſus iuramentum, niſi peccando contra veritatem: quia ratio formalis iuramenti eſt confirmare veritatem ſive præſentem, ſive futuram, ſive præteritam. Ergo quod materia ſit gravis, vel levis, non tollit quin defectus veritatis inducat ſemper peccatum mortale. Materiæ magnitudo conſtituit peccatum grave contra iuſtitiam, vel fidelitatem promiſſionis; & eiuſdem materiæ parvitas inducit ſolum peccatum veniale contra eamdem promiſſionem. Sed hæc perperam obtruduntur ad augendam, vel minuendam malitiam iuramenti. Hoc enim ſuam ſpeciem capit a veritate; efficiturque bonum, vel malum a veritate, vel falſitate. Porro quod hæc veritas, unica iuramenti materia, cadat ſuper rem gravem, vel levem, nil omnino refert ad rationem formalem iuramenti. Quod ratiocinium cum admittant adverſarii in iuramento aſſertorio, admittere quoque debent in iuramento promiſſorio, eo quod ambo ſunt eiuſdem ſpeciei.

XI. Hinc inferri poſſe videtur, contrariam ſententiam comprehendi ſub hac propoſitione damnata: *Vocare Deum in teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia propter quam velit, aut poſſit damnare hominem*. Et ſane, ut vidimus, adverſarii ipſi hanc ſuam opinionem a fulmine damnationis ſubducere neſciunt, niſi confugiendo ad mendacium *materiale*, ad falſitatem *materialem*, vel ad mendacium contra veritatem *futuram*. Sed falluntur. Nam hoc ſolum eſt diſcrimen aſſertorium inter & promiſſorium iuramentum, ut dictum eſt ſæpius, quod illud præſentem, vel præteritam, hoc futuram veritatem ſpectat; vel, ut ait Angelicus, illud ſupra actum iurandi, iſtud ſupra rem quæ iuratur, cadit. Porro quod invocatio divini teſtimonii in confirmationem falſitatis præſentis, aut præteritæ ſit peccatum mortale, ſecus autem in atteſtationem falſitatis futuræ, hoc eſt id quod nobis fere monſtroſum videtur: potiſſimum quia tam falſitas præſens, quam futura ſunt eiuſdem ſpeciei, ſicut & iuramentum aſſertorium, & promiſſorium. Hanc noſtram ſententiam ſuſtinent præter Auguſtinum, Thomam, Raymundum, Catechiſmum Tridentinum, & Gerſonium, Caietanus in *Sum. verb.* Periurium *cap.* III. *&* 2. 2. *quæſt.* lxxxix. *art.* 7. Candidus *diſq.* xxvi. *art.* 10. *dub.* 3. Filliucius *tract.* xxv. *cap.* x. *quæſt.* vii. Valentia 2. 2. *quæſt.* vii. *diſp.* vi. *punct.* 3. *con.* 3. Toletus *in Sum. Lib. IV. cap.* xxii. Covarruvias *Lib. I. Var. cap.* 1. *num.* 2. Cordu-

Digitized by Google

duba *in Sum. Hiſpan. quæſt.* clxxxviii. Philiarcus *de officio Sacerd. Tom. I. P. II. Lib. III. cap.* iii. Baſſæus *Tom. I. & Tom. II. verb. iur.* Sayrus *Lib. I. cap.* iv. *num.* 18. Reginaldus *Lib. I. num.* 79. Medina *in Sum. cap.* xiv. *§.* 4. Leſſius *de iuſt. & iur. Lib. II. cap.* xlii. *dub.* 5. *num.* Bonacina *Tom. II. diſp.* iv. *quæſt.* 1. *punct.* 14. *num.* 2. Natalis Alexander *Lib. IV. art.* 3. *regul.* 3. Genet *tract. de 2. præcep. Decal. cap.* ii. *quæſt.* iii. Henricus a S.Ignatio *Tom. II. Lib. X. P. II. cap.* iii. *num.* 14. Paulus Gabriel Antoine *tract. de virt. theol. cap.* iv. *quæſt.* v. VVigandt *tract.* x. *exam.* 4. *num.* 52.

XII. Obiicies 1. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* cx. *art.* 3. *ad* 5. hæc ſcribit : *Qui aliquid promittit, ſi habeat animum faciendi quod promittit, non mentitur : quia non loquitur contra id quod gerit in mente. Si vero non faciat quod promiſit, tunc videbitur infideliter agere per hoc quod animum mutat . . . . unde & Apoſtolus non eſt mentitus, qui non ivit Corinthum, quo ſe iturum eſſe promiſerat.* Mirum eſt potuiſſe adverſarios hanc obtrudere auctoritatem, ex *quæſt.* cx. ubi D. Thomas nec verbum habet de iuramento, depromptam; cum ipſe D. Thomas hanc eamdem auctoritatem ſibi opponat in *quæſt.* lxxxix. ubi de iuramento decem habet articulos. Porro *art.* 7. primo loco citatam auctoritatem ſibi obiicit his verbis. *Videtur quod iuramentum non habeat vim obligandi. Inducitur enim iuramentum ad confirmandam veritatem eius quod dicitur. Sed, quando aliquis dicit aliquid de futuro, verum dicit, etiamſi non eveniat quod dicit; ſicut Paulus, quamvis non fuerit profectus Corinthum, ſicut dixerat, non tamen eſt mentitus.* Quid ad hoc argumentum reſpondet Doctor ſanctus? En illius verba. *Ad primum ergo dicendum, quod aliud eſt de ſimplici verbo, aliud de iuramento, in quo divinum teſtimonium imploratur. Sufficit enim ad veritatem verbi quod aliquis dicat id quod proponit ſe facturum : quia hoc iam verum eſt in ſua cauſa, ſcilicet in propoſito facientis. Sed iuramentum adhiberi non debet niſi in re de qua aliquis firmiter certus eſt. Et ideo, ſi iuramentum adhibeatur, propter reverentiam divini teſtimonii quod invocatur, obligatur homo ut faciat verum eſſe id quod iuravit, ſecundum ſuam poſſibilitatem, niſi in deteriorem exitum vergat, ut dictum eſt.* Quid dixit Angelicus? Dixit in corpore articuli, ſi res iurata non impletur, veritatem iuramento deeſſe : *alioquin deeſt veritas iuramento.* Reſponſio adeo eſt manifeſta, ut non egeat maiore explicatione.

XIII. Obiiciunt 2. PP. Salmanticenſes, qui de more referunt aliorum Auctorum rationes. Aliter, inquiunt, philoſophandum eſt in veritate de præſenti iuramenti ſive promiſſorii, ſive aſſertorii, ac in veritate de futuro. Etenim defectus illius veritatis eſt mendacium, quod nulla honeſtari ratione poteſt. At non ſervare rem promiſſam ſub iuramento, animo implendi facto, non eſt mendacium, ſed infidelitas, quæ admittit parvitatem materiæ. Ergo, quamvis non detur parvitas materiæ in defectu primæ veritatis; poterit

ta-

tamen dari reſpectu ſecundæ, cuius defectus non eſt mendacium, ſed infidelitas.

XIV. Ipſorum adverſariorum verbis proponere volui hoc unicum eorum argumentum, ut hinc magis pateat contrariæ ſententiæ imbecillitas. Reſpondetur autem, argumentum iſtud merum eſſe paralogiſmum, atque extrema pugnantia continere. Concedunt, executionem rei iuratæ eſſe veritatem futuram iuramenti promiſſorii, ſeu unicam veritatem, prout promiſſorium eſt: ſiquidem ratione veritatis præſentis eſt aſſertorium. Deinde ſubdunt, huic veritati non opponi falſitatem, ſed infidelitatem. Cur? Quia veritas iſthæc futura eſt. Et nos dicimus, hæc invicem pugnare: quia veritati cuique, ſive præſenti, ſive futuræ, ſive præteritæ, opponitur falſitas. Quare, ſemel conceſſo quod executio rei promiſſæ ſit veritas iuramenti promiſſorii, perperam ſubditur, huic veritati non opponi falſitatem, ſed infidelitatem. Ideo autem adverſariorum argumentatio laborat paralogiſmo, quia non diſtinguunt inter rem promiſsam, ſeu promiſſionem ſimplicem, & iuramentum promiſsorium. Veritas promiſſionis, ut peroptime declarat Angelicus Doctor, eſt in ipſo propoſito promittentis, non in executione futura rei promiſsæ. Qua de cauſsa cum quis vero propoſito promittit aliquid ſe daturum, non peccat contra veritatem, quæ revera ſupponitur in propoſito, ſi non obſervat quod promiſit, ſed contra fidelitatem. At, quando hæc res promiſsa conſtituitur materia iuramenti, gerit vices veritatis firmatæ per iuramentum: & iuramentum promiſsorium unice, quatenus tale, cadit ſuper hanc veritatem futuram, ut inquit Angelicus, & concedunt adverſarii. Ergo futile eſt dicere, quod defectus iſtius veritatis ſit infidelitas, non falſitas. Reſpondemus itaque negando antecedens argumenti facti. Et dicimus, defectum veritatis futuræ in iuramento promiſsorio conſtituere periurium; quemadmodum periurium conſtituit defectus veritatis præſentis, vel præteritæ in iuramento aſsertorio. Mirum, quod aliquis Caſuiſta non explicuerit relatam propoſitionem damnatam, dicendo, quod vocare Deum in teſtem mendacii levis adverſus veritatem præſentem ſit peccatum mortale periurii; ſecus ſi vocetur in teſtem mendacii levis adverſus veritatem præteritam. Et profecto numquam adverſarii aſſignabunt verum diſcrimen, cur defectus veritatis præteritæ conſtituat mendacium *formale*; defectus vero veritatis futuræ conſtituat mendacium *materiale*, quando defectus iſtius veritatis promiſsæ ex ſola culpa promittentis proficiſcatur.

XV. Obiiciunt 3. Qui non implet votum in materia levi, non peccat mortaliter: ergo neque qui non implet iuramentum rei levis. Reſp. Negatur conſequentia: quia non eſt gravis iniuria, aut irreverentia in Deum non præſtare rem levem promiſsam, quæ parum ad eius confert honorem. At invocare Deum in teſtem falſitatis, etiam in re leviſſima, eſt graviſſima iniuria contra Deum: quia

quia iurans falſum quocumque modo, quantum eſt ex ſe, efficit ut Deus teſtetur falſitatem. Veracitas autem Dei componi nequit cum falſitate cuiuſque leviſſimæ rei. Ergo qui non exequitur rem promiſſam, iuratamque, negat veracitatem Dei, illamque conatu ſuo deſtruit. Falſa igitur eſt contraria opinio, quam defendunt Soto *Lib. VIII. de iuſtit. quæſt.* 1. *art.* 7. Suarez *Tom. II. de Relig. Lib. III. cap.* XVI. Sanchez *Lib. III. Sum. cap.* IV. *num.* 23. Tamburinus *Lib. III. de iuram. cap.* III. *§.* 3. *num.* 4. Petrus Ledeſma *Tom. II. tract.* XI. *cap.* III. *dub.* 2. Leander *tract.* 1. *diſp.* VII. *quæſt.* XXXIII. Azorius *Lib. XI. cap.* V. Caſtropalaus *tract.* XIV. *diſp.* 1. *punct.* 6. *num.* 8. Trullench *Lib. II. cap.* 1. *dub.* 6. *num.* 6. Cardenas *diſſert.* XVII. *cap.* II. *art.* 2. La Croix *Lib. III. part.* 1. *cap.* II. *dub.* 5. *num.* 305. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* II. *punct.* 5. *§.* 2. *num.* 53. aliique apud ipſos, qui etiam pro ſe referunt Ioannem a S. Thoma 2. 2. *quæſt.* lxxxvIII. *diſp.* XXIX. *artic.* 8. ſed falſo: ibi enim Auctor iſte ſermonem habet de voto, in quo parvitatem materiæ concedit; ſolumque vocat probabilem opinionem de iuramento, minime eam defendit. Relatis Auctoribus addi poteſt P. Sporer *tractat.* CXI. *in* 2. *præcept. Decal. ſect.* 4. *num.* 137. ubi ait: *In praxi omnino tutum eſt periurium promiſſorium ex materiæ levitate excuſari a mortali, & reddi veniale.* Patres omne periurium diris devoverunt, & Auguſtinus immanem belluam appellat: nemoque eorum diſtinxit inter periurium promiſſorium, & aſſertorium. D. Thomas autem 2. 2. *quæſt.* XCVIII. *artic.* 3. reſolvit omne periurium eſſe peccatum mortale. Quare nimis confidenter P. Sporer ſtatuit omnino tutum eſſe periurium promiſſorium cenſeri veniale ex levitate materiæ. Sed de his pluſquam ſatis.

XVI. Quæſt. IV. *An peccaret mortaliter qui ſub iuramento rem promitteret animo dubio implendi illam?* Reſp. Communiter omnes adfirmative reſpondent. Sicut enim qui rem dubiam iurat ut certam, periurium aſſertorium committit; ita qui iuramento rem promittit quam executurum ſe fore vel dubitat, vel non credit, peccat mortaliter promiſſorio periurio. Nemo igitur iuramento promiſſiones ſuas confirmet, niſi certus moraliter ſit de futura executione. Nec ſufficiunt probabiles coniecturæ, vel rationes; ſed fundamenta gravia, & firma, quæ omnem prudentem dubitationem auferant, requiruntur: quidquid in oppoſitum quidam afferant. Vide quæ dicta ſunt de iuramento aſſertorio.

XVII. Quæſt. V. *Quomodo ſint interpretanda illa iuramenta quibus communiter homines iurant, ſe primos non ingreſſuros per ianuam, non ſeſſuros &c.?* Reſp. Interpretantur hoc modo, quod iurantes habeant animum firmum implendi quod aſſerunt, iuxta ſenſum quem ſimiles expreſſiones produnt. Senſus autem communis eſt, quod iurans, quantum ad ſe attinet, quantum eſt ex parte ſua, nolit prius altero ingredi, ſedere &c. Quare, ſi nimia humanitate ſocii cogatur pri-

mus

Digitized by Google

mus ingredi, non evadit falſum iuramentum: quia hæc conditio includitur in ipſo iuramento.

CAPUT II.

De iuſtitia neceſſaria ad iuramentum promiſſorium.

I. Iuſtitia, quæ una eſt ex tribus conditionibus iuramenti in genere conſiderati, locum potiſſimum habet in iuramento promiſſorio. Hæc iuſtitia præſcribit ut ſub iuramento promittatur res licita, & honeſta. Quare promiſſio rei illicitæ, & improbæ ſub iuramento eſt ex ſuo genere peccatum mortale. Communiter Doctores tradunt inſpiciendam eſſe materiæ gravitatem quæ ſub iuramento cadit, ut inde colligatur gravitas peccati contra iuramentum. Quibuſdam quæſitis res tota explicabitur.

II. Quæſt. I. *An peccet mortaliter adverſus virtutem religionis qui iurat ſe fornicaturum, ſeu quodlibet aliud grave delictum perpetraturum?* Reſp. Affirmative omnes reſpondent. Duplex ergo ſic iurans committit peccatum: alterum fornicationis, cum animum revera habeat fornicandi; alterum adverſus iuſtitiam iuramenti. Si autem animus adimplendi quod iurat, deſit, unicum graviſſimum periurium erit adverſus veritatem, & iuſtitiam iuramenti. Ratio evidens eſt: quia adducere Deum in confirmationem iniquitatis eſt graviſſimam iniuriam Deo irrogare.

III. Quæſt. II. *An qui iurat ſe commiſſurum aliquod peccatum veniale, peccet mortaliter?* Reſp. Communis ſententia eſt negativa: quia non eſt gravis iniuria in Deum quod vocetur in confirmationem propoſiti committendi peccatum veniale illius auctoritas. Idque patet ex eo quod ſub veniali tantum culpa adſtringatur iurans ad omittendam præfati iuramenti executionem. Sic communiter recentiores differunt.

IV. Relatam ſententiam, ſi Auctorum inſpicio multitudinem, quos referunt, & ſequuntur PP. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* II. *punct.* 5. *num.* 54. nequeo non aſſerere probabilem; ſi vero rationes expendo, probabilius mihi videtur oppoſitum. Enimvero qui peccatum veniale ſe commiſſurum iurat, Deum ad ſuum propoſitum roborandum, confirmandumque invocat. Idcirco ſiquidem promiſſio, ſeu deliberatio aliqua divini teſtimonii auctoritate munitur, ut firmior, & immobilior evadat. Quid vero Deo iniurioſius, quid infeſtius, quam illius infinita nominis maieſtate abuti, & illius auctoritatem in præſidium devolvere iniquitatis? Confirmatur. Qui iurat ſine animo iurandi, graviter peccat. Cur? quia abutitur iuramento. Sed peior abuſus eſt, dum quis iuramento utitur ad confirmatio-

tionem iniquitatis. Ergo &c. Accedit quod qui Deum invocat in teſtem peccati venialis, eum adducit tamquam fideiuſſorem illius, & approbatorem: teſtis enim allegatur ad teſtandum, ut approbet id quod ſuo teſtimonio confirmat. Quid vero ſceleſtius quam Deum inducere ad approbandam iniquitatem, quantumvis minimam? Denique peccatum veniale eſt aſſumere nomen Dei in vanum, nempe ſi iuras abſque neceſſitate, te quidquam facturum licitum, & honeſtum. Cum vero iuras te peccaturum, ſolum venialiter peccabis? Si iuras ſine animo committendi illud peccatum, peccas mortaliter ſecundum omnes; ſi vero iuras cum vero animo illud peccatum perpetrandi, venialiter dumtaxat delinques? Hæc ſane nimium dura, ne abſurda dicam, videntur. Iuramentum res eſt ſacroſancta, cuius finis eſt confirmatio veritatis. Qui illud pro ſua parte in vinculum iniquitatis convertit, ſanctiſſimum Dei nomen profanat, atque enormem irrogat divinæ veracitati iniuriam.

V. P. Caſtropalaus fatetur, hæc omnia ſibi difficilia videri; non audet tamen a communi recedere ſententia: ideo quædam a ſe excogitata reſponſa præbet *tract.* XIV. *diſp.* 1. *punct.* 6. *num.* 10. Reſpondet itaque, iurantem non intendere Deum ad approbandam iniquitatem inducere; ſed ex vulgari quadam ignorantia credit immutabile fore quidquid ſub iuramento promittitur. Concedo & ego, iurantem hanc expreſſam intentionem inducendi Deum ad approbandam iniquitatem non habere: quoniam, ſi id expreſſe intenderet, blaſphemus foret in Deum. Sed facto id præſtare illum dicimus, eo ipſo quod divino utitur teſtimonio. Secunda vero reſponſio non eſt melior præcedenti, nimirum quod iurans non tenetur, niſi ſub veniali, evitare peccatum veniale. Verum hoc eſt; ſed ſub mortali abſtinere debet ab invocatione divini teſtimonii in confirmationem iniquitatis, etiam minimæ. Deo malitia quæque, quamvis minima, ſummopere repugnat. Ergo ſumma iniuria Deo irrogatur, quoties ad confirmandum propoſitum perpetrandi quamcumque iniquitatem invocatur.

VI. Quæſt. III. *An qui iurat aliquid adverſus conſilia evangelica ſe facturum, puta non acceptaturum Prælationem, non ingreſſurum Religionem, aliaque id genus, peccet mortaliter?* Reſp. Communiſſima ſententia eſt, peccatum ſolum veniale ab eiuſmodi iurante committi. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXXXIX. *art.* 7. *ad* 2. docet hunc abſolute peccare. *Si quis autem iurat ſe non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenetur, peccat quidem iurando, inquantum ponit obicem Spiritui ſancto, qui eſt boni propoſiti inſpirator; non tamen peccat iuramentum ſervando; ſed multo melius faciet, ſi non ſervet.* Cuius generis peccatum committatur, non reſolvit Angelicus; ſed dumtaxat peccatum perpetrari abſolute ſtatuit. Quod ſi peccatum eſt iurare omiſſionem maioris boni, hinc collige quanto gravius ſit peccatum iurare commiſſionem poſitivæ iniquitatis, licet levis.

Digitized by Google

levis. Prioris generis iuramenta ſi obſervas, non peccas, quia abſolute ad ingreſſum in Religionem non adſtringetis; peccas vero poſterioris generis iuramenta ſervando. Si tamen quis omitteret executionem alicuius conſilii evangelici, ea potiſſimum ratione quia iuravit talem omiſſionem; dubio procul mortaliter peccaret: quin error ſaltem tacitus in fide eſſet, ſi crederet iuramentum obligare ad ea omittenda quæ ad evangelicæ perfectionis aſſecutionem conducunt.

CAPUT III.

De materia iuramenti promiſſorii, quæ obligationem inducit.

I. QUAE hoc in capite dicturi ſumus, facilia ſunt, & omnibus pervia: idcirco paucis rem omnem expediemus. Duas conditiones exigit materia quæ ſubiicitur iuramento. Prima, ut licita ſit; ſecunda, ut ſit poſſibilis, & bona.

II. Nomine materiæ licitæ non ſolum intelliguntur res ſpirituales, nempe actus pietatis, religionis, fidei, & ſimilia; ſed omnia item humana negotia, commercia, fœdera, & contractus, dummodo concurrant tres explicatæ conditiones. Hinc damnatus fuit in Concilio Conſtantienſi error VVicleffi, negantis licitum eſſe iuramento confirmare humanos contractus, & civilia commercia. Sed de hoc ſatis dictum eſt *diſſert. prima*.

III. Quoniam materia iuramenti licita eſſe debet, excluduntur omnes res illicitæ, turpes, & culpabiles. Ratio eſt manifeſta: quia iuramentum non eſt vinculum iniquitatis, ut iura omnia clamant. Quare iuramentum de committendo peccato veniali nullo modo obligat. Et quamvis in *cap.* Cum contingat *de iureiurando*, ſtatuatur, omne iuramentum ſervandum eſſe, niſi vergat in diſpendium ſalutis æternæ; non inde tamen inferre licet, peccatum veniale iuramento firmatum committendum eſſe: ſiquidem & iſtud aliquo modo ianuam vitæ æternæ claudit: niſi enim vel in hoc, vel in futuro ſæculo purgetur, nemo vitæ æternæ præmium aſſequitur. Nullum ergo iuramentum obligat ad ſervandum id quod ſine peccato vel mortali, vel veniali impleri nequit. Quando autem materia iurata partim licita, partim illicita eſt; illicita omittenda, licita vero ſervanda.

IV. Non modo licita, ſed poſſibilis, & bona ſit oportet promiſſorii iuramenti materia, ut executionis obligationem pariat. Quare iuramentum de rebus impoſſibilibus temerarium eſt, & inane. Peccant itaque qui factum alienum ſub iuramento promittunt, eo quod nemo cogere poteſt alterius voluntatem. Adverten-

dum

dum tamen, quod ſæpe homines factum alienum promittentes, proprium iurant: v. g. ſi iuras Petrum ducturum eſſe in ſponſam Bertam, vel ſoluturum Paulo pecuniam, aliaque id genus, iuxta communem ſenſum non iuras alienum factum, ſed proprium; nimirum te operam omnem daturum, ut Petrus matrimonium contrahat, ut debitum ſolvat. Hinc ICTI docent, iuramento talem ineſſe virtutem, ut, ſi eo quo ſonat modo impleri nequit, valere eo quo poteſt modo debeat. Duplici autem modo alienum factum iurari poteſt. Primo *enuntiative*, ut cum iuras te credere ægrotum ſuam priſtinam recuperaturum eſſe ſanitatem, cælum craſtina die futurum ſerenum. Secundo ſub *promiſſione*, quo in caſu teneris operam, & diligentiam tuam ponere, ut id eveniat, vel fiat, quod promiſiſti. In his iuramentis de factis alienis communiter Auctores docent, iurantem teneri ad diligentiam, & operam præſtandam, quando factum quod iuratur, capax eſt diligentiæ; quando tamen non conſtet iuraſſe ſolum enuntiando ſe id credere: quoniam ſi conſtaret iuramentum fuiſſe dumtaxat enuntiativum, ad nihil teneretur.

V. Dictum eſt, materiam iuramenti promiſſorii debere eſſe licitam, poſſibilem, & bonam. Hæc ultima particula addita eſt, ut excludatur materia indifferens: quoniam iuramentum de re indifferenti nullam parit obligationem: tum quia Deus non obligat ad actus otioſos, & vanos, cuiuſmodi ſunt actus indifferentes; tum quia exercitium actus indifferentis abſque relatione in finem honeſtum, ſemper eſt peccatum veniale, ut verior docet ſententia. Et quamvis ſecundum alteram opinionem vitioſus non ſit actus indifferens in individuo, attamen inutilis eſt: & hoc ſufficit ne ſit idonea iuramenti materia.

VI. Si tamen actus indifferens iuretur propter finem honeſtum, vel proximi utilitatem, iuramentum obligat: quia actus indifferens propter finem honeſtum factus, evadit actus virtutis. Iuramentum autem de quocumque virtutis actu obligationem inducit. Addo, quando iuramentum fit in proximi utilitatem, ſervandum eſſe, tametſi res quæ iuratur, ſit indifferens, & dummodo mala in ſe non ſit. Ratio eſt, quia in hoc caſu id quod primo intenditur, non eſt indifferentia actus; ſed utilitas, & commodum ipſius proximi. Quin obſervantia talis iuramenti evadit actus virtutis: eſt enim actus fidelitatis, & veracitatis. Prætерquamquod, facta promiſſione, & a proximo acceptata, iam iſte acquirit ius quoddam, vi cuius tenetur iurans implere promiſſum. Hæc omnia comperta ſunt, & penes omnes communia. Idem dicendum de iuramento quod pertinet ad ipſum iurantem. V. g. iuraſti te minime per hanc viam tranſiturum, quia talis tranſitus peccandi tibi occaſio eſt: licet tranſitus abſolute ſit actus indifferens, attamen tali circumſtantia indutus eſt actus bonus.

VII. Illud quoque animadverſione dignum eſt, nimirum materiam iuramenti Deo

Digitized by Google

Deo facti diverſam eſſe a materia iuramenti quod fit in proximi favorem. Nam iuramentum Deo factum convenit cum voto: qua de cauſſa illius materia non ſolum licita, & honeſta eſſe debet; ſed etiam talis quæ maius bonum non impediat. Aliter enim cedere in gratiam Dei nequit. Secus dicendum de iuramento facto in gratiam proximi, cui non ſemper quod eſt maius bonum, ſed ſæpe quod minus bonum eſt, magis placet. Idcirco iuramentum de minori bono factum in favorem proximi obligat.

VIII. Ab hac tamen doctrina excipitur promiſſio liberalis iuramento firmata contrahendi matrimonium: quia in hac promiſſione ſemper includitur hæc conditio, niſi elegero meliorem ſtatum, nempe religioſum, ut communiter docent Doctores in *cap.* Ex publico *de converſ. coniug.* Nec obſtat textus in *cap.* Commiſſum *de ſponſalibus*, ubi videtur ſtatui, eum qui iuramento promiſerat ſe ducturum in matrimonium feminam, non poſſe ingredi Religionem, niſi matrimonio prius contracto. Nam utique poteſt eiuſmodi iurans matrimonium contrahere cum propoſito non conſummandi, ſed ingrediendi Religionem, ignorante ſponſa tale propoſitum, ut advertit, & docet Suarez *Lib.II. de iuram. cap.*XIII. *num.*8. qui modus licitus eſt, licet in praxi vix conſulendus, quia non videtur ſponſæ conſentaneus. Hac enim via potius ei illuditur. Quod autem Pontifex in laudato capite dicat, tutius eſſe, religione iuramenti ſervata, prius contrahere, deinde ad Religionem migrare, eo pertinet quod fortaſſe in ſponſæ commodum, & honorem cedebat talis contractus, licet momentaneus. Obſervandum vero, Pontificem dixiſſe tutius, non tutum eſſe ſic facere: quia, ut dixi, tunc forte melius erat talem modum ſervare. Ceterum, cum in promiſſione includatur conditio melioris ſtatus, ſequitur quod iuramentum ſortiri debeat naturam actus cui adiungitur. Conditio ergo incluſa in actu promiſſionis, in ipſo quoque iuramento incluſa intelligitur. Quapropter ſponſus iurans poteſt ſine conſenſu ſponſæ, & abſque matrimonii contractu Religionem ingredi. In praxi tamen ille modus ſervandus eſt qui & honori ſponſæ congruat, & Religionis ingreſſum non impediat. Si ambo ſervari nequeant, ſuſceptio ſtatus religioſi præferri debet; dummodo in Religione amplectenda vigeat revera obſervantia regularis.

IX. Ultimo loco dubitari poteſt, an iuramentum quod fit de re illicita, relaxatione indigeat. Sed Doctores communiter docent, nulla opus eſſe relaxatione. Ubi enim nullum eſt vinculum, nulla eſt neceſſaria relaxatio. At iuramentum, cum non ſit vinculum iniquitatis, nullam parit obligationem, quoties eſt de re illicita. Nec obſtat illud quod opponi ſolet ex cap. *Venerab.* XXXIV. de elect. *§. Idem etiam*, ubi de quodam regni uſurpatore contra iuramentum factum, refertur, illum debuiſſe Sedem apoſtolicam conſulere: quoniam dubium erat, num iuramentum illud fuiſſet nec ne de re illicita. Ad alteram oppoſitionem, quæ fieri

fieri ſolet ex cap. *Cum quidem* XII. de iureiurando *ſ. Illi vero*, ubi decernitur; abſolvendos eſſe filios a iuramento non loquendi, vel ſuccurrendi patri & matri; relictis variis ſolutionibus quas refert Suarez *Lib. II. de iuramento cap.* XV. *num.* 18. dicimus cum eodem, verbum *abſolvo* in illo textu ſignificare declarationem ſolutionis, ſeu declarare iuramentum illud nullius fuiſſe obligationis; minime vero dirimere vinculum obligationis.

CAPUT IV.

Quænam ſit iuramenti promiſſorii obligatio. Comparatur cum obligatione voti. Quæ intentio, ſeu animus requiratur in iuramento promiſſorio. Iurare ſine animo iurandi ſemper eſt peccatum mortale.

I. GRaviſſima eſt iuramenti obligatio; quæ, ut ait Angelicus, ab ipſa divina auctoritate ortum ducit. Interponitur ſiquidem a iurante divinum teſtimonium in confirmationem veritatis ſive præſentis, ſive præteritæ, ſive futuræ. Quare violatio promiſſionis iuramento firmatæ eſt periurium, quod eſt graviſſimum peccatum.

II. In iuramentis Deo factis communiter contingit etiam votum. Quoties confirmas iuramento promiſſionem Deo factam, adeſt votum cum iuramento: duoque ſunt obligationis vincula, quapropter duo peccata committeret qui illa violaret. Non ſemper tamen in re futura ad honorem Dei facienda votum reperitur. Si enim nolles expreſſe promittere, ſed ſolum proponere aliquid te in honorem Dei facturum, & iuramento propoſitum tuum firmares, vinculo ſolius iuramenti tenereris. Ex quibus habes, in promiſſionibus Deo factis, & iuramento firmatis, communiter reperiri votum, & iuramentum; non tamen neceſſario, & ſemper: quia, ut ex adducto exemplo conſtat, iuramentum ſine voto reperiri poteſt. In omnibus autem promiſſionibus hominibus factis ſolum iuramentum ſine voto adeſt.

III. Graviſſimam eſſe obligationem iuramenti omnes affirmant. Pauca ſolum dicenda ſunt de natura iſtius obligationis. In primis iuramentum promiſſorium obligat inſtar privatæ legis, quam iurans ſibi imponit, dum vinculo divini teſtimonii ſeipſum adſtringit. Ex genere ſuo obligat ſub mortali iuxta omnes cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* XCVIII. *art.* 3. Hæc obligatio religioſa eſt, pertinetque ad virtutem religionis. Duæ tamen obligationes diſtinguendæ ſunt in iuramento promiſſorio: altera quæ ex ipſa promiſſione valida, & acceptata oritur; quæve ex

Digitized by Google

iuris diſpoſitione obligatio iuſtitiæ eſt : altera propria ipſius iuramenti ; & hæc, ut diximus, ad religionem pertinet. Quare falſa eſt doctrina Chriſtiani Vvolfii Lutherani hominis inquientis de iur. natur. Tom. III. cap. v. §. 903. *Iuramentum non novam producit obligationem aliquid præſtandi ei cui iuratur.*

IV. Quæri hic ſolet, maior ne ſit iuramenti, an voti obligatio. Hoc quæſitum proponit ipſe D. Thomas *loc. cit. quæſt.* lxxxix. *art.* 8. reſpondetque, maiorem eſſe voti obligationem quam iuramenti : quia obligatio voti oritur ex fidelitate quam debemus Deo, ut ſcilicet ei promiſſum ſolvamus ; obligatio vero iuramenti naſcitur ex reverentia Deo debita : maius autem eſt vinculum fidelitatis quam reverentiæ. Et licet votum iuramento confirmetur, non tamen infertur, maiorem eſſe iuramenti obligationem ; ſed ſolum rem mobilem per duas res immobiles magis firmari.

V. Suarez *Lib. II. de iuram. cap.* iii. diſtinguit hanc comparationem voti cum iuramento, aitque, ſi comparatio voti fiat cum iuramento aſſertorio, maiorem eſſe iuramenti quam voti obligationem; ſi vero voti comparatio fiat cum iuramento promiſſorio, tunc maiorem eſſe voti quam iuramenti obligationem. Neque huic doctrinæ contrarium eſſe D. Thomam dicit, eo quod Angelicus loquatur ſolum de iuramento promiſſorio, ſecus de aſſertorio. Ratio quam Suarez allegat, valida eſt : quia obligatio non attribuendi Deo falſum, maior eſt quam obligatio reddendi Deo vota : quia prior negativa eſt, *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*; poſterior affirmativa, *Reddes Domino vota tua.*

VI. Ego vero doctrinam D. Thomæ ſic interpretor. Si puræ notiones utriuſque obligationis inſpiciantur, abſolute loquendo maior eſt obligatio voti quam iuramenti, ob rationem quam D. Thomas aſſignat, quia ſcilicet promiſſio voti Deum directe inſpicit; promiſſio autem iuramenti non reſpicit Deum, quia per iuramentum, ut tale, non fit promiſſio ipſi Deo, neque obligatio contrahitur, ſed ſolum adducitur Deus ut teſtis promiſſionis, vel aſſertionis de aliquo actu futuro. Quare, ſi hi duo reſpectus perpendantur, ſicuti illos ſolum in laudato articulo D. Thomas conſiderat, proculdubio prior validior eſt quam ſecundus. Ceterum ſi obligatio iuramenti conſideretur in ordine ad veritatem in iuramento ſive aſſertorio, ſive promiſſorio neceſſariam, maior eſse videtur obligatio iuramenti quam voti. Quod a poſteriori ſic probari poteſt. Nam qui iurat falſum, quantum eſt ex parte ſui, facit Deum auctorem mendacii; quod quam enormis iniuria in Deum ſit, ex ſe patet. Qua de cauſſa in iuramento, ſaltem aſsertorio, iuxta omnes non datur parvitas materiæ ; ſed omne periurium aſſertorium eſt peccatum mortale. Idem ego probavi contingere in periurio promiſſorio. Ergo obligatio iuramenti ſive aſſertorii, ſive promiſſorii, per ordinem ad veritatem iuramento ſubiiciendam, maior eſt quam obligatio voti. Siquidem adeo certum non eſt non poſse in voto reperiri

Digitized by Google

periri parvitatem materiæ; quin plures concedunt in voto reperiri, ſecus in iuramento. Neque dicas, in iuramento promiſſorio hos duos reſpectus diſtingui non poſse: quoniam, licet in praxi reipſa iuramentum promiſsorium eo tendat ut obliget iurantem ad executionem rei promiſſæ, quæ executio eſt veritas iuramenti promiſsorii; nil tamen impedit quominus conſiderari poſſit promiſſio iuramenti promiſsorii abſolute, comparata cum promiſſione voti: immo reipſa Angelicus has duas promiſſiones per ordinem ad Deum conſiderat: & quia promiſſio voti magis directe Deum ſpectat, idcirco in ratione promiſſionis fortior eſt promiſſione, ſeu obligatione iuramenti. *Videtur enim*, inquit Angelicus, *infidelitas ſubiecti ad dominum eſſe maxima irreverentia*. Ceterum, ſi obligatio iuramenti conſideretur per reſpectum ad veritatem ſubiiciendam ipſi iuramento, ne falſum evadat, neve Deus in teſtem mendacii invocetur; maior, ut dixi, videtur iuramenti quam voti obligatio. Quod de iuramento aſsertorio concedunt Suarez, Sanchez, Leander, & alii; licet negent de promiſſorio: mihi vero utriuſque iuramenti eadem ratio videtur. Et quod ad hanc quam explicui opinionem defendendam me impellit, eſt Eccleſiæ auctoritas, quæ declaravit, parvitatem materiæ non dari in periurio; quod de voto adhuc non ſancivit; quamvis a multo tempore invaluerit opinio quæ docet, dari in voto materiæ parvitatem. Et licet plures Auctores explicent declarationem Eccleſiæ de iuramento aſſertorio, nos tamen conceptis ipſius D. Thomæ verbis ſupra demonſtravimus, nullo modo dari parvitatem materiæ vel in ipſo iuramento promiſſorio. Si cui tamen hæc noſtra interpretatio non placet, meliorem afferat. Nos eam amplectimur, quia opportunam iudicamus ad explicandam D. Thomæ doctrinam: a qua caveas ne umquam recedas, maxime in iis quæ a recta ratione pendent: illius quippe acumen incomparabile eſt.

VII. Quæſt. I. *Quænam intentio, ſeu animus requiratur ad hoc ut iuramentum promiſſorium obligationem inducat?* Reſp. Iuramentum pendere ab intentione iurantis, adeo ut neceſsaria ſit intentio, ſeu voluntas iurandi, ut iuramentum obligationem pariat, certum eſt apud omnes: quia actiones humanæ quæ pariunt obligationem, conſenſum requirunt voluntatis; qui conſenſus non datur ab eo qui poſitive nolit eum dare. Cum itaque iuramentum obligationem inducat dicendi verum de re præſenti, vel præterita, aut exequendi rem futuram (quæ eſt veritas iuramenti promiſsorii) requirit plenum conſenſum voluntatis, ſeu intentionem iurandi. An poſtea neceſſaria ſit voluntas ſeu intentio expreſsa, vel implicita, actualis, vel virtualis, infra de conſuetudine iurandi dicetur. Hoc ut certum communiter Auctores defendunt, quod, ſi quis iuraret cum expreſsa voluntate non iurandi, non eſset proprie, & in rigore iuramentum; quemadmodum ut certum propugnant omnes, iuramentum exterius prolatum ſine intentione iurandi continere irreverentiam divini teſtimonii, Deoque iniuriam inferre.

VIII. Ut tamen rem hanc clarius percipias, diſtinguere debes animum iurandi, animum promittendi, animum exequendi promiſsum, & animum ſe obligandi. Omnes docent, ut iam vidimus, eum peccare mortaliter qui iurat ſine animo promittendi, & implendi promiſsum. Probabilius quoque eſt, & mihi certum, eum peccare mortaliter qui iurat ſine animo ſe ſe obligandi; quidquid in contrarium dicat Valentia. De eo qui iurat ſine animo iurandi, inquirendum nunc eſt.

IX. Quæſt. II. *An licitum ſit iurare ſine animo iurandi?* Reſp. Thomas Tamburinus *Lib. III. cap.* 111. *§.* 2. *num.* 1. hæc ſcribit: *Certum eſt, iurare ſine animo iurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis, vel iurare verbis æquivocis, non eſſe licitum ſine cauſa: licitum eſſe cum cauſa, iuxta ea quæ diximus cap.* 11. *§.* 2. Hæc Tamburini aſsertio damnata eſt ab Innocentio XI. in propoſitione 25. quæ eſt eiuſmodi: *Cum cauſa licitum eſt iurare ſine animo iurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.* P. Viva in expoſitione iſtius propoſitionis *num.* 1. contendit, non eſse exploratum ſenſum in quo Tamburinus ſuam docuerit propoſitionem: quia, inquit, deſideratur locus ad quem Tamburinus lectorem remittit. Verum ad hoc quod attinet, locus habetur in eodem folio. Siquidem Tamburinus ait, licitum eſſe iurare ſine animo iurandi, vel iurare verbis æquivocis cum cauſſa, iuxta ea quæ dixit *cap.* 11. *§.* 2. Quid autem dicit hoc loco? En illius verba: *Quæſtio eſt, an liceat iuranti accipere verba in alio ſenſu ab illo quem ea præſeferunt. Iuro v. g. per Deum me hac nocte non dormiviſſe, intelligendo veſtitum.... Reſp. licere... At eſt ne ſaltem veniale, ſic per æquivocationem iurare? Reſpond. Si aliqua ſubſit cauſa... nullum eſt peccatum. Si nulla ſit cauſa, veniale erit.* Iſte eſt locus quem reperiri negat P. Viva: & hoc in loco neque de Tyranno, neque de Confeſſario verbum habet Tamburinus. Hæc obiter dicta ſint, non tam ut Tamburinum evincam damnatæ propoſitionis auctorem (hoc enim nihil neque ad me, neque ad inſtitutum attinet) quam ut lectores admoneam ad ipſum P. Viva caute in expoſitione damnatarum propoſitionum legendum. Siquidem, ut probet Tamburinum non docuiſſe damnatam propoſitionem, ipſe, ſin expreſſe & abſolute labitur in ſenſum damnatæ propoſitionis, ſaltem omnino, ut mea præfert opinio, ab eo non recedit. Hæc ſunt verba ipſius P. Viva. „ Si enim ſolum contenderit, Confeſſarium ne revelet „ ſigillum ſacramentale, poſſe, urgente Tyranno, cum iuramento negare pecca- „ tum pœnitentis, aut utendo verbis æquivocis, & ſic iurando cum animo iuran- „ di, aut loquendo *materialiter*, atque adeo proferendo verba iuratoria, non ut „ ſignificativa, & idcirco ſine animo iurandi; non eſt notandus ut auctor huius „ theſis profligatæ, quippe quæ ſolum vult licitum eſſe ex cauſa aliqua, ſive le- „ vi, ſive gravi, loqui *formaliter*, & iurare abſque animo iurandi." Quod ſpectat factum Tamburini, patet quid ipſe ſenſerit ex iis quæ diximus. Quod pertinet ad

do-

doctrinam Patris Viva, ea mihi immunis non videtur omnino a ſenſu damnatæ propoſitionis. Quis dicat, illicitum eſſe iurare ſine animo iurandi *formaliter*, & ſine gravi cauſſa; licitum vero iurare ſine animo iurandi *materialiter*, & cum gravi cauſſa? Hinc enim amplus ſuppeteret modus eludendi omnes propoſitiones damnatas. Iuramentum Confeſſarii ad tegendum ſigillum alio prorſus modo Patres, & antiqui Theologi explicant. De hoc fuſius infra. Ex doctrina Patris Viva clare infertur, licitum eſſe iurare ſine animo iurandi *materialiter* cum gravi cauſſa; illicitum vero iurare ſine animo iurandi *formaliter* ex quacumque cauſſa, ſive levi, ſive gravi. Inquit namque, ideo eſse damnatam propoſitionem, quia *ſolum vult licitum eſſe ex cauſa aliqua, ſive levi, ſive gravi, loqui formaliter, & iurare abſque animo iurandi*. Ergo ex cauſſa ſolum gravi, aut graviſſima licitum erit iurare ſine animo iurandi. Id legitime conſequitur ex doctrina P. Viva. Eiuſmodi interpretationem repugnare doctrinæ Eccleſiæ nemo non videt, ut ego quidem ſentio. His ſuis commentis P. Dominicus Viva non raro eludit, & ad nihilum redigit propoſitiones damnatas.

X. Ratio autem damnatæ propoſitionis evidens eſt. Quia qui iurat ſine animo iurandi, ſive verum iuret, ſive falſum, ſive in re gravi, ſive in re levi, ſemper committit mendacium. Qui enim dicit, *Iuro*, & reipſa animo interno non vult iurare, mentitur. Mendacium vero numquam eſt licitum. Accedit mendacium iſtud ſacrilegum eſse, eo quod divini nominis uſurpatione abutatur. Tandem iurare ſine animo iurandi in magnum ſocietatis humanæ damnum vergit.

XI. Quæſt. III. *An qui iurat falſum in materia gravi ſine animo iurandi, peccet mortaliter?* Reſp. Affirmative reſpondent omnes: quoniam externa invocatio divini nominis in confirmationem falſitatis, & apud homines magnum parit ſcandalum, & divinæ veritati graviſſimam iniuriam irrogat. Quemadmodum enim qui thus idolo adoleret ſine animo adolendi, reus foret idololatriæ; & qui verba blaſphemiæ ſine animo blaſphemandi proferret, peccaret mortaliter peccato blaſphemiæ exterioris: ſic eadem, aut pari ratione graviter peccabit qui ad confirmandum falſum, divinum teſtimonium exterius invocabit ſine animo illud invocandi.

XII. Quæſt. IV. *An qui iurat falſum in materia levi ſine animo iurandi, peccet mortaliter?* Reſp. P. Viva *loc. cit. num. 6.* videtur defendere, tamquam probabilem, opinionem docentem non eſſe peccatum mortale iurare falſum in materia levi ſine animo iurandi; rationeſque allegat pro hac opinione. Potiſſimam quam affert, petit a paritate iuramenti promiſſorii, & voti, quorum tranſgreſſio in materia levi non eſt peccatum mortale, ſed veniale. Idem igitur dicendum concludit de iuramento exteriori ſine animo interno iurandi. Neque hanc rationem, quam fuſe explicat, reſolvit; ſolum refert Verricelli, qui oppoſitum docet, & iuxta

ta plurium collectorum morem, lectori facultatem relinquit alterutram eligendi ſententiam. Falſum eſſe principium cui Viva innititur, nos iam demonſtravimus *cap.* 1. *quæſt.* III. quo etiam admiſſo, non infertur concluſio quam Viva deducit.

XIII. Propterea dico, certum eſſe quod iurare falſum ſine animo iurandi, etiam in materia levi, ſit peccatum mortale: tum quia gravitas profanationis divini nominis non tam deſumitur a gravitate materiæ, in cuius confirmationem invocatur, quam ab infinita dignitate, & maieſtate divini teſtimonii, & increatæ veritatis; tum quia, ſicut in idololatria, & blaſphemia parvitas materiæ non datur, ita neque in iuramento ſive promiſſorio, ſive aſſertorio. Accedit quod quæſtio maxime de iuramento aſſertorio loquitur, ſeu de iuramento abſolute ſumpto, immo, ut advertit Suarez *Lib. III. cap.* XVII. *num.* I. fictio tantummodo locum habet in iuramento aſſertorio: quoniam fictio ſive intentionis, ſive verborum committitur ſolum dum iuramentum concipitur, & profertur. Patet autem, periurium abſolute ſumptum, etiam in materia levi, eſſe peccatum mortale. Et quia ſententia iſta a nemine, quem viderim ego, in dubium revocatur, niſi a P. Viva; ideo a longiori probatione abſtineo.

XIV. Quæſt. V. *An qui iurat verum ſine animo iurandi, peccet mortaliter?* Reſp. Caietanus 2. 2. *quæſt.* LXXXIX. *art.* 7. *dub. penul.* Covarruvias *I. Part.* §. 5. *num.* 3. Armilla *ver. Periur.* Filguera in *exp. propoſ. damnat.* ſuſtinent partem adfirmantem, quia eſt illuſio divini nominis, & deceptio contraria fini primario iuramenti. Suarez *Lib. III. cap.* XVII. *num.* 6. nimis rigidam reputat hanc opinionem, ſimul tamen probabilem eſſe definit. Nihilominus contrariam ut probabiliorem defendit, cui accedunt Cardenas *diſſer.* XVIII. *in propoſ. damnat. cap.* II. Caſtropalaus *diſp.* I. *punct.* 8. Bonacina *diſput.* IV. *quæſt.* I. *punct.* 7. Leſſius *Lib. II. de iuſt. & iur. cap.* XLII. *dub.* 8. *num.* 42. Sanchez *Lib. III. cap.* VI. Viva *in prop. damnat. num.* 7. La Croix *Lib. III. part.* I. *dub.* 14. *num.* 277. qui omnes docent, iurare verum ſine animo iurandi in materia levi eſſe tantum peccatum veniale, dummodo non fiat iuramentum in iudicio, in contractu, aut in ſimili circumſtantia, in qua proximus pati poſſit aliquod detrimentum. Ratio iſtorum Doctorum eſt, quia mendacium quod quis committit, dum verum iurat ſine animo iurandi, neque Deo, neque homini eſt iniurioſum: non Deo, cum in confirmationem veritatis exterius invocetur; non homini, quia pro certo ponitur hoc iuramento confirmandum non eſſe vel contractum, vel quidquam in quo homo perferre poſſit aliquod grave damnum: & licet proximus decipiatur, quia hoc iuramentum ſupponitur fieri in humano commercio; deceptio tamen non eſt gravis, quia grave damnum non infert. Hæ ſunt rationes iſtius ſententiæ.

XV. Advertendum eſt, plures ex citatis Auctoribus recenſitam ſententiam docuiſſe, antequam propoſitio damnaretur ab Innocentio XI. Qui vero poſt damnatam propoſitio-

tionem ſcripſerunt, contendunt, idcirco illam damnatam fuiſſe, quia in ea aſſeritur, licitum eſſe iurare ſine animo iurandi, & ex quacumque cauſſa, ſive levi, ſive gravi. Ceterum ipſi docent ſemper eſſe illicitum iurare ſine animo iurandi, potiſſimum ex quacumque cauſſa: ideo ſe ſervare dicunt ſenſum damnatæ propoſitionis.

XVI. Prima ſententia Caietani, Armillæ, aliorumque vera eſt. Quin ſatis probabile eſt contrariam opinionem in propoſitione damnata contineri. Et revera ſi ſemel admittamus, in noſtra eſſe facultate demere verbis ſignificationem formalem, ſeu quam verba præferunt ſecundum omnium intelligentiam, & ſubſtituere materialem, ideſt nihil ſignificantem (perinde ac ſi diceremus *Blittri*, inquit P. Viva) totum humanum commercium corruat neceſſe eſt. Verum de hoc in ſequentibus. Nunc rationem prodimus cur nobis vera appareat ſententia quæ ſuſtinet, peccare mortaliter eum qui iurat verum ſine animo iurandi. Et primo opus non eſt ut in memoriam revocem, iuramentum tantæ eſſe penes omnes gentes dignitatis, & venerationis, ut nonniſi urgente cauſſa adhiberi debeat. Omnes docent, uſum iuramenti, etiam in confirmationem veritatis facti, & abſque ulla deceptione eſſe peccatum veniale defectu iudicii: vocaturque a D. Thoma iuramentum incautum. Certum pariter eſt iurantem ſine animo iurandi committere mendacium: idque concedunt contrariæ ſententiæ patroni. Extra diſputationem eſt, iurantem ſine animo iurandi, duo peccata venialia, & in hoc genere, ſeu linea gravia committere. Deinde certum eſt, præter hæc duo gravia peccata venialia, intervenire abuſum iuramenti, quia mendacium ipſum ſacro iuramenti velamine obducitur. Quamquam enim non invocetur divinum teſtimonium in confirmationem mendacii interni, ſed illius veritatis quam iurans confirmare intendit; attamen in ipſo iuramenti abuſu mendacium committitur, & ſub iuramento mendacium obtegitur. Demum quis negare audebit, iurantem ſine animo iurandi, non illudere divino teſtimonio, & iniuriam divinæ veritati inferre, dum ſub illius invocationis patrocinio mendax animus occultatur? Ut autem ſæpius dixi, gravitas malitiæ in abuſu iuramenti non ſumitur a gravitate rei ſuper quam iuramentum cadit; ſed ab infinita dignitate illius nominis quod in teſtem adducitur. Verum, quia quæſtio iſta tota fere ſpeculatrix eſt, & nimium a praxi remota; ideo longius eam diſcutere nolo. Quæ enim occurrere cauſſa poteſt ut quis verum iuret, & ſimul animum non habeat iurandi? Id ſane præſtare nequit, niſi ſtupidus.

XVII. Quæſt. VI. *An qui deliberate iurat ſine animo iurandi, verum proferat iuramentum?* Reſp. Communiter Auctores docent, verum non adeſſe iuramentum ex defectu intentionis neceſſariæ ad iuramentum: & nemo hoc in dubium revocat. Sed ad maiorem eorum quæ dicta ſunt, claritatem lubet propoſitam quæſtio-

Digitized by Google

nem breviſſime diſcutere. Ut igitur quod ipſe ſentio, paucis exponam, dico, eum qui ſerio, & deliberate invocat divinum teſtimonium in confirmationem veritatis, dicendo, *Per Deum ita eſt*, verum proferre iuramentum, & vere iurare, quamquam animum habeat non iurandi. Ad hoc moveor, quia non pendent ab hominis voluntate verborum ſignificatus, & effectus. Ergo poſito quod homo ſemel velit deliberate, & ſerio Deum invocare in confirmationem veritatis, nequit amplius interno animo efficere ut invocatio illa non ſit iuramentum. Atque ut clarius rem omnem percipias, animadvertas oportet, in homine ſic iurante duas reperiri intentiones invicem contrarias, & pugnantes. Prima intentio & deliberatio eſt, qua reipſa iurans invocat Deum in teſtimonium, & externum iuramentum profert. Secunda, qua non vult iurare. Hæ duæ deliberatæ intentiones mutuo ſe collidunt, & una alteri prævalet. Quænam vero? Revera prior, quia hæc efficax eſt, effectumque parit, nempe externam iurationem. Secunda intentio inefficax eſt, & velleitas quædam, non voluntas efficax. Hinc manifeſto conſequitur, iuramentum iſtud externum eſſe verum iuramentum, eo quod a deliberata voluntate procedit.

XVIII. Obiicies. Iuramentum pendet ab intentione iurantis; at qui iurat ſine animo iurandi, non habet intentionem iurandi: ergo reipſa verum non profert iuramentum, ſed externum dumtaxat ſonitum iuramenti. Reſp. Idcirco propoſui hanc obiectionem, ut evidentius eluceat ſententia noſtra. Primam itaque propoſitionem concedimus, ſecundam negamus, ſeu claritatis gratia diſtinguimus: qui iurat ſine animo iurandi, non habet intentionem efficacem iurandi, nego; inefficacem, concedo. Ea intentio dicitur efficax quæ parit reipſa effectum. Prima intentio, qua quis ſerio, & deliberate invocat divinum teſtimonium in confirmationem veritatis, dicendo, *Per Deum ita eſt*, efficax eſt: producit enim ſuum effectum, nimirum externam divini teſtimonii invocationem. Secunda intentio, qua iurans ſtatuit ſe nolle iurare, languida eſt, & inefficax, a priori colliſa, & ſubacta. Quandoquidem in mutuo conflictu iurandi, & non iurandi vicit prior intentio, vi cuius iuramentum prolatum eſt, ſeu Deus in teſtem vocatus; & exterius iuramentum omnibus apparuit, & audientes pro iuramento illud ſuſceperunt, & denique ipſe iurans videri voluit hominibus quos alloquebatur, verum iuramentum protuliſſe. Secunda interna intentio vim non habet impediendi ſignificationem quam produnt illa verba, *Per Deum ita eſt*, eo modo quo ſecunda intentio qua mercator nollet proiicere merces in mare, non impedit intentionem primam qua reipſa eaſdem proiicit. Sunt ergo duæ intentiones ambæ internæ. Sed prima dici poteſt externa, quia effectum exterius producit, nempe invocationem divini teſtimonii; ſecunda dicitur mere interna, quia nihil ad extra parit. Vellet utique impedire ne illa invocatio externa eſſet verum iuramentum; at id præſtare nequit: quia eo ipſo quod

Digitized by Google

quod prima intentio prævaleat proferendi ſerio & deliberate illa verba, quæ verum iuramentum continent, non poteſt amplius voluntas iis verbis adimere propriam ſignificationem.

XIX. Quæſt. VII. *An qui ex inconſideratione falſum iurat, ſit reus periurii, & peccet mortaliter?* Reſp. Sæpius homines inopinato iurant rem aliquam, quam non advertunt, utrum ſit vera, vel falſa. Si ex lapſu linguæ, ideſt ſine advertentia, id accidat, fundamentum adeſt interpretandi hunc hominem non habuiſſe intentionem invocandi Deum in teſtem. Si autem quis advertat, & iuret, peccat mortaliter. Ita reſpondet D. Thomas 2. 2. quæſt. xcviii. art. 3. ad 2. *Ille qui ex lapſu linguæ falſum iurat, ſi quidem advertat ſe iurare, & falſum eſſe quod iurat, non excuſatur a peccato mortali, ſicut nec a Dei contemptu; ſi autem hoc non advertat, non videtur habere intentionem iurandi, & ideo a crimine periurii excuſatur*. Summopere conſideranda ſunt illa Angelici verba *ex lapſu linguæ*: id enim dicitur ex lapſu linguæ proferri quod præter intentionem profertur. Quamobrem interpretatur Angelicus, eum non habere intentionem iurandi qui ex lapſu linguæ, ideſt præter intentionem, profert verba quæ iuramentum continent. Iuramentum ergo ab intentione pendet, quatenus homo debet ſcire, & advertere ſe proferre verba quæ iuramentum efferunt: &, dum advertit, ſcit verba quæ profert, vim habere invocandi divinum teſtimonium; immo dum advertit eiuſmodi verbis reipſa ſe invocare Deum in teſtem, & nihiloſecius ea verba deliberate profert, tunc iurat, etiamſi intentionem non habeat, immo ſi intentionem etiam contrariam haberet non iurandi. Diſtinguenda inſuper eſt hæc Angelici phraſis, *ex lapſu linguæ*, a prava conſuetudine, de qua infra. Qui enim iurare ſolet, habitumque iurandi contraxit, quamvis non advertat ſe iurare, dum iuramentum profert, non dicitur iurare ex lapſu linguæ, ſed ex peſſimo habitu. Illi poſſunt dumtaxat dici iurare ex lapſu linguæ qui nullo modo iurare ſolent, niſi neceſſitate cogente. Iſti, inquam, quandoque ex lapſu linguæ proferre poſſunt verba quæ iuramentum contineant, quin intentionem habeant iurandi, ſeu quin intentionem habeant proferendi illam divini teſtimonii invocationem.

XX. Quæſt. VIII. *An qui iurat ſine animo ſe obligandi, reipſa obligetur?* Reſp. Sylveſter *verb.* Iur. 4. *quæſt.* vii. Azorius *I. Part. Lib. XI. quæſt.* 11. Bonacina *II. Tom. diſput.* iv. *quæſt.* 1. *punct.* 6. *num.* 3. Sanchez *Lib. III. Sum. cap.* x. *num.* 8. Caſtropalaus *tract.* xiv. *diſput.* 11. *punct.* 2. *num.* 6. negantem defendunt opinionem, eo quod qui iurat ſine animo ſe ſe obligandi, revera non iurat: quia, cum obligatio pertineat ad eſſentiam iuramenti, vel ſit quidquam iuramenti eſſentiam conſequens, qui non vult hanc obligationem, neque vult ipſum iuramentum. Porro, ſi verum iuramentum non ſit, nulla obligatio erit exequendi quod ſub iuramento promiſſum fuerit.

XXI.

XXI. Contrariam ſententiam defendunt Caietanus 2. 2. *quæſt.* lxxxix. *artic.* 7. Sotus *Lib. VIII. quæſt.* 1. *artic.* 1. Becanus *quæſt.* iv. Aragonius 2. 2. *quæſt.* lxxxix. *art.* 7. Sayrus *in Clav. Reg. Lib. III. cap.* vi. *num.* 8. Valentia 2. 2. *diſp.* vi. *quæſt.* vii. *punct.* 4. Leſſius *de iuſtit. Lib. II. cap.* xlii. *dub.* 8. *numer.* 38. Suarez *Lib. II. cap.* vii. & plures alii. Hæc ſententia probabilior, & mihi vera videtur. Ratio pervia eſt. Quia iuramentum, ut adverſarii ipſi fatentur, includit obligationem vel ut quid ad eſſentiam ipſius iuramenti pertinens, vel ut quid eamdem eſſentiam conſequens. Ergo qui deliberate vult iuramentum, eadem voluntate etiam id velle debet quod neceſſario ipſum iuramentum conſequitur. Præpoſtera argumentatio qua adverſarii utuntur, nulla eſt. Siquidem poſterior intentio, quæ ineſficax eſt, nequit priorem deſtruere. Quoniam prior intentio reipſa habet ſuum effectum, nempe iuramentum prolatum. Ergo ex his duabus intentionibus prima prævalet, & ſecunda ſuccumbit. Res de ſe patet. Conſule ea quæ dicta ſunt *quæſt.* vi.

DIS-

DISSERTATIO III.

DE

IURAMENTO

doloſo, æquivoco, & amphibologico: de reſtrictionibus mentalibus, & mendacio.

PRAELOQUIUM.

Difficillimam, ſi qua eſt in univerſa Theologia, quæſtionem verſandam ſuſcipio, quamque viribus meis imparem ſentio. Siquidem pluries vadum tentanti turbulentior ſemper aqua evadit. In animo erat conſuetis veſtigiis inſiſtere, & ea dumtaxat explicare quæ communiter Theologi de iuramento doloſo, æquivoco, amphibologico, & reſtrictionibus mentalibus tractant: & reipſa, hac mihi præſtituta methodo, tractationem ferme ad dimidium uſque perduxeram. At, cum ad explanationem amphibologiarum, reſtrictionum mentalium, & æquivocationum acceſſi, extemplo inter Scyllam, & Carybdim, ac ſcopulis undique circumdatum me intellexi. Enim vero eam locutionem quam aliqui Theologi reſtrictionem pure mentalem vocant, alii reſtrictionem non mere mentalem nuncupant; & ille ſermo qui mihi mendax, recentiorum pluribus tantum amphibologicus eſt. Hæc autem omnium ſcopulorum, & difficultatum origo: quia cum non poſſit rectæ diſputationi locus eſſe, niſi id pateat de quo eſt diſputandum; certas & claras notiones æquivocationum, amphibologiarum, & mentalium reſtrictionum præfinire minime poſſumus, attentis recentiorum diſtinctiunculis, effugiis, & thecnis, quæ rem hanc maxime implicatam efficiunt. Has ambages ut evitarem, curſum inceptum abrumpere, telamque redordiri, atque retexere decrevi: idque conſilii cœpi, ut primum omnium de mendacio ſermonem inſtituam. Illud namque commodi mihi peracta controverſiæ tractatio attulit, ut deprehenderim, nihil a recentioribus Theologis pro licito amphibologiarum uſu efferri quod prius ab antiquis tum Philoſophis, tum Patribus aliquibus uſurpatum non fuerit in mendaciorum patrocinium. Nec aliud diſcrimen mihi utrorumque fundamenta perpendenti occurrit, niſi quod antiqui eas locutiones quas recentiorum Theologorum non pauci amphibologicas, æquivocas, & *materiales* vocant, ingenua ſinceritate mendacia appellaverint. Quod ut evincam, atque adi-

aditum mihi ad quæſtiones de *iuramento doloſo* reſolvendas aperiam; hiſtoricam de mendacii diſſidiis inter antiquos tum Philoſophos, tum Patres, narrationem præmittere, operæ pretium exiſtimavi. Quin ad id præſtandum occaſionem præbet bellum quod annos ab hinc duodecim inter plures Italiæ noſtræ litteratos viros ardet ſuper mendaciorum, amphibologiarumque controverſiis. Huic acri certamini anſam dedit P. Carolus Ambroſius Cataneus, qui *Tom. I.* ſuarum lectionum, quas Mediolani e ſuggeſtu ad populum habuit, typiſque evulgavit, *lectione* xliv. novam excogitavit rationem occultandi veritatem, quoties illius manifeſtatio damnum quodpiam grave inferat. Ait quippe, Chriſtianos minime ſollicitos eſſe debere, neque ingenium torquere, ut artificioſa verborum collocatione, & diſpoſitione ſermonem amphibologicum, ſive æquivocum compingant; ſed animos illis addit, ut fronte aperta, & invicto pectore, omni ſepoſito fuco, *pernegent ſe habere rem*, vel *ſe ſcire veritatem*, quam ſi pateſacerent, gravi ſubiicerentur damno. Quoniam, inquit, illud *rotundum Nego* in eiuſmodi eventibus ex humanæ Reipublicæ lege ſuam amittit ſignificationem, nilque plus ſignificat quam iſtud nomen *Blittri*. Hanc falſiſſimam doctrinam impugnandam ſuſcepit P. Ioſeph Auguſtinus Orſi acuti, & profundi ingenii vir, exquiſitaque eruditione præditus, & cui in ſcribendi vel difficillimas quæſtiones facilitate, atque elegantia parem vidi neminem. In præſens ſacræ Congregationis Indicis Secretarius poſt multa edita volumina, doctrina & eruditione inſignia, Hiſtoriam ſcribit eccleſiaſticam univerſali eruditorum plauſu exceptam. Doctiſſimus itaque vir DISSERTATIONEM DOGMATICO-MORALEM edidit, quæ diuturni belli initium fuit. Ea ſiquidem plures ſibi peperit adverſarios, plures etiam commilitones, qui omnes invicem collato pede calamum acuerunt, præla deſatigarunt, pluribuſque editis voluminibus Italiam univerſam implevere. Quam bene *URSIO* alea in hoc litterario conflictu ceſſerit, quanta argumentorum copia, quanta cuiuſque generis eruditione, quanta ſtili elegantia, quantaque eloquentia ſuam oraverit cauſſam, mea non intereſt pateſacere: quoniam libri eius loquuntur, eiuſque ſummam referunt doctrinam. Id unum fateor, me non parum in hac ſalebroſa controverſia ex eius eruditiſſimis operibus profeciſſe, & quædam quæ ad hiſtoricam mendaciorum notitiam conferunt, ab illo mutuatum fuiſſe. Verum, ne plus iuſto lectorem in limine detineam, ad rem accedo.

CA-

CAPUT I.

Platonis, Origenis, Hilarii, Ioannis Chryſoſtomi, Caſſiani, Ioannis Climaci, & Martini Dumienſis errores de mendacii licito in extrema neceſſitate uſu recenſentur.

I. Adeo manifeſta eſt mendaciorum pravitas, atque pernicies, ut neminem ſapientum reperire liceat qui homines mendaces, tamquam humanæ ſocietati infeſtos, non proſcripſerit. Diſſidium dumtaxat fuit inter antiquos cum Philoſophos, tum Patres, utrum ad occultandam veritatem ſummi momenti, cuius manifeſtatio in damnum publici boni cederet, mendacia adhibenda licite forent. Plato omnium Philoſophorum facile Princeps in ſuis decem *de Republica*, ſive *de iuſto Dialogis* pluribus in locis docet, urgente graviſſima cauſſa, mendacio occultandam eſſe veritatem. Pauca ex multis iſthuc tranſcribam iuxta verſionem Ioannis Sozomeni. *Libro*, ſeu *Dialogo II.* ſub finem hæc ſcribit. *Itaque verum mendacium, quod in eo errore animi male de re aliqua opinantis conſiſtit, non modo a diis, ſed ab hominibus etiam odio habetur; mendacium autem illud quod verbis exprimitur, eo tantum caſu utile eſt, & odio minime dignum videtur, ſi contra hoſtes eo utamur, & cum iis etiam qui amici dicuntur, quando vel furore, vel alio quopiam dementiæ genere correpti, malum aliquod efficere aggrediuntur; quo eos ab operatione avertamus, quaſi utile remedium aſſumentes*. Libro III. paulo poſt initium, mendacii uſum privatis civibus adimit, magiſtratibus vero, & medicis concedit. *Si enim recte paullo ante, & vere dictum fuit, apud deos nullum eſſe mendacio locum, hominibus autem medelæ loco, quippe utile, uſurpandum; patet huiuſmodi rem medicis concedendam; a ceteris autem qui artem eam non profiteantur, adimendam; ut porro Principibus civitatis, ſi quibus aliis, mentiri liceat, vel hoſtium; vel civium cauſa ad utilitatem civitatis, ceteris vero omnibus a mendacio omnino abſtinendum erit*. Similia habet *Lib. V.* aliiſque in locis. Hunc errorem a Timæo Locrenſi, & Sophocle Platonem hauſiſſe ferunt. Plurimos habuit ſectatores, non ſolum ex Ethnicis, ſed etiam ex veri Dei cultoribus, qui mendaciorum uſum licitum propugnarunt.

II. Primus qui ex catholicis Doctoribus de mendacio minus caute ſcripſit, fuit Clemens Alexandrinus, qui *Lib. VII. Stromatum* nonnulla habet quæ mendacio favere videntur.

III. Clemens Alexandrinus diſcipulum habuit Origenem, qui non ſubobſcure; ut eius Magiſter, ſed aperte mendacio patrocinatus eſt. Illius verba refert D. Hie-

Hieronymus *Lib. I. adverſus Rufinum*, tranſcripta ex *Lib. VI. Stromatum*, ubi hæc habet. *Non debemus dicere, Quis eſt proximus meus? Sed conſiderare, quomodo Philoſophus caute dixerit, Deo indecens, & inutile eſſe mendacium; hominibus interdum utile: & quod, ne pro diſpenſatione quidem, putandus ſit Deus aliquando mentiri. Sin autem commodum audientis exegerit, verbis loquitur ambiguis, & per ænigmata, quæ vult, profert; ut & veritatis apud eum dignitas conſervetur, &, quod noxium eſſe poterat, ſi nudum proferretur in vulgus, quodam tectum velamine proferatur. Homo autem, cui incumbit neceſſitas mentiendi, diligenter attendat, ut ſic utatur interdum mendacio, quo modo condimento, atque medicamine, ut ſervet menſuram eius, ne excedat terminos quibus uſa eſt Iudith contra Holophernem, & vicit eum prudenti ſimulatione verborum. Imitetur Eſther, quæ Artaxerſis ſententiam, diu tacita gentis veritate, correxit: & in primis Patriarcham Iacob, quem legimus benedictiones patris artifici impetraſſe mendacio. Ex quo perſpicuum eſt quod niſi ita mentiti fuerimus, ut magnum nobis ex hoc aliquod quæratur bonum, iudicandi ſimus, quaſi inimici eius qui ait: Ego ſum veritas.*

IV. Origenem ſecutus eſt Hilarius in ſuis commentariis in Pſal. XIV. *Eſt enim*; inquit, *neceſſarium mendacium plerumque, & nonnumquam falſitas utilis eſt, quum aut percuſſuro de latente mentimur, aut teſtimonium pro periclitante fruſtramur, aut fallimus de difficultate curationis ægrotum, & oportet ſecundum Apoſtoli doctrinam, ſermonem noſtrum ſale eſſe conditum. Idcirco nunc Spiritus ſanctus falſitatis affectum mendacii conditionibus temperavit, dicens*: Qui non egit dolum in lingua ſua, nec fecit proximo ſuo malum: *ut crimen mendacii incommodo habeRetur alieno*. Commentaria in hunc Pſalmum D. Hilarii eſſe, defendunt poſt multas variaſque conſiderationes eruditiſſimi Editores Benedictini in annotationibus quas huic Pſalmo præmittunt. Errandi D. Hilario occaſio fuit Origenes, cuius Pſalmos e Græco in Latinum tranſtulit.

V. D. Ioannes Chryſoſtomus, non ſecus ac Hilarius, opinionem Origenis haud obſcure amplexatus eſſe videtur *Tom. II. hom.* VII. *de pœnit.* ubi mulierem Raab commendat ob mendacium, quo exploratores perſecutorum furori ſubtraxit, his verbis. *Digna igitur omni laude Raab Eccleſiæ imago. Nam cum a Rege miſſi ſunt qui exploratores perquirerent, dicunt ei*: Si ingreſſi ſunt ad te viri? *Reſpondit eis: Etiam ingreſſi ſunt. Primo veritatem ædificat, atque ita mendacium inducit. Numquam enim mendacium per ſe creditur, niſi veritatem prius oſtendere occupaverit. Ideo qui modo ad perſuadendum apte mentiuntur, primo vera dicunt, atque ea quæ apud omnes in confeſſo ſunt; ac deinde mendacia & dubia inducunt. Ingreſſi ſunt ad te exploratores? Reſpondet etiam. Si enim a principio dixiſſet non, ad ſcrutinium provocaſſet eos qui advenerant. Sed & ingreſſi ſunt inquit, & egreſſi ſunt hac via: perſequimini, & comprehendetis eos. O pulchrum mendacium!*

clum? O pulchrum dolum divina non prodentem, ſed pietatem cuſtodientem! Plura alia quae adducere poſſem, praetereo. Neque vitio mihi quiſquam vertat, quod ab hoc naevo ſanctum Eccleſiae Doctorem celeberrimum immunem non aſſeram Quoniam, ut id praeſtem, nulla imbecillitati meae via patet; eorumque plaudo eruditioni, & acumini qui ab hac levi macula Chryſoſtomi doctrinam intaminatam evincere ſibi blandiuntur. Illud tamen iſti advertant, aquam cribro colligere, dum ideo oſtendere conantur Chryſoſtomum non patrocinari mendacio, quia pluribus in locis mendacium improbat ex inſtituto, & data opera profligat. Quandoquidem omnes ad unum Scriptores abſolute mendacium deteſtantur, omnique argumentorum genere eiuſdem malitiam evincunt. In hoc quaeſtio vertitur, num urgente neceſſitate evitandi aliquod graviſſimum malum, ut hominum mortem, licitum mendacium ſit. Adfirmat Chryſoſtomus, ut ego quidem arbitror. Qui oppoſitum demonſtraverit, magnus mihi erit Apollo.

VI. Diſcipulus D. Ioannis Chryſoſtomi fuit Ioannes Caſſianus, qui ſive a praeceptore ſuo, ſive ab Origene hunc ebiberit errorem, ardentius ceteris omnibus ſuis anteceſſoribus illum propugnavit. Non obiter, ſed quindecim capitibus fuſo calamo controverſiam tractat in *collatione* XVII. Ex pluribus pauca delibabo. Cap. XVII. *Itaque taliter de mendacio ſentiendum, atque ita eo utendum eſt, quaſi natura ei inſit ellebori: quod, ſi imminente exitiali morbo ſumptum fuerit, ſit ſalubre; ceterum abſque ſummi diſcriminis neceſſitate perceptum praeſentis exitii eſt. Ita namque etiam ſanctos ac probatiſſimos Deo viros veniabiliter legimus uſos fuiſſe mendacio, ſicut Raab &c. . . . Quando igitur aliquod grave imminet de veritatis confeſſione diſcrimen, tunc mendaciorum ſunt recipienda perfugia.* Cap. XIX. Plura tum ex veteri, tum ex novo teſtamento auctoritates, & exempla depromit in mendaciorum commendationem. Et cap. XX. *Quibus*, inquit, *eruditus exemplis beatus quoque Apoſtolus Iacobus, omneſque illius Eccleſiae primitivae praecipui Principes, Apoſtolum Paulum ad ſimulationis ſigmenta deſcendere pro imbecillitate infirmantium cobortantur . . . Tunc enim neceſſario, ac veniabiliter acquieſcitur mendacii detrimento, quando maius, ut diximus, imminet de veritatis confeſſione diſpendium, & utilitas quae nobis de veritate confertur, compenſare illa quae generanda ſunt damna, non praevalet.* Cap. XXI. Plura teſtimonia profert ex ipſo Evangelio, quibus contendit mendacii uſum non licitum modo, ſed etiam neceſſarium. *Cap.* XXII. XXIII. & XXIV. exempla allegat plurium ſanctorum Monachorum, & Abbatum, qui mentiti ſunt, eo quod exiſtimarint ſublimioris virtutis eſſe, tegere continentiam *humili mendacio quam patefacere ſuperbo veritatis indicio*. Cap. XXV. Iterum fuſius innumera ſanctorum Patriarcharum geſta ex pluribus Scripturarum libris collecta recenſet, ut validius de licito, & neceſſario mendaciorum uſu, ſeu medicamine, opinionem confirmet. *Impoſſibile*,

ait,

ait, *nobis eſt breviter univerſa percurrere: Quis enim enumerare ſufficiat omnes propemodum Patriarchas, Sanctoſque innumerabiles, alios pro vitæ tutamine, alios pro benedictionis deſiderio, alios pro alicuius occultatione myſterii, alios pro zelo Dei, alios pro examinatione veritatis, patrocinium, ut ita dixerim, aſſumpſiſſe mendacii?* Hæc pauca perſtrinxiſſe ſufficiat, ut compertum fiat, Caſſianum omnia argumenta quæ recentiores Theologi pro licito æquivocorum uſu obtrudunt, produxiſſe ad oſtendendum pluribus in eventibus neceſſario, honeſteque adhibenda eſſe mendacia.

VII. Duos alios, ne prolixior ſim, Auctores recenſeo ex illis qui mendacio ſunt patrocinati. Ioannes Climacus gradu duodecimo ſcalæ ſuæ hæc ſcribit. *Ubi nos ab omni mentiendi vanitate liberos ſenſerimus, tum demum, loco & uſu exigente, non ſine timore tamen, quandoque licebit caute mendacium ſubiicere.* Martinus Dumienſis *Lib. quatuor virtut. card. cap.* IV. ait: *Quod ſi aliquando coarcteris uti mendacio, utere, non ad falſi, ſed ad veri cuſtodiam: &, ſi contigerit fidelitatem mendacio redimi, non mentieris, ſed potius excuſaberis: quia ubi honeſta cauſa eſt, iuſtus ſecreta non prodit: tacenda enim tacet, loquenda loquitur.*

VIII. Plures alios Auctores mendacio faventes referre poſſem. Sed, ne nimia prolixitas faſtidium lectori pariat, finem huic capiti impouam verbis divi Auguſtini, qui teſtatur, ſuo tempore communem fuiſſe ſententiam quæ docebat licitum eſſe mentiri pro hominum ſalute. Hæc enim habet quæſt. LXVIII. in Levit. *Pene omnibus videtur quod, ubi nemo læditur, pro ſalute mentiendum eſt.*

IX. Heinc calumniandi, & decipiendi imperitos anſam arripient heterodoxi; nullius ſcilicet Patres eſſe auctoritatis. Sed audax impoſtura pluries iam profligata eſt. Nam quod aliquis ſanctorum Patrum interdum in aliqua perdifficili controverſia, quæ illorum tempore nondum pro dignitate diſcuſſa erat, lapſus ſit, nemo eſt qui eat inficias. At propterea ne inferendum, parvi faciendos eſſe Patres, dum unanimi conſenſu aliquam defendunt doctrinam? Verum hæc obiter. Alibi de hoc fuſior ſermo.

C A-

CAPUT II.

Recenſentur Auctores qui ante, vel circa Auguſtini tempora mendacio bellum indixerunt. Poſt Auguſtinum Catholicorum nemo favit mendacio.

I. Ariſtoteles, Platonis diſcipulus, magiſtri de mendacio errorem reiecit *Lib. IV. Ethic. cap.* VII. ubi ſcribit, mendacium ſuapte natura pravum eſſe, deteſtandumque; veritatem bonam, laudeque dignam. Sed, miſſis Ethnicis, chriſtianæ profeſſionis Doctores in medium afferam.

II. Primus omnium chorum ducet Lactantius, qui *Lib. VI. divinarum inſtitutionum* aperte mendacium inſectatur his verbis. *Cetera quæ obſervare cultor Dei debet, facilia ſunt, illis virtutibus comprehenſis, ut non mentiatur umquam decipiendi, aut nocendi cauſa. Eſt enim nefas eum qui veritati ſtudet, in aliqua re eſſe fallacem, atque ab ipſa quam ſequitur veritate diſcedere. In hac iuſtitiæ, virtutumque omnium via nullus mendacio locus eſt. Itaque viatorem illum verum ac iuſtum non decet illud Lucilianum:*

Homini amico, & familiari non eſt
mentiri meum:

ſed etiam inimico, atque ignoto exiſtimabit non eſſe mentiri ſuum: nec aliquando committet ut lingua interpres animi a ſenſu, & cogitatione diſcordet. Non inficior, iſthic Lactantium abſolute non loqui de controverſia illa potiſſima, utrum ſcilicet pro hominum vita ſervanda, vel ſummi momenti ſecretis occultandis liceat mentiri. Ceterum ſimul aſſero, Lactantium ea ponere principia quæ cuiuſque officioſi mendacii uſum proſcribunt; damnantque. Cum enim ſtatuat, neque amico, neque inimico mentiendum, cum ſubdat, numquam permittendum ut lingua animi interpres a mentis cogitatione diſcordet, ac denique in hac iuſtitiæ via numquam eſſe mendacio locum; omnem ſane excludit eventum in quo licitum mendacium ſit.

III. Similia docent Euſebius Cæſarienſis, D. Baſilius in Regulis brevioribus, D. Proſper Libro contra Caſſianum, ubi cap. IX. *Tu nos ſubdis,* inquit, *duobus, & geminas, ſicut intelligis, pravitates dividendo damnas, miſcendo iuſtificas. Hac lege, hac regula poteris prædicare, quod tam errent qui dicunt ſemper eſſe fallendum, quam qui definiunt numquam eſſe fallendum. Sed, ut in neutro peccetur, utrumque ſectandum: quia nec ſemper declinanda falſitas, nec ſemper negligenda ſit veritas. Fallit te prorſus opinio tua: de duobus malis unum fieri bonum non poteſt.* Duos Caſſiani errores hic refellit D. Proſper: alterum, quod bonorum operum ini-

initia quandoque gratiæ, quandoque naturæ adiudicaret; alterum, quod interdum falſitate, interdum veritate utendum doceret.

IV. Ferrandus Eccleſiæ Carthaginenſis Diaconus *in oratione ad Comitem Reginonem* hæc habet. *Sit ſaltem ſermo veſter*, Eſt eſt, non non: *&, ſive iuramento intercedente, ſive ceſſante, nitamur in veritate certiſſimi permanere. Divina namque eſt veritas. Unde multum veraciter Filius Dei dixit:* Ego ſum veritas. *Et ſicut de caritate recordamur Ioannem dixiſſe:* Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in illo: *Ita ſimiliter ſi velimus dicere, non mentimur: Qui manet in veritate, in Deo manet, & Deus in illo manet. Præponamus igitur veritatem cunctis utilitatibus temporalibus, & tunc rite inveniemur humanis divina præponere.*

V. Divus Gregorius Magnus Lib. XVIII. Moral. cap. 111. *Omne mendacium iniquitas eſt, & omnis iniquitas mendacium: quia profecto ab æquitate diſcrepat quidquid a veritate diſcordat . . . Summopere cavendum eſt omne mendacium; quamvis nonnumquam ſit aliquod mendacii genus culpæ levioris, ſi quiſquam præſtando mentiatur. Sed, quia ſcriptum eſt:* Os quod mentitur, occidit animam: Perdes omnes qui loquuntur mendacium: *hoc quoque mendacii genus perfecti viri ſummopere fugiunt, ut nec vita cuiuslibet per eorum fallaciam defendatur, ne ſuæ animæ noceant, dum præſtare vitam carni nituntur alienæ . . . Nonnulli vero ex obſtetricum fallacia conantur aſſerere, hoc mendacii genus non eſſe peccatum, maxime quod, illis mentientibus, ſcriptum eſt*, quia ædificavit illis Dominus domos: *in qua magis recompenſatione cognoſcitur quid mendacii culpa mereatur. Nam benignitatis earum merces, quæ eis in æterna potuit vita retribui, pro admixta culpa mendacii in terrenam eſt recompenſationem declinata, ut in vita ſua, quam mentiendo tueri voluerunt, ea quæ fecerunt bona reciperent, & ulterius quod expectarent mercedis ſuæ præmium non haberent. Nam, ſi ſubtiliter perpendantur, amore præſentis vitæ mentitæ ſunt, non intentione mercedis. Parcendo quippe conatæ ſunt infantium vitam tegere, mentiendo ſuam.*

VI. Tres alios indicabo: quia poſteriores omnes Scriptores mendacia omnia deteſtati ſunt. Ansbertus *Lib. IX. in Apocalypſim* explicans illa verba, *Et omnibus mendacibus pars illorum erit in ſtagno ardenti*, relatis auctoritatibus Gregorii, & Auguſtini contra mendacium, ſic concludit. *Unum ſane firmiter debemus retinere, nullum mendacii genus inultum manere, quod hic relaxatum non fuerit pœnitentia, vel quolibet opere pietatis.* Sanctus Gregorius VII. *Lib. IX. epiſt.* 11. ad Alphonſum Regem Hiſpaniarum ait: *Non ignorat prudentia tua mentiri peccatum eſſe, ſi & de verbo otioſo in diſtricto examine exigenda eſt ratio. Sed ne mendacium quidem quod ſit pia intentione pro pace, a culpa penitus immune eſſe probari poteſt. Hæc idcirco prælibavimus, ut cum in ceteris illud peccatum eſſe non dubitaveris,*

Digitized by Google

ris, in Sacerdotibus quaſi ſacrilegium conìieias. Alexander III. *Scriptura ſacra prohibet pro alterius vita mentiri* : cap. *Super eo* Extra de uſur.

C A P U T III.

Compendiaria narratio eorum omnium quæ S. Auguſtinus ſcribit in Libro de mendacio.

I. UT iam capite ſuperiore indicavimus, ante tempora D. Auguſtini plures Auctores uſum mendacii in extrema neceſſitate pro vita hominum ſervanda, aut pro alio gravi damno propulſando, licitum propugnabant. Caſſianus præ ceteris nullum non movit lapidem, ut hanc opinionem Scripturarnm auctoritate muniret. D. Auguſtinus e contrario inter impugnatores mendacii palmam omnibus præripuit. Omnia adverſariorum argumenta, paradoxa, & ſophiſmata ſibi opponit; quin ipſe eas omnes obiectiones excogitavit, eos omnes eventus, ſeu caſus ſibi proponit quos ſummo ſuo ingenio iudicavit mendacio poſſe favere, ut nihil intactum, nihil indiſſolutum prætermitteret. Et, quoniam eos omnes caſus ventilat quos recentiores tractant Theologi, eaſdemque omnes difficultates verſat; idcirco operæ pretium exiſtimavi, tanti Patris diſputationem ob lectorum oculos referre, ut hinc colligere valeant, quantum Auguſtini doctrina a recentiorum inventis diſtet. Hunc de mendacio Librum ſcripſit Auguſtinus anno circiter 395. ut obſervant Patres Benedictini. Omnia ergo quæ in hoc Libro continentur, ea qua potero brevitate in compendium redacta iſthuc tranſcribam. Procemium præfati Libri his verbis incipit.

II. *Magna quæſtio eſt de mendacio, quæ nos in ipſis quotidianis actibus noſtris ſæpe conturbat; ne aut temere accuſemus mendacium quod non eſt mendacium, aut arbitremur aliquando eſſe mentiendum honeſto quodam, & officioſo, ac miſericordi mendacio*. Porro (*cap.* I.) expoſito controverſiæ ſtatu, excluſiſque (*cap.* II.) a præſenti quæſtione verbis iocoſis, quorum ſignificatio omnibus patet; illud (*cap.* III.) animadvertit, nec ſemper mentiri eum qui falſum enuntiat, nec ſemper a mendacio eſſe immunem qui verum profert. Quippe haud eſt mendacii reus qui falſum proferens, reputat eſſe verum. Contra, mendax habetur qui verum dicit exiſtimatum falſum. *Quapropter ille mentitur qui aliud habet in animo, & aliud verbis, vel quibuslibet ſignificationibus enuntiat*. *Cap.* IV. quærit, an ille qui mentitur, debeat habere fallendi animum; ubi alias verſat difficultates. *Cap.* V. id quod totius Libri caput eſt, tractandum aſſumit, utrum ſcilicet aliquando mentiri expediat. Qui id defendunt, opponunt exempla Saræ, Iacob, & obſtetricum AEgyptiarum. Addunt incommoda graviſſima quæ interdum manifeſtationem ali-

cuius veritatis conſequuntur; ut mors illius qui nonniſi mendacio liberari poteſt; & ægroti afflictio, ſi veritas quæ ei diſplicet, illi manifeſtetur. E contrario qui mendacium in omni eventu illicitum exiſtimant, validius argumentantur divinis verbis innixi: atque ad exempla quæ ex veteri teſtamento afferuntur, reſpondent, antiquos Patres non eſſe mentitos, quoniam plura figurate prædicebant. Quod ſi eorum quiſpiam qui bona intentione mentiti fuerunt, laudatus reperitur, non abſolute, ſed comparate ad eos commendatur qui fallendi animo mentiuntur. In Libris poſtea novi teſtamenti, ſi quaſdam ipſius Redemptoris figuratas locutiones excipias, nulla ſimilia reperiuntur exempla, quæ ad imitationem provocent mentiendi. *Simulatio autem Petri, & Barnabæ non ſolum non commendata, verum etiam reprehenſa, atque correcta eſt.* Ab iſtius ſimulationis culpa immunem oſtendit Paulum, cum Timotheum circumcidit; ubi plura in Pauli defenſionem affert.

III. Incommoda porro quæ ex veritatis revelatione conſequi opponunt, (*cap.* VI.) nihili faciunt mendaciorum impugnatores. Quoniam animum ad divinam intendentes Scripturam, quæ minatur, *Os quod mentitur, occidit animam*, ordinis perverſionem reputant, propriam animam ſpiritualiter perimere, ut alter corporaliter vivat. Neque ad hoc caritas urget, quæ, ſicuti noſmetipſos, non pluſquam noſmetipſos, proximum diligere iubet. Quod ſi a recto ordine recedit qui mortem oppetit temporalem pro alterius corporali vita; quanto magis ſanæ doctrinæ regulam excedit qui æternam ſuam vitam pro alterius temporali amittit? Iſti vero qui ſtomachantur, & indignantur, ſi nolit aliquis mendacio perimere animam ſuam, ut aliquis ſeneſcat in carne: quid, ſi etiam furto noſtro, quid, ſi adulterio liberari poſſet aliquis de morte? Ideo ne furandum eſt, aut mœchandum? Quid, ſi *laqueum ferat homo, & ſtuprum petat, confirmans quod ſibi collum ligabit, niſi ei concedatur quod petit*; numquid aſſentiendum erit? *Quod ſi abſurdum, & nefarium eſt; cur animam ſuam quiſquam mendacio corrumpat, ut alter vivat in corpore?* Proinde non eſt in iſta quæſtione attendendum, niſi utrum ſuapte natura iniquum ſit mendacium. Quod cum iam ſupra oſtenſum ſit; idem erit quærere, utrum pro alterius ſalute mentiri aliquis debeat, ac ſi quæreretur, utrum pro alterius ſalute iniquus eſſe aliquis debeat. Quod ſi reſpuit animæ ſalus, quæ non poteſt niſi æquitate ſervari; quamve non ſolum alterius, ſed etiam noſtræ ſaluti temporali præferre debemus: quis revocare in dubium poterit, numquam omnino mentiendum eſſe?

IV. Quoniam vero (*cap.* VII.) corporis caſtitas ipſa vita pretioſior eſt, quæri poteſt, an homo licite mendacio uti valeat, quo pudicitiæ iacturam vitet; ut ſi ſtuprator irruat, qui poſſit mendacio devitari. Facile reſpondetur, nullam eſſe pudicitiam corporis, niſi ab integritate animi pendeat, qua diſrupta, cadat neceſſe

eſt,

Digitized by Google

eſt, etiamſi intacta videatur. Nullo modo igitur animus ſe mendacio corrumpit pro corpore ſuo, quod ſcit manere incorruptum, ſi ab ipſo animo incorruptio non recedat. Quod enim violenter, non præcedente libidine, patitur corpus, vexatio potius quam corruptio nominandum eſt. Aut, ſi omnis vexatio corruptio eſt, non omnis corruptio turpis eſt; ſed illa quam libido procuraverit, aut cui libido conſenſerit. Quanto autem animus præſtantior corpore eſt, tanto ſceleratius corrumpitur. Ibi ergo ſervari poteſt pudicitia, ubi nulla niſi voluntaria poteſt eſſe corruptio. Certe enim, ſi ſtuprator corpus invaſerit, cui nec vi contrairi poſſit, nec ullo conſilio, vel mendacio devitari, neceſſe eſt fateamur, aliena libidine pudicitiam non violari. Quapropter, quoniam nemo dubitat, meliorem eſſe animum corpore, integritati corporis integritas animi anteponenda eſt, quæ in æternum ſervari poteſt. Quis autem dixerit, integrum eſſe mentientis animum? Etenim libido quoque ipſa recte definitur appetitus animi quo æternis bonis quælibet temporalia præponuntur. Nemo itaque poteſt convincere, aliquando eſſe mentiendum, niſi qui potuerit oſtendere, æternum aliquod bonum obtineri poſſe mendacio. Sed cum tanto quiſque ab æternitate diſcedat, quanto a veritate diſcordat; qui autem mentitur, a veritate diſcedit: abſurdiſſimum eſt dicere, diſcedendo inde poſse ad boni aliquid quempiam pervenire. Aut, ſi eſt aliquod bonum æternum quod non complectatur veritas, non erit verum; & ideo nec bonum, quia falſum. Sicut autem animus corpori, ita etiam veritas ipſi animo præponenda eſt; ut eam non ſolum magis quam corpus, ſed etiam magis quam ſeipſum appetat animus. Si autem Lot, cum ita iuſtus eſſet, ut Angelos etiam hoſpites ſuſcipere mereretur, ſtuprandas filias Sodomitis obtulit, ut feminarum potius ab eis corpora quam virorum corrumperentur; quanto diligentius, atque conſtantius animi caſtitas in veritate ſervanda eſt; cum verius ipſe corpori ſuo quam corpus virile corpori femineo præferatur?

V. Hinc colligere quiſque valet, nec intentione æternæ ſalutis aſſequendæ mentiendum eſſe; quin ſubdit (*cap.* VIII.) æternæ ſalutis ianuam occludi, ſi mendacio aditus aperiatur. Primum enim ſalutis fundamentum fides eſt. Hæc ſane vacillat, ſi ſemel concedatur, licitum eſſe viros bonos mentiri. Quomodo enim credendum eſt ei qui putat aliquando eſſe mentiendum? Nam & tunc mentiri valet, cum præcipit ut ſibi credatur. Unde enim ſciri poteſt, utrum & tunc habeat aliquam cauſſam, ſicut ipſe putat, officioſi mendacii, exiſtimans falſa narratione hominem territum poſſe a libidine cohiberi; atque hoc modo etiam ſpiritualibus ſe conſulere mentiendo arbitretur. Quamobrem aut non eſt credendum bonis; aut credendum eſt eis quos credimus debere aliquando mentiri; aut non eſt credendum, bonos aliquando mentiri. Horum trium primum pernicioſum eſt, & ſecundum ſtultum. Reſtat ergo ut numquam mentiantur boni.

VI. Sic iſta quæſtione (*cap.* IX.) ex utraque parte conſiderata, atque tractata, non tamen facile ferenda ſententia eſt; ſed adhuc diligenter audiendi qui dicunt, nullum eſſe tam male factum quod non in devitatione peioris faciendum ſit: pertinere autem ad facta hominum, non ſolum quidquid faciunt, ſed quidquid etiam cum conſenſione patiuntur. Unde, ſi extitit cauſſa ut eligeret vir chriſtianus thurificare idolis, ne conſentiret ſtupro, quod perſecutor ei, niſi faceret, minabatur; recte videntur quærere, cur non etiam mentiretur, ut tantam illam turpitudinem devitaret. Ipſam enim conſenſionem, qua ſtuprum pati mallet quam thurificare idolis, non paſſionem dicunt eſſe, ſed factum: quod ne faceret, elegit thurificare. Reſpondet, quod ſi talis conſenſio pro facto habenda ſit, homicidæ ſunt etiam qui occidi maluerunt quam falſum teſtimonium dicere. Itaque conſenſus non eſt dicendus, quoties non approbamus quod faciunt; quin, quantum in nobis eſt, prohibemus ne faciant. Erravit proinde ille qui, ut impediret ne alii in ſuum corpus peccarent, thus adolevit idolis. Sed reponunt: Quomodo non facis cum eis; ſi hoc illi non facerent, ſi tu illud feciſſes? Reſpondet Auguſtinus, hoc modo nos frangere ianuam cum effractoribus, qui, ſi eam non clauderemus, illi non frangerent. Preſſius quæſtionem proponit, & dirimit. Debuit ne igitur ſtuprum potius perpeti quam thurificare? Si quæris quid debuerit, neutrum debuit. Si enim dixero, aliquid horum debuiſſe, aliquid horum approbabo; cum improbem utrumque. Sed ſi quæritur, quid horum potius debuit evitare, qui utrumque non potuit; ſed alterutrum potuit; reſpondebo, ſuum peccatum potius quam alienum. Quin levius ſuum quam grave alienum vitandum illi eſt. Denique quæſtionis nodum in hoc vertere concludit, num ſcilicet mendacium deſinat eſſe peccatum, cum quis eo utitur, ut pudicitiam corporalem cuſtodiat.

VII. Si ſermo ſit de mendaciis perniciofis, quæ alienam famam lædunt, reſpondet Auguſtinus (*cap.* X.) numquam nos licite poſſe alterius nomen obſcurare, ut impediamus ſive proprii, ſive alieni corporis ſtuprum. Quemadmodum nec ob eiuſmodi mala, vel graviora alia declinanda, licet aliquando in religionis negotio mentiri. Immo nec ideo in doctrina religionis mentiendum eſt, ut ad eam ipſam facilius quiſquam perducatur. Fracta enim, vel leviter diminuta auctoritate veritatis, omnia dubia remanebunt; quæ, niſi vera credantur, teneri certa non poſſunt.

VIII. Quo firmiter conſtituto, de ceteris mendaciis ſecurius diſputatur. Itaque (*cap.* XI.) omnia mendacia quæ iniuſte aliquem lædunt, removenda ſunt, quemadmodum & illa quæ, quamvis non obſint alteri, nulli tamen proſunt, & obſunt illis ipſis qui mentiuntur. Denique vitanda ſunt etiam mendacia illa quæ iocoſa appellantur, quibus idcirco mentientes utuntur, ut placeant hominibus, amœnioremque efficiant hominum converſationem.

IX.

Digitized by Google

IX. Iſtis generibus ſine ulla dubitatione damnatis, ſermo [*cap.* XII.] recurrit de mendaciis officioſis, quæ nemini nocent, & alicui proſunt. De hoc mendaciorum genere tota eſt controverſia, utrum ſcilicet hæc mendacia illi noceant qui ea profert, ut alteri proſit; & an nocumentum quod patitur mentiens, compenſetur bono quod mendacium conſequitur. Reſpondet, numquam mendacium licitum eſſe, etiamſi nulli noceat, & alicui proſit: alioquin licitum foret ſurripere diviti, ſuperfluis copiis redundanti, tritici modium donandum pauperi, qui magnum experiretur commodum, cum nullum ſentiret dives detrimentum: liceret quoque tunc falſum teſtimonium dicere ad occultandum pauperis furtum. Quo quid dici poteſt perverſius? Sed quia reponi poſſet, idcirco hoc mendacium illicitum eſſe, quia eo peccatum alienum obtegitur; propterea conſequenter quæritur, an liceat mentiri, quando mendacium nulli nocet, alicui prodeſt, nullumque occultat peccatum. Reſpondet. Si propterea non peccamus mentiendo, quia nullius peccatum tegentes & nulli obſumus, & alicui proſumus, quid agimus de ipſo peccato mendacii? Ubi enim poſitum eſt, Ne furtum feceris, ibi poſitum eſt, Ne falſum teſtimonium dixeris. An occultare peccatum non licet, & facere peccatum licet? An fortaſſe falſum teſtimonium non eſt, niſi quando quiſque ita mentitur, ut aut crimen confingat in aliquem, aut alicuius crimen occultet, aut quoquo modo quemquam in iudicio premat? Si ita eſt, quid ergo, ſi ad Chriſtianum confugiat homicida, aut videat quo confugit, & de hac re interrogetur ab eo qui ad ſupplicium quærit hominem hominis interfectorem? Mentiendum ne eſt? An mentiri ad tegendum alienum peccatum malum eſt, mentiri autem ad tegendum peccatorem non eſt malum? Quid, ſi ad iudicem ductus, de ipſo loco ubi ſe ille occultat, interrogeris? Dicturus es: Aut non ibi eſt ubi ſcis eum eſſe; aut non novi, & non vidi quod noſti, & vidiſti? Dicturus ergo es falſum teſtimonium, & occiſurus animam tuam, ne occidatur homicida? Quid, ſi de iuſto, atque innocente, ubi lateat, ſciens a iudice interrogeris, qui tamen ad mortem a maiore poteſtate iuſſus eſt rapi, & ille qui interrogat, executor ſit legis, non conditor? An ideo non erit falſum teſtimonium, quia pro innocente mentiris, quia non iudex, ſed executor interrogat? Quid, ſi ipſe conditor legis interroget, aut quilibet iudex iniquus ad ſupplicium quærens innocentem? Quid facies? Falſus teſtis, an proditor eris? An inter crimen falſi teſtimonii, & proditionis dubius remanebis? Quanto ergo fortius, quanto excellentius dices, *Nec prodam*, *nec mentiar*. Fecit hoc Epiſcopus quondam Tagaſtenſis Eccleſiæ Firmus nomine, firmior voluntate. Quidni faciemus idem & nos tum coram iudice, tum extra iudicium, ut impleamus quod ſcriptum eſt: *Falſum teſtimonium non dices*: illudque ſupplicium vitemus: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*? Aliquando vero quæritur a nobis, non ubi ſit, ſed utrum ſit, an non ſit in illo loco occultatus.

innocens? Ubi ſi eſſe ſcimus, tacendo eum prodimus; vel etiam ſi teſtemur, nequaquam nos eſſe dicturos, utrum ibi ſit, an non ſit, pariter prodimus, ac ſi digito illum oſtenderemus. In hoc ergo articulo ſic reſpondere debes: *Scio ubi ſit; ſed numquam monſtrabo, nec mentiar*. Hæc ſola reſponſio valet alio mentem quæſitoris diſtrahere, & ab eo loco in quo innocens occultatus iacet, avertere. Tunc vero, quid quid toleraveris, ne eum prodas, non ſolum non culpabile, ſed etiam laudabile iudicabitur.

X. Ex his quæ hactenus dicta ſunt, patet, inquit Auguſtinus (*cap.* XIV.) octo eſſe mendaciorum genera. De ſeptem iam ſatis dictùm fuit. Reliquum nunc eſt ut de octavo, & ultimo genere verba faciamus. Hoc autem mendacium eſt, cum mentimur, ut ab aliena vi corporis pudicitiam tueamur. Antequam vero ſententiam dicat in hoc mendacii genus, ſeveriore examine teſtimonia Scripturarum quæ mendacia damnant, ſuſcipit enucleanda. Quod maturum, ſeverumque examen incipit a *cap.* XV. illudque perducit uſque ad *cap.* XIX. Varias expendit interpretationes, quibus utriuſque ſententiæ defenſores divinarum Scripturarum textus propriæ accommodabant opinioni. Ex quibus omnibus ſummo ſtudio perpenſis illud colligit, neminem poſſe ex divinis Scripturis oſtendere, aliquod reperiri mendacium quod aut amandum, aut non odio habendum ſit. *Sed interdum faciendum eſt quod oderis* (cap. XVIII.) *ut quod amplius deteſtandum eſt, devitetur. Sed in hoc errant homines quod ſubdunt pretioſa vilioribus. Cum enim conceſſeris admittendum eſſe aliquod malum, ne aliud gravius admittatur; non ex regula veritatis, ſed ex ſua quiſque cupiditate, atque conſuetudine metitur malum, & id putat gravius quod ipſe amplius exhorreſcit, non quod amplius revera fugiendum eſt. Hoc totum ab amoris perverſitate gignitur vitium. Cum enim duæ ſint vitæ noſtræ: una ſempiterna, quæ divinitus promittitur; altera temporalis, in qua nunc ſumus: cum quiſque iſtam temporalem amplius diligere cœperit quam illam ſempiternam, propter hanc quam diligit, putat omnia eſſe facienda; nec ulla æſtimat graviora peccata quam quæ huic vitæ faciunt iniuriam, & vel ei commoditatis aliquid inique, & illicite auferunt, aut eam penitus illata morte adimunt. Itaque fures, & raptores, & contumelioſos, & tortores, atque interfectores magis oderunt quam laſcivos, ebrioſos, luxurioſos, ſi nulli moleſti ſunt.* Sed his omnibus oppoſitæ ſunt regulæ quas nobis ſervandas veritas præſcribit. Hæc docet nos fortiter, prudenterque tolerare aliena peccata, quæ bona corporis nobis adimunt: nam illi ſoli qui auferunt, peccant, & a vita æterna impediuntur; minime vero peccant ii qui damna patiuntur. *Quæ autem ſanctitatis, religioniſque cauſſa ſervantur, cum violare iniurioſi voluerint, etiam peccatis minoribus, non tamen iniuriis aliorum, ſi conditio proponitur, & facultas datur, retinenda ſunt. Et tunc iam illa deſinunt eſſe peccata quæ propter graviora vitanda ſuſcipiuntur.*

XI.

XI. Porro hæc ſunt (*cap.* XIX.) quæ ſanctitatis cauſſa conſervari debent, pudicitia corporis, caſtitas animi, veritas doctrinæ. Corporis pudicitia ſine noſtro libero conſenſu non violatur. Quidquid enim nobis invitis, maiore vi prævalente, contingit in noſtro corpore, nulla impudicitia eſt; & permittendi poteſt eſſe aliqua ratio, conſentiendi autem nulla. Animi vero caſtitas eſt in ſincera delectatione, quæ non corrumpitur, niſi cum amamus, atque appetimus quod amandum, & appetendum non eſſe veritas docet. Cuſtodienda eſt ergo ſincere dilectio Dei, & proximi: in hac quippe caſtitas animi ſanctificatur. Veritas autem doctrinæ, religionis, atque pietatis non niſi mendacio violatur. Summopere igitur doctrinæ veritas a mendacio cuſtodienda eſt, ut ſi caſtitas animi fuerit violata, habeat unde reparetur: quoniam, corrupta auctoritate doctrinæ, nullus aut curſus, aut recurſus eſſe ad caſtitatem animi poteſt.

XII. Animi caſtitas ſermonis ſinceritate cuſtoditur: quæ etſi minus violetur, cum quis mentitur, ut pudicitiam corporis cuſtodiat; violatur tamen, & id violatur quod in caſtitate, & ſanctitate animi ſervandum eſt. Unde cogimur, non opinione hominum, quæ plerumque in errore eſt, ſed ipſa, quæ omnibus ſupereminet, atque una invictiſſima eſt, veritate præferre pudicitiæ corporis animi ſinceritatem, fidem, ſeu veracem ſermonem. Caſtitas animi amor eſt ordinatus, non ſubdens maiora minoribus. Minus eſt enim quidquid in corpore quam quidquid in animo violari poteſt. Cum quis corpori tuo vim infert; vides, non tuam, ſed alienam irrumpere libidinem. Cave tamen ne conſentiendo ſis particeps: quia pudicitia corporalis non corrumpitur, niſi violetur in animo, quo non conſentiente, nullo modo corrumpitur pudicitia corporalis, quidquid fuerit in corpore aliena libidine perpetratum. Quamobrem quod in nobis eſt, utrumque ſanctis moribus, & converſatione muniendum eſt, atque ſæpiendum, ne aliunde violetur. Quando autem utrumque non poteſt, ſed alterutrum periculo iacturæ ſubiacet; nemo non videt, anteponendam eſſe pudicitiæ corporali animi caſtitatem; & in peccatis magis propriam quam alienam culpam vitandam.

XIII. *Elucet itaque* (cap. XXI.) *diſcuſſis omnibus, nihil aliud illa teſtimonia Scripturarum monere, niſi numquam eſſe omnino mentiendum. Quandoquidem nec ulla exempla mendaciorum imitatione digna in moribus, factiſque Sanctorum inveniuntur, quod ad eas attinet Scripturas quæ ad nullam figuratam ſignificationem referuntur, ſicuti ſunt res geſtæ in Actibus Apoſtolorum. Nam Domini omnia in Evangelio quæ imperitioribus mendacia videntur, figuratæ ſignificationes ſunt.* Numquam igitur mentiendum: quoniam ex octo mendaciorum generibus, quæ ſupra recenſita ſunt, nec unum licitum eſt. *Quiſquis autem eſſe aliquod genus mendacii quod peccatum non ſit, putaverit, decipiet ſeipſum turpiter, cum honeſtum ſe deceptorem arbitratur aliorum.*

C A-

CAPUT IV.

Compendium Libri contra mendacium, quem D. Auguſtinus ſcripſit ad Conſentium.

I. IN votis erat quaſdam animadverſiones compendiariæ narrationi ſuperioris *Libri de mendacio* adiicere; ſed meliore conſilio deliberavi, nullo interpoſito diverticulo, utriuſque Libri veluti imaginem quamdam adumbrare, ut lectores unico quaſi intuitu mentem D. Auguſtini explorare valeant. Deinde ad utrumque Librum paucas adiiciam obſervationes. Et, antequam ad rem accedo, inquirere lubet, cur D. Auguſtinus Librum capite ſuperiore in compendium redactum, *de mendacio* inſcripſerit; hunc vero, quem in præſentia tranſcribendum ſuſcipio, titulo *contra mendacium* donaverit. Diverſæ inſcriptionis rationem ipſemet Auguſtinus prodit Lib. I. Retract. cap. ult. *Propterea illius inſcriptio eſt* contra mendacium, *iſtius autem* de mendacio, *quoniam per illum tota oppugnatio eſt aperta mendacii; iſtius autem magna pars in inquiſitionis diſputatione verſatur*. Ut enim penitus exhauriret controverſiam, in priori Libro de mendacio quodammodo problematice diſputavit: adverſariorum rationes, non obiter, ſed ex profeſſo in medium attulit, atque in pleno lumine collocavit: reſponſa quoque exhibuit: & quæcumque mendacia illicita demonſtravit. In præſenti vero Libro contra mendacium cominus rem eſt aggreſſus, atque conſerta manu mendacia omnia profligare ſuſcepit. Hunc edendi Librum occaſionem Auguſtino ſuppeditarunt Priſcillianiſtæ, quorum pernicioſior erat error, licitum homini eſſe mendaciis, immo & periuriis propriæ religionis profeſſionem abſcondere. Hinc extrinſecus Catholicorum ſimulantes religionem, cum Catholicis commercia inibant, ſecuriuſque ſub tali larva bellum evangelicæ veritati indicebant. Et quoniam difficillimum erat lupos iſtos, ovium pellibus contectos, ab ovili Chriſti propellere; Catholicorum quidam minus prudentes, ut clavum clavo repellerent, Priſcillianiſtas ſe ſe effingebant, quo eorumdem impia dogmata facilius deprehenderent. Hos errores ut profligaret Auguſtinus, Librum edidit *contra mendacium*.

II. Et in primis ſtatuit (*cap.* I.) neque mendacia mendaciis, neque latrocinia latrociniis, nec adulteria adulteriis exterminanda eſſe. Priſcillianiſtarum eſt hæc [*cap.* II.] impia opinio, quæ ſanctos Martyres exhonorat; immo vero aufert omnino ſancta martyria. Mendaciorum multa genera ſunt, quæ quidem omnia [*cap.* III.] univerſaliter odiſſe debemus; cum nullum reperire liceat quod veritati oppoſitum non ſit, ſicuti luci tenebræ, pietati iniquitas, & ſanitati infirmitas. Hac ſemel admiſſa mentiendi opinione, omnis humana ſocietas de medio tollitur.

Si

Si enim ſuſpicentur Priſcillianiſtæ catholica dogmata nos mendaciter loqui, ut neſcio quid aliud occultemus quod verum putamus: *certe talia ſuſpicanti dicturus es: Hoc tunc ideo feci, ut caperem te. Sed quid reſpondebis dicenti? Unde igitur ſcio, utrum etiam nunc id facias, ne capiaris a me?* Sed nunc adverte, quod tolerabilius Priſcillianiſtæ (*cap.* V.) in noſtra comparatione mentiantur. Nam Priſcillianiſta ſic loquitur, quia ita credit, Catholicus autem non ita credit, quamvis ſic loquatur. Ille ergo blaſphemat neſciens, iſte ſciens. Numquam igitur [*cap.* VI.] in religionis negotio mentiendum. Nam, ſi licita forent mendacia, animo illuminandi hæreticos dicta [*cap.* VII.] poſſent quoque caſta eſſe adulteria eodem animo perpetrata. Intereſt quidem plurimum, qua cauſſa, quo fine, qua intentione quid fiat; ſed ea quæ conſtat eſſe peccata, nullo bonæ cauſſæ obtentu, nullo quaſi bono fine, nulla veluti bona intentione facienda ſunt. Bona intentio diminuere [*cap.* VIII.] quidem interdum poteſt peccati malitiam; minime vero efficere quin ſit peccatum quod ſuapte natura peccatum eſt.

III. Verum, quod fatendum eſt, ita humanos animos *quædam compenſativa peccata perturbant, ut etiam putentur* [cap. IX.] *debere laudari, ac potius recte facta dicantur.* Quis enim dubitet grande eſſe peccatum, ſi pater proſtituat filias ſuas fornicationibus impiorum? Et tamen extitit cauſſa qua hoc Lot debere ſe facere exiſtimavit. Quid hic dicemus? Si hanc aperimus viam, & committamus minora, ne alii maiora perpetrent; lato limite, immo nullo limite cuncta flagitia regnabunt. Sed hic error tunc potiſſimum [*cap.* X.] prævalet, cum de mendaciis agitur. Siquidem peccata non eſſe illa mendacia exiſtimant quæ pro alterius utilitate proferuntur: idque Scripturarum exemplis demonſtrare contendunt. Quæ tamen (*cap.* XI.) aut mendacia non ſunt, aut ſunt myſteria; vel, ſi mendacia, minime ſunt imitatione digna. Nam, ſi Prophetarum, & Patriarcharum dicta, ſive facta (*cap.* XII.) ad eas res referantur propter quas ſignificandas ita facta, vel dicta ſunt, reperiuntur ſignificationes eſſe veraces. Sunt quædam huiuſmodi etiam Salvatoris in Evangelio, quia & ipſe Dominus Prophetarum Propheta eſſe dignatus eſt. Cuius plurima dicta [*cap.* XIII.] figuratam habent ſignificationem. Qui vero dicit (*cap.* XIV.) iuſta eſſe aliqua mendacia, iuſta pariter aſſerere debet aliqua peccata. Quo [*cap.* XV.] quid abſurdius dici poteſt? Ea enim quæ contra legem ſunt, iuſta eſſe non poſſunt. Dictum eſt autem; *Lex tua veritas.* Id ergo quod eſt contra veritatem, iuſtum eſſe non poteſt. Quis autem dubitet, contra veritatem eſſe mendacium omne? Nec exemplum obſtetricum AEgyptiarum, vel Raab prodeſt mendacii defenſoribus [*cap.* XVI.] Quoniam non iniquitas linguæ mendacis, ſed affectus miſericordis animi compenſationem meruit temporalem.

IV. Sed dicet aliquis: Ergo ne obſtetrices illæ, atque Raab (*cap.* XVII.) melius feciſſent, ſi nullam miſericordiam præſtitiſſent nolendo mentiri? Immo vero illæ mu-

mulieres Hebrææ, ſi filiæ fuiſſent cæleſtis Hieruſalem, nec mentitæ fuiſſent, & miniſteria de occidendis parvulis liberrime recuſaſſent. At, inquies, ipſæ mortuæ fuiſſent. At vide quid inde conſecutum fuiſſet. Regnum æternum obtinuiſſent, ideſt mercedem incomparabiliter ampliorem quam domus illæ quas ſibi fecerunt. Sed quid dicendum de muliere Hierichuntina? Nonne, ſi quærentes cives non feſelliſſet mentiendo, verum dicendo latentes hoſpites prodidiſſet? An potuiſſet interrogantibus dicere: *Scio ubi ſint; ſed Deum timeo, non eos prodo?* Potuiſſet hæc dicere, ſi iam fuiſſet vera Iſraelitis, in qua dolus non eſſet; quod futura erat per miſericordiam Dei tranſiens ad civitatem Dei. Verum illi hoc audito, inquies, illam peremiſſent, & domum ſcrutati fuiſſent. Sed numquid conſequens futurum fuiſſet ut illos etiam quos diligenter occultaverat, inveniſſent? Proſpexerat enim cautiſſima mulier, & ibi eos poſuerat ubi latere potuiſſent, etiamſi ſibi mentienti creditum non fuiſſet. Ita & illa, ſi tamen a ſuis civibus fuiſſet occiſa, pro miſericordiæ opere vitam iſtam finiendam, pretioſa in conſpectu Domini morte finiſſet; & erga illos eius beneficium inane non fuiſſet. Sed inquies: Quid, ſi ad illum locum ubi eos occultaverat, ii a quibus quærebantur, perſcrutando omnia perveniſſent? Iſto modo dici poteſt: Quid, ſi mulieri viliſſimæ, atque turpiſſimæ, non ſolum mentienti, verum etiam peieranti, credere noluiſſent? Nempe etiam ſic conſecutura fuiſſent quæ timendo mentita eſt. Et ubi ponimus voluntatem, ac poteſtatem Dei? A quo enim cuſtoditi poſt mulieris mendacium ſunt, ab eo potuiſſent, etſi illa mentita non fuiſſet, utique cuſtodiri. Niſi forte obliti ſumus, hoc fuiſſe in Sodomis factum, ubi maſculi in maſculos nefanda libidine accenſi, nec oſtium domus, in qua erant quos quærebant, invenire potuerunt: quoniam vir iuſtus in cauſſa omnino ſimillima pro ſuis hoſpitibus mentiri noluit, quos Angelos eſſe neſciebat. Et certe potuiſſet talia reſpondere quærentibus, qualia in Hiericho mulier illa reſpondit. Sed homo iuſtus noluit pro corporibus hoſpitum animam ſuam maculari mendacio, pro quibus voluit corpora filiarum ab alienæ libidinis iniquitate vim perpeti.

V. Admonet tamen S. Doctor, non eſſe Lot dignum imitatione in eo quod filias ſtuprandas obtulit Sodomitis. *Unde conſtat quod non omnia quæ a ſanctis, vel iuſtis viris legimus facta, transferre debeamus in mores.* [cap. IX. iſtius Libri.] *Faciat ergo* (perſequitur Auguſtinus cap. XVII.) *homo etiam pro temporali hominum ſalute quod poteſt. Cum autem ad hunc articulum ventum fuerit, ut tali ſaluti conſulere, niſi peccando, non poſſit; iam ſe exiſtimet non habere quod faciat, quando id reliquum eſſe perſpexerit quod non recte faciat.*

VI. „ Verum, quia homines ſumus, & inter homines vivimus, fateorque me „ nondum eſſe in eorum numero quos compenſativa peccata (*cap.* XVIII.) non „ turbant, ſæpe me in rebus humanis vincit ſenſus humanus, nec reſiſtere va-

„ leo,

Digitized by Google

„ leo, cum mihi dicitur : Ecce gravi morbo periclitatur ægrotus, cuius iam vires
„ ferre non poſſint, ſi ei mortuus unicus, & cariſſimus filius nuntietur : ſi a te
„ quærit, an vivat, quem vitam finiſſe tu noſti, quid reſpondebis, quando, quid-
„ quid aliud dixeris præter unum de tribus, *Aut mortuus eſt, aut vivit, aut ne-*
„ *ſcio*, nihil aliud credit ille quam mortuum : quod te intelligit timere dicere, &
„ nolle mentiri ? Tantumdem valet, etiamſi omni modo tacueris. Ex illis autem
„ tribus duo falſa ſunt, *vivit*, & *neſcio* : nec abs te dici poſſunt, niſi mentien-
„ do. Illud autem unum verum, ideſt mortuum eſſe, ſi dixeris, & perturbati ho-
„ minis mors fuerit ſubſecuta, abs te occiſus clamabitur. Et quis ferat homines
„ exaggerantes, quantum ſit mali ſalubre mendacium devitari, & homicidam di-
„ ligi veritatem ? (ſeu præferre veritatem homicidam mendacio quod vitam con-
„ fert.) *Moveor his oppoſitis vehementer, ſed mirum, ſi etiam ſapienter*. Cum enim
„ propoſuero ante qualeſcumque oculos cordis mei intelligibilem illius pulchritu-
„ dinem de cuius ore nihil falſi procedit ; quamvis ubi radians magis magiſque
„ clareſcit veritas, ibi palpitans mea reverberatur infirmitas ; tamen ſic amore
„ tanti decoris accendor, ut cuncta quæ inde me revocant, humana conte-
„ mnam. Sed multum eſt ut iſte intantum perſeveret affectus, ne in tentatio-
„ ne deſit effectus. Nec me movet contemplantem luminoſum bonum, in quo
„ mendacii tenebræ nullæ ſunt, quod nobis mentiri nolentibus, & hominibus
„ vero audito morientibus, homicida dicitur veritas. Numquid enim ſi ſtuprum
„ expectat impudica, &, te non conſentiente, ſævo amore perturbata moriatur,
„ homicida erit & caſtitas ? An vero, quia legimus : *Chriſti bonus odor ſumus in*
„ *omni loco, & in iis qui ſalvi fiunt, & in iis qui pereunt : aliis quidem odor*
„ *vitæ in vitam, aliis autem odor mortis in mortem* : etiam odorem Chriſti pro-
„ nuntiabimus homicidam ! Sed quia homines ſumus, & nos in huiuſmodi quæ-
„ ſtionibus, & contradictionibus plerumque ſuperat, aut fatigat ſenſus huma-
„ nus, ideo mox & ille ſubiecit : *Et ad hæc quis idoneus ?* (I. Cor. II. verſ. 15.)
„ Huc accedit, ubi miſerabilius eiulandum eſt, quod ſi conceſſerimus pro ſalute
„ illius ægri de vita filii eius fuiſſe mentiendum, ita paullatim, minutatimque
„ ſuccreſcit hoc malum, & brevibus acceſſibus ad tantum acervum mendaciorum
„ ſceleratorum ſenſim ſubintrando perducitur, ut numquam poſſit penitus inve-
„ niri, ubi tantæ peſti per minima additamenta in immenſum convaleſcenti poſ-
„ ſit obſiſti. Unde providentiſſime ſcriptum eſt : *Qui modica ſpernit, paullatim*
„ *decidit*. Quid quod vitæ huius tales amatores, ut eam non dubitent præpone-
„ re veritati, ne homo moriatur ; immo ut homo quandoque moriturus, aliquan-
„ to ſerius moriatur, non tantum mentiri, ſed etiam peierare nos volunt, ut vi-
„ delicet, ne aliquanto citius tranſeat vana ſalus hominis, nomen Dei noſtri ac-
„ cipiamus in vanum ? Et ſunt in eis docti, qui etiam regulas figant, fineſque

„ con-

Digitized by Google

„ conſtituant, quando debeat, quando non debeat peierari. *O ubi eſtis fontes la-*
„ *crymarum? Et quid faciemus? Quo ibimus? Ubi nos occultabimus ab ira veri-*
„ *tatis, ſi non ſolum negligimus cavere mendacia, ſed audemus inſuper docere per-*
„ *iuria? Viderint enim inſuper aſſertores, defenſoreſque mendacii, quale genus, vel*
„ *qualia genera mentiendi eos iuſtificare delectet. Saltem in Dei cultu concedant non*
„ *eſſe mentiendum, ſaltem ſe ſe a periuriis, blaſphemiiſque contineant. Saltem ubi*
„ *Dei nomen, ubi Deus teſtis, ubi Dei ſacramentum interponitur, ubi de divina*
„ *religione ſermo promitur, ſive conſeritur, nemo mentiatur, nemo laudet, nemo*
„ *doceat, & præcipiat, nemo iuſtum dicat eſſe mendacium.* De ceteris mendacio-
„ rum generibus eligat ſibi quod putat eſſe mitiſſimum, atque innocentiſſimum
„ mentiendi genus, cui placet eſſe mentiendum. Hoc ſcio, quod etiam qui do-
„ cet oportere mentiri, verum docere ſe vult videri. Nam, ſi falſum eſt quod
„ docet, quis falſæ velit ſtudere doctrinæ, ubi & fallit docens, & fallitur di-
„ ſcens? Si autem, ut aliquem poſſit invenire diſcipulum, docere ſe aſſerit ve-
„ rum, cum doceat eſſe mentiendum: quomodo erit ullum ex veritate menda-
„ cium, Ioanne Apoſtolo reclamante: *Omne mendacium non eſt ex veritate?*

VII. „ Non eſt ergo verum (*cap.* XIX.) aliquando eſſe mentiendum: & quod
„ non eſt verum, nemini eſt omnino ſuadendum. Sed agit partes ſuas infirmi-
„ tas, & cauſam vincibilem faventibus turbis ſe habere proclamat: ubi contra-
„ dicit, & dicit: Quomodo apud homines, qui proculdubio ſi falluntur, avertun-
„ tur a pernicie vel aliena, vel ſua, periclitantibus ſubvenitur hominibus, ſi nos
„ humanus ad mentiendum non inclinet affectus? Si patienter me audiat turba
„ mortalitatis, turba infirmitatis, reſpondebo aliquid pro negotio veritatis. Cer-
„ te pia, vera, ſancta caſtitas nonniſi ex veritate eſt: & quiſquis adverſus eam
„ facit, profecto adverſus veritatem facit. Cur ergo, etſi non poſſit aliter peri-
„ clitantibus ſubveniri, non committo ſtuprum, quod ideo eſt contrarium verita-
„ ti, quia contrarium eſt caſtitati; &, ut periclitanti ſubveniatur, loquor menda-
„ cium, quod ipſi apertiſſime eſt contrarium veritati? Quid apud nos tantum
„ promeruit caſtitas, & offendit veritas? Cum omnis ex veritate ſit caſtitas, &
„ ſit non corporis, ſed mentis caſtitas, veritaſque in mente habitet, ſicut & cor-
„ poris caſtitas . . . Sed perfectorum eſt, ait aliquis, ſolidus cibus. Multa enim
„ ſecundum veniam relaxantur infirmitati, quamvis ſinceriſſimæ nequaquam pla-
„ ceant veritati. Dicat hoc quiſquis non metuit quæ conſequentia metuenda
„ ſunt, ſi fuerint aliquo modo aliqua permiſſa mendacia. *Nullo modo tamen in-*
„ *tantum ſunt permittenda conſcendere, ut ad periuria, blaſphemiaſque perveniant.*
„ *Nec aliquam cauſam prorſus oportet obtendi, cur debeat peierari, vel, quod eſt*
„ *execrabilius, cur Deus debeat blaſphemari. Non enim, quia per mendacium blaſ-*
„ *phematur, ideo non blaſphematur. Poteſt quippe hoc modo dici non peierari,*
„ *quia*

Digitized by Google

„ *quia per mendacium peieratur . . . Quiſquis itaque dicit pro periclitantis homi-*
„ *nis ſalute temporali, vel vita eſſe mentiendum, nimis ipſe ab itinere exorbitat*
„ *æternæ ſalutis, & vitæ, ſi dicit in ea cauſa etiam iurandum per Deum.*

VIII. „ Sed aliquando (*cap.* xx.) nobis ipſius quoque ſalutis æternæ periculum „ opponitur, quod noſtro mendacio, ſi aliter non poteſt, depellendum eſſe cla- „ matur. Veluti, ſi quiſquam baptizandus in poteſtate ſit impiorum, atque infi- „ delium conſtitutus, ad quem perveniri non poſſit, ut lavacro regenerationis ab- „ luatur, niſi deceptis mentiendo cuſtodibus. Ab hoc invidioſiſſimo clamore, quo „ cogimur . . . . pro æterna hominis ſalute mentiri, quo confugiam, niſi ad te „ veritas? Et mihi abs te proponitur caſtitas. Cur enim, ſi cuſtodes iſti, ut nos „ ad baptizandum hominem admittant, ſtupro illici poſſunt, non facimus contra- „ ria caſtitati, &, ſi mendacio decipi poſſunt, facimus contraria veritati, cum „ proculdubio nulli eſſet fideliter amabilis caſtitas, ſi non eam præciperet veri- „ tas? Proinde, ut perveniatur ad hominem baptizandum, fallantur mentiendo „ cuſtodes, ſi hoc iubet veritas. Sed quomodo iubeat veritas, ut homo baptize- „ tur, eſſe mentiendum, ſi non iubet caſtitas, ut homo baptizetur, eſſe mœchan- „ dum? Cur autem hoc non iubet caſtitas, niſi quia hoc non docet veritas? Si „ ergo, niſi quod veritas docet, facere non debemus; cum veritas doceat nec „ propter hominem baptizandum facere quod contrarium eſt caſtitati; quomodo „ nos docebit facere propter baptizandum hominem quod ipſi eſt contrarium ve- „ ritati? Sed ſicut oculi ad intuendum ſolem parum firmi, ea tamen quæ a ſo- „ le illuſtrantur, libenter intuentur; ſic animæ iam valentes delectari pulchritu- „ dine caſtitatis, non tamen omnino per ſe ipſam conſiderare veritatem, unde „ lucet caſtitas, poſſunt: ut cum ventum fuerit ad aliquid faciendum quod ad- „ verſum eſt veritati, ita refugiant, & exhorreant, quemadmodum refugiunt, „ & exhorrent, ſi faciendum aliquid proponatur quod adverſum eſt caſtitati. Il- „ le autem filius qui verbum ſuſcipiens a perditione longe aberit, & nihil falſi „ ex eius ore procedit, tam ſibi clauſum deputat, ſi ad ſubveniendum homini „ per mendacium, quam ſi per ſtuprum tranſire cogatur. Et Pater exaudit oran- „ tem, ut valeat ſine mendacio ſubvenire, cui vult Pater ipſe, cuius inſcrutabi- „ lia ſunt iudicia, ſubveniri. Talis ergo filius ita obſervat a mendacio, ſicut a „ peccato. Nam & mendacii nomen aliquando pro peccati nomine ponitur.

IX. „ Aut ergo cavenda mendacia (*cap.* xxi. *& ult.*) recte agendo, aut con- „ fitenda ſunt pœnitendo: non autem cum abundent infeliciter vivendo, augen- „ da ſunt & docendo. Sed eligat qui hoc putat, unde ſubveniat periclitanti ho- „ mini ad quamlibet ſalutem, qualiacumque mendacia, dum tamen & apud ta- „ les obtineamus, nulla cauſa nos ad peierandum, & blaſphemandum oportere „ perduci. Iſta ſaltem ſcelera vel ampliora ſtupris, vel certe non minora iudice- „ mus.

„ mus. Namque cogitandum eſt ſæpiſſime, homines, de quarum adulterio ſuſpi„ cantur, ad iuſiurandum provocare coniuges ſuas : quod utique non facerent, „ niſi crederent, etiam illas quæ non timuerunt perpetrare adulterium, timere „ poſſe periurium. Quia & revera nonnullæ impudicæ, quæ non timuerunt illi„ cito concubitu viros fallere, eiſdem viris quos feſellerant, timuerunt Deum te„ ſtem fallaciter adhibere . . . Et ſi tantum ſibi uſurpat infirmitas, ut ei aliquid „ venialiter permittatur quod improbat veritas; tamen, ut inconcuſſe teneas, & „ defendas in divina religione numquam omnino eſſe mentiendum : latentes ve„ ro, ſicut nec adulteros per adulteria, nec homicidas per homicidia, nec male„ ficos per maleficia; ita nec mendaces per mendacia, nec blaſphemos per blaſ„ phemias eſſe quærendos, ſecundum ea quæ tam multa in hoc volumine diſpu„ tavimus, ut vix ad eum terminum quem loco iſto fiximus, veniremus. "

CAPUT V.

Quam opportuna ſit Auguſtiniana doctrina ad controverſiam de iuramento doloſo dirimendam, ex ſequentibus propoſitionibus palam fiet.

I. UT quiſque percipere facillime valeat, quam opportune controverſiæ difficillimæ de iuramento doloſo præmiſerim Auguſtinianam adverſus mendacium doctrinam, lubet in anteceſſum quaſdam propoſitiones generales exponere, quæ veluti conſectaria ex D. Auguſtini doctrina colliguntur. Has propoſitiones ſimplici narratione ob oculos ponam : quoniam infra, cum recentiorum doctrinam explicuero, de eiſdem ſermo recurret.

PRIMA PROPOSITIO.

II. Omnes difficultates quas recentiores verſant, omneſque caſus praxim ſpectantes in materia æquivocationum, & reſtrictionum mentalium, D. Auguſtinus in Libris de mendacio, & contra mendacium ſub examen inducit. Siquidem ſub initium diſputationis teſtatur ſe velle ſermonem inſtituere de iis locutionibus mendacibus quæ in quotidianis ſermonibus multum animum conturbant : duoque ſuæ tractationis momenta prodit : alterum, ne quis perperam mendacii damnet id quod mendacium non eſt; alterum, ne licitum aliquando habeatur mendacium. *Magna quæſtio eſt de mendacio, quæ nos in ipſis quotidianis actibus noſtris ſæpe conturbat : ne aut temere accuſemus mendacium quod non eſt mendacium; aut arbitremur*

mur aliquando eſſe mentiendum honeſto quodam, & officioſo, ac miſericordi mendacio. Lib. de mend. cap. 1.

SECUNDA PROPOSITIO.

III. Cardo diſputationis Auguſtinianæ in duobus recenſitis Libris potiſſimum in eo vertitur, ut rationes præbeantur pro veritatis occultatione in negotiis ſummi momenti, ut pro tuenda vita, pudicitia, & ſigillis cuſtodiendis. Auguſtinus autem nulla ſuo divino ingenio reperire remedia potuit præter hæc quæ ſequuntur. Primum eſt *ſilentium*: inquit namque Lib. cont. mend. cap. x. *Plerumque enim vera non mentiendo occultamus, ſed tacendo.* Alterum eſt *aperta, & invicta ſignificatio*, qua quis proteſtatur, ſe ſcire veritatem, ſed nolle eam prodere. *Scio ubi ſint; ſed Deum timeo, non eos prodo. Nec prodam, nec mentiar.* Nullam aliam viam occultandi veritatem agnovit Auguſtinus. Non reſtrictiones internas, non materiales locutiones, non verborum amphibolias, non alia iuniorum inventa.

TERTIA PROPOSITIO.

IV. Evidens eſt, recentiorum plurium doctrinam de mendacio fuiſſe Auguſtino, ceteriſque tum anteceſſoribus, tum poſterioribus Patribus, & ipſis mendacii defenſoribus, omnino ignotam. Immo tamquam falſam illam improbarunt, eo quod definierint, nos occultare non poſſe veritatem, niſi vel ſilentio, vel mendacio, vel aperta ſignificatione nolendi eam prodere.

QUARTA PROPOSITIO.

V. Nullum, ut ego quidem exiſtimo, inter Caſſianum, alioſque mendaciorum antiquos defenſores, & recentes quoſdam Theologos in controverſia hac reperitur diſcrimen, niſi quod antiqui mendacium vocabant mendacium in extrema, aut graviſſima neceſſitate dictum, nimirum ad occultandam veritatem in rebus ſummi momenti, ut ad tuendam corporis pudicitiam, vitam, alienamque æternam ſalutem procurandam, idque licitum aſſerebant: contra recentes plures aiunt, mendacium in his eventibus, immo in rebus longe minutioribus, non eſſe mendacium; ſed dictum amphibologicum, aut æquivocum, aut reſtrictionem; quæ olim dicebatur mere mentalis, nunc externa nuncupatur; vel denique locutionem nihil ſignificantem.

Digitized by Google

QUINTA PROPOSITIO.

VI. Omnia argumenta quæ recentiores afferunt in favorem reſtrictionum mentalium, potiſſimum ea quæ ex ſacra Scriptura repetunt, Caſſianus cum ceteris Patribus ſuæ ſententiæ patronis produxit ad oſtendenda licita mendacia.

SEXTA PROPOSITIO.

VII. Deterioris conditionis eſt opinio plurium recentiorum quam antiquorum qui mendacia licita defendebant: quoniam iſti mendacia officioſa adhibenda eſſe dicebant, tamquam extrema remedia ad evadendam mortem, ad tuendam alterius vitam, ad procurandam æternam ſalutem proximi; recentiores vero qui propugnant reſtrictiones omnino mentales, quas mendacia eſſe iam definitum eſt, docent, homines poſſe eiſdem uti, quoties id utile eſſe cognoverint ad ſalutem corporis, honorem, & res familiares tuendas.

SEPTIMA PROPOSITIO.

VIII. Aliqui recentiores qui ſcripſerunt poſt damnatam ab Eccleſia opinionem reſtrictionum mentalium, laxius ſcripſerunt, ut ego quidem arbitror, ſalvo ſemper meliore iudicio, quam antiqui, & moderni alii reſtrictionum mentalium patroni. Siquidem ultimi recentiores quidam, omiſſis reſtrictionibus mentalibus, quia proſcriptis, docent, homines minime opus habere his reſtrictionibus; immo non debere eos mentem defatigare, & torquere in venandis verbis ambiguis, vel in æquivocorum verborum collocatione, vel in aptandis mentis reſtrictionibus ipſis verbis, ut vult Sanchez, de quo infra. Ab his, inquam, incommodis præfati ultimi recentiores liberant fideles, docentque eos debere ad tuendum, non vitam, non pudicitiam, ſed res ſuas familiares, in frontem importuni interrogatoris vibrare *rotundum nego*; nimirum debere abſolute, & ſine incommodo reſtrictionis, aut æquivocationis, eos negare ſe habere mercem, cuius pretium emptor numquam ſoluturus quærit: quoniam tunc verba nihil ſignificant, & homo loquitur tamquam pſittacus.

OCTAVA PROPOSITIO.

IX. Quod in doctrina quorumdam recentiorum ſummopere deplorandum videtur, illud eſt quod non modo adfirment, non eſſe mendacia, quæ antiquis mendacia

dacia ſunt; verum etiam doceant, locutiones quas ipſi materiales vocant, licite poſſe iuramento confirmari.

CAPUT VI.

Hiſtorica narratio doctrinæ quam recentiores plures excogitarunt ad occultandam veritatem. Recenſentur reſtrictiones pure mentales, non pure mentales, æquivocationes, amphiboliæ, & locutiones materiales.

I. POſtquam D. Auguſtinus ſuis Libris ex profeſſo mendacia impugnavit, omnes chriſtianæ profeſſionis Doctores Auguſtino acceſſerunt, & mendacia deteſtati ſunt. Superfluum duco Patrum, & Doctorum cuiuſque ſæculi cenſum texere: quoniam nemo unus nunc dubitat, quin Patres poſt Auguſtinum, & Theologi catholici omnes mendacia peccati damnent, & in quocumque eventu, ut illicita remedia ad occultandam veritatem, reiiciant. At, quia occultatio veritatis frequentiſſime neceſſaria eſt, tum ad cuſtodienda ſecreta, tum ad innocentiam, pudicitiam, vitamque corporis, aliaque domeſtica bona tuenda; idcirco omnes ingenii vires exercuerunt Doctores, ut remedia huic fini aſſequendo neceſſaria præberent. Auguſtinus ſuo prope divino ingenio non alia nobis media, quibus veritatem in mente noſtra occultam cuſtodiremus, reliquit, niſi hæc, *Silentium*, *Scio*, *ſed nec prodam*, *nec mentiar*. Sequentes Patres nihil aliud excogitarunt. D. Thomas, ſicuti in ceteris, ita in hac materia Auguſtinianam doctrinam adoptavit. Scriptores nobis viciniores, S. Raymundus, S. Antoninus, Caietanus, Sylveſter, Soto, Navarrus, Angelus, aliique, verborum æquivocorum, eorum tamen quæ ſuapte natura ſenſum externum duplicem habent, invexerunt uſum, quem tamen prius aliqui indicaverant. Tandem decimo ſexto cadente, & decimo ſeptimo ineunte ſæculo, cum morum Theologia acrius fuſiuſque in ſcholis & academiis tractari cœpit, reſtrictionum mentalium inventum prodiit: & brevi intervallo temporis adeo invaluit, ut non Caſuiſtæ modo, verum etiam Theologi qui prima implebant ſubſellia, eaſdem mentales reſtrictiones ad veritatem cuſtodiendam licitas propugnarent. Ut ergo lectores exquiſitam habeant notitiam doctrinæ quam eiuſmodi Theologi tradiderunt, eam iſthuc tranſcribam propriis ipſorum Auctorum verbis expreſſam. Si enim in compendium Auguſtini doctrinam contra mendacium redactam ob oculos poſui, quo comperta eſſet illius temporis controverſia, congruum eſt ut iſtorum quoque Theologorum ſenſa promamus. Porro ceteros inter recentiores Theologos, qui latius, ſimulque laxius con-

troverſiam hanc pertractarunt, ſunt Sanchez, & Tamburinus. Iſtorum ergo doctrinæ ſynopſim perſtringam.

II. Sanchez *Lib.III. in Decal. cap.* VI. *num.* 15. „ Poſſunt abſque mendacio verba uſurpari, licet ex ſua ſignificatione non ſint ambigua, nec eum verum ſenſum admittant ex ſe, nec ex circumſtantiis occurrentibus; ſed tamen verum ſenſum reddant ex aliquo mente proferentis retento, quodcumque illud ſit; ut „ *Si quis* (hic incipit propoſitio damnata ab Innocentio XI.) *vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocumque alio fine iuret ſe non feciſſe aliquid quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam*, (Sanchez habet *aliam diem* : & hæc eſt vera lectio : mendum ſiquidem irrepſit in propoſitionem damnatam) *vel quodvis aliud additum verum; revera non mentitur, nec eſt periurus.* (Hucuſque propoſitio damnata.) Sed tantum [perſequitur Sanchez] non dicit veritatem determinatam, quam audientes concipiunt, & verba in ſe ſignificant, ſed aliam veritatem diſparatam." Plures ſuæ opinionis patronos recenſet, nimirum Navarrum, Valentiam, Salonem, Toletum, Manuelem, Philiarcum, Suarez, Leonardum. Probat vero ſuam ſententiam auctoritate Chriſti Domini, qui *Ioan.* VII. dixit: *Non aſcendam ad diem feſtum*: „ & tamen (inquit Sanchez) ſtatim aſcendit: quæ tamen oratio vera fuit ex addito mente Chriſti retento, ſcilicet, *non aſcendam manifeſte* : quem ſenſum ea verba ex ſe non faciebant." Plura alia argumenta tum ex Scriptura, tum a ratione petita promit, quæ miſſa facio, ut alias ſuæ doctrinæ regulas deſcribere perſequar.

III. Eodem capite *num.* 19. hæc habet. *Cauſa vero utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.* Hæc eſt propoſitio XXVII. ab Innocentio XI. damnata: Addit vero *num.* 22. ſub finem, cauſſam utendi his amphibologiis eſſe poſſe iocum, ſeu recreationem. Verum, inquit, ſi iuramentum adeſſet, eſſet manifeſta culpa. *At ſola eſſet venialis.*

IV. Idem num. 24. *Poteſt teſtis prædictis æquivocationibus uti, etiamſi alias iuridice rogetur, quotieſcumque tenetur ob aliquam cauſam ferre teſtimonium, ut quia notabile damnum ipſi ſequetur &c. Quia cum ea cauſa excuſante non teneatur, vere dicit ſe neſcire, non vidiſſe, non audiviſſe, intelligendo, ita ut dicere teneatur.*

V. Idem *num.* 29. hæc ſcribit. „ Quando taxa alicuius rei eſt iniuſta, ſi pluris vendens, aut defraudans in pondere, & menſura, ita ut ſibi ſatisfaciat pro pretii iniuſtitia, & reddat correſpondentes merces pretio dato, poteſt hic rogatus a iudice, an pluris vendiderit, vel defecerit in pondere, & menſura, id negare, aſſerereque ſe pretio taxato vendidiſſe, & integre pondus, & menſuram „ tra-

Digitized by Google

„ tradidiſſe, intelligendo hæc : *ita ut pluris vendens, aut deficiens in pondere, &* „ *menſura deliquerit*. Quippe abſque delicto utrumque fecit. Atque ita vere dicit, „ ſe integre tradidiſſe, nempe quatenus tenebatur eo pretio accepto, nec exceſſiſſe delinquendo. *Atque ad hoc ſatis eſt opinionem eſſe probabilem, eam taxam* „ *non obligare*." Non modo reſtrictiones mentales, ſeu mendacia hic docentur ; verum etiam Reipublicæ regimen penitus convellitur. Si opinio probabilis ſatis eſt ut ſubditi valeant Principatus ſanctiones contemnere, aliaſque quas ipſi probabiliter iuſtiores exiſtimant, ſubſtituere; actum ſane eſt de Republica.

VI. Idem *num.* 31. hæc ſcribit, „ Quinto deducitur, eum cui licitum eſt aliqua „ bona abſcondere, eo quod illis ad vitam ſuſtentandam egeat, ne a creditoribus „ capiantur, & ſic cogatur mendicare, poſſe rogatum a iudice iurare ſe nulla „ bona abſcondita habere (atque idem poſſunt iurare id ſcientes, dummodo ipſis „ conſtet, licite eum abſcondere ad hunc finem) intelligendo ſecum : *non habere* „ *bona abſcondita quæ iudici manifeſtare teneatur*. " Sermo eſt non de extrema, ſed gravi neceſſitate. Vult ſiquidem, debitorem poſſe retinere bona creditoris, ne cogatur mendicare, & inſuper iurare ſe ea non retinuiſſe. Quid validius ad fraudes invehendas omnes, & debitorum ſolutionem eludendam?

VII. Idem *num.* 32. „ Sexto deducitur, quoties quiſpiam a cuiuſvis debiti obli„ gatione liber eſt, poſſe rogatum a iudice de illo id negare, intelligendo intra „ ſe : *ita ut debeat* : quia reſpondet ad debitam iudicis mentem. Qua ratione „ optime Covarruvias, Cepola, & Azorius docent eum qui nummos mutuo ac„ ceptos ſolvit, poſſe a iudice rogatum de mutuo, iurare ſe illud non accepiſſe, „ intelligendo : *ita ut teneatur ſolvere*. Idem docent Suarez, Paraldus. *Atque idem* „ *dicendum eſt, ſi quacumque alia ex cauſa ab eo mutuo ſolvendo liber eſſet. Atque* „ *idem credo, ſi tunc non tenetur ſolvere, eo quod terminus ad quem mutuum da*„ *tum fuit, non eſt impletus, vel præ paupertate excuſatur debitor a tunc ſolvendo.*

VIII. Idem *num.* 36. „ Nono deducitur, creditorem virtute inſtrumenti publici „ exigentem coram iudice debitum, vulgo *executando por la deuda*, poſſe iure iu„ rando aſſerere quantitatem in eo inſtrumento contentam eſſe ſibi debitam pro„ ut iure debetur ; etſi pars illius ſummæ debitæ ſoluta ſibi ſit; ſi tantumdem „ pecuniæ, quantumdem ſolutum eſt, ſit alia via ſibi debitum; de quo nullum „ eſt inſtrumentum publicum, virtute cuius exigatur . . . . . dummodo tamen „ præiudicium non contingat alterius creditoris.

IX. Idem *num.* 37. „ Decimo deducitur, ſi per iniuriam extorqueatur promiſſio „ iurata alicuius pecuniæ dandæ, licere iuranti uti hac æquivocatione : Iuro tibi „ me numeraturum pecuniam, intelligendo ut ille caſus *tibi* regatur a verbo *iu*„ *ro*; itaut ſenſus ſit: *Tibi iuro fore ut numerem pecunias, ſive tibi, ſive alteri*: quod ea „ oratio patiatur utrumque ſenſum."

X. Idem *num. 38.* „ Sed an liceat tunc iurare, retinendo mente hanc conditio- „ nem : *iuro me daturum, ſi tibi ſecluſo iuramento ſum debitor ?* Aliqui negant, „ ducti, quod ea verba hanc amphibologiam non patiantur in communi homi- „ num ſenſu. Caietanus, Aragon, Soto. At retenta noſtra ſententia, *numero de-* „ *cimo quinto* tradita, dicendum eſt, id licere. Quia nihil refert verba eam am- „ phibologiam non pati, & cogit neceſſitas ea uti." Porro *numero decimo quinto* citato docet : *Cur ergo erit mendacium uti verbis ex ſe non ambiguis, ſi ex conditione in mente retenta verum ſenſum efficiunt ? . . . Hoc eſt utiliſſimum ad tegenda multa quæ tegere opus eſt, nec tegi abſque mendacio poſſent, niſi modus hic eſſet licitus. Quia verba ex ſe ambigua non paſſim inveniuntur.*

XI. Idem *num. 39.* „ Undecimo deducitur, coactum aliquam accipere in ſpon- „ ſam quam ducere non tenetur, poſſe iurare ſe accepturum, intelligendo intra ſe : *ſi teneor*, vel *ſi poſtea placuerit mihi*.

XII. Idem *num. 40.* „ Decimo tertio adulteram rogatam a marito, an adulte- „ rium admiſerit, poſſe iurare ſe non fregiſſe matrimonium . . . Similiter poteſt „ iurare ſe non feciſſe, intelligendo intra ſe, *ut tibi revelem*."

XIII. Idem *num. 43.* „ Decimo quinto deducitur, eum a quo mutua pecunia pe- „ titur, quam revera habet, poſſe iureiurando affirmare ſe eam non habere, in- „ telligendo intra ſe, *ut mutuo det*, quando non tenetur mutuare. Ita Navarrus, „ Philiarcus, Sayro . . . At contrarium tenent Corduba, Lopez, Henriquez. At „ credo priorem ſententiam eſſe veriorem, quo ad hoc ut ille non ſit periurus : „ quia in ſuo ſenſu verum dicit; cum ſenſus ſit : Non habeo, ut tibi mutuare „ velim. *Quare ad veritatem huius iuramenti nihil refert, utrum ille teneatur mutua-* „ *re, nec ne. Et ita non oportet addere illam limitationem, quam prædicti Doctores* „ *addunt, quando non tenetur mutuare.*"

XIV. Idem *num. 44.* „ Ultimo deducitur, pœnitentem temere rogatum, an hoc, „ vel illud peccatum faſſus ſit, poſſe iurare ſe non confeſſum, intelligendo, *ita* „ *ut teneatur illi explicare.*"

XV. Ut plenior recentioris Theologiæ notitia habeatur, lubet pauca adiicere ex Tamburino, qui præ ceteris antiquæ doctrinæ regulas temperavit, atque humanitati accommodavit. *Libro* itaque *II. in explic. Decal. cap.* 11. *§.* 2. *num.* 1. hæc docet. „ Quæſtio eſt, an liceat iuranti accipere verba in alio ſenſu ab illo quem „ ea præſeferunt. Iuro v. g. per Deum, me hac nocte non dormiviſſe, intelli- „ gendo, veſtitum : me non habere pecuniam, intelligendo, quam tibi elargiri „ velim : uxorem, vel maritum matrimonii leges non fregiſſe, intelligendo ma- „ nifeſte : non deberi a me tibi centum, intelligendo, ita ut ea non poſſim „ mihi compenſare cum aliis centum, quæ tu mihi debes &c.

„ Reſp. Licere, ut iidem docent (nempe Leſſius, Caſtropalaus, Rebellus, Bo-

„ na-

„ nacina) & docetur paſſim, præſcindendo tamen a damno quod doloſo hoc iu-
„ ramento iniuſte facerem; etiamſi quis non ſit rogatus iurare, ſed ſe offe-
„ rat.“

XVI. Idem ibi *num.* 4. „ Quando verba nullo modo ex ſe patiuntur talem æ-
„ quivocationem, ſeu mentis reſtrictionem; licet ne aliud intelligere ſolum ex
„ mea mera voluntate? Iuro v. g. me non dormiviſſe, intelligendo me non co-
„ mediſſe. Quo pacto materialiter ſolum dico me dormiviſſe, non ſignifica-
„ tive.“

„ Reſp. Sanchez negat licere, quia non eſt in cuiuſvis arbitrio ſignificationem
„ verborum imponere. Verum hæc ratio me non poteſt avellere a probabilitate,
„ quod liceat.“

XVII. Martinus Bonacina fere omnes propoſitiones quas ex Sanchez retulimus, exſcripſit, & laxitatem clarius docuit. Unam & alteram iſthic tranſcribam. Itaque *Tom. II. diſp.* IV. *quæſt.* I. *punct.* 12. *num.* 5. hæc habet. „ Quinto eum
„ qui habet iuſtam cauſſam celandi aliqua bona, ne capiantur a creditoribus, quæ
„ ſibi neceſſaria ſunt ad vitæ ſuſtentationem, & ſine quibus cogeretur mendica-
„ re, poſſe negare ſe occultaſſe, intelligendo, quæ non poſſet occultare, vel quæ
„ teneatur manifeſtare. Idem reſpondere poſſent teſtes ſcientes ipſum licite occul-
„ taſſe: tum quia hæc reſponſio non eſt contraria intentioni interrogantis, ſed
„ potius eſt ipſius menti conformis: tum quia adeſt iuſta cauſſa utendi reſtrictio-
„ ne, vel amphibologia.“

XVIII. Idem Bonacina *ibidem*. „ Sexto adulteram, quæ petitur a marito, an
„ ſit adulterata, poſſe negative reſpondere, intelligendo, ut teneatur illi reve-
„ lare.“

XIX. Idem Bonacina *ibid. num.* 8. „ Hinc colligi poteſt venditores, qui, cum
„ non poſsent alia via pretium iuſtum ab emptore obtinere, iurant rem tanti
„ ſibi ſtetiſse alio ſenſu quam emptor participat, non ſolum ad quidquam non
„ teneri præciſe ratione iuramenti, ut patet ex primo quæſito; verum neque vi-
„ deri mortaliter peccare, ſi non afferant damnum notabile parti, nec intendant
„ eo pacto decipere, aut obtinere aliquid ſuper iuſtum, aut extorquere pretium
„ rigoroſum, quo noluiſset emptor emere.“

Digitized by Google

C A P U T VII.

Summus Pontifex Innocentius XI. principia præſatarum propoſitionum damnavit. Poſteriores Theologi nova excogitarunt inventa, quibus veritatem occultarent. Iſtorum doctrinæ variæ, variorumque principiorum ſynopſis texitur.

I. Antequam ultra provehor, illud declarare convenit, propoſitiones quas præcedenti capite deſcripſi ex Sanchez, Tamburino, & Bonacina, non eſse dumtaxat iſtorum Doctorum partus; quin, ut colligere ex Libris licet, non modo Caſuiſtas, & Summiſtas, ſed inſignes etiam Theologos cuiuſque fere ordinis & ſtatus eaſdem docuiſse, Suarez, Valentiam, Caſtropalaum, Dianam, Vincentium Ferre, Candidum, Leandrum, Moyam, Trullenchum, Conradum, Hurtadum, Philiarcum, Filliucium, Dicaſtillum: &, ne longior ſim, ſatis mihi ſit dicere id quod teſtatur Lumbier apud Cardenas in *propoſ. damnat. diſſ.* XIX. *cap.* I. *num.* 5. nimirum pluſquam quinquaginta Doctores ſuſtinuiſse ſententiam damnatam de reſtrictionibus mentalibus, & conſequenter recenſitas propoſitiones, quæ omnes, tamquam ex fonte, ex doctrina reſtrictionum mentalium damnata proficiſcuntur. Quod idcirco potiſſimum dictum volo, tum ne invidiam conflaſse videar tribus præfatis Auctoribus, tum ut exactior ſit hiſtorica narratio. Quod autem Gabriel Daniel in ſuis colloquiis Cleandri, & Eudoxi aſserit ſub finem diſſertationis de mentis reſtrictionibus, recenſitas propoſitiones, aliaſque quas Innocentius XI. damnavit, ipſum damnaſse *ſicut iacent, hoc eſt acceptas ut earum verba ſonant; non ut ſunt in Auctorum, unde excerptæ ſunt, Libris*, idem omnino eſt quod dicunt Ianſeniſtæ de quinque propoſitionibus: quas *ut iacent* damnant; ſed eas in ſenſu damnato non reperiri in Ianſenio, contumaciter falſoque contendunt.

II. Damnata itaque a ſanctiſſimo Pontifice Innocentio XI. anno *1679.* doctrina reſtrictionum mentalium, ad alia pro veritatis occultatione invenienda remedia mentem homines intenderunt. Adeo namque invaluerat reſtrictionum mentalium uſus, ut iam inde tum quando cenſura Romanæ Eccleſiæ in præſatam doctrinam prodiit, Fideles turbari, ſcrupulis angi, dubitationibus concuti cœperint. Alii Confeſsarios, alii Theologos adibant, conſilium petituri ſuper ſecreto tegendo. Theologi ad incitas redacti, quo ſeſe verterent, ignorabant. Nullum ſiquidem evadendi mendacium aliud illis perfugium innotuerat præter mentales reſtrictiones:

nes : quibus damnatis, de ſecreto cuſtodiendo animos deſpondebant . D. Auguſtini, aliorumque Patrum doctrina, quæ iubet nec prodere veritatem, nec mentiri, ſed aut ſilentio, aut virtute fortitudinis, aperta fronte cuſtodire , nimis aſpera , & iugum humanas vires excedens illis videbatur . Præterquamquod illius temporis Theologi plures, neglecto ſtudio Patrum, eorumdem auctoritatem parvi faciebant, atque humanum ratiocinium, ſuæque ætatis Theologos, & Caſuiſtas, ac Summiſtas pro morum regula habebant.

III. Hinc damnatam reſtrictionum mentalium doctrinam variis interpretamentis delinire, atque variis diſtinctionibus de cenſura purgare cœperunt. Quandoquidem primum omnium duplex mentalium reſtrictionum genus diſtinxerunt alterum reſtrictionis *pure mentalis*; alterum reſtrictionis *non pure mentalis*. Primum damnatum a Pontifice, ſecundum licitum adfirmabant. Porro hæc diſtinctio diſſidii inter eos occaſio fuit. Nam ea locutio quæ tibi reſtrictio omnino interna, & *pure mentalis* eſt, alteri reſtrictio externa, & *non pure mentalis* videtur. V. g. Si a Petro, inquiunt Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* I. *punct.* 8. *num.* 106. plures pecunias habente, mutuo petas earum aliquid , & ille reſpondeat , *Non habeo pecunias*, adiungendo mentaliter *ad tibi dandum*; hæc locutio non amphibologica , aiunt illi, ſed reſtrictio mentalis eſt dicenda . Alii autem Theologi reſtrictionem mentalem non internam, ſed externam , ſeu non pure mentalem , volunt eſſe dictam locutionem; quando mutuatarius reſtituere mutuum non ſolet, aut ſolutionem ultra definitum tempus prorogat, & mutuans damnum patitur ; tunc enim, inquiunt, ex circumſtantia exteriori reſtrictio præfata non eſt pure mentalis , ſed externa, adeoque licita ; de qua ſuo loco.

IV. Præter mentales reſtrictiones alia quoque remedia excogitarunt novi Theologi, quibus occultare, ſaltem obeſæ naris hominibus, veritatem poſſent. Hæc autem ſunt verba amphibologica, & æquivoca . Quæ pariter duplicis ſunt generis. Alia quæ ſecundum communem intelligentiam , & acceptionem duplicem habent ſenſum , & utrumque æqualiter produnt , ut in hac apparet locutione : *Aio te AEacida Romanos vincere poſſe* : quæ locutio duplicem ſenſum excipit : nimirum vel quod AEacides Romanos vincere valeat , & hic in præfata verborum collocatione videtur obvius ; vel quod Romani AEacida vincere poſſint . Alia ſunt verba quæ ſimiliter duplicem ſenſum habent : unum communem & proprium; alterum minus proprium : ut ſi dicas, *Sebaſtianus eſt bonus vir*, in communi acceptione ſignificatur quod ſit virtute præditus ; in ſenſu minus proprio quod ſit ſimplex, ſeu obtuſæ mentis. His locutionibus æquivocis, & amphibologicis veritatem occultari poſſe, iuſta urgente cauſſa, communiter tradunt recentiores Theologi; nec diſsentiunt omnino antiqui, ut infra explicabimus . Huiuſmodi tamen locutiones amphibologicæ non immerito reſtrictiones vocantur non omnino men-

Digitized by Google

mentales, ſed aliquo externo ſigno, ſeu verbo aliquantulum obſcuro, intelligibili tamen, externæ conſtitutæ.

V. Tandem Theologi non pauci, miſſis reſtrictionibus mentalibus utriuſque generis, & locutionibus amphibologicis, ſeu æquivocis, aliam inierunt viam. Siquidem experientia didicere, nec ſemper in repentinis potiſſimum eventibus verba ambigua, & æquivoca præſto eſſe; nec frequenter ſatis eſſe ad veritatem tegendam; nec omnes homines eadem eſſe perſpicacia, & acumine præditos, ut valeant tali artificio verba diſponere, quæ ſenſum amphibologicum conſtituant. Hinc alium modum occultandi ſecreta excogitarunt. Dicunt in primis, veritates alias eſſe communicabiles, alias incommunicabiles; & ex circumſtantiis colligi, utrum verba accipienda ſint, ſpectata ſcientia communicabili, aut incommunicabili. Ut quando Confeſſarius interrogatur, an aliquid ſciat de peccato pœnitentis, & ipſe reſpondet ſe nihil ſcire; ex circumſtantiis denotatur, eum nihil ſcire ſcientia communicabili, ſeu extraſacramentali: & quando interrogatur a tyranno, an aliquid ſciat ut Confeſſarius; pariter, inquiunt, poteſt reſpondere, ſe nihil ſcire, quia etiam in hac circumſtantia apparet verba proferri relate ad ſcientiam extraſacramentalem, reſpectu cuius revera nihil ſcit. Qui tamen hac incedunt via, non omnino renuntiarunt mentalibus reſtrictionibus; ſed reſtrictionem mentis admittunt, circumſtantia externa intelligibilem factam. Solum differunt in hoc quod nolint neceſſario requiri aliquod verbum in ipſa locutione quod ſenſum obſcurum, quem in mente loquens retinet, & occultat, prodat; ſed ſolum colligendum volunt ſenſum obſcurum, & internum ex circumſtantia vel temporis, vel loquentis.

VI. Ultimo denique alii Theologi e medio penitus ſuſtulerunt reſtrictiones mentales tum internas, tum externas, tum amphibologias, tum æquivocationes, ob rationes indicatas, quod ſcilicet vel non ſemper occurrunt verba ambigua, vel non ſufficiunt, quoties homines acutos alloquimur, vel quod ſimplices capaces non ſunt efficiendi ſermonem amphibologicum, & æquivocum. Quapropter inventum procuderunt omnibus ſane ex recenſitis validius ad occultandam veritatem. Docent itaque, nos poſſe uſurpare verba *ſuppoſitione*, ut ipſi aiunt, *materiali*; ſeu in noſtra poteſtate eſſe verba efferre *materialiter*, quin nihil ſignificent, quoties veritas occultanda ex iuſta cauſſa eſt. Quare Petrus interrogatus, an commiſerit delictum, vel ſciat ab aliquo illud perpetratum fuiſſe, poteſt abſolute, & ſine verborum æquivocatione reſpondere, *ſe non commiſiſſe*, *ſe neſcire quemquam illud perpetraſſe*; quamvis commiſerit, vel ſciat a quo commiſſum fuerit: quia eiuſmodi verba, *neſcio*, *non feci*, nihil ſignificant, ac ſi prolata eſſent a pſittaco. Tamburinus *Lib. II. in Decal. cap. 11. §. 2. num. 6.* ſibi opponit auctoritatem Cardinalis Pallavicini his verbis. „ At hoc modo loqueris contra pactum quod in conſtitutione linguæ „ inter homines tacite initum fuit, ut ſignificative proferrentur verba, non vero

„ ſo-

„ ſolum materialiter. Lege Sfortiam Pallavicinum in ſua Theologia *Lib. III. diſp.* 11. „ *num.* 17. Reſpondeo, huiuſmodi pactum nimis ſpeculative ab ingenioſiſſimo ex- „ cogitatum eſſe. Addo, eſto, affuiſſe conventionem, ut per illas voces poſſent „ aperire homines conceptus ſuos; at contendo numquam affuiſſe pactum, quomi- „ nus iidem poſſent (*quando vellent*) *illas materialiter efferre*. Certe ſic efferunt „ infantes, ſic adulti, quando incipiunt diſcere linguas exteras, ſic ſcriptores, & „ typographi, quando exſcribunt, vel imprimunt verba alterius linguæ. *Cur non* „ *ergo in aliis occaſionibus, quando homini libuerit?* " Verba uſurpari poſſe *materia-liter*, ſeu nihil ſignificantia, in humana & ſeria locutione ad tegendam verita-tem, docuit etiam Caramuel in *Haploſe art.* 2. *concluſ.* 1. *num.* 14. *pag.* 17. apud Cardenas *differt.* XIX. *cap.* IV. *num.* 52. quam tamen opinionem non approbat ipſe, quod viderit non approbari a Cenſoribus Romanis.

VII. Clarius hanc doctrinam de vocibus, ſeu verbis nihil ſignificantibus, tradunt alii recentiores Scriptores. P. Claudius La Croix *Lib. VI. part.* II. *cap.* III. *dub.* I. *num.* 1986. *§.* 4. attribuit hanc opinionem *Tannero*, & *Stoz* his verbis. „ Alium mo- „ dum ſuggerunt Tannerus, & Stoz, ut Confeſſarius, ſi aliter non poſſit ſalvare „ ſigillum, utatur vocibus pure materialiter, tamquam ſonis non ſignificativis, „ volendo per illas nihil ſignificare. Ratio autem cur voces in illis circumſtantiis „ non ſint ſignificativæ, hæc eſt, quia vis ſignificativa vocum eſt voluntas illo- „ rum qui eas inſtituerunt ad hoc, vel illud ſignificandum. Atqui inſtituentes „ non voluerunt, nec velle potuerunt, ut tales voces eſſent ſignificativæ in caſu „ quo per illas revelaretur ſigillum: id enim velle foret impium, nec Dei, vel „ Reipublicæ approbatio poteſt accedere, quæ tamen debet accedere, ut ſit obli- „ gatio utendi vocibus, ſicuti inſtitutæ ſunt. Ergo voces in his circumſtantiis non „ ſunt ſignificativæ. Quod autem interrogans excipiat illas ut ſignificativas, & „ fallatur, ſibi imputet: iniuſte enim interrogat. " Neque approbat, neque im-probat hunc dicendi modum P. La Croix; ſed de more aliorum Doctorum opi-iones varias colligit, ut lectores eam ſeligere valeant quæ ſibi magis arri-deat.

VIII. De ſuo tamen regulam omnibus exhibet ſigillo ligatis, qua facilius va-leant illud cuſtodire. Inquit ergo *num.* 1987. „ Quando Confeſſarius ita iniuſte in- „ terrogatur de re ſigillo clauſa, & non poteſt aliter tegere quam ſimpliciter di- „ cendo, ſe nihil ſcire; non eſt opus ut ſignate cogitet de uno, vel altero ex „ relatis modis reſpondendi abſque mendacio; ſed ſufficit, ſi animum habeat non „ mentiendi, & reſpondere velit in eo ſenſu in quo iuxta Eccleſiæ, & Doctorum „ mentem cum veritate ſic loqui poteſt: certum enim eſt debere hic eſſe aliquem „ modum licitum ſalvandi ſigillum, nec occurrit magis congruus quam unus ex „ his. Et quod dictum eſt de Confeſſario, valet de omni alio obligato ad ſigil- „ lum.

Digitized by Google

„ lum. *Extra autem hos, ſimileſque caſus graviſſimos foret mendacium ſic uti vo-*
„ *cibus.* "

IX. Hanc doctrinam, cuius uſum P. La Croix concedit ut licitum dumtaxat pro ſigilli cuſtodia, & ſimilibus graviſſimis caſibus, ut pro tuenda aut vita, aut pudicitia, qui graviſſimi caſus dicuntur, P. Carolus Ambroſius Cattaneus extendit ad caſus non ſolum graves, ſed ad quodcumque notabile incommodum declinandum. Caſus ad quos hanc deſcriptam doctrinam dilatat, iſthuc tranſcribam ex vernacula lingua latine redditos. Inquit ergo *Tom. I. lect.* XLIV. „ Ad tabernam tuam
„ e. g. venit improbus debitor, quem iuſtitiæ legibus ſubiicere nequaquam vales:
„ quærit, an talis generis pannum habeas. Hæc interrogatio, circumſtantiis inſpectis,
„ hunc prodit ſenſum: Haberes ne talem pannum mihi vendendum? Tu reſpon-
„ dere libere potes: *Illum non habeo*: quia intelligitur, & debet intelligi, illum
„ non habeo improbo debitori vendendum, " Alium caſum proponit his verbis.
„ Alter venit qui nec palmum terræ poſſidet, rogatque, haberes ne centum ſcu-
„ ta. Tu plurimis abundas. Reſpondes: *Illa non habeo*. Eſt ne mendacium iſtud?
„ Minime gentium. Ex circumſtantiis reſponſio iſthæc vera eſt. Quoniam interro-
„ gatio ſignificat, utrum habeas centum ſcuta mutuo danda? Tu vero illis qui
„ nonniſi periculoſe ſolvendo ſunt, nec ſolidum habeo mutuo impartiendum."

X. His, aliiſque ſimilibus caſibus reſolutis, variiſque exemplis adductis, fuſius explicat doctrinam quam indicat laudatus P. La Croix: & in anteceſſum ſuos auditores monet, hanc ſuam doctrinam ſatis eſſe ad omnes convellendas difficultates. Inquit ergo, non ſemper occurrere verba duplicis poteſtatis, & æquivoca, maxime in eventibus repentinis. Quid, inquit, ſi ſicarius cavædium ingreſſus, patrem tuum occiſurus, quærit, an domi ſit? Num tu veluti excantatus ad expiſcanda ambigua verba, aut ad aptandam locutionem æquivocam intendere mentem aſtringeris; aut ſub criterium inducere, num reſtrictio ſit pure mentalis, an ſecus; aut formulam verborum ex aliquo libro memoriæ traditam recitare debes, ut e laqueo hoc liber evadas? In his, & ſimilibus caſibus iam deſcriptis, quando alia non patet via, nec verbum *Neſcio* ſufficit, regeras in frontem impudentis interrogatoris *rotundum & audax* NON: quandoquidem *Non* iſtud omnium hominum menti conforme eſt. Homines enim verborum domini ſunt. Ea haudquaquam in damnum Reipublicæ, & in latronum, ſicariorumque favorem inſtituerunt. Ne multa: *Non* illud in præfatis circumſtantiis quacumque caret ſignificatione ex conſenſu totius humanæ Reipublicæ, quæ ſtatuit, in ſimilibus eventibus verba nihil ſignificare, ad eum plane modum quo nummus cui Principis iuſſu ademptus ſit valor, nihili ſit. *Quando itaque audis mendacium officioſum licite proferri non poſſe, neque ut ab incendio integram civitatem ſubducas; ſcias oportet, neque ob eumdem finem licitum eſſe furtum unius ſolidi, aut unius fili ſerici. At,*

quem-

quemadmodum in tali eventu furtum non eſſet furtum [*quod ſic inter homines conventum ob publicum bonum ſit*) *eadem ratione mendacium non foret mendacium: quoniam humana Reſpublica non minus verborum quam rerum dominio potitur*. Hactenus Cattaneus, qui aliis exemplis ſuam confirmat doctrinam.

CAPUT VIII.

Comparatio doctrinæ quorumdam recentiorum cum doctrina & Caſſiani, cui in extrema neceſſitate licita erant mendacia, & Auguſtini in omni eventu mendacia damnantis. Caſus iidem ab Auguſtino, & recentibus propoſiti, & contraria doctrina reſoluti.

I. EX antiquis qui mendacio ſunt patrocinati, unum referam Caſſianum, qui præ omnibus aliis mendaciorum cauſſam propugnavit, fuſiuſque eam pertractavit. Univerſa autem Caſſiani, aliorumque Patrum doctrina his limitibus concluditur: nempe quod in extrema neceſſitate, puta ad vitam propriam, vel proximi tuendam, uſus mendacii licitus ſit, ut uſus ellebori licitus eſt in extremis morbis. Proponit caſum de muliere Raab, & ait mendacium illius fuiſſe dignum venia. En illius verba ex coll. XVII. cap. XVII. *Taliter de mendacio ſentiendum, atque ita eo utendum eſt, quaſi ei natura inſit ellebori... Ita namque etiam ſanctos ac probatiſſimos Dei viros veniabiliter legimus uſos fuiſſe mendacio, ſicut Raab*. Caſſianus manifeſte non aſſerit, illud mendacium abſolute fuiſſe licitum, ſed *veniabiliter* prolatum fuiſſe; ſeu mendacium illud dignum fuiſſe venia, quod ob finem bonum tuendæ vitæ trium hominum dictum fuerit. Quare Caſſianus abſolute non docuit, vel in ipſis extremis eventibus mendacium eſſe innocens omnino, & amittere mendacii naturam, ac reatum; ſed de duobus malis minus eſſe eligendum, & dignum eſſe venia qui mendacio officioſo utitur, ut damnum compenſet maius, ſeu vitet, quod ex manifeſtatione veritatis conſequeretur. Sic mentem ſuam conceptis verbis declarat Caſſianus cap. XX. *Tunc enim neceſſario, ac veniabiliter acquieſcitur mendacii detrimento, quando maius, ut diximus, imminet de veritatis confeſſione diſpendium; & utilitas quæ nobis de veritate confertur, compenſare illa quæ generanda ſunt damna non prævalet*. Hæc doctrina Caſſiani multum commovit vel ipſum Auguſtinum, qui eam appellat *de peccatis compenſativis*.

II. Eumdem caſum, inter alios plures, de muliere Raab, & Hebræis obſtetricibus ſibi proponit Auguſtinus *Libro contr. mend. cap.* XV. illum in omnem partem verſat, improbatque Caſſiani doctrinam, & reſolvit, Raab, ac Hebræas obſtetrices men-

mentitas fuiſſe, & in eis remuneratam non fallaciam mentiendi, ſed affectum miſerendi. Quid porro reſpondere debuiſset Raab, docet his verbis: *Scio ubi ſint; ſed Deum timeo, non eos prodo*. Omnia deinde quæ adverſus hanc reſponſionem obiici poſſunt, & quod nimirum mulier perempta fuiſset, & quod cives ſui, audito hoc reſponſo, domum univerſam fuiſsent ſcrutati, & innocentes tandem inventos morti tradidiſsent, reſolvit, atque in adverſarios regerit. *Verum illi, hoc audito, inquies, illam perimerent, domum ſcrutarentur. Sed numquid conſequens erat ut illos etiam quos diligenter occultaverat, invenirent? Proſpexerat enim cautiſſima mulier, & ibi eos poſuerat ubi latere potuiſſent, etiam ſi ei mentienti creditum non fuiſſet. Ita & illa, ſi tamen a ſuis civibus eſſet occiſa, pro miſericordiæ opere, vitam iſtam finiendam, pretioſa in conſpectu Domini morte finiiſſet, & erga illos eius beneficium inane non fuiſſet. Sed inquies: Quid ſi & ad illum locum ubi eos occultaverat, ii a quibus quærebantur, perſcrutando omnia, perveniſſent? Iſto modo dici poteſt: Quid ſi mulieri viliſſimæ, atque turpiſſimæ non ſolum mentienti, verum etiam peieranti credere noluiſſent? Nempe etiam tunc conſecutura fuerant quæ timendo mentita eſt. Et ubi ponimus voluntatem, & poteſtatem Dei? An forte non poterat & illam, nec civibus ſuis mentientem, nec homines Dei prodentem, & illos ſuos ab omni pernicie cuſtodire? A quo enim & poſt mulieris mendacium cuſtoditi ſunt, ab eo potuerunt, etſi illa mentita non eſſet, utique cuſtodiri.*

III. Similem prorſus caſum ſibi proponunt etiam recentiores. Theologi antiquiores cum Auguſtino, inter quos potiſſimum tenet locum D. Thomas, reſpondent mulierem mentitam fuiſse, omneſque mentiri qui in ſimili eventu cum Raab negaret hoſpites, ad mortem etiam quæſitos, extare in propria domo, quando reipſa ibi commorantur. Recentiores autem plurimi cum Caſſiano in eo, quod totius controverſiæ caput eſt, conveniunt. Caſſianus namque docet, Raab dignam fuiſſe venia, quod negaverit hoſpites in domo ſua reperiri: recentiores pariter adfirmant, nos poſſe, & debere ſicario quærenti ad mortem hoſpitem extantem in domo noſtra, negare hoſpitem eiuſmodi penes nos commorari, ſeu reperiri. Differunt vero a Caſſiano, quod ille *negationem veritatis* in Raab mendacium vocet *veniabiliter* prolatum, ſeu venia dignum; recentes vero præfatam *negationem veritatis* nolint eſſe mendacium; variaſque aſſignant rationes. Alii namque diſtinguunt duplicem veritatem, duplicemque cognitionem: alteram revelabilem, alteram non revelabilem; ſeu unam communicabilem, alteram incommunicabilem. Volunt proinde veritatem illam, ex cuius manifeſtatione ſequitur mors innocentis, eſſe incommunicabilem, ſeu non revelabilem; & propterea negationem illi reſpondentem eſſe veram. Alii docent, in ſimili caſu verba nihil ſignificare ex tacito Reipublicæ conſenſu; ſeu mendacium non eſſe mendacium, quemadmodum furtum in extrema neceſſitate non eſt furtum.

IV.

IV. Alium ſibi caſum proponit Auguſtinus *cap.*XVIII. *cont. mend.* de patre ægroto, qui, ſi intelligeret mortuum eſse ſuum unicum, cariſſimumque filium, ipſe quoque fato concederet. *Si a te quærit, an vivat, quem vitam finiſſe tu noſti; quid reſpondebis, quando, quidquid aliud dixeris præter unum de tribus, aut mortuus eſt, aut vivit, aut neſcio, nihil aliud credit ille quam mortuum; quod te intelligit timere dicere, & nolle mentiri? Tantumdem valet, etiam ſi omni modo tacueris. Ex illis autem tribus duo falſa ſunt, vivit, & neſcio; nec abs te dici poſſunt, niſi mentiendo. Illud autem unum verum, ideſt mortuum eſſe, ſi dixeris, & perturbati hominis mors fuerit ſubſecuta, abs te occiſus clamabitur*. Integram reſponſionem Auguſtini ſupra *cap.* II. *num.* 6. deſcripſimus, quam, ne actum agamus, ibi legito. Caſum ita reſtringit Auguſtinus, ut neque æquivocationi, neque ſilentio, neque tergiverſationi locus pateat. Immo, quidquid dixeris præter unum ex his tribus, *mortuus eſt*, *vivit*, *neſcio*, ægrotus pater colligit filii mortem. Si veritatem fateris dicendo, *Mortuus eſt*, moritur quoque pater; ſi dixeris, *Vivit*, aut *neſcio*, mentiris. Manifeſtandam tamen mortem, ſeu veritatem concludit, pluribuſque evincit Auguſtinus; quamvis mors patris ſecutura ſit.

V. Contra omnino ſentiunt recentiorum plurimi. Volunt ſiquidem, te poſſe dicere, *Vivit*, aut *neſcio*, ne mors ſequatur ægroti. Quoniam in his extremis, in quibus veritatis manifeſtatio graviſſimum producit damnum, quando æquivoco ſermone tegi non poteſt, occultandam docent manifeſta negatione, quæ vel nihil ſignificat, vel negat veritatem incommunicabilem, ut indicavimus, & infra fuſius explicabitur.

VI. Auguſtinus ſub finem Libri contra mendacium nempe *cap.* XXI. quod ultimum eſt, caſum exhibet, qui & tunc occurrebat, & nunc non rariſſime contingit, de uxore adultera provocata, atque coacta a marito, ut iureiurando adulterii ſuſpicionem amoliatur. Adeo firmum & conſtans erat in fidelium illius temporis animis, non poſſe coniugem ſine periurio negare adulterium, quod reipſa perpetraſſet, ut iuramentum maritus exigeret, tamquam evidens innocentiæ argumentum. Si enim credidiſſent, aut ſuſpicati fuiſſent, eas poſſe licite negare, & iuramento confirmare negationem commiſſi adulterii; numquam eas ad iurandum inducere conſueviſſent. *Namque cogitandum eſt, ſæpiſſime homines, de quarum adulterio ſuſpicantur, ad iusiurandum provocare coniuges ſuas: quod utique non facerent, niſi crederent etiam illas quæ non timuerunt perpetrare adulterium, timere poſſe periurium. Quia & revera nonnullæ impudicæ, quæ non timuerunt illicito concubitu viros fallere, eiſdem viris quos feſellerant, timuerunt Deum teſtem fallaciter adhibere.*

VII. Hunc eumdem caſum ſibi proponunt recentiores, & plurimi reſpondent, licite adulteram negare poſſe ſe adulterium commiſiſſe, quod reipſa commiſit,

ſuam-

ſuamque negationem firmare ſacro iureiurando. Sanchez *Lib. III. in Decal. cap.* VI. *num.* 40. „ Decimo tertio adultera rogata a marito, an adulterium admiſerit, pot- „ eſt iurare ſe non fregiſſe matrimonium... Similiter poteſt iurare, ſe non feciſ- „ ſe, *intelligendo intra ſe, ut tibi revelem.*" Caſtropalaus *tract.* XIV. *diſp.* I. *punct.* 7. „ Decimo tertio mulier quæ adulterium commiſit, poterit ſub iuramento negare „ commiſiſſe, *ſubintelligendo, ut manifeſtare teneatur.*" Idem docent Sayrus, Bonacina, & omnes defenſores reſtrictionis *pure mentalis*. Igitur, ſi viri illi qui tempore D. Auguſtini vivebant, hac noſtra tempeſtate in vivis forent, falſo ſibi perſuaderent uxores ſuas non fore peieraturas: quoniam non modo adulteræ, ſed Theologi ipſi docent, periurium in his circumſtantiis eſſe tantum materiale, ac proinde licitum. Eſt ne eiuſmodi doctrina conformis menti, & doctrinæ Auguſtini, qui conceptis verbis oppoſitum docet? Heinc colligat Francolinus, quo fundamento *Lib. II. præſ. Eccl. benig. diſp.* VII. *num.* 33. adeo intrepide in hæc verba prorumpat. *Intelligis iam, ut opinor, prodeſſe mihi exemplum quod attuliſti, eoque magis confirmari quod oſtendere conatus ſum: recentiores noſtros Caſuiſtas non ex genio ſuo ſcribere, & reſpondere, ſed ex doctrina Patrum, ubi Patres præivere; ex doctrina non contraria Patribus, ubi Patres non præivere; ſed quam ipſi Patres traderent, ſi hac ætate docerent: ſi videlicet Caſuiſtam agerent in ſcholis, & non ſacrum in templis Concionatorem, ut egerunt plerumque, cum de moribus agerent; & ideo minus diſtincte locuti ſunt quam cum de fide ſcripſere.* Dubio procul, ſi Patres deſinerent eſſe Patres, atque in Caſuiſtarum plurium mentes & animos transformarentur, iſtorum plurium laxitates docerent. Francolinus ſubdit, ſe laudare tantummodo probatiſſimos recentiores, non illos quorum luxuriantem in opinando licentiam ſapientiſſime damnarunt Alexander VII. & Innocentius XI. in ſuis decretis. Sed, ut alibi oſtendemus, inter probatiſſimos omnique laude digniſſimos eos profecto habet quorum propoſitiones præfati Pontifices improbarunt. Et ſane non Francolino modo, ſed etiam mihi probatiſſimi ſunt plures ex iis qui reſtrictiones *pure mentales* licitas docuerunt. Diſtinctionem vero quam Auctor iſte collocat inter Patres docentes in ſcholis & Patres e ſuggeſtu in templis concionantes, ſapientiſſimus Pater Elizalda ait, eſſe potiſſimam præſentis, non benignitatis, quæ indivulſa eſt a caritate Chriſti, ſed laxitatis originem. Quin addit Elizalda, hanc diſtinctionem characterem eſſe Phariſæorum, qui e ſuggeſtu in templis veram doctrinam prædicabant: quapropter dixit Chriſtus: *Quæ dicunt, facite*: in privatis vero ſcholis falſas & erroneas opiniones evulgabant; & propterea dixit idemmet Chriſtus: *Cavete a doctrinis Phariſæorum*. Verum de hac eruditiſſima, noſtræque ætati peropportuna interpretatione Patris Elizaldæ fuſius ſuo loco dicturi ſumus. Quæ omnia eo ſolum dicta volumus, ut obiter indicemus, Francolinum ſua diſtinctione Patrum auctoritatem elevare: hanc ipſam quippe P. Francolini diſtinctionem

exco-

Digitized by Google

excogitarunt Lutherani, & Calviniſtæ, ut in nihilum redigerent Patrum auctoritatem. Vellem ut P. Francolinus aliquod documentum attuliſſet, quo evinceret, Patres cautius, ſeu magis diſtincte, cum de fide quam cum de moribus ſcriberent, locutos fuiſſe. Minori forte zelo invecti ſunt contra peccata quæ cum fide, quam contra peccata quæ cum moribus pugnant? An non æque errat qui morum, ac qui fidei doctrinam adulterat? Diſtinctio itaque laudata P. Francolini, ut mitiſſime loquar, falſa eſt, & Patribus Eccleſiæ quammaxime iniurioſa. Si enim minus diſtincte locuti ſunt de moribus ac de fide; ex hac univerſali regula infertur, vix poſſe quidquam certi ex Patribus in morum materia colligi, quia minus diſtincte locuti ſunt iuxta Francolinum. Sed ſuo loco oſtendemus, tum in morum, tum in fidei controverſiis diſtincte, & enucleate locutos fuiſſe ſanctos Eccleſiæ Patres; quamvis neque opiniones omnes quas recentes Caſuiſtæ in morum materia excogitarunt, neque errores omnes quos hæretici adverſus fidei dogmata procuderunt expreſſe refutati in Patribus reperiantur. Sed doctrina generalis invenitur in eorum operibus, qua tum morum, tum fidei regulas Evangelio contrarias reiiciamus. Verum, ut dixi, de hoc fuſius alibi.

VIII. Plurimos alios caſus ſubnectere poſſem, qui ab Auguſtino in hac materia reſolvuntur, oppoſita prorſus doctrina ab ea qua eoſdem caſus reſolvunt plures recentiores Theologi, qui non multum recedere videntur ab antiquis mendaciorum defenſoribus. Quin, ut mihi videtur, ſalvo meliori iudicio, iſtorum quidam mendacia quæ vocant materialia, iuramento firmari poſſe defendunt; & in iis eventibus adhibenda in quibus qui mendacia defendebant, eadem minime uſurpabant. Nam Caſſianus cum ceteris ſolum ad tuendam vitam, pudicitiam, aut quid ſimile, veniabiliter licitum eſſe mendacii uſum dicebat; ſecus ad tuendas res domeſticas, merces, honorem, pro quibus conſervandis licita docent Caſuiſtæ noſtri mendacia materialia, quæ antiquis formalia erant. Ex his paucis apparet veras eſſe propoſitiones *quartam*, & *ſextam* deſcriptas ſupra *cap.* III.

CAPUT IX.

Doctrina recentiorum de reſtrictionibus pure mentalibus falſa eſt, & iure ab Eccleſia damnata.

I. HActenus Hiſtorici perſonam geſſimus, nunc autem, quæ improbanda, quæ deligenda ſunt ex iis quæ deſcripſimus, clare, diſtincteque demonſtremus oportet. Antequam vero quidquam in hac difficillima quæſtione illius quod nobis probabilius videtur, ſtatuamus, primo quæ nobis certo falſa ſunt, vel

Digitized by Google

apparent, impugnabimus; deinde ſenſa noſtra promemus. A confutatione itaque reſtrictionum pure mentalium ordimur.

II. Reſtrictio pure mentalis, ut dictum fuit, tunc eſt, quando verba & abſolute conſiderata, & omnibus circumſtantiis inſpectis, conſtituunt orationem exterius falſam, & in mente loquentis aliquid ſubintelligitur, quo fit vera ipſi loquenti; nullo tamen ſigno externo audiens deprehendere poteſt id quod in mente loquentis reſtringitur, ut ſi quis dicat, *Petrus eſt mortuus*, intelligendo intra mentem ſuam *civiliter*.

III. Omnes Doctores catholici poſt damnatam propoſitionem ab Innocentio XI. damnant uſum reſtrictionum mentalium; quamvis ante præfatam damnationem Caſuiſtæ communiter, & inſignes etiam Theologi aliqui eumdem propugnarent ut licitum. Momentis autem evincitur, reſtrictiones pure mentales eſſe mera mendacia. Atque in primis auctoritate D. Auguſtini id oſtenditur. Inquit enim Lib. de mend. cap. XVII. *Nam de falſo teſtimonio, quod in decem præceptis legis poſitum eſt, nullo modo contendi poteſt, dilectionem veritatis in corde ſervandam, & proferendum falſum ad eum apud quem dicitur teſtimonium. Cum enim Deo tantum dicitur, tunc tantum in corde veritas amplectenda eſt. Cum autem homini dicitur, etiam ore corporis verum proferendum eſt: quia homo non eſt cordis inſpector*. Damnat itaque Auguſtinus reſtrictionem veritatis intra mentis latibula, dum homines alloquimur, vultque iſtis ore corporis veritatem manifeſtandam eſſe.

IV. Auctoritati accedit ratio perſpicua. Reſtrictio mentalis omnino interna, quam deſcripſimus, eſt verum mendacium: quoniam mendacium nihil aliud eſt quam locutio oris, menti loquentis difformis. Sed locutio ſub reſtrictione mentali prolata, eſt omnino difformis menti loquentis. Eſt ergo mendacium. Probatur minor propoſitio. Verba uſurpata ſub reſtrictione mentali, nec abſolute, nec inſpectis circumſtantiis produnt exterius conceptum internum ipſius loquentis: quod patet exemplis quibus utuntur talium reſtrictionum patroni. Dum cum Tamburino dicis, *Iuro per Deum me hac nocte non dormiviſſe, intelligendo veſtitum*, propoſitio abſoluta, *non dormivi*, ante reſtrictionem mentalem falſa eſt. Ergo etiam poſt reſtrictionem mentalem. Quippe hæc reſtrictio mentalis nec vocem, nec rem ſignificatam per vocem mutat: ſeu propoſitio, *non dormivi*, eadem eſt in ſe & ante, & poſt reſtrictionem mentalem. Ergo, ſi ante reſtrictionem mentis falſum eſt te non dormiviſſe, falſum quoque erit poſt eamdem reſtrictionem. Quod autem hæc reſtrictio nec rem ſignificatam per voces ſignificantes valeat mutare, res eſt manifeſta. Confirmatur alio exemplo quo uti ſolent. Qui dicit, *Non comedi carnes*, intelligendo *humanas*, vi illius exterioris propoſitionis negat abſolute, & univerſe omnem cuiuſque carnis comeſtionem. At internus conceptus

Digitized by Google

loquentis non eſt univerſalis negans cuiuſcumque carnis comeſtionem; ſed reſtringitur ad ſolas carnes humanas excludendas. Ergo locutio externa diſformis eſt menti loquentis, & conſequenter mendax.

V. Tandem confirmatur ex eo quod eadem abſurda, eadem incommoda reſtrictionem pure mentalem ac ipſum mendacium conſequantur. Duo maxima & extrema mala ex mendacio proficiſci, animadvertit D. Auguſtinus: quorum primum fidei noſtræ fundamentum potiſſimum ſuffodit. Si mendacium namque aliquando liceret, iam & Deus, & Prophetæ, & Evangeliſtæ illo uti potuiſſent, ac doctrinam tradere mendaciis involutam: quo admiſſo tota ſubverteretur Eccleſia. Nec aliqua ratio aſſignari poteſt cur hominibus, ſecus Deo, & Prophetis licita mendacia ſint. Quapropter mendaciorum antiqui patroni idcirco mentiri in extrema neceſſitate licere docebant, quia in Scripturis ſanctis Patriarchas, Prophetaſque mentitos quandoque fuiſſe abſque culpa autumabant. Porro quod idem omnino incommodum ex reſtrictione pure mentali oriatur, res clara eſt. Nam, ſemel admiſſo quod locutio, velo reſtrictionis mentalis tecta, licita ſit, nihil vetat quominus eadem ſcriptis conſignetur. Qua ratione poſſemus ſuſpicari, & timere, ne plura reperirentur in ſacra Scriptura, vera tantum ſecundum reſtrictionem mentalem nobis incognitam; falſa vero ſecundum ſenſum quem verba ſua natura produnt. Ubique dubitandi locus occurreret, num Scriptor ſacer verborum artificio uſus fuerit: & ſic periret certitudo fidei divinæ, vacillarent omnia religionis noſtræ fundamenta. Alterum, & præcipuum incommodum quod mendacium parit, eſt deſtructio humanæ ſocietatis, quæ in mutua internorum conceptuum communicatione ſita eſt. Verba autem inſtituta ſunt ad manifeſtandos conceptus mentis internos. Quare, ſicut ex hypotheſi quod mendacium aliquando liceret, humanum commercium corrueret, fides inter homines prorſus periret, quia ſemper adeſt dubitandi ratio, num loquens mendacio uteretur, an veritatem proferret; ita quoque, admiſſo licito uſu reſtrictionum mentalium, ſocietas abrumperetur humana: quoniam licitum cuique eſſet adfirmare, & iurare quæcumque vellet, quamvis falſa ſecundum ſenſum quem præferunt verba: eo vel maxime quod iuxta doctrinam Tamburini, & aliorum, quam exhibuimus ſupra *cap.* VI. *num.* 16. tametſi verba *nullo modo patiantur talem æquivocationem, ſeu mentis reſtrictionem, licet aliud intelligere ex mera mea voluntate: Iuro v. g. me non dormiviſſe, intelligendo me non comediſſe*. Vide integram aſſertionem loco citato. Nemo autem non perſpicit, ex iſtarum reſtrictionum genere, æque ac ex mendacio, ſequi ruinam commercii, & ſocietatis reciprocæ humani generis. Verum dehoc infra.

VI. Obiicies 1. Licita eſt locutio æquivoca, quia continet aliquem ſenſum verum, quamvis ita obſcurum, ut audiens illum deprehendere facile nequeat: atque adeo permittitur licite eius deceptio, ut occultetur veritas, quæ ſi manife-

Hh ij ſta-

Digitized by Google

ſtaretur, magnum pareret malum. Sed etiam reſtrictio pure mentalis habet ſenſum verum in mente loquentis, quamquam obſcurum reſpectu audientis. Ergo reſtrictio pure mentalis immunis erit a mendacio, quemadmodum locutio æquivoca externa. Reſp. Diſparitas manifeſta eſt. Verba locutionis æquivocæ, ſeu amphibologicæ externæ produnt reipſa ſenſum vel abſolute, vel ex circumſtantiis intelligibilem ab audiente, ſi advertat. Reſtrictio vero pure mentalis claudit ſenſum intra loquentis mentem, quem audiens percipere neque vi verborum, neque ullo externo ſigno valet.

VII. Obiicies 2. Nemo tenetur adæquate mentis ſuæ conceptus manifeſtare; ſed quiſque poteſt unum conceptum manifeſtare, alterum occultare. Quapropter verba externa ſunt conformia menti loquentis, qui ea reſtringit iuxta ſenſum ſuum internum. Reſp. Utique verum eſt, neminem teneri omnes ſuos conceptus internos proferre; ſed poſſe unum revelare, alterum celare. Quoties tamen vult aliquem ſuum internum conceptum prodere, neceſſe eſt ut verba adhibeat quæ illum ſuum conceptum reipſa manifeſtent, & exprimant. V. g. qui exterius profert hanc propoſitionem, *Non comedi carnes*, & in mente intelligit *humanas*: cedo, verba hæc, *Non comedi carnes*, quem conceptum internum ſignificant? Hercle non alium niſi univerſalem negationem cuiuſcumque carnis, ſive hominis, ſive animalis. Porro conceptus iſte univerſalis, negans comeſtionem cuiuſque carnis, ſive hominis, ſive animalis, nec unum genus potius quam aliud negans, non eſt in mente loquentis. Ergo verba difformia ſunt ipſius menti. Conceptus namque in mente loquentis reſtringitur ad carnes humanas; & verba externa nullo modo exprimunt carnes humanas potius quam animalis. Ergo verba externa ſunt difformia conceptui interno. Ergo locutio mendax eſt.

VIII. Obiicies 3. Falſum eſt ex reſtrictionibus mentalibus infirmari certitudinem fidei noſtræ: quia hæc innititur revelationibus divinis excludentibus amphiboliam: Deus ſiquidem teſtatur ſe ſincere loqui, & Eccleſiæ ſuæ auctoritatem donare, qua ſenſum verum diſcernere valeat abſque ullo erroris periculo. Reſp. Admiſſo licito uſu reſtrictionis mentalis, quæ opponuntur, falſa ſunt. Nam poſito quod dubitare nos poſſimus, uſus ne fuerit Deus reſtrictionibus mentalibus in manifeſtatione legis ſuæ, ambigendi quoque locus remanet, an in revelationibus reflexis, quibus teſtatur, ſe vera pandere, & ſincere loqui, adhibeat præfatas reſtrictiones: quod negare nequeunt adverſarii, docentes, poſſe eum qui ſemel licite uſus eſt æquivocatione in locutione directa, eamdem adhibere in reſponſionibus omnibus reflexis uſque in infinitum. V. g. reus qui, non ſervato iuris ordine, interrogatus a iudice reſpondere valet *ſe neſcire crimen*, ſubintelligendo *ad revelandum*, poteſt quoque, ſi iudex urgeat, ut abſque ambiguitate, & æquivocatione, ſeu reſtrictione mentali loquatur, reſpondere, & iurare ſe abſque ulla æqui-

æquivocatione loqui, reſtringendo in mente, *qua mihi uti non liceat* : &, ſi millies interrogetur, millies negare poteſt, & adfirmare ſe candide, & ſincere loqui, ut expreſſe docet P. Caſtropalaus, cuius doctrinam deſcripſi *diſs.* I. *cap.* IV. Qua doctrina admiſſa, evidens eſt vacillare religionis noſtræ fundamenta, & ſocietatem humanam penitus interire.

IX. Obiiciunt 4. plurima ſacræ Scripturæ teſtimonia, quibus præfatas reſtrictiones mentales defendere conantur. Sed eiuſmodi textus infra examini ſubiiciemus: quoniam iiſdem quoque abutuntur ii qui amphibolias, quas vocant externas, defendunt ſine ullo delectu; & eadem ipſa teſtimonia opponebant mendaciorum patroni. Quapropter ſingillatim infra omnia ſub examen inducemus.

C A P U T X.

Refellitur, tamquam omnino improbabilis & falſa, opinio quæ aſſerit, verba ex communi Reipublicæ humanæ conſenſu nihil ſignificare, cum adhibentur ad occultandam veritatem quæ manifeſtari nequit abſque gravi damno.

I. Quamquam difficillima ſit quam verſamus controverſia de mendacio, eique affinibus reſtrictionibus mentis, & locutionibus æquivocis; quædam tamen quæ recentiores aliqui excogitarunt, a viris doctis reputantur evidenter falſa. Damnata doctrina reſtrictionum mentalium, laxior excogitata fuit via, ſimulque facilior occultandi veritatem. Aſſerunt namque, humanam Rempublicam in quibuſdam caſibus ademiſſe verbis ſuam ſignificationem, ut ſupra *cap.* V. explicuimus. Hanc doctrinam indicavit *Tamburinus* : eam clarius ex *Tannero*, & *Stoz* retulit, & adprobavit *P. La Croix* : & fuſius tandem, ac e ſuggeſtu promulgavit, & typis edidit *P. Cattaneus*. Hanc opinionem labefactavit perdoctus Auguſtinus *Orſi*, qui integram diſſertationem, exquiſita eruditione, & doctrina refertam, edidit adverſus Cattanei opinionem, duaſque alias adverſus eiuſdem Cattanei defenſores; quorum unus maxime, nempe Auctor *Allegationis*, longius ipſo Cattaneo a vero receſſit, ut laudatus *Urſius* in *cauſſa veritatis* evidenter oſtendit. Hanc itaque opinionem *Cattanei*, *P. La Croix*, *Stoz*, *Tanneri*, tamquam evidenter falſam, demonſtrandam aſſumimus.

II. Et in primis falſitas iſtius opinionis ex eo conſtat quod omnibus tum antiquis, tum recentibus incognita ſemper fuerit *lex iſta*, qua aſſeritur, humanam Rempublicam ademiſſe verbis ſuam ſignificationem in extrema neceſſitate occul-

Digitized by Google

tandi veritatem. Quod occulta fuerit antiquis omnibus *hæc lex*, ex iis quæ dicta ſunt, conſtat. Nam Patres omnes hanc de occultanda veritate pro tuenda vita, pudicitia, & fama, controverſiam ex profeſſo verſarunt, potiſſimum Auguſtinus; & nemo unus iſtius meminit legis: ignota ergo illis erat. Altum quoque ſilentium de hac lege apud omnes Scriptores poſteriorum temporum, ſi citatos, quibus Cattaneus addit Cardinalem Pallavicinum, excipias. Quid tam incredibile? Quid communi ſenſui tam adverſum? Lex ab univerſa humana Republica condita, ipſam univerſam humanam Rempublicam latet? Nam ante quinque vel ſex laudatos Scriptores, nemo legis huius mentionem fecit; quamvis eadem ac nunc neceſſitas urgeret illam nominandi, & adhibendi. Quid? Si quis diceret, univerſam Rempublicam Venetam legem univerſali tacito conſenſu conditam rogaſſe, qua declaravit, licitum eſſe cuique civi in gravi neceſſitate conſtituto nummos fictitios in commercio impendere poſſe: ſimulque fateretur a ſui fundatione neminem umquam hac lege uſum fuiſſe, neque illius meminiſſe? Nonne ridiculum maxime, ſtultumque ſe ſe exhiberet ſimilis fictitiæ legis promulgator? Non minus ſane commentitia, & plane chimærica dicenda eſt lex illa quam ab univerſo hominum genere conditam tacito conſenſu effingit Cattaneus; cum a creatione mundi uſque ad quinque recenſitos Scriptores nemo unus iſtius meminerit legis. Quid ad hæc? An fortaſſe quod argumentum iſtud negans eſt? Quoniam, ſi Scriptores ſilentio hanc legem prætereunt, eam non improbant. Utique eam non improbant: quia monſtroſa commenta, quæ poſt tot ſæcula conficta ſunt, damnare non poterant: ſed eam reiiciunt eo modo quo reiici id poteſt quod reipſa non erat. Cuiuſque fere ſæculi Scriptores, tum ethnici, tum chriſtiani, populos docuerunt modum quo occultare in extremis eventibus veritatem poſſent. Platonici aſſignaverunt mendacium. Platonicis plures acceſſerunt Chriſtiani. Tandem univerſa Chriſtianorum Reſpublica mendacia ut illicita ſemper damnavit. Nihil intentatum reliquerunt inſigniores iſtius Reipublicæ Doctores, & gubernatores, ut viam aperirent occultandi veritatem; & non aliud invenerunt, niſi ſilentium, aut propriæ vitæ ſacrificium. Auguſtinus, omneſque Patres, & Doctores Eccleſiæ poſt ipſum docent, debuiſſe Raab mortem potius oppetere quam negare hoſpites eſſe in domo ſua; permittendam mortem ægroti potius quam negare filium illius eſſe mortuum; amittendam corporis pudicitiam, quæ ſervari non poteſt, niſi dicendo, *Maritus adeſt*, quando reipſa abſens eſt. Alterutrum ergo neceſſario dicendum eſt, aut ignorantem Auguſtinum, ignorantes ceteros Doctores poſteriores omnes, & ipſam Eccleſiam fuiſſe; aut crudeles, & inhumanos, ſi omiſiſſent docere populum præfatæ legis uſum. Quid opus habuiſſet Auguſtinus duos integros Libros edere contra mendacia? Sed veritati manifeſtæ tenebras offunderem, ſi ultra producerem ſargumentationem iſtam. Ad alia ergo properamus.

III.

III. Hactenus ergo demonſtratum eſt, præfatam legem commentitiam eſse, & in ſola quinque vel ſex Scriptorum mente repoſitam, eo quod univerſo humano generi incognita ſemper fuerit. In præſentia vero evidentiſſimis rationibus oſtenditur, non potuiſse Rempublicam hominum, etiamſi voluiſset, verbis adimere ſignificationem; eaque reddere in ſerio, & communi ſermone, tamquam materiales ſonos, nihil ſignificantes. Quod ut evincam manifeſtius, principia quibus ſacri Doctores utuntur, ut explicent mendacii pravitatem, præmittam oportet. Auguſtinus autem pluribus in locis probat omne mendacium eſse peccatum: quia verba eo pertinent ut interna animi ſenſa prodant. Quoties ergo homo verba adhibet non ad communicandum id quod in animo habet, uſum pervertit verborum. Hæc ſunt Auguſtini verba *in Enchirid. cap.* XXII. „ Porro autem omne mendacium „ ideo dicendum eſt eſse peccatum, quia homo, non ſolum quando ſcit ipſe quod „ verum eſt; ſed etiam, ſi quando errat, aut fallitur, ſicut homo, hoc debet „ loqui quod animo gerit, ſive illud verum ſit, ſive putetur, & non ſit. Omnis „ autem qui mentitur, contra id quod animo ſentit, loquitur voluntate fallendi. „ *Et utique verba propterea ſunt inſtituta, non per quæ homines ſe invicem fallant,* „ *ſed per quæ in alterius quiſque notitiam cogitationes ſuas perferat. Verbis ergo uti* „ *ad fallaciam, non ad quod inſtituta ſunt, peccatum eſt. Nec ideo illud mendacium* „ *putandum eſt non eſſe peccatum, quia poſſumus aliquando alicui prodeſſe mentiendo:* „ *poſſumus enim & furando, ſi pauper, cui palam datur, ſentit commodum, & di-* „ *ves, cui clam tollitur, non ſentit incommodum. Nec ideo tale furtum quiſquam di-* „ *xerit non eſſe peccatum*. Paucioribus verbis totam Auguſtini doctrinam nobis exhibet D. Thomas 2. 2. quæſt. cx. art. 2. *Mendacium eſt malum ex genere, eſt enim actus cadens ſuper indebitam materiam. Cum enim voces naturaliter ſint ſigna intellectuum, innaturale eſt, & indebitum, quod aliquis voce ſignificet id quod non habet in mente*.

IV. Ut hæc Auguſtini, & Thomæ doctrina clarius percipiatur, omni æquivocatione ſubmota, advertendum eſt, quod, dum Angelicus dicit, verba eſse ſigna *naturaliter* conceptuum animi, non excludit, ſive non negat eadem verba eſse ſigna, ut aiunt, *ad placitum*. Siquidem verba ſunt ſigna *ad placitum*, quatenus a Dei, vel ab hominum voluntate pendet quod hoc potius ſignificent quam aliud. Minime autem ab hominum voluntate pendet quod hæc verba ſint ſigna ſecretorum cordis. Homines in prima inſtitutione poterant ex arbitrio eamdem vocem una potius quam alia ſignificatione donare. At efficere numquam potuerunt, aut poſsunt ut voces, quacumque fruantur ſignificatione, non ſint ſigna repræſentantia conceptus mentis. Ne multa: quod verba hanc præ alia ſignificationem habeant, inſtitutionis humanæ eſt; quod revelent cordis arcana, a natura habent. Reſpublica humana vocum ſignificationes mutare poſset; ſed quod

ſigna ſint quæ internos animi ſenſus in communi ſermone prodant, eis adimere humana Reſpublica nequit. Quibus præmiſſis, evidens demonſtratio formatur adverſus opinionem quæ ſtatuit in aliqua gravi neceſſitate verba nihil ſignificare.

V. Homo a naturæ Auctore habet facultatem loquendi, ſeu, ut aiunt, quod ſit diſcurſivus: cuius facultatis munus eſt revelare interiores mentis conceptus. At facultatem hanc exercere homo nequit, niſi inſtrumento corporeo verborum, eo quod ſpiritu, & corpore compacta illius natura ſit. Anima corpore ſpoliata ſeipſa conceptus ſuos prodit: corpori agglutinata iſtius organis eget, ut in publicum edat partus ſuos. Hanc doctrinam præter Auguſtinum, Thomam, ceteroſque Patres, tradit vel ipſe Marcus Tullius *Orat. pro A. Cecina prope medium*, ubi declarat, verba inſtituta eſſe ut voluntatem corporis velo contectam revelent: *Sermo hercule & familiaris, & quotidianus non cohærebit, ſi verba inter nos aucupabimur . . . . Voluntas, quæ ſi, tacitis nobis, intelligi poſſet, verbis omnino non uteremur: quia non poteſt, verba reperta ſunt, non quæ impedirent, ſed quæ indicarent voluntatem.* Hoc principium nulli cavillationi obnoxium eſt. Atqui hominum Reipublicæ minime licet aut privare facultatem aliquam eo fine quem ei natura indidit, vel eidem contrarium præſtituere. Ergo, cum finis facultatis loquendi in homine ſit manifeſtare animi ſecreta mediis verbis, nulla hominum voluntas poteſt adimere facultati loquendi vim manifeſtandi interna ſecreta, cum hanc vim a natura habeat. Quid? Valet ne univerſa humana Reſpublica in aliquo caſu eripere hominibus facultatem loquendi? Valet ne huic facultati adimere aliquo in caſu vim prodendi interna ſecreta? Ergo neque valet adimere verbis ſignificationem. Si enim verba non ſignificarent, homo non poſſet ſuos conceptus revelare, quia ſine verbis revelare eoſdem nequit. Igitur ſi Reſpublica hominem facultate loquendi privare nequit, neque facultati loquendi adimere poteſt vim manifeſtandi internos conceptus; legitima illatione conſequitur neque verba ſpoliare poſſe ſua ſignificatione. Quandoquidem verba ſua ſignificatione deſtituta nequeunt in humana locutione eſſe ſigna manifeſtantia interiores mentis ſenſus. Hæc ſiquidem tria, nimirum quod homo potiatur facultate loquendi, quod finis iſtius locutionis ſit revelatio ſecretorum cordis, & poſtremo quod verba data natura homini ſint, quibus hane ſuam facultatem exerceat loquendi, & prodendi ſua ſecreta, ita ſunt invicem connexa, ut qui in unum non dominatur, neque in aliud. Poteſt utique homo aut loqui, aut ſilere, prout ſibi expediens viſum fuerit. At, facta poſitione quod loqui velit, aut reſpondere cogatur, iuxta naturæ leges verbis utatur neceſſe eſt, quæ pandant plus aut minus clare internos ſuos conceptus. Aliter finem a natura præſtitutum perverteret. Idque exemplis confirmari poteſt. Natura homini poteſtatem comedendi dedit in eum finem ut na-

naturam conſervet. Poteſt homo comedere, aut non comedere. At, ſi ſemel comedat, nequit ob alinm quam conſervandæ naturæ finem comedere. Et ii qui ob ſolam voluptatem, & delectationem comedunt, peccant, pervertuntque naturæ finem. Quemadmodum autem hominum Reſpublica neqnit facultatem comedendi hoc ſuo fine privare, aut eidem finem contrarium præſtituere; ita nequit humanas voces ſuo fine, qui eſt manifeſtare mentis ſecreta, privare, aut finem contrarium eiſdem affigere.

C A P U T XI.

Refellitur reſponſio Tamburini, cuius aſſertio laxior omnino videtur ipſa propoſitione damnata de reſtrictionibus mentis.

I. THomas Tambnrinns *Lib. II. in Decal. cap.* 11. *§.* 2. *num.* 6. *pag.* 81. illum perdoctum Cardinalem Pallavicinum, quem Cattaneus laudat in favorem ſuæ opinionis, allegat pro contraria ſententia, negante verba efferri poſſe tantum materialiter. Obiicit itaque ſibi Tamburinus auctoritatem Pallavicini his verbis. „ At hoc modo loqueris contra pactum Reipub. quod in conſtitutione linguæ „ inter homines tacite initum fuit, ut ſignificative proferrentur verba, non vero „ ſolum *materialiter*. Lege Sfortiam Pallavicinum in ſua Theologia *Lib. III. d.* 2. „ *num.* 17. apud Tancredum.

„ Reſpondeo, eiuſmodi pactum nimis ſpeculative ab ingenioſiſſimo excogitatum „ eſſe. Addo, eſto affuiſſe conventionem ut per illas voces poſſent aperire homi- „ nes conceptus ſuos; at contendo numquam affuiſſe pactum quominus iidem „ poſſent (*quando vellent*) illas *materialiter* efferre. Certe ſic efferunt infantes, ſic „ adulti, quando incipiunt diſcere linguas exteras, ſic & ſcriptores, & typogra- „ phi quando exſcribunt, vel imprimunt verba alterius linguæ. *Cur ergo non in* „ *aliis occaſionibus, quando homini libuerit?* “ Hactenus Tamburinus.

II. Auctores qui ante Innocentium XI. defendebant reſtrictiones mentales in locutione, cuius verba reſtrictionem pure mentalem patiuntur, laxitatem opinionis temperabant, hoc addito. Docebant ſiquidem, neminem poſſe uti præfatis reſtrictionibus, niſi cauſſa tuendi propriam, vel alterius vitam, honorem, res domeſticas, vel quid ſimile. Eorum doctrina de reſtrictione pure mentali duplici fuco obtegebatur, nimirum quod uſus reſtrictionis mentalis tunc ſolum eſſet licitus, quando & verba ſermonis talem reſtrictionem mere internam patiuntur, & quando cauſſa rationabilis adſit adhibendi præfatas reſtrictiones in communi ſermone. Nihilo tamen minus opinio iſthæc proſcripta eſt.

III.

III. Tamburinus, eiuſmodi linimentis ſpretis, in primis contra Sanchez, ut vidimus ſupra, ſtatuit loco citato *num.* 4. te poſse ad libitum reſtringere in mente quemcumque ſenſum, licet verba talem reſtrictionem non patiantur. Hic eſt primus laxitatis gradus, quem propoſitioni damnatæ Tamburinus addit. Verum quod poſtea ſubdit, poſse hominem *ad libitum* verba efferre *materialiter*, nempe omni ſignificatione ſpoliata, cuiuſque laxitatis limites prætergreditur, horroremque ingerit. Tam mendaciorum, quam reſtrictionum mentalium defenſores, tantummodo neceſſitate graviſſima, vel gravi iuxta paucos, de quibus infra, urgente, licitum uſum propugnabant; Tamburinus vero, nullo ſervato limite, decernit, quandocumque homini libuerit, licere ei adhibere *verba materialia*, ſeu *mendacia materialia*, quod reipſa idem eſt. Excipit ſolum caſum in quo talis locutio materialis damnum inferret proximo, quod eſset mendacium pernicioſum: de quo nemo Chriſtianorum umquam dubitavit.

IV. Sed Tamburini rationes commeditemur. Pueri efferunt has voces materialiter, adulti addiſcentes linguas exoticas, typographi verba alterius linguæ imprimentes. Addunt alii, idem dicendum de iis qui recitant aliorum verba, quin ad eorum mentem ſeſe conforment; uti patet in Propheta David referente illa verba: *Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus*. Confirmant vero hæc omnia hoc pacto. Verba accipi poſsunt ut verba, & ut ſonus materialis. Si verba ut verba accipiantur, nemo eis in alium finem uti valet, niſi ad ſignificandos mentales conceptus; ſi vero voces accipiantur ſecundum merum ſonum materialem, tunc quiſque uti poterit eiſdem, non ad exprimendos animi interiores ſenſus, ſed ad occultandam veritatem. Sic ratiocinantur alii. Sed Tamburinus, miſſis his diſtinctiunculis, contendit, neque auctorem naturæ, neque Rempublicam humanam aliquod onus impoſuiſse efferendi verba *ſignificative*; & gratis conceſso affuiſse inter homines conventionem proferendi verba ut ſignificantia; *At contendo*, inquit, *numquam affuiſſe pactum quominus iidem poſſent (quando vellent) illas materialiter efferre*.

V. Ut ab ultimis Tamburini verbis auſpicemur, prout mihi videtur, hæc doctrina continet manifeſtum errorem. Nulla lex præcipit ut verba ſint ſigna repræſentantia animi ſenſa? Nullum pactum, nulla lex iubet uſurpanda eſſe verba ad quidquam ſignificandum? Ad libitum homo verba uſurpare valet in communi, ſerioque ſermone, quin nihil ſignificet? Crederem quod ſi hæc Tamburini doctrina ad tribunal Eccleſiæ deferretur, non evaderet a cenſura immunis. Eam ſane damnarunt Cicero, Auguſtinus, & Thomas in recitatis capite præcedenti auctoritatibus, iterumque eam convellit Auguſtinus Lib. I. de doctr. chriſt. cap. 11. *Sunt autem alia ſigna, quorum omnis uſus in ſignificando eſt, ſicuti ſunt verba. Nemo enim utitur verbis, niſi aliquid ſignificandi gratia*. Si hanc Auguſtini auctoritatem in examen

men revocaſſet Tamburinus, eam ut falſam dubio procul reieciſſet. Nemo utitur verbis, niſi quidquam ſignificandi gratia? Nonne, repoſuiſſet Tamburinus, pueri, nonne typographi, nonne addiſcentes linguas exteras verba uſurpant, quin nihil ſignificent? Falſa eſt ergo Auguſtini doctrina. Sic argutatus fuiſſet Tamburinus: cuius nos doctrinam ut apertiſſime falſam improbamus, & Auguſtinianam amplectimur.

VI. Ut autem Tamburini, & aliorum Scriptorum obiectionem nullo negotio convellamus, illud eſt animadvertendum, quod eſt tamen cuique pervium, nimirum nobis nunc ſermonem eſſe de verbis uſurpatis in communi, ſerioque ſermone, in quo interna cordis ſecreta invicem revelantur. Quid futilius opponi poteſt quam id quod obiicit Tamburinus de pueris, ac de typographis imprimentibus verba alterius linguæ? Cur non adiecit, pſittacos non modo verba, ſed periodos proferre; picas quoque voces ipſas quas edunt homines, emittere? Quid de aliis brutis dicemus, qui voces edunt, quæ indicant, manifeſtantque interiores ſenſus? Vocem latratus emittit canis, & admonet domum invadi, vel famem qua laborat, oſtendit. Rugit leo, & indicat iræ ſuæ ardorem. Quis tamen dixerit, bruta iſta loqui? Idem de pueris, de adultis diſcentibus linguas exteras, qui edunt voces, nec tamen loquuntur: ſermo ſiquidem eſt de pueris nondum lumine rationis præditis. Et adulti, dum diſcunt linguas exteras, quatenus diſcunt, non uſurpant voces ut inſtrumenta locutionis, in qua proximo manifeſtanda ſint ſecreta. Mirum ſane eſt nenias adeo pueriles, & commenta adeo inepta obtrudi potuiſſe a viris qui theologicam ſcientiam profitebantur. Quæſtio ſiquidem eſt de verbis uſurpatis in ſermone humano, in locutionibus quibus homines invicem per modum interrogationis, & reſponſionis mutuo ſibi ſecreta pandunt. Paucis: quæſtio eſt de ſermone hominis ut homo eſt, diſtinctus a brutis, & ab Angelis. Prout brutis ſuperior eſt, ratiocinatur, atque ſecreta ſua aliis communicat; quatenus inferior Angelis, inſtrumentis indiget corporeis, quibus modo ſenſibili cogitationes ſuas aliis manifeſtet. Quibus poſitis, quis obtrudere auſit poſſe in communi ſermone uſurpari a nobis verba ut ſunt ſonus materialis, & tamquam nihil ſignificantia? Secus vero dicendum, ſi accipiantur verba ut verba? Hæc diſtinctio applicata communi, ſeriæque locutioni, adeo futilis eſt, & puerilis, ut pudeat eam longius impugnare. Concludamus ergo, ſententiam Tamburini, & eorum qui eidem adhærent, longe laxiorem eſſe quam ipſam propoſitionem damnatam de reſtrictionibus mentis, ob rationes ſupra adductas.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XII.

Opinio P. Cattanei, & P. La Croix, aliorumque paucorum, qui comparant mendacium furto in extrema neceſſitate commiſſo, non videtur conſentanea doctrinæ Eccleſiæ.

I. ANte omnia proponenda eſt Cattanei ſententia propriis ipſius verbis. Sic ergo ſcribit Tom. I. Lect. ſac. lec. xliv. *E però, quando udite, che non può dirſi una bugia ufficioſa, nè pure a fine di ſalvar dall'incendio una intiera città ſappiate, che nè pure per un tal fine è lecito fare un latrocinio di un mezzo ſoldo, e nè pur di un ſol filo di ſeta. Ma ſiccome in un tal caſo ciò non ſarebbe più latrocinio (eſſendoſi così convenuto tra gli huomini per il publico bene) così quella per la ſteſſa ragione ceſſerebbe d' eſſere bugia; eſſendo la univerſità di tutti gli huomini non meno padrona diſpotica di tutte le coſe che del ſignificato delle parole da eſſa iſtituite a beneficio del mondo. E ſi avverta, che ciò deve ſpecialmente intenderſi, quando alcuno è interrogato, eſſendo contro ogni regola di oneſtà, che in tali caſi la medeſima oneſtà ſia obbligata a ſervire di miniſtra alla ſcelleratezza.* Quæ latine ſic reddo. „ Et propterea, cum audis mendacium officioſum proferri licite haud poſſe, nec „ in eum finem ut ab incendio integram ſubducas civitatem; ſcias oportet, neque „ ob eumdem finem licitum eſſe furtum dimidii unius ſolidi, aut unius fili ſerici. „ At, quemadmodum tali in caſu furtum non eſſet furtum (quod ſic inter homi- „ nes conventum ob publicum bonum ſit) eadem ratione mendacium non foret „ mendacium. Quoniam humani generis univerſitas, non minus omnium rerum „ quam verborum dominio potitur. Animadvertendum autem, hoc præcipue in- „ telligendum eſſe, quando quis interrogatur; cum omnibus honeſtatis regulis ad- „ verſetur ut in ſimilibus caſibus ipſamet honeſtas inſervire ſceleri debeat. " Hæc eſt ſententia Cattanei, quam ſupra *cap.* v. fuſius exſcripſimus. Primum omnium obſervanda ſunt ultima verba, nimirum quod hæc doctrina *potiſſimum* intelligenda eſt in reſponſionibus coactis, quæ interrogatori iniuſto exhibendæ ſunt. Si præcipue in his caſibus intelligenda venit relata doctrina, infertur quod abſolute poſſit aliis quoque caſibus applicari, ſicut reipſa eam applicat Cattaneus.

II. Magis caute loquitur P. La Croix; fatetur tamen & ipſe mendacium in graviſſimis caſibus non eſſe mendacium; eſſe vero ceſſante graviſſima cauſſa. Hæc ſunt verba P. La Croix: *Extra autem hos, ſimileſque caſus graviſſimos foret mendacium*

cium ſic uti vocibus. Vide ſupra *cap.* v. *num.* 7. ubi integram opinionem La Croix retulimus.

III. Iuxta ergo iſtorum Theologorum doctrinam eadem ipſa locutio nunc eſt mendacium, nunc non eſt mendacium: illud ipſum *Non* modo negat, modo non negat, ſeu nihil ſignificat. Hæc P. Cattanei opinio triplici ex capite repugnare videtur doctrinæ Eccleſiæ. In primis in hoc repugnat eidem quod furto mendacium comparat. Eccleſia docet, neque pro vita ſervanda licitum eſſe mendacium. *Sacra Scriptura probibet, pro alterius vita mentiri*: cap. *Super eo* Extr. de uſuris. Ubi autem vel in aliquo canone, vel Concilio, vel Patre, aut Theologo antiquo habemus, vetitum eſſe furtum pro vita ſervanda? Solus Auctor iſte cum aliis pauciſſimis eodem modo de furto ac de mendacio loquitur. Si eadem eſſet utriuſque, furti, & mendacii, ratio; cur numquam Patres declararunt eſſe mentiendum in extremis eventibus, ſicuti declararunt urgente neceſſitate furtum licitum eſſe? Ut prolixitatem vitem, miſſis aliis Patribus, ſolum D. Thomam, qui ceterorum Patrum voce loquitur, producam in medium. De furto hæc ſcribit Angelicus 2. 2. *quæſt.* lxvi. Quærit art. 7. *utrum liceat alicui furari propter neceſſitatem*. Cui quæſito ſic reſpondet. *Dicendum, quod ea quæ ſunt iuris bumani, non poſſunt derogare iuri naturali, vel iuri divino. Secundum autem naturalem ordinem ex divina providentia inſtitutum res inferiores ſunt ordinatæ ad hoc quod ex his ſubveniatur bominum neceſſitati. Et ideo per rerum diviſionem, & appropriationem ex iure bumano procedentem non impeditur quin hominis neceſſitati ſit ſubveniendum ex huiuſmodi rebus. Et ideo res quas aliqui ſuperabundanter habent, ex naturali iure debentur pauperum ſuſtentationi. Unde Ambroſius dicit, & habetur in Decretis diſt.* xlvii. *Eſurientium panis eſt quem tu detines*.

IV. In eadem 2. 2. *quæſt.* cx. *art.* 3. quærit, *utrum omne mendacium ſit peccatum*, ſeu utrum liceat aliquando mentiri. Atque ſex ſibi obiicit argumenta, quæ videntur oſtendere, licitum quandoque eſſe mendacium. Sibi opponit diverſitatem Evangeliſtarum in ſcribendo, mendacia obſtetricum, amphibologias Abraham, & Iacob, homicidium vitandum, aliaque id genus. Deinde ſic reſpondet. *Dicendum, quod id quod eſt ſecundum ſe malum ex genere, nullo modo poteſt eſſe bonum, & licitum: quia ad hoc quod aliquid ſit bonum, requiritur quod omnia recte concurrant.... Mendacium autem eſt malum ex genere: eſt enim actus cadens ſuper indebitam materiam. Cum enim voces naturaliter ſint ſigna intellectuum, innaturale eſt & indebitum, quod aliquis voce ſignificet id quod non habet in mente*. Memoriæ commendanda ſunt hæc ultima verba, quæ opportuna erunt ad eludenda quædam ſophiſmata quæ ſub angelicæ doctrinæ colore opponunt adverſarii. Utique Angelicus cum omnibus Patribus, & Theologis docet, occultandam in pluribus caſibus eſſe veritatem ſub aliqua diſſimulatione, nempe ſilentio, ſeu ad alia convertendo ſer-

Digitized by Google

ſermonem; numquam tamen licet occultare veritatem, iuxta Angelicum, media voce quæ aliud ſignificet quam id quod loquens in mente habet.

V. D. Thomas ergo conceptis verbis docet, licitum eſſe aliquando ſurari. Cur? Quia, inquit loco laudato in argumento Sed contra, *in neceſſitate ſunt omnia communia*. Cur ſunt omnia communia in neceſſitate? Quia ſuapte natura aliquando fuerunt communia; & iure ſolum humano diviſio invecta eſt. Quoniam vero quæ ſunt humani iuris, ut eſt bonorum partitio, non poſſunt iis quæ iuris ſunt naturalis, derogare; ideo diviſio bonorum non abſtulit primarium ius naturale, quo homines potiuntur in bona temporalia, neceſſaria ad propriam vitam ſervandam. *Hac* enim *conditione*, *hoc onere*, *hoc pacto* Reſpublica humani generis bona temporalia diviſit, ut in extrema neceſſitate omnia remanerent communia. Quibus abundantem portionem impartiit, iiſdem onus impoſuit ſuccurrendi pauperibus. Et quia legem iſtam, ſeu pactum Reſpublica humani generis tacito conſenſu edidit, & Deus ipſe ſupremus rerum dominus, qui omnia creavit, ut hominum ſuſtentationi inſervirent, bonorum diviſioni tale debitum adiecit; omnes præfatam legem, & pactum agnoſcunt, nemo unus illud ignorat. Nonne Scriptura ſancta, nonne Patres, nonne Theologi, nonne vel ipſi ruſtici *hanc*, ut ita dicam, *penſionem* bonorum partitioni adiectam percallent, prædicant, & data occaſione, executioni demandant?

VI. Porro, ſi Reſpublica humana eamdem exceptionem adieciſſet debito manifeſtandi veritatem quam appoſuit rerum diviſioni, ut ſcilicet licitum foret mentiri, neceſſitate urgente, quemadmodum licitum eſt furari in ſimili caſu; numquid Patres omnes tale privilegium, ad conſervandam vitam, pudicitiam, & interdum animam ipſam neceſſarium, ſiluiſſent? Sed quid dico, ſiluiſſent? An ne reipſa oppoſitum docuiſſent? Auguſtinus, & Angelicus cum ceteris omnibus proponunt ſibi, utrum liceat aliquando ad evitandum homicidium mentiri. *Minus malum* (ſibi obiicit 4. loco Angelicus ubi ſupra) *eſt eligendum, ut vitetur maius malum . . . Sed minus nocumentum eſt quod aliquis generet falſam opinionem in animo alicuius quam quod aliquis occidat, vel occidatur. Ergo licite poteſt homo mentiri, ut unum præſervet ab homicidio, & alium præſervet a morte.* Maior neceſſitas vix poteſt contingere. Eſt ipſemet caſus quem proponit Cattaneus cum aliis. Quid reſpondet Angelicus? *Ad quartum dicendum, quod mendacium non ſolum habet rationem peccati ex damno quod infertur proximo, ſed ex ſua inordinatione, ut dictum eſt* (in corp.) *Non licet autem aliqua illicita inordinatione uti ad impediendum nocumenta, & defectus aliorum; ſicut non licet furari ad hoc quod homo eleemoſynam faciat, niſi forte in caſu neceſſitatis, in quo omnia ſunt communia. Et ideo non eſt licitum mendacium dicere ad hoc quod aliquis alium a quocumque periculo liberet. Licet tamen veritatem occultare prudenter ſub aliqua diſſimulatione, ut Auguſtinus dicit*

dicit in Lib. de mendacio. Concedit itaque Angelicus nos poſſe furari in caſu neceſſitatis; negat expreſſe, nos poſſe mentiri in eodem neceſſitatis caſu. Ergo ſecundum Thomam, Auguſtinum, ceteroſque Patres falſa eſt *P. Cattanei*, & *P. La Croix* opinio, quæ eodem modo de furto, ac de mendacio loquitur. Concedit utique Angelicus nos poſſe ſub diſſimulatione occultare prudenter veritatem; mentiri vero numquam. An hic hiſcere valeant, ſane non video.

VII. Fortaſſe reponent, non eſſe licitum mendacium formale, quod improbat Angelicus cum Auguſtino; licere vero mendacium materiale. At hoc non eſt niſi verborum illuſio. Quoniam, cum Patres negent in extremo caſu vitandæ mortis nos poſſe mentiri, decernunt mendacium in hoc caſu eſſe formale, & non poſſe nuncupari materiale. Et ut omne evadendi perfugium occludam, concedis ne me poſſe, ſi velim, mentiri in caſu neceſſitatis? Id ſane negare nequis. Sicarius domum meam ingreditur gladio diſtricto occiſurus patrem meum. Me interrogat, an domi ſit. Ego paratus ſum mentiri officioſe, ut vitam patris ſervem. Quæro, quæ verba proferre debeo, ut apertum mendacium committam? Non ſane alia, niſi hæc, *Non eſt domi*. P. Cattaneus dicit, quod hoc ſit mendacium materiale. Quid addi debet, ut fiat formale? Ut habeam animum occultandi veritatem, & iuvandi proximum? At iſte eſt cuiuſque mendacii officioſi finis. Quid ergo requiritur? Ut animum non intendam in pactum a Republica humana conditum, quo declaravit verba tunc nihil ſignificare? At, ſi hoc adeſſet reipſa pactum, liceret mentiri, ſicut licet furari. Sed Patres docent licitum furtum, & illicitum mendacium. Ergo chimæricum eſt pactum aſſertum.

VIII. Ne autem gratis dixiſſe videamur, omnes Patres cum D. Thoma docere, licitum eſſe furtum in caſu neceſſitatis, ſecus mendacium, lubet quæ dicta ſunt, univerſa Patrum doctrina confirmare. Valentiniani, Marcionitæ, Manichæi apud Tertullianum *Lib. IV. adverſus hæreſ. cap.* xlix. & Auguſtinum *Lib. II. contra Marcionem cap.* xx. furti damnabant populum Iſraeliticum, quod AEgyptios ſpoliaſſent auro, & argento, ut habetur Exod. cap. xii. verſ. 35. *Petierunt ab AEgyptiis vaſa argentea, & aurea, veſtemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram AEgyptiis, ut commodarent eis, & ſpoliaverunt AEgyptios*. Quod furtum Deus non punivit, ſed adprobavit. Opponunt Origenes, Caſſianus, aliique plures apud eumdem Auguſtinum, obſtetrices AEgyptias mentitas fuiſſe, Deumque remuneraſſe eiuſmodi mendacia. Ergo inferebant, mendacia licita eſſe gravi urgente cauſa.

IX. Quid reſpondent Patres? Unanimi conſenſione dicunt, Hebræos nullum commiſiſſe furtum, eo quod, ait D. Thomas, *filii Iſrael tulerunt ſpolia AEgyptiorum ex præcepto Domini hoc decernentis*. Cum enim Deus dominio in omnia a ſe effecta polleat, poteſt pro arbitrio eadem, cuicumque voluerit, impertiri. Eamdem

dem omnino reſponſionem exhibent Patres omnes. Ad aliud vero exemplum ex eadem Scriptura depromptum, quid reponunt? Omnes ad unum fatentur, & obſtetrices, & Raab Hierichuntinam mentitas fuiſſe. Unum laudaſſe ſufficiat Auguſtinum, qui *Lib. contra mend. cap.* xv. hæc ſcribit. *Sed quod ſcriptum eſt bene Deum feciſſe cum Hebræis obſtetricibus, & Raab Hierichuntina meretrice, non ideo factum eſt, quia mentitæ ſunt, ſed quia in homines Dei miſericordes fuerunt. Non eſt itaque in eis remunerata fallacia, ſed benevolentia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis.*

X. Obvia hic fuiſſet Cattanei, aliorumque reſponſio, nimirum neque Hebræos furtum, neque mulieres præfatas mendacium perpetraſſe, *quoniam*, ut inquit Auctor iſte, *humani generis univerſitas non minus omnium rerum quam verborum dominio potitur*. Cur itaque oppoſita omnino via inceſſere Patres, Iſraeliticos viros de furti labe purgantes, & mulieres mendacii damnantes? Non ſane ob aliam rationem, niſi quia, ut ait Angelicus, mendacium eſt malum ex genere ſuo, eo quod pervertat ordinem naturæ, quæ verba inſtituit, ut eſſent ſigna eorum quæ in mente gerimus; rerum autem diviſio iure humano invecta fuit, hac conditione, & pacto, ut in neceſſitate omnia, ut primum, remanerent communia. Quid ad hæc? An argumentum negativum eſt? An Patres non improbant reipſa commentitiam hanc Reipublicæ legem, ſpoliantem verba quacumque ſignificatione; cum doceant, mendacium in extrema neceſſitate prolatum eſſe peccatum, quia ex natura ſua malum eſt, & quia verborum eſſentia in communi, ſeriaque locutione tota ſita in ſignificatione eſt?

XI. Recenſita opinio ſecundo loco repugnat doctrinæ Eccleſiæ, ut mihi videtur, apertiſſime, ſalvo ſemper meliori iudicio: eo quod laxior ſit ipſa doctrina reſtrictionum mentalium ab Eccleſia proſcripta. Siquidem in reſtrictionibus mentalibus torquendum eſt ingenium, vexanda eſt mens, ut ſenſum internum, quem verba patiantur, loquens excogitet. Et tamen hæc doctrina proſcripta eſt. P. Cattaneus vero, ut ab hac mentis moleſtia homines liberaret, animos eis addidit, ut abſolute ſine ulla reſtrictione, ſine ullo incommodo regerant in frontem iniuſti interrogatoris *rotundum* NON: & eo erunt magis innocentes, quo apertius, audaciuſque *non* illud iaculabuntur in vultum aggredientis ſinceritatem hominis.

XII. Tertio tandem loco hæc opinio doctrinæ Eccleſiæ repugnat, quod non ſolum in extrema neceſſitate, ſed ad quodcumque etiam notabile incommodum evitandum, doceat verba deſtitui propria ſignificatione. Quare non ſolum improbanda eſt, quia ſtatuit licitum eſſe mentiri, ſicuti licitum eſt furari in extrema neceſſitate; verum etiam ultra progreditur: docet enim licitum eſſe mentiri ad quodlibet grave incommodum declinandum. Quare ex doctrina ipſius P. Cattanei

eius

eius opinio videtur non ſolum proſcripta in propoſitionibus 26. & 27. damnatis ab Innocentio XI. ſed etiam in propoſitione 36. eiuſdem Pontificis, quæ eſt eiuſmodi: *Permiſſum eſt ſurari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi*. P. Cattaneus docet, Rempublicam humani generis eamdem legem edidiſſe reſpectu furti, & verborum. Sed iuxta Eccleſiæ doctrinam furtum amittit malitiam furti, evaditque materiale, ſeu non eſt furtum, in ſola extrema neceſſitate. Ergo, admiſſa opinione Cattanei de lege Reipublicæ reſpectu verborum, hæc verba amittent ſuam ſignificationem in ſola extrema neceſſitate, ſicuti furtum. Atqui P. Cattaneus ſuam legem commentitiam de verbis nihil ſignificantibus extendit ad caſus non ſolum extremos, ſed graves, & fere leves. Hac enim ſua doctrina excuſat mercatorem, negantem ſe habere pannum, quem habet, ne aliquot illius panni ulnas emptori periculoſæ ſolutionis vendat; excuſat alterum negantem ſe habere nummos, quibus abundat, ne centum mutuo det mutuatario, de quo dubitat, an ſit ſolvendo. Verum utique eſt quod eiuſmodi caſus prius alia via, nempe reſtrictionis, quam ipſe non pure mentalem appellat, a mendacio purgat. At quia non omnes apti ſunt ad eiuſmodi amphibologias efformandas; ideo, ut viam omnibus perviam, & facilem aperiat, adiicit legem Reipublicæ privantem verba quacumque ſignificatione. Et, quamvis [ne quidquam diſſimulem] ſub finem lectionis citatæ admoneat, cavendum eſſe ne, ſicut impotens bonorum cupiditas effingit neceſſitatem ubi non eſt; ſic quoque idem contingat in verborum uſu: eiuſmodi tamen medicamina, & linimenta nil proſunt vulneri, quod inflictum iam eſt veritati: eo vel maxime quod & caſus ab ipſo Auctore propoſiti nullam produnt extremam neceſſitatem; & tandem ipſe claudit ſuam lectionem his verbis: *Hæc dixiſſe ſufficiat pro praxi caſuum qui in dies occurrunt*. Caſus autem ſicarii quærentis patremfamilias ad necem, quotidianus non eſt. Sed de hoc iterum infra.

XIII. Obiicies. Falſum eſt hominem debere ſemper verba conformare ad ſenſus internos mentis ſuæ: quia ſæpius id vetat iuſtitia, & caritas, quæ præcipiunt cuſtodienda ſecreta ſummi momenti: idque evincitur auctoritate D. Thomæ, qui 2. 2. *quæſt.* CIX. *art.* 3. docet ex ſolius convenientiæ debito obſtringi ad veritatis manifeſtationem: *Non enim hæc virtus attendit debitum legale, quod attendit iuſtitia; ſed potius debitum morale, inquantum ſcilicet ex honeſtate unus homo alter debet veritatis manifeſtationem*. Hunc textum obiicit Anonymus quidam in allegatione pro defenſione *P. Cattanei* adverſus *P. Orſi*, qui non modo hunc allegatorem, ſed alios quoque adverſarios validiſſime confutavit, & feliciſſime præ omnibus, quos ego legerim, hanc verſavit, &, quoad fieri poteſt, exhauſit controverſiam.

XIV. In relatione textus quem Anonymus obiicit ex D. Thoma, bona fides de-

Digitized by Google

ſideratur. Textus laudatus mutilus eſt. In verbis relatis D. Thomas loquitur de debito manifeſtandi veritatem, quam ſæpe poſſumus, & ſæpiſſime debemus occultare, dum ſcilicet illius manifeſtatio damnum parit. Hoc vero ſublato, ex debito honeſtatis, quia homo eſt animal ſociabile, tenetur communicare aliis veritatem. Numquam dixit Angelicus, quod, ſi homo loqui velit, & ſuos internos conceptus revelare, non debeat verba aptare mentis conceptibus; ſed oppoſitum immo docet loco ipſo, unde Anonymus decerpſit truncatum textum, quem ego integrum tranſcribam. *Virtus autem veritatis convenit quidem cum iuſtitia in duobus. Uno quidem modo in hoc quod eſt ad alterum . . . Alio modo inquantum iuſtitia æqualitatem quamdam in rebus conſtituit: & hoc etiam facit virtus veritatis: adæquat enim ſigna rebus exiſtentibus circa ipſum. Deficit autem a propria ratione iuſtitiæ quantum ad rationem debiti. Non enim hæc virtus attendit debitum legale.* Vides quam diverſum ſenſum reddit integer Angelici textus ab eo quem efferunt decerpta ab Anonymo verba. Et hi ſunt qui clamant a nobis minus ſincere afferri Caſuiſtarum verba, quæ horrorem ingerunt laxitatis. Comparat Angelicus veritatem iuſtitiæ. Dicit primo veritatem cum iuſtitia convenire in duobus: in reſpectu ad alterum, & in conſtituenda æqualitate inter verba, & res exiſtentes intra mentem hominis, quæ mediis verbis manifeſtantur. Subdit deinde veritatem differre a iuſtitia, quatenus hæc cogit hominem reddere id quod ex iuſtitia debet, illumque debito legali devincit; virtus autem veritatis non imponit debitum legale manifeſtandi ſemper ſua ſecreta, ſed ſolum debitum morale, quatenus ſocietas, & commercium humanum, aut aliæ rationes exigere ſolent.

XV. Plura alia obiici ſolent, ſed infra illa reſolvemus. Adiicere dumtaxat iuvat, P. Dominicum Viva in commentariis ad propoſitiones 26. & 27. proſcriptas ab Innocentio XI. recenſere hanc opinionem de materiali ſignificatione verborum, eamque affingere Soto, qui nec remote eam indicat, Valentiæ, Sanchez, & Pallavicino. Ipſe tamen eam a mendacio non excuſat: ait namque num. 13. *Verum, quidquid ſit de hac opinione, quæ forte mendacium non declinat, ſatis eſt illam innuiſſe.* Nihilominus eam ut probabilem alibi admittit: quia, quidquid a tribus, vel quatuor excogitatur, ut probabile ſuſcipitur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XIII.

Communis plurium recentiorum opinio, quæ reſtrictiones non pure *mentales defendit beneficio notitiæ* communicabilis, *&* incommunicabilis, utilis, *&* non utilis *ad dicendum, ſub examen inducitur. Non differt a ſententia Auctorum propugnantium reſtrictiones* pure *mentales.*

I. SOla thematis propoſitio vereor ne adverſus me lectorem commoveat. Quidquam ſiquidem elati ſupercilii prodere fortaſſe aliquibus videbitur quod ego velim ſub criterium revocare communem recentiorum ſententiam. Quid? An, ſi tibi non probabitur communis opinio, audebis eam impugnare? Numquid tu unus contra omnes? Abſit. Immo, quia conſcius meæ exiguitatis, adhærere volo firmis columnis omnium Patrum, & Doctorum, quos poſuit Deus regere Eccleſiam ſuam, quique mendacia impugnarunt. Non ob id tamen deſpicio recentiores, quos magni facio, & veneror; ſed plurium opiniones non mihi probantur, quia proſcriptæ ſunt ab Eccleſia, vel in eiſdem continentur, ut palam fiet. Antequam ultra progredior, illud conſiderandum lectori obiicio, quod omnes fere eos caſus quos mendaciorum patroni defendebant, impugnabatque Auguſtinus cum ceteris Patribus, defendunt pariter Auctores reſtrictionis *pure* mentalis, poſtquam Eccleſia declaravit mendacium numquam licere. Damnatis deinde mendaciis, & reſtrictionibus *pure* mentalibus, plurimi recentiores, qui ſcripſerunt poſt decreta Alexandri VII. & Innocentii XI. ſub titulo reſtrictionum *non pure* mentalium omnes fere caſus propugnant quos defendebant Auctores propoſitionum damnatarum. Quod ſi lector, ut certus evadat, periculum facere iſtius rei velit, conferat quæ ſcribunt Salmanticenſes, aliique plurimi ab iiſdem citati *tract.* XVII. *cap.* II. *§.* 6. *num.* 139. *&* *ſeq.* cum iis quæ *Lib. III. cap.* VI. *num.* 15. *&* *ſeq.* ſcribit Sanchez, qui certiſſime in terminis, ut dicitur, docet propoſitiones damnatas de reſtrictionibus mentalibus; cuius tamen opinio communis tunc erat. Infra caſus aliquos referemus. Nemo ergo me vel ut minus in recentiores obſequentem, vel ut ſingularitatis avidum traducat; ſed animo præiudiciis vacuo, & æquo iure expendat quæ ſum dicturus.

II. Ut clare oſtendamus ſententiam plurium recentiorum in materia reſtrictionum, quas ipſi *non pure mentales* vocant, nihil reipſa differre ab opinione reſtrictionum *pure mentalium*, primum omnium promenda ſunt utriuſque opinion-

principia. Ut autem prolixitatem, quoad licet, vitem, *P. Leander*, qui inter Caſuiſtas in citandis Auctoribus, & referendis eorum opinionibus diligentiam, & ſinceritatem ſibi vendicat ſingularem, exponit doctrinam de reſtrictionibus mentalibus *tract.* 1. *de iuram. diſp.* xlv. *§.* 2. *quæſt.* ix. „ Dicendum, quod mentalis amphibologia ſit, & detur tunc quando exteriora verba præciſe ſumpta non habent ſignificationem propriam, & completam, in qua verum ſenſum efficiant: quia diſtrahuntur a propria ſignificatione per aliquam reſtrictionem, non voce prolatam, ſed interius conceptam, ut ſi quis voce dicat: *Non comedi talem rem*, & interius ſubintelligat, *bodie*, vel, *ut tibi dicam*. Sic Suarez *Lib. III. cap.* x. *num.* 1. Sanchez *Lib. III. cap.* vi. *num.* 15. & omnes. " Omnes, inquit Leander, reſtringunt ſenſum internum media ſcientia incommunicabili. Idem docet Caſtropalaus *tract.* xiv. *diſp.* 1. *punct.* 7. *num.* 3. „ Rogatus de delicto, quod ſaltem ſub opinione probabili non teneris manifeſtare, vel ex eo quod non iuridice rogaris, vel ex eo quod grave nocumentum ex manifeſtatione provenit, negare poteris feciſſe, ſubintelligendo *in carcere*, vel *ad dicendum*. " Sine controverſia itaque Auctores reſtrictionis *pure* mentalis defendebant ſuam ſententiam beneficio ſcientiæ *communicabilis*, & *incommunicabilis*.

III. Conferenda nunc ſunt principia eorum qui ſcripſerunt poſt damnatas reſtrictiones *pure* mentales. Porro communiter plurimi recentiores, cum amplius defendere nequeant *reſtrictiones pure mentales*, has reſtrictiones appellare cœperunt *non pure mentales*, ſeu externas, nihil tamen ipſis exterius addentes præter ſolam appellationem: quas enim priores Auctores reſtrictiones internas, & *pure mentales* vocabant, poſteriores eaſdem reſtrictiones externas, & *non pure mentales* appellant: quod demonſtratur referendo iſtorum principia, quibus defendunt has reſtrictiones, & maxime rationem illam vi cuius externas, & *non pure mentales* præfatas reſtrictiones eſſe propugnant. Dicunt ergo, has reſtrictiones externas fieri beneficio ſcientiæ, ſeu notitiæ *communicabilis*, & *incommunicabilis* inſpectis circumſtantiis in quibus reſpondens ſuam profert propoſitionem. Adverte tamen, has circumſtantias oretenus ab eis appellari externas: nam non aliud intelligunt nomine circumſtantiarum huiuſmodi quam cauſſas ſufficientes ad honeſtandas reſtrictiones mentis; ac ſi Auctores ante Innocentium XI. docuiſſent licitum uſum reſtrictionum mentalium ſine iuſta & urgenti cauſſa; quod nemo, quem ſciam, abſolute docuit. Sed age, Auctorum principia in medium aſſerto.

IV. P. Dominicus Viva in commentariis in propoſitiones 26. & 27. damnatas ab Innocentio XI. *num.* 3. hæc ſcribit. *Ad reſtrictionem iſtam non pure mentalem reducitur uſus duplicis ſcientiæ, videlicet* communicabilis, *&* incommunicabilis, *quatenus ex circumſtantiis apparet verba ſumenda eſſe ſpectata tantum ſcientia* ſo-

loquentis communicabili; *ut quando Confeſſarius interrogatur, an aliquid ſciat de peccato pœnitentis*. Ut principio duplicis ſcientiæ, *communicabilis*, & *incommunicabilis*, aliquid fuci Auctor prætenderet, ſtatim exemplum Confeſſarii in medium profert. Quia enim reſpectu Confeſſarii uſus duplicis ſcientiæ locum fortaſſis habere poteſt, eo quod reipſa Confeſſarius duplicem perſonam gerit; facile principium illud veroſimile redditur lectoribus minus peritis. Ut autem falſitas illius doctrinæ appareat, advertendum eſt, quod P. Viva doceat, non ſolum Confeſſarium, quem non temere ob oculos lectoris ſiſtit, ſed omnes homines, gravi cauſſa urgente, uſum duplicis ſcientiæ adhibere licite poſſe. Et in hac amplitudine dico, principium illud, ſeu doctrinam præfatam vi iuſti ratiocinii eſſe aperte falſam, & ab Eccleſia damnatam: nihil quippe differt a doctrina reſtrictionis *pure mentalis*.

V. Et inprimis, quod P. Viva hanc doctrinam duplicis ſcientiæ omnibus exhibeat, res eſt manifeſtiſſima: & ne gratis a nobis dici videatur, eius verba tranſcribenda ſunt. Itaque *num.* 13. relata ſententia eorum qui docent, verba quandoque uſurpari poſſe *materialiter*, ſeu ut nihil ſignificantia, eaque, ut mendacii ſuſpecta, reiecta, ſic concludit. *Verum, quidquid ſit de hac opinione, quæ forte mendacium non declinat, ſatis ſit illam innuiſſe*; *cum per uſum* duplicis ſcientiæ *poſſit tam ſigillum ſacramentale quam naturale facili negotio ab omnibus cuſtodiri*. Iam habes amplificatum uſum duplicis ſcientiæ ad cuſtodiam ſigilli naturalis. Verum, ſi univerſam amplitudinem comprehendere cupis, lege quæ numero immediate ſequenti ſuperaddit, quemque integrum tranſcribo.

VI. *Ad ultimam. Ruſtici, qui ignorant opportunas adhibere æquivocationes, debent advertere, num prævaleat bono publico occultatio veritatis, an ſincera illius confeſſio, ne proximus decipiatur. Certe quando veritatis occultatio confert ad tuendam ſalutem, honorem, res familiares, aut ad quemlibet alium virtutis actum; tunc licita eſt æquivocatio; maior tamen cauſa requiritur ad ſuperaddendum iuramentum locutioni ambiguæ. Quando tamen non occurrit commoda æquivocatio, aut* RESTRICTIO EXTERNA, *ſi cauſa ſit gravis, ruſtici poſſunt uſu* DUPLICIS SCIENTIAE FACILE OBVIO *veritatem occultare, non animo decipiendi, ſed ſolum permittendo deceptionem.*

VII. Rogo lectorem meum ut hanc doctrinam ſerio animo expendere velit: res enim ſummi momenti eſt. Ut autem clarius Auctoris mentem penetrare valeas, ſcias oportet, recenſitam doctrinam eſſe reſponſionem quam P. Viva exhibet argumento ſibi obiecto ab Auctoribus defendentibus *reſtrictiones pure mentales*. Quare, ut melius ſenſum reſponſionis teneas, argumentum ipſum ob oculos ponendum eſt verbis ipſius P. Viva, qui illud ſibi obiicit num. 7. *Quarto, quia paſſim occurrunt caſus in quibus non eſt licitum veritatem aperire, aut aperiri non poteſt ſine magno incommodo, unde expediens, & ſtudioſa eſt veritatis occultatio: ergo de-*

bet ad id dari via quædam, omnibus obvia, etiam ruſticis. Via autem æquivocationis, aut reſtrictionis non pure mentalis non eſt facile obvia, & ſubeſt omnibus perplexitatibus, & periculis incidendi in mendacium, ne veritas occultanda manifeſtetur. Contra vero recurſus ad reſtrictionem pure mentalem eſt obvius, nec continet animum mentiendi.

VIII. Vim argumenti perſenſit P. Viva, nempe viam æquivocationis, & reſtrictionis realis, & externæ non eſſe omnibus, & ſemper perviam, maxime ruſticis, & minus acutis hominibus. Ideo recurrit ad duplicem ſcientiam, communicabilem, & incommunicabilem, ſeu ad reſtrictionem pure mentalem. *Quando tamen*, inquit, *non occurrit commoda æquivocatio, aut reſtrictio externa, ſi cauſa ſit gravis, ruſtici poſſunt uſu duplicis ſcientiæ facile obvio veritatem occultare.* Quod paucioribus verbis dici poteſt: Si commoda non occurrit *reſtrictio externa*, utere *interna*. Nam uſus ſcientiæ communicabilis, & incommunicabilis nil aliud ſignificat, niſi, *Neſcio ad dicendum, quia illud ſcio ſcientia incommunicabili; & ſcio ad dicendum, quia ſcio ſcientia, ſeu notitia communicabili.* Idem omnino, & nil amplius dicunt Auctores reſtrictionis *pure mentalis*. Et nota, quod ipſe P. Viva ſcribit: *Quando non occurrit reſtrictio externa.* Quid tum? Adhibenda eſt interna.

IX. In morum controverſiis dirimendis duo extrema vitanda ſunt. Abſtinendum eſt a cenſura in aliorum opiniones; cavendum ne nimius timor diſplicendi hominibus veritatis iacturam inducat. Non ergo, ut cenſoriam virgam in perdoctum, mihique debito obſequio colendum *P. Vivam* exerceam, ſed ut veritatem ſummi momenti a vanis commentis vindicem, dico, hanc P. Viva ſententiam eſſe, ut mihi videtur, ipſam propoſitionem proſcriptam. Res eſt, ut mea præfert opinio, evidentiſſima abſque ulla explicatione. Reſtrictio pure interna eſt damnata. P. Viva docet reſtrictionem pure internam. Ergo &c. Probo minorem. P. Viva docet: Quando commoda reſtrictio externa non occurrit, tum adhibendum eſt aliquid quo facilius occultari poſſit veritas. Sed nihil omnino aliud occurrere valet poſt reſtrictionem externam, niſi reſtrictio interna: quia nihil inter externum & internum medium eſt. Ergo, dum ſtatuit quod, ubi *externa reſtrictio* non occurrit, confugiendum ſit ad uſum duplicis ſcientiæ; iam vi ipſius argumentationis fatetur ipſe P. Viva uſum iſtum duplicis ſcientiæ faciliorem eſſe, & conſequenter internum. Quoniam, dum quis dicit, *Quando non occurrit reſtrictio externa*, excludit omnia media quæ reddunt reſtrictionem externam. Pluribus namque modis, ut ſuo loco dicetur, reſtrictio effici poteſt *externa*. Ergo, cum abſolute quis dicit, Quando non occurrit *externa reſtrictio*, recurrendum eſt ad id quod eſt facilius, vi eiuſmodi ratiocinii infert, recurrendum eſſe ad reſtrictionem internam: quia ſola reſtrictio interna facilior eſt externa, & ruſticis etiam obvia.

X. Patet ergo vi ipſius argumentationis qua utitur P. Viva, eius opinionem

Digitized by Google

nem contineri in damnata propoſitione, ſeu eſſe ipſam propoſitionem proſcriptam.

XI. Quæ dicta ſunt, confirmantur ipſa terminorum explicatione. Nam uſus notitiæ communicabilis, & incommunicabilis eſt mere internus. Quid umquam aliud intellexerunt Auctores reſtrictionis mere mentalis, quando dixerunt, *Neſcio ad dicendum*, ſeu neſcio ſcientia communicabili, ſive ſcientia utili ad dicendum? Quid, inquam, aliud intellexerunt, niſi reſtrictionem pure mentalem? Uſus itaque ſcientiæ incommunicabilis, & communicabilis ad puram putamque reſtrictionem mentalem reducitur.

XII. Reſpondebis fortaſſe, ita rem ſe habere, ſi hæc omnia abſolute, & a circumſtantiis ſeiuncta accipiantur; ſecus vero, ſi conſiderentur circumſtantiis illigata, atque circumſcripta. Uſus ſcientiæ communicabilis, & incommunicabilis internus eſt abſolute ſpectatus; exterius autem fit ratione circumſtantiarum quæ in praxi occurrunt. Hic eſt ultimus receptus, ad quem confugiunt: & iſtud ſophiſma eſt potiſſima errandi cauſſa. Quænam ſunt iſtæ circumſtantiæ, quarum vi uſus internus ſcientiæ incommunicabilis evadat externus? Aſſigna ergo principium illud reſpectu omnium indiſcriminatim hominum, quod externum conſtituit uſum notitiæ incommunicabilis. Neque enim nunc ſermo eſt de perſona quapiam particulari, ut de Confeſſario, de ſecretario Principis, aut de alia ſimili; ſed de hominibus, de ruſticis, qui nullo charactere, nulla dignitate diſtinguuntur. Caſus enim Confeſſarii, ſecretarii, iudicis, qui duplicis perſonæ munus gerunt, infra ſingillatim diſpiciemus. Controverſia ergo eſt de hominibus nulla peculiari circumſtantia perſonam afficiente diſtinctis. Reſponde itaque: quænam ſunt hæ circumſtantiæ quæ ab interiori mentis ſinu extrahant conceptus internos? Non ſane aliæ ſunt quam cauſſæ quas omnes Auctores aſſignant, ut reſtrictiones *pure* internas, tamquam licitas, defendant. Quando periculum eſt propriæ ſalutis, honoris, rerumque familiarium, hæ ſunt circumſtantiæ vi quarum notitia veritatis fit incommunicabilis. Et quia notitia iſthæc hic & nunc, attento periculo amittendi vitam, aut honorem, aut res familiares, quæ circumſtantiæ externæ ſunt, fit non utilis, immo noxia ad manifeſtationem; ideo uſus ſcientiæ incommunicabilis externus evadit, & reſtrictio nuncupatur non *pure* interna. Ita ratiocinatur P. Viva, & cum eo alii recentiores plurimi.

XIII. Iam quiſque ratione præditus evidenter percipit, aut nullas dari reſtrictiones mentales, aut, ſi quæ dantur, eas prorſus eſſe quas defendit P. Viva. Expende propoſitionem damnatam extractam ex P. Sanchez: expende ea quæ dicit Sanchez loco laudato, ubi reperies: *Cauſa utendi iis amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum; ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa*. Hæc eſt propoſitio proſcripta P. Sanchez.

Ii iiij Ne-

Neque quiſquam ex tot Doctoribus, qui defendebant reſtrictiones pure mentales, docuit, licitum eſſe uti reſtrictionibus præſatis abſque iuſta cauſſa. Nemo quoque eorum dixit, quod hæ cauſſæ propter quas licitum aſſerebant dictum uſum, redderent reſtrictiones præſatas externas. Quid plura? Cauſſæ iſtæ recenſentur in propoſitione damnata. Ergo dicendum, vel quod propoſitio damnata non ſit damnata; vel quod cauſſæ recenſitæ in eadem propoſitione damnata nullo modo externas reddant reſtrictiones mentis, quæ abſolute internæ ſunt. Ex alia parte P. Viva nullam aliam circumſtantiam reſpectu ruſticorum hominum aſſignat præter laudatas cauſſas. Si enim quæratur, cur notitia, ſeu ſcientia ſit incommunicabilis; reſpondet, quia eſt occulta, quia eius maniſeſtatio inducit aut vitæ, aut honoris, aut rerum temporalium iacturam. Ergo eius doctrina reipſa in propoſitione proſcripta continetur.

XIV. P. Claudius La Croix conceptis verbis confirmat ea quæ diximus, nempe cauſſas defendendi vitam, honorem &c. eſſe circumſtantias quæ reſtrictionem pure mentalem conſtituunt non pure mentalem. Inquit enim: Si cauſſæ ſint graviſſimæ, tunc reſtrictio non erit pure mentalis; ſi vero cauſſæ non ſint graves, reſtrictio erit pure mentalis. En illius verba Lib. III. part. I. cap. II. dub. 4. num. 289. §. 7. *Quando non ſunt valde graves cauſæ ita reſtringendi, ſi fiat reſtrictio, præſertim ex parte ſolius reſpondentis, communiter erit pure mentalis, adeoque illicita. V. g. pater interrogat filium, Fuiſti ne in popina? Non licet filio dicere*, Non fui, *ſubintelligendo*, ut tibi conſtet, ut fateri debeam. *Ratio eſt, quia ubi non ſunt graviores cauſæ reſtringendi, interrogatio cenſetur fieri abſolute ſecundum verba tantum; & ſic habet commune iudicium hominum: nam interrogans habet ius interrogandi, neque eſt ſupra humanam infirmitatem tum reſpondere ſecundum verba præciſe: ergo hæ circumſtantiæ non ſunt tales, ut poſſint cenſeri ſimul verbis conſtituere orationem maniſeſtativam alicuius quod in mente reſervatur: ergo eſt reſtrictio pure mentalis.* Hæc doctrina paucis verbis ſignificat, quando eſt periculum perdendi vitam, aut quid ſimile, reſtrictio mentalis eſt licita, quia non eſt reſtrictio *pure* mentalis: maniſeſtatio enim veritatis cum periculo vitæ eſt ſupra humanam infirmitatem; ideo tunc reſtrictio pure mentalis non eſt pure mentalis. Cur? quia tunc præſumere ego debeo quod tu non me interroges, ut tibi revelem crimen occultum. Lepida ſane doctrina. Sed audi quæ præcedenti *num.* 288. ſcribit. *Si me interroges, an occiderim Caium, reſpondeo*, Non occidi: *& licet occiderim, non mentior, nec pecco; quia in circumſtantiis illis in quibus crimen eſt plane occultum, quod ſi fatear, periclitatur vita mea, non debeo præſumere, niſi aliunde mihi conſtet, quod me interroges, an crimen commiſerim abſolute, quia non habes ius ad me ita abſolute interrogandum; neque in illis circumſtantiis teneor id quod nequidem ſemiplene eſt probatum, revelare tibi cum certa iactura vitæ meæ, quamvis tu etiam eſſes iudex meus: ad*

hoc

hoc enim me obligare eſſet nimis durum , & ſuperans humanam imbecillitatem, ut plurimi docent cum Cardenas . Integrum hunc locum exſcripſi , non quod omnia quæ in eo dicuntur, improbem (quia approbo & ego, reum non teneri ad revelandum crimen quod eſt occultum, & nec ſemiplene probatum) ſed ut confirmem quod propoſui, nempe Auctores iſtos docere periculum perdendi vitam eſſe cauſſam quæ valet *reſtrictionem pure mentalem* reddere non pure mentalem : quod eſt idem ac dicere , reſtrictionem pure mentalem licitam eſſe, quoties imminet vitæ diſcrimen; ſeu mendacium eſſe licitum gravi urgente cauſſa. Reſtrictio enim pure interna mendacium eſt.

XV. Hanc ſuam doctrinam explicat , & inculcat P. Claudius La-Croix *Lib.VI. part.* II. *cap.* III. *num.* 1987. ubi , relatis pluribus modis cuſtodiendi ſigillum, ſive ſacramentale, ſive naturale, concludit, extra ſimiles graviſſimos caſus amphibologias eſſe mendacia. *Et quod* , inquit , *dictum eſt de Confeſſario , valet de omni alio obligato ad ſigillum. Extra hos autem, ſimilesque caſus graviſſimos foret mendacium ſic uti vocibus. Porro , quando veritas celari poteſt modo minus ſuſpecto de mendacio, hic adhiberi debet , & tum prius utendum extremo medio, quando neceſſitas urget.* Etiam Caſſianus docebat, mendacium adhibendum eſſe per modum ellebori in extrema neceſſitate. Fatetur ergo P. La-Croix conceptiſſimis verbis, licere in extrema neceſſitate cuſtodiendi ſigillum, non ſolum ſacramentale, ſed etiam naturale aliiſque ſimilibus caſibus, uti locutione talibus vocibus compacta , quæ extra hos graviſſimos caſus foret *mendacium*. Quod ſane idem omnino eſt ac dicere, mendacium in extrema neceſſitate non eſſe mendacium , ſeu in extrema neceſſitate mendacium eſſe licitum : quæ eſt Caſſiani , aliorumque doctrina ab Eccleſia proſcripta. Unum tamen fateor, P. La-Croix cautius ſcribere pluribus aliis recentioribus. Defendit enim in ſolis extremis caſibus reſtrictiones mentales. Sed etiam magis ſincere fatetur, eamdem locutionem in extrema neceſſitate non eſſe, extra vero neceſſitatis caſum, eſſe mendacium : quod prorſus ſignificat, in extrema neceſſitate mendacium licitum eſſe, ſecus neceſſitate ſublata.

CAPUT XIV.

Cauſſæ cur recentiores plurimi reipſa defendant reſtrictiones pure mentales *proſcriptas. P. Sanchez improbat in anteceſſum poſteriorum Caſuiſtarum ſententiam. Periculoſiores ſunt plurium recentiorum opiniones de reſtrictionibus iuramento firmatis, quam antiquorum doctrina de mendacii licito uſu. D. Auguſtini invectivæ adverſus reſtrictiones iuramento confirmatas.*

I. PRima & potiſſima cauſſa cur plurimi recentiores Caſuiſtæ defendant reſtrictiones *pure mentales* proſcriptas ab Eccleſia, eſt nimius, & impotens amor erga Auctores qui reſtrictiones pure mentales docuerunt. Priuſquam tamen ultro progredior, teſtor me neminem carpere velle, tamquam minus obſequentem erga Sedem apoſtolicam. Fateor omnes voce, &, ut ipſi credunt, reipſa deteſtari reſtrictiones *pure mentales* in ſenſu ab Eccleſia damnato. Eo ergo pertinent quæ dicturus ſum, ut evincam, recentiores præfatos eodem ipſo tempore quo damnant reſtrictiones *pure mentales*, eaſdem approbare, prout mihi videtur, ſalvo meliore iudicio, & debito obſequio erga eoſdem Auctores. Quas excuſationes ſæpiſſime, & forte ad aliquorum uſque faſtidium, præmittimus, quia tempore infeliciſſimo ſcribimus, quo libera, & ſincera explicatio veritatis vitio vertitur calumniandi, vel propria commoda promovendi, quod ſemper abſit; maxime vero in cauſſa in qua de æterna aut vita, aut morte agitur. Sed ad rem.

II. Potiſſima itaque deceptionis cauſſa hæc eſt, quod poſteriores Scriptores doceant, Pontifices ſummos, Alexandrum VII. & Innocentium XI. damnaſſe propoſitiones, *ut iacent*, non autem ut ſunt in Auctoribus qui illas docuerunt. Volunt enim præfatas propoſitiones a delatoribus earumdem fuiſſe adulteratas; vel, prout reperiuntur in Auctoribus, ex quibus decerptæ fuere, ſuis linimentis eſſe temperatas. Ita communiter docent *P. Viva, P. Cardenas, P. La Croix, P. Sporer tract.* 111. *in Decal. cap.* 1. *ſec.* 2. *num.* 112. *pag.* 218. Certum autem & manifeſtiſſimum eſt, propoſitiones damnatas de reſtrictionibus mentalibus doceri a P. Sanchez *Lib. III. in Decal. cap.* VI. *num.* 15, *&* 19. *& ſeq.* in eodem obvio ſenſu in quo ſunt damnatæ abſque ullo linimento, vel fuco. Nihiloſecius, ut innui, Scriptores recentiores contendunt, non fuiſſe damnatas, ut ſunt in Sanchez, & in aliis Auctoribus. Audiamus P. Viva in commentariis ad illas propoſitiones num. 1. *Utraque propoſitio a plurimis primi ſubſellii DD. videbatur doceri apud Dian. P. II. tract.* XV.

re-

reſol. 25. & P. III. tract. VI. reſ. 3. & apud Sanchez Lib. III. cap. VI. num. 15. & 19. & non nemo ad quinquaginta DD. laudat pro utraque propoſitione. Verum, ſi attente mens plerorumque iſtorum cum eodem Sanchez inſpiciatur, & ſi advertatur ad caſus in quibus docent has amphibologias licere, & eorum fundamenta, liquido apparebit eos nolle licitas eſſe reſtrictiones pure mentales, quas Pontifex ut mendacia damnat, ſed ſolum reſtrictiones non pure mentales, aut æquivocationes, & ad ſummum locutionem materialem.

III. Huic fallaci doctrinæ innixi Ianſeniſtæ plurimos abhinc annos vexant, turbantque Eccleſiam. Et ipſi damnant oretenus quinque propoſitiones abſolute ut iacent; ſed eas reperiri in IANSENIO, illumque eas docuiſſe in ſenſu damnato, perfracte negant. Si tanto æſtu, & fervore hoc vafrum Ianſeniſtarum effugium diris devovet P. Viva, & omnes vere improbamus; cur ad illud confugit, ut Sanchez cum aliis Caſuiſtis defendat? Qui negat damnatas propoſitiones de reſtrictionibus mentalibus in terminis uſque ad unicam ſyllabam reperiri in Sanchez, ſolem in meridie lucere inficiatur. Quid ex hac doctrina Patris Viva profluit? Summum extremumque malum. Nam, dum negat damnatas propoſitiones reperiri in Sanchez, defendit doctrinam Patris Sanchez eſſe immunem ab omni cenſura. Hinc infertur; Pontificem reipſa nihil damnaſſe: quia reſtrictiones pure mentales, prout eas Sanchez cum ceteris Theologis docet, non ſunt damnatæ. Quæro, cur tam ſollicita eſt Eccleſia, ut evincat quinque famoſas propoſitiones reperiri in Ianſenio, & in ſenſu Ianſenii eſſe damnatas? Prima fronte parum referre videtur quod in Ianſenio ſint, & quod damnatæ quoque ſint, ut reperiuntur in præfato Ianſenii Libro, dummodo, ut iacent, ab omnibus tamquam damnatæ reiiciantur. Verum, licet primo aſpectu ita appareat, ſi tamen res penitius inſpiciatur, mortiferum ſub hoc colore latere venenum comperiemus. Quia, cum reipſa præfatæ propoſitiones reperiantur in Libro Ianſenii, ſi non eſſent damnatæ, prout ſunt in eodem Libro, & in ſenſu quem præferunt in illo Libro; ſectatores Ianſenii poſſent libere eas docere, defendere, & prædicare. Et, ſi eis opponeretur, quod ſint damnatæ, reponerent, eſſe damnatas, *ut iacent*, non in ſenſu Ianſenii, & ſe eas defendere in Ianſenii ſenſu, non ut iacent. Et ſic fruſtranea eſſet pontificia conſtitutio, nihilque damnaſſent Pontifices ſummi, & exitialis doctrinæ peſtis brevi univerſam inficeret Eccleſiam.

IV. Hæc omnia ſequuntur damna ex doctrina Patris Viva, & aliorum defendentium propoſitiones Caſuiſtarum non eſſe damnatas, prout reperiuntur in P. Sanchez, in P. Tamburino, in P. Eſcobario, in P. Baunio, in P. Caſtropalao, in P. La Cruz: quoniam, cum ex una parte certiſſimum ſit propoſitiones damnatas doceri ab eiuſmodi Doctoribus, & cum ex alia parte commentatores doceant, non eſſe damnatas in ſenſu quo ſunt in iſtorum Libris; inde eſt quod & Caſuiſtæ

il-

Digitized by Google

libere exſcribant reſtrictiones pure mentales, licet eas appellent non pure mentales, & caſus omnes qui reguntur doctrina propoſitionum damnatarum, defendant. Ceterum, quia facti controverſiam nunc verſamus, quæ non ita facile cavillis eludi poteſt; lubet eam in ultimo certitudinis gradu conſtituere, etiamſi ſubire debeam prolixitatis notam. Quæro itaque a P. Viva, an Theologi aliqui docuerint aliquando reſtrictiones pure mentales, & alias propoſitiones damnatas. Negare id non audebit. Neque enim Pontifices damnarunt propoſitiones quas defendunt Turcæ, Indi, Iapponenſes; ſed quas propugnabant Theologi catholici. Fuerunt igitur damnatæ illæ reſtrictiones pure mentales, quas Theologi catholici docuerunt. At Theologorum nemo apertius illas docuit ipſo Sanchez, Tamburino, aliiſque a quorum Libris extractæ fuerunt. Doctrina igitur iſtorum Theologorum in hac materia improbanda eſt. Verum, miſſa argumentatione, ut palam omnibus fiat, evidenter falſum eſſe quod ſcribit P. Viva, doctrina unius ex citatis Auctoribus iſthuc tranſcribenda eſt.

V. P. Thomas Sanchez *Lib. III. in Decal. cap.* VI. *num.* 12. proponit quæſtionem de reſtrictionibus non pure mentalibus, & pure mentalibus his verbis. „ Poſterior „ difficultas eſt, quando ſit periculum, aut illicitum amphibologia aliqua uti iu- „ ramento ad ſignificandum aliquod verum iuxta mentem iurantis, at iuxta di- „ verſum ſenſum ab eo quem audientes excipiunt. Qua in re quidam Doctores „ ſentiunt, id carere mendacio, & conſequenter ex cauſſa iuſta licitum eſſe, quo- „ ties verba quæ uſurpantur, ſunt ex ſignificatione ſua, & communi audientium „ uſu, aut ſaltem ſapientium uſu ambigua, & proinde utrumque ſenſum reci- „ pientia; ſecus, quando talia non ſunt, ſed in ſenſum verum *detorquentur ex ſo-* „ *lo aliquo addito* mente iurantis concepto: id enim dicunt ſemper eſſe menda- „ cium, & conſequenter periurium mortale in quovis eventu. Ducuntur, quod „ niſi id ſit mentiri &c." Refert argumenta illorum qui defendunt reſtrictiones pure mentales eſſe mendacia; deinde proponit regulam primam pro verbis ambiguis, de quibus nulla eſt difficultas; ideo, illa miſſa, exſcribo ſecundam.

VI. „ Secunda regula ſit. Poſſunt quoque abſque mendacio uſurpari, etſi verba „ ex ſua ſignificatione ambigua non ſint, nec eum ſenſum habeant, ſi revera, „ attentis circumſtantiis loci, temporis, & perſonæ, ac modi interrogandi, verba „ eum ſenſum faciant iuxta interrogantis intentionem, quam reſpondens conci- „ pit. Conſtat exemplis &c." En reſtrictiones non pure mentales, quando nempe verba, licet ambigua non ſint abſolute accepta, ex circumſtantiis tamen loci, temporis, & perſonæ ſenſum ſuſcipiunt, & conſtituunt reſtrictionem externam. In regula autem ſequenti quæ eſt in ordine tertia, reſtrictiones pure mentales docet fuſo calamo. Et ex hac tertia regula ſub *num.* 15. poſita decerpta eſt propoſitio damnata XXVI. Hæc ergo exſcribenda eſt.

VII.

VII. „ Tertia regula eſt. Poſſunt quoque abſque mendacio ea verba uſurpari , „ etiamſi ex ſua ſignificatione non ſint ambigua, *nec eum ſenſum verum admittant* „ *ex ſe*, *nec ex circumſtantiis occurrentibus*; ſed tantum verum ſenſum reddant *ex* „ *aliquo addito mente proferentis retento*, quodcumque illud ſit . Ut (incipit pro- „ poſitio damnata) *ſi quis*, *vel ſolus*, *vel coram aliis*, *ſive interrogatus*, *ſive propria* „ *ſponte*, *ſive recreationis gratia*, *ſive quocumque alio fine iuret ſe non feciſſe ali-* „ *quid quod revera fecit*, *intelligendo intra ſe aliquid aliud*, *quod non fecit*, *vel a-* „ *liam viam ab ea in qua fecit*, *vel quodvis aliud additum verum*; *revera non men-* „ *titur*, *nec eſt periurus*. " hic definit damnata propoſitio.

VIII. Quis eſt tam fractæ frontis, ut negare audeat, propoſitionem damnatam contineri in Sanchez? Aut quis obtrudere poteſt , illam propoſitionem in Libro Sanchez prodere alium ſenſum ; cum nec verbum ibi reperiatur quo ab errore purgari illius doctrina queat? Quin principium adeo falſum propoſitioni damnatæ præmittit Sanchez, ut quamlibet interpretationem excludat . Statuit enim verba uſurpari poſſe, etiamſi non ſint ambigua, nec ſenſum verum admittant ex ſe , *nec ex circumſtantiis occurrentibus* ; ſed *tantum* verum ſenſum reddant ex aliquo *addito mente proferentis retento*, *quodcumque illud ſit* . Hoc principio præiacto exemplum promit , quod eſt ipſa propoſitio damnata, *Ut ſi quis*, *vel ſolus* &c. Volvat nunc, revolvatque P. Viva totam Sanchez diſputationem : & ſi vel unicum verbum invenerit quod revera temperet errorem damnatæ doctrinæ, tunc & ego a cenſura Sanchezii doctrinam liberabo. Quare laudanda eſt ſinceritas P. Cardenas, qui *differt*. XIX. *cap*. I. ingenue fatetur, Sanchez docuiſſe opinionem de reſtrictione mentis cum aliis pluribus. Non tamen probo, quod poſtea idem Cardenas utatur doctrina Sanchez in explicandis præfatis reſtrictionibus . Quapropter caute legendus eſt, ut infra ex P. La Croix admonebimus.

IX. Tantum vero abeſt ut propoſitio damnata ab Innocentio XI. *ut iacet* differat aliquo modo a doctrina P. Sanchez, quin clarius & apertius in eiuſdem opere agnoſcitur error. Ex iis namque quæ antecedunt propoſitionem damnatam , evidentiſſime conſtat, ibi ſermonem eſſe de pura putaque reſtrictione mentali ; itaut nulli interpretationi, vel violentiæ locus pateat. Ex iis vero quæ propoſitionem præſatam conſequuntur, evidenter quoque colligitur , ipſum Sanchez defendere ſuas reſtrictiones pure mentales, non obiter, ſed ex profeſſo, & lato calamo : eas namque rationes, ſeu verius paradoxa in medium affert, ut damnatam doctrinam defendat, quæ ſi admittantur, actum prorſus eſt de humana ſocietate. In primis adducit varia ex ſacræ Scripturæ Libris petita momenta , quæ Caſſianus adhibuit, ut propugnaret mendacia. Deinde ſuas rationes promit, quarum aliquas iſthuc tranſcribam. *Tertio*, inquit, *probatur*. *Quia cum mentiri ſit contra mentem ire*, *verba externa mere materialiter ſe habent ad mendacii rationem* , *ac* *nihil*

nihil prorſus refert, ſive vera, ſive falſa in ſe ſint; ſed ſola proferentis mens attendenda eſt .... Eſt ne fortaſſe temperamentum iſtud, quo error damnatæ doctrinæ corrigitur? Quoties ergo loquens intentionem non habet mentiendi, hoc ſufficit, ne mentiatur; ſive vera, ſive falſa ſint verba quibus ſuos exprimit conceptus? Hæc doctrina ſi admittatur; quid in Scriptura, quid in Patribus, quid in pactis, in fœderibus, in commerciis habebimus certi? Hac ipſa ratione non ita pridem propugnabatur, licitum eſſe thus adolere, ſacrificia offerre, victimas litare, templa, & altaria erigere idolis. Sed quæ ſequuntur, recenſeamus ...... *Rurſus confirmatur: quia verba illa externa, quatenus a iurante proficiſcuntur, non ſignificant quod alii percipiunt, ſed quod ipſe vult; quamvis non adæquate id ſignificent, ſed inadæquate, utpote quæ non ſignificant, & exprimunt quidquid iurans in mente habet. Quarto, quia ſi quis alta voce, ita ut perciperetur ab adſtantibus, diceret aliquid quod ita ut ſonat, eſſet falſum, & continuans ſubmiſſa voce ab aliis non perceptibili, diceret additum, quo id redderetur verum, non mentiretur; cum tota propoſitio ore prolata vera ſit, & ad veritatem, mendaciumve nil confert totam, aut ſolam illius partem ab aliis percipi. Ergo idem eſt, ſi additum illud SOLA MENTE retineatur*. Numquid hæc ratio temperat, moderatur laxitatem doctrinæ damnatæ? Nonne ſolidum eſt illud principium *de voce ſubmiſſa ab aliis non perceptibili*, quo utitur ad licitum defendendum uſum illius reſtrictionis quæ in *ſola mente* claudit additum illud quo propoſitio redditur vera? ... *Quinto, quia licet verbis ex ſe ambignis uti abſque mendacio, quamvis iuxta expreſſam interrogationem, & externam reſponſionem eum ſenſum verba non admittant, & expreſſe omnem amphibologiam excludant, concipiendo alium ſenſum mente, ut ex fere omnium mente dicemus num. ult. Cur ergo mendacium erit uti verbis ex ſe non ambiguis, ſi ex conditione in mente retenta verum ſenſum efficiunt? Sexto, quia mendacium non tantum eſt, quando verbis exprimere quis intendit quod non habet in mente, ſed etiam factis ipſis, ut docet D. Thomas 2. 2. quæſt. XI. art. I. At non mentitur qui aliquo facto, v. g. dirigendo greſſus verſum aliquam partem, ad quam ire non intendit, non vult ſignificare ſe animum illuc eundi habere, etſi videntes id concipiant, ſed tantum vult occultare animum ſuum alio eundi, ut docet D. Th. eo artic. I. ad 4. Similiter ergo non mentitur qui verbis qualibuſcumque non intendit aliquid ſignificare quod non eſt, ſed tantum occultare aliquam veritatem audientibus, intendendo dicere, quod eſt verum ſecundum ſuum ſenſum.*

X. Hæ ſunt rationes quibus ſuam opinionem de reſtrictionibus pure mentalibus Sanchez evincere contendit. Eſt ne in harum aliqua quidquam quod mitiget ſenſum propoſitionis damnatæ? Aliqua omiſi brevitatis gratia; ſed fidem meam oppignoro, me nec verbum omiſiſſe quod temperare valeat, aut mitigare proſcriptam laxitatem. Non eſt nunc opportunum oſtendere, quam immerito, & per ſum-

ſummam iniuriam in ſuæ opinionis confirmationem laudet D. Thomam; cuius verba, quæ loco citato habet, ſufficit exſcribere. *Ad quartum dicendum, quod ſicut aliquis verbo mentitur, quando ſignificat quod non eſt, non autem quando tacet quod eſt, quod aliquando licet; ita etiam ſimulatio eſt, quando aliquis per exteriora ſigna factorum, vel rerum ſignificat aliquid quod non eſt; non autem ſi aliquis prætermittat ſignificare quod eſt.*

XI. Neque pariter ſermonem producam, ut oppugnem has Sanchezii rationes; quia iam ſupra id præſtiti. Eas nunc recenſui ob id dumtaxat, ut oſtenderem, hunc Auctorem revera docuiſſe propoſitiones proſcriptas ab Eccleſia, eaſque probaſſe rationibus quæ non modo non mitigant, ſed augent errorem proſcriptum. Si enim ſufficit intentio loquentis ad tollendam malitiam mendacii; ſi *verba externa mere materialiter ſe habent ad mendacii rationem, ac nihil prorſus refert, ſive vera, ſive falſa in ſe ſint*, ut contendit ille; nemo profecto, niſi nimio, & impotenti partium ſtudio præoccupatus ſit, excuſare audebit doctrinam iſtius Auctoris ab Eccleſiæ cenſura.

XII. Poſſem amplius confirmare quæ dixi, tranſcribendo reſponſa quæ exhibet *P. Sanchez* ad rationes quibus *Caietanus*, *Sotus*, & alii Theologi plurimi improbant reſtrictiones pure mentales; ſed ea brevitatis gratia prætermitto. Liber Sanchez omnibus patet. Quiſque periculum facere valet, ſi quid ego minus ſincere expoſui. Pauca ſolum verba tranſcribo ex reſponſione ad primam rationem *Caietani*, *Soti*, & aliorum, qui ex reſtrictionibus pure mentalibus inferebant innumera abſurda, & deſtructionem humani commercii. Inquit ergo Sanchez loco citato: *Ceſſant ea abſurda quæ utique ſequerentur, ſi diceremus illis verbis indifferenter uti licere. Immo hoc eſt utiliſſimum ad tegenda multa quæ tegere opus eſt, nec tegi abſque mendacio poſſent, niſi modus hic eſſet licitus. Quia verba ex ſe ambigua non paſſim inveniuntur.* Reſponſio quoque ad tertium argumentum confirmat id quod propoſui. *Ad tertium negandum eſt non conſonare os menti: quippe mens non intendit dicere quod verba exterius ſonant, ſed ea in ſenſu vere mente concepto proferre.*

XIII. En quam manifeſte ipſemet *P. Sanchez* confutet ſuos adverſarios. Candide fatetur ille amphibolia exteriori plura tegi non poſſe. Quare, niſi modus reſtrictionis pure mentalis licitus ſit, multa tegi nequeunt abſque mendacio. Cur? Quia verba ex ſe ambigua non paſſim inveniuntur; quod veriſſimum eſt. Addi poteſt, quod verba ambigua ſæpiſſime audientes reiiciunt, quive tot interrogationibus urgent reſpondentem, ut æquivocationi externæ locus minime relinquatur. Quare concludit *P. Sanchez* admittendum eſſe uſum reſtrictionis *mere mentalis*; nec timendum de mendacio: quia *mens non intendit dicere quod verba exterius ſonant*, ſed iuxta ſenſum intra mentem retentum. Cauſſas vero ſufficientes adhibendi eiuſmodi reſtrictiones aſſignat loco citato *num.* 19. his verbis. *Cauſa vero iuſta uten-*

Digitized by Google

utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas; vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, ac ſtudioſa. Hæc eſt ipſamet, ſine ullius ſyllabæ varietate, propoſitio 27. damnata ab Innocentio XI.

XIV. Ex quibus omnibus clariſſime colliguntur duo. Primum, *P. Sanchezium* docere propoſitiones prout ſunt ab Eccleſia damnatæ. Quia Eccleſia damnat has propoſitiones in eo obvio quem præferunt ſenſu. At in hoc eodem obvio quem ex ſe præferunt ſenſu eas docet Sanchez: non enim aliquid in tota illa diſputatione habet quo corrigat præfatam doctrinam; quin rationes quas promit ad propugnandas dictas propoſitiones, maiorem redolent laxitatem. Nemo itaque, niſi qui in meridie cæcutire velit, obtrudere iure valet, eaſdem propoſitiones eſſe damnatas prout *iacent*; non vero prout ſunt in Auctoribus e quibus fuerunt decerptæ; quemadmodum ſcribit P. Gabriel Daniel in addito ad ſuam diſſertationem de reſtrictione mentali, & confirmat P. Viva, & alii. Secundum eſt, ipſum *P. Sanchez* confutaſſe adverſarios: quoniam, ait, reſtrictiones externæ, ſeu verba ambigua, & ab externo ſigno determinabilia, non ſemper occurrunt; ideo recurrendum eſt ad reſtrictionem mere internam: & ipſe P. Viva hac utitur doctrina, ut vidimus, pro ruſticis, ſeu hominibus ingenii minus acuti. *Quando tamen non occurrit commoda æquivocatio, aut reſtrictio externa, ſi cauſa ſit gravis, ruſtici poſſunt uſu duplicis ſcientiæ facile obvio veritatem occultare*. Viden'? Quando ruſtici, & conſequenter artifices, & communiter homines, neſciunt efformare æquivocationem, aut externam reſtrictionem; iſti omnes utantur reſtrictione illa obvia cuique rudi, nempe duplicis ſcientiæ, ſeu *neſcio ad dicendum*, *neſcio ut manifeſtabile*: quod paucioribus verbis dici poterat: quando non occurrit æquivocatio, aut reſtrictio externa, utere interna. Idque magis patebit, ſi advertatur, P. Viva excludere omnem externam reſtrictionem: nam excludit æquivocationem, *quando non occurrit commoda æquivocatio*: reiicit quoque reſtrictionem exteriorem, quæ aut per verba ex ſe ambigua, aut per verba ex ſigno, vel circumſtantia exteriori determinata, prodant ſenſum internum. Excluſis autem his omnibus exterioribus locutionibus, confugit ad uſum notitiæ internæ incommunicabilis, & communicabilis, ideſt ad reſtrictionem internam, cum externam ut inſufficientem iam reiecerit. Sed omnis reſtrictio mere interna eſt proſcripta. Ergo &c.

XV. Obiicies. Quo pertinet tantum ſtudii, ut *P. Sanchez* auctor probetur propoſitionum damnatarum? Id non aliud indicare videtur niſi vel ſimultatem, vel voluntatem detrahendi viro de Theologia optime merito. Nihil ſiquidem refert quod hic, vel ille Auctor docuerit ſententias proſcriptas, dummodo doctrina damnata reiiciatur. Reſp. Hæc obiici poſſe a quibuſdam minus in theologica facultate peritis, nullus ambigo. Verum ab illis quæro, cur tam ſollicita Eccleſia ſit,

ut

Digitized by Google

ut oſtendat, quinque propoſitiones reperiri in IANSENIO, & in ſenſu IANSENII eſſe damnatas? Non ſane ob aliam rationem, niſi quia, ſemel admiſſo non eſſe proſcriptam doctrinam prout reperitur in Libro ex quo decerpta eſt, proſcriptio Eccleſiæ fruſtranea eſſet, nihilque damnaſſet: quoniam Ianſenii aſſeclæ deteſtarentur, ſicut reipſa ſe deteſtari aſſerunt, quinque propoſitiones proſcriptas *ut iacent*; ſed effutirent ſemper, ſicut effutiunt, illas non contineri in *Ianſenio*, ſaltem eo in ſenſu quo proſcriptæ ſunt: & hac via poſſent impune infectam Ianſenii doctrinam mentibus inſtillare. Quod effugium ſapienter Romana Sedes occluſit, ut fidelibus ſuis damnatam doctrinam caveret. Porro, ſi in Ianſeniſtis omnes deteſtamur hanc ſubdolam incedendi viam; cur in ſimili cauſſa in aliis pariter improbanda non erit? Quod duæ propoſitiones, nempe 26. & 27. proſcriptæ ab Innocentio XI. reperiantur in Libro *P. Sanchez*, evidentiſſime demonſtratum eſt. Et neſcio, an aliquod factum ſimile, de quo adhuc iuridice non conſtet, poſſit evidentius probari. Quo poſito, iam reſponſio patet, me, non animo detrahendi *P. Sanchez*, ſed deſiderio liberandi fideles a periculo amplectendi proſcriptam doctrinam, oſtendiſſe in Libro *P. Sanchez* damnatas reperiri propoſitiones. *P. Sanchez* ſummo obſequio, ceu virum in Theologia, ac ſacris Canonibus apprime verſatum, ſuſpicio, & pietate, morumque probitate ornatum veneror; ſed ſubdo, in hoc innocenter erraſſe; ſubdo non erraſſe ſolum, ſed erraſſe cum plurimis aliis & doctis, & graviſſimis Theologis. Erravit defendens opinionem quæ, ſin communior, ſatis communis erat. Nihil ergo fama, & decus tanti Theologi decreſcit, quod docuerit opinionem quam ipſe reputavit probabilem, & forte veram, quamve alii Theologi propugnabant. In id ergo curæ noſtræ incumbunt, ut fideles a doctrina damnata avocemus: quoniam, ſi lectores, interpretationibus P. Viva, Danielis, & aliorum decepti, in praxim reducant quæ docet P. Sanchez de reſtrictionibus mentalibus; certiſſime, ut ego quidem arbitror, amplectuntur doctrinam ab Eccleſia proſcriptam: quia certiſſimum eſt dictas propoſitiones damnatas in præfato Libro doceri abſque ulla correctione. Et, quam verum id quod aſſerimus, ſit, patet ex ipſo P. Viva, qui, ut defendat propoſitiones proſcriptas non reperiri in ſenſu proſcriptionis in P. Sanchez, & aliis Auctoribus pleriſque ab eodem P. Sanchez citatis, reipſa, ut probavimus, docet doctrinam reſtrictionum pure mentalium.

XVI. Id demum quod nos coegit plus iuſto ſermonem producere, eſt maxima cauſſæ quam verſamus gravitas. Si duos Libros integros exaravit Auguſtinus, ut controverſiam de ſolo mendacio officioſo, quod limites peccati venialis non excedebat, pro dignitate tractaret; non erit certe damnanda in nobis prolixitas, qui non ſolius mendacii, ſed periurii graviſſimi; non mendacii ſolius ob vitam proximi, aut propriam, aut ſalutem æternam obtinendam prolati, ſed mendacii, & per-

periurii perpetrati ob honorem, ob res familiares, merces ſcilicet marceſcibiles cuſtodiendas, cauſſam graviſſimam agimus. Quamobrem cum Auguſtino dicerem: Si quæſtio mihi eſſet de ſolo officioſo mendacio, haudquaquam tam longum produxiſſem ſermonem; maxime, ſi iuxta Caſſiani limites, in extremo tantum caſu vitam tuendi humanam mendacio uterentur homines: non quod vel in tali eventu mendacium adprobem. *Verum* (inquit Auguſtinus Lib. cont. Mend. cap. IX.) *quod fatendum eſt, ita humanos animos quædam compenſativa peccata perturbant, ut etiam putentur debere laudari, ac potius recte facta dicuntur.* Quare dicerem adverſariis: Si pro humana ſervanda vita, ſi pro conferendo ſacro baptiſmate infideli animam agenti, reſtrictiones vultis adhibere mentales; eas, tametſi invitus, præterirem forte, aut non tam vehementer commoverer. At, cum in præſentia cauſſam agamus de mendacio iuramento firmato, omnis poſtulat ratio ut non verbis, non prolixitati parcamus, quo periuria, quoad fieri poteſt, fugienda ſuadeamus. Dicam itaque cum Auguſtino laud. Lib. cap. XXI. *Aut ergo cavenda mendacia recte agendo, aut confitenda ſunt pœnitendo; non autem, cum abundent infeliciter vivendo, augenda ſunt & docendo. Sed eligat qui hoc putat, unde ſubveniat periclitanti homini ad quamlibet ſalutem qualiacumque mendacia; dum tamen & apud tales obtineamus nulla cauſa nos ad peierandum, & blaſphemandum oportere perduci. Iſta ſaltem ſcelera vel ampliora ſtupris, vel certe non minora iudicemus.*

XVII. Finem huic capiti impono aliis D. Auguſtini verbis, quæ mirum in modum quadrant in hæc noſtra infeliciſſima tempora, quibus non mores ad leges, ſed leges ad mores inflectuntur. Non modo periuria perpetrantur; ſed, inquit Auguſtinus laudato Libro cap. XVIII. *ſunt in eis docti, qui etiam regulas figunt, fineſque conſtituunt, quando debeat, & quando non debeat peierari. O ubi eſtis fontes lacrymarum? Et quid faciemus? Quo ibimus? Ubi nos occultabimus ab ira veritatis, ſi non ſolum negligimus cavere, ſed audemus inſuper docere periuria? Viderint enim inſuper aſſertores, defenſoreſque mendacii, quale genus, vel qualia genera mentiendi eos iuſtificare delectet. Saltem in Dei cultu concedant non eſſe mentiendum, ſaltem ſeſe a periuriis, blaſphemiiſque contineant, ſaltem ubi Dei nomen, ubi Deus teſtis eſt, ubi Dei ſacramentum interponitur, ubi de divina religione ſermo promitur, ſive conſcritur, nemo mentiatur, nemo laudet, nemo doceat, & præcipiat.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT XV.

Aliæ cauſſæ cur recentiores plurimi reipſa doceant reſtri-ctiones pure mentales, *& conſequenter mendacia. Refellitur explicatio qua P. La Croix interpretatur propoſitiones damnatas. Eius iudicium in P. Cardenas approbatur, atque in alios extenditur Auctores.*

I. SEcunda cauſſa cur recentiores plurimi in errorem nolentes incidant reſtri-ctionis *pure mentalis*, & conſequenter in mendacia, inde ortum ducit quod rerum ordinem pervertant, vilia pretioſis, & corporalia ſpiritualibus anteponentes. Hæc duo ſimul copulare etiam cum veritatis diſpendio contendunt: cuſtodiam ſecretorum naturalium, ſacramentalis confeſſionis, aliarumque veritatum occultarum, quas caritas, prudentia, iuſtitia, & fidelitas celari iubent; & proprii corporis conſervationem quam ſartam tectam tueri volunt. Iura humanæ vitæ ſervandæ, & veritatis occultandæ illæſa conſiſtant per illos oportet. Si autem alterutrum perire debeat; pereat veritas, & vita conſiſtat. Si maritus, pugione diſtricto, uxorem adulteram aggreditur, ut, iuramento dato, confiteatur adulterium perpetratum; neget ſe adulterium perpetraſſe, atque negationem iuramento confirmet, ut vitam ſervet. Cauſſam iſtam optime explicat Auguſtinus Lib. cont. mend. cap. XVIII. *Quid quod vitæ huius tales amatores, ut eam non dubitent præponere veritati, ne homo moriatur, immo ut homo quandoque moriturus aliquanto ſerius moriatur; non tantum mentiri, ſed etiam peierare nos volunt, ut videlicet, ne aliquanto citius tranſeat vana ſalus hominis, nomen Dei noſtri accipiamus in vanum? Et ſunt in eis docti, qui etiam regulas figant, fineſque conſtituant, quando debeat, quando non debeat peierari.*

II. Porro ut hæc duo ſervent, paradoxon obtrudunt, omnium doloſiſſimum. Opponunt namque, conſequi aliqua præcepta eſſe impoſſibilia, quæ eſt *hæreſis Ianſeniana*; niſi dicamus, licitum eſſe uſum reſtrictionis mentalis, qua veritatem occultemus. Nam præceptum cuſtodiendi ſigillum urget: tacere non licet, quoniam ipſum ſilentium veritatem proderet. Ut loquamur ergo neceſſe eſt. Dicendum igitur, vel quod præceptum cuſtodiendi ſigillum ſit impoſſibile; vel quod verba in tali eventu ſuam amittant ſignificationem; vel quod relate ad ſcientiam incommunicabilem verba aliquem verum ſenſum contineant non manifeſtabilem. Ne multa: neceſſe eſt ut aliquis modus occultandi veritatem licitus ſit. Hoc paradoxon fundatur in ordinis rerum perverſione: ſiquidem iſtius doctrinæ Theologi pretioſa vilibus poſtponunt, noluntque ſanguinis effuſione ſigillum obtegere, ut

Digitized by Google

Patres docent poſt Auguſtinum ; ſed verborum dumtaxat fallacia . Dicunt, iſtud eſſe iugum graviſſimum humanam ſuperans fragilitatem.

III. Hoc paradoxon ipſum, quo rerum ordo turbatur, ſibi obiicit Auguſtinus, illudque convellit Lib. cont. mend. cap. XVIII. *In hoc errant homines quod ſubdant pretioſa vilioribus. Cum enim conceſſeris admittendum eſſe aliquod malum, ne aliud gravius admittatur; non ex regula veritatis, ſed ex ſua quiſque cupiditate, atque conſuetudine metitur malum, & id putat gravius quod ipſe amplius exhorreſcit; non quod amplius revera fugiendum eſt. Hoc totum ab amoris perverſitate gignitur vitium. Cum enim duæ ſint vitæ noſtræ: una ſempiterna, quæ divinitus promittitur; altera temporalis, in qua nunc ſumus: cum quiſque iſtam temporalem amplius diligere cœperit quam illam ſempiternam; propter hanc, quam diligit, putat omnia eſſe facienda: nec ulla æſtimat graviora peccata quam quæ huic vitæ faciunt iniuriam, & vel ei commoditatis aliquid inique, vel illicite auferunt, aut eam penitus illata morte adimunt*. Pluribus rationibus refellit Auguſtinus præfatum paradoxon, adducitque ſibi exemplum mulieris Hierichuntinæ, quæ mentita fuit, ut vitam & ſuam, & hoſpitum ſervaret. Oſtendit autem Auguſtinus, quod mulier illa, ſi vera fuiſſet Iſraelitis, debuiſſet ſanguinis effuſione & hoſpites, & veritatem cuſtodire. Lib. cont. mend. cap. XVII. *An non poſſet interrogantibus dicere:* Scio ubi ſint; ſed Deum timeo, non eos prodo? *Poſſet hoc quidem dicere, ſi iam eſſet vera Iſraelitis, in qua dolus non eſſet, quod futura erat per miſericordiam De tranſiens ad civitatem Dei. Verum illi hoc audito, inquies, illam perimerent, domum ſcrutarentur . . . Si tamen a ſuis civibus eſſet occiſa pro miſericordiæ opere, vitam iſtam finiendam pretioſa in conſpectu Domini morte finiſſet, & erga illos eius beneficium inane non fuiſſet.*

IV. D. Auguſtinus nullo negotio eliſit obiectum ſophiſma. Sigillum cuſtodiendum docet, & ſanguinem profundendum vult potius quam aut mentiendum, aut innocentes prodendos. Revolve omnes recentiorum Probabiliſtarum libros hoc de argumento, & vix unum reperies docentem mortem ſubeundam, ſanguinem effundendum eſſe, ut evitetur periculum mendacii officioſi, excepta iuſtitiæ, & religionis materia. Quæ, ait Auguſtinus, huic vitæ mortali nocere poſſunt, ſummopere horrent: vitam ipſam nimis pretioſam faciunt. Ex quo principio ſequitur, eos obiicere ut impoſſibilia illa præcepta quæ aliquando obſervari nequeunt; niſi cum periculo vitæ: de quibus infra.

V. Tertia cauſſa deceptionis eſt, quod unicum, & peculiarem Confeſſarii caſum permiſceant cum aliis caſibus. Porro, ſimul atque de æquivocationibus, & reſtrictione mentali ſermonem inſtituunt, caſum Confeſſarii, vel Principis Secretarii opponunt. Cuſtodia ſigilli confeſſionis iuris naturalis, divini, & humani eſt. Debitum conſervandi hocce ſigillum cuicumque alteri debito præit. Hinc homines

by Google

nes chriſtianæ profeſſionis erga iſtius ſigilli cuſtodiam maxima præoccupatione, alioquin iuſta, præventi ſunt. Qua de cauſſa facillime credunt, & abſque debito examine excipiunt quidquid pro iſtius ſigilli cuſtodia in libris legunt. Hoc igitur Confeſſarii exemplo mens humana perſuaſa, ad credendum uſum duplicis ſcientiæ communicabilis, & incommunicabilis, aut uſum materialem verborum licitum eſſe, iam veluti quodam pondere preſſa inclinat; immo in errorem incidit, quo iudicet, omnibus indiſcriminatim hominibus pro occultanda veritate licere iis uti loquendi formulis quas pro cuſtodiendo ſigillo Confeſſarii uſurpant.

VI. Plura, immo innumera, proferre poſſem documenta, quibus hanc quam inſinuavi erroris cauſſam munirem. Unum aut alterum referam. *P. Gabriel Daniel*, qui communem Theologorum ſenſum exhibet in ſua de reſtrictione mentali *diſſert. part. 1. num. 1.* hæc habet. *Quod de Confeſſario dico, transferas licet ad res alias, ſive de arcano gravi agatur, ſive de iudice, qui iuxta iuris leges, & formulas non interrogaret, vel abſque auctoritate, & legitima poteſtate. Eademque ratione de ſexcentis quæſtionibus ad mores ſpectantibus iudicandum*. Alii Auctores expreſſius id docent; quin ampliori poteſtate, & privilegio donant rudes homines, ignorantes artificium amphiboliarum. Statuunt namque pro iſtis ſatis eſſe ut veritatem occultare intendant iuxta unum ex tot modis quos Theologi adinvenerunt pro veritatis occultatione. Sic *Filliucius* tract. xxv. cap. xi. num. 328. *Pro rudibus qui neſciunt in particulari concipere amphibologiam, ſatis eſt, ſi habeant intentionem affirmandi, vel negandi in ſenſu qui contineat reapſe veritatem, ad quod neceſſe eſt ut ſaltem in univerſale ſciant ſe poſſe negare in aliquo vero ſenſu*, Viden'? Inventus eſt tandem verus ſenſus non ſolum occultandi, ſed etiam negandi veritatem. Idem docent P. Viva, Caſtropalaus, & communiter recentiores plurimi. Porro infra oſtendemus, caſum Confeſſarii abſolute eſſe peculiarem. Plura vel de ipſo Confeſſario, quæ a mendacio purgari nequeunt, docent, Perperam ex Confeſſarii paritate colligunt, quoſque homines poſſe uſurpare uſum duplicis ſcientiæ, communicabilis, & incommunicabilis.

VII. Ultima tandem cauſſa cur recentiores in hac quæſtione decipiantur, eſt falſiſſima explicatio qua interpretantur propoſitiones damnatas: quæ vana interpretatio ortum ducit ex prima, quam explicuimus capite præcedenti, cauſſa. Nolunt, ut vidimus, has propoſitiones eſſe damnatas prout ſunt in Auctoribus, ſed ut iacent: & ideo excogitarunt aliquem ſenſum extraordinarium, in quo illas damnatas fuiſſe propugnant. Dicunt itaque damnatas eſſe propoſitiones 26. & 27. hoc in ſenſu, videlicet ſi quis reſtrictionibus *pure mentalibus* utatur ad quemcumque finem, ſine ullo delectu, ſeu ob quamcumque neceſſitatem, vel utilitatem. Sic P. La-Croix *Lib. III. par. 1. cap. 11. dub. 4. §. 11. num. 294.* „ Cum

„ propoſitio (inquit) 27. damnata dicat, *Cauſa ſufficiens utendi his amphibolo-„ giis*, hoc ipſo quod dicat *his amphibologiis*, ſufficienter ſignificat quod per am-„ phibologias prohibitas intelligantur reſtrictiones illæ pure mentales de quibus „ habebat propoſitio 26. immediate damnata: *additque hæc damnatio*, *non eſſe li-„ citum illis uti ob quamcumque neceſſitatem*, *vel utilitatem*. “ His ultimis verbis Auctor iſte indicat, nos non debere uti his amphibologiis ob quamcumque neceſſitatem, vel utilitatem, nimirum ſive gravem, ſive levem; ſeu, clarioribus verbis, prohibitum eſſe illas reſtrictiones uſurpare, qualibet data occaſione, & extra caſum graviſſimæ, & extremæ neceſſitatis. Et, quamvis verba, quibus P. La-Croix ſuam exprimit interpretationem, ſint ſubobſcura; attamen hunc eſſe eius germanum ſenſum, colligitur ex eius doctrina, qua ſtatuit, cauſſas graves efficere ut reſtrictio non ſit *pure mentalis*, & contra, cauſſas leves reddere amphibologiam *pure mentalem*. Hoc iam demonſtratum eſt. Lege quæ docet *ibidem* §. 7. *num.* 209. ubi ait: „ Quando non ſunt valde graves cauſſæ ita reſtringendi, ſi fiat re-„ ſtrictio . . . erit *pure mentalis*. “ Lege quæ ſcribit *Lib. VI. num.* 1687. „ Extra „ hos autem ſimileſque graviſſimos caſus *foret mendacium* ſic uti vocibus. “ Conſule quæ dixi *cap.* x. & *cap.* v.

VIII. Hanc interpretationem, a P. La-Croix paucis, & ſubobſcuris verbis traditam, apertius docent alii. Pluribus omiſſis, deſcribam interpretationem quam non ita pridem dedit Auctor Allegationis editæ in defenſionem Patris Cattanei adverſus ſæpius laudatum P. Orſi. Ille autem ita ſcribit §. 27. „ Troppo mal ſi „ appone chi penſa, eſſere ſtate generalmente dannate, come coſe ſcandaloſe, „ tutte le locuzioni ambigue, gli equivoci, le reſtrizioni, perchè tali coſe ſi no-„ minano nelle propoſizioni 26. 27. e 28. dalla ſanta memoria d'Innocenzo XI. „ meritamente proſcritte. Al qual penſiero ſembra in più luoghi aderire il P. Or-„ ſi ſenza riflettere, che poſto ciò dovrebbe riputar condannati anche i ſuoi equi-„ voci di ſeconda ſpezie, che non ſono eccettuati per privilegio. *Che però lo ſcan-„ dalo di quelle propoſizioni conſiſte nel dare tali coſe per lecite*, *come ſuol dirſi*, „ *a tutto paſto*, *cioè a dire*, *per qualunque fine*, *a titolo di qualunque utilità*, *ed* „ *anche in occaſione che la verità vien cercata con tutta giuſtizia*, *come ogni uno* „ *può comprendere dal ſenſo naturale ed ovvio delle ſteſſe propoſizioni*, *ancora ſen-„ za grande ſtudio ſu di que' Theologi che ne han fatto eſame diligentiſſimo*. “ Quæ ſic latine verto. „ Valde aberrat qui exiſtimat, generatim damnatas fuiſſe, tam-„ quam ſcandaloſas, omnes locutiones ambiguas, æquivocationes, reſtrictioneſ-„ que, quoniam hæ nominantur in propoſitionibus 26. 27. 28. a ſanctæ memo-„ riæ Innocentio XI. merito proſcriptas. Huic ſententiæ accedere videtur P. Or-„ ſi, quin recogitet, hoc admiſſo, debere reputari damnatas etiam ſuas æqui-„ vocationes ſecundi generis, quæ privilegio non ſunt exceptæ. *Quare ſcanda-*

„ *lum*

„ *lum illarum propoſitionum eo pertinet, ut frequentiſſimum, & aſſiduum earumdem uſum ſuadeamus, nimirum ob quemlibet finem, & cuiuſque utilitatis titulo, „ atque vel in ipſo caſu quo veritas iuſte quæratur: quemadmodum quiſque ex „ nativo, & obvio earumdem propoſitionum ſenſu colligere poteſt. Neque ad id „ opus eſt ut eos Theologos conſulat qui accuratiſſime propoſitiones illas examini „ ſubiecerunt.* “

IX. Plura hic animadverſione digna ſunt. Primum quod Auctores iſti nolint eſſe damnatas propoſitiones, ut ſunt in Auctoribus, e quibus abſtractæ fuerunt. Et ex hoc impotenti affectu erga Auctores illarum propoſitionum prodierunt tot abſurda commenta. Quæſo, ne pigeat, quæ citatus Anonymus ex P. La-Croix, aliiſque commentatur, ſerio expendere.

X. Porro, ut quam exitialis ſit illius interpretatio, clare percipiatur, attendamus oportet quid reipſa Pontifex damnaverit in præfatis propoſitionibus. Certum eſt Pontificem damnaſſe reſtrictiones mentales in eiſdem propoſitionibus recenſitas, *tamquam mendacia*, & iuramentum illis additum, tamquam periurium. Id evidentiſſime colligitur ex ipſa propoſitione 26. in qua dicitur, quod utens reſtrictione mentali, revera *non mentitur, nec eſt periurus*. Hæc aſſertio damnata eſt. Ergo veriſſima eſt eius oppoſita, nempe, qui utitur amphibolia pure mentali, *revera mentitur, & eſt periurus*. Adeo id evidens eſt, ut vel ipſe P. Viva in commentariis ad eaſdem propoſitiones illud adfirmet conceptis verbis num. 1. *In utraque hac theſi uſus reſtrictionis pure mentalis damnatur a Pontifice, ita ut quocumque fine, & qualibet ex cauſa illicite fiat, non ſecus ac mendacium in quocumque caſu illicitum eſt; immo declaratur, hanc amphibologiam, ſeu reſtrictionem pure mentalem eſſe revera mendacium, & iuramentum illi additum eſſe periurium*. Idem conceptis verbis docet P. Cardenas diſſ. XIX. cap. III. num. 28. *Ex cenſura Innocentii XI. lata in eam propoſitionem 26. clare conſtat eas reſtrictiones mentales eſſe mendacia, ut patet ex illis verbis*, Nec mentitur, neque eſt periurus: *quorum verborum aſſertio damnatur ut ſcandaloſa. Et conſequenter propoſitio contradictoria aſſerenda eſt Magiſtro Romanæ Cathedræ, nempe quod qui utitur ea reſtrictione mentali, & ſub ea iurat, mentitur, & eſt periurus*.

XI. Ex hoc ſolo principio evidentiſſime patet, Auctorem Anonymum, defenſorem P. Cattanei, docere, mendacia quandoque eſſe licita: quod cæteroquin ipſe non concedit. Nam ille docet, prohibitum dumtaxat eſſe uſum aſſiduum (*a tutto paſto*) reſtrictionum, ſeu amphibologiarum damnatarum. Sed hæ amphiboliæ damnatæ ſunt ut mendacia. Ergo Auctor iſte docet, damnatum eſſe ſolummodo aſſiduum mendaciorum uſum, ob quemcumque finem, & utilitatem; ſecus uſum rarum, & urgente graviſſima cauſſa. Ergo docet aliquando mendacia licita eſſe. Hæc illatio neceſſario ſequitur ex illius doctrina: & adeo evidens, ac manifeſta

eſt, ut nulla prorſus tergiverſatione eludi queat. En in quos ſe coniiciant laqueos, ut omnium ſuorum Auctorum errata defendant. Et, quod ſatis mirari non poſſumus, eſt, P. Anonymum allegatorem audere univerſo humano generi illudere, dum dicit, ſcandalum dictarum propoſitionum in eo verti dumtaxat, nimirum *nel dar tali coſe per lecite, come ſuol dirſi, a tutto paſſo, cioè a dire per qualunque fine, a titolo di qualunque utilità*. Hæc, ut dixi, interpretatio apertiſſime falſa eſt. Nam hæc eſt propoſitio damnata, in qua cauſſæ utendi amphibologiis aſſignantur. *Cauſa utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.* Cauſſæ iſtæ, ſcilicet conſervatio corporalis ſalutis, defenſio honoris, rerumque familiarium, virtutis exercitium &c. ſunt in omnium æſtimatione cauſſæ graviſſimæ. Qua ergo fronte dicitur, damnatas fuiſſe has reſtrictiones ob quemcumque finem, & quamcumque utilitatem; ſi in ipſa propoſitione cauſſæ tantum graves, & graviſſimæ recenſentur? Num P. Sanchez (cuius eſt illa propoſitio) approbavit uſum reſtrictionum ob leves, ſeu quaſcumque cauſſas? Uſum quoque quotidianum (*a tutto paſſo*) in familiaribus ſermonibus cum eodem P. Sanchez damnarunt omnes Auctores reſtrictionum mentalium, ut ex eorum lectione conſtare poteſt. Dumtaxat ob cauſſas graves, quas recenſet P. Sanchez, licitas mentis reſtrictiones docuerunt. Hæc omnia manifeſta ſunt. Quid plura? Si iuxta communem Doctorum ſententiam, & obvium propoſitionum ſenſum Eccleſia declaravit, reſtrictiones mere mentales eſſe mendacia, & tamquam mendacia proſcripſit; numquid dici poteſt, vetitum quidem eſſe uti mendaciis continenter (*a tutto paſſo*) & ob quemcumque finem, atque utilitatem; ſecus in extremo eventu, & ob graves cauſſas?

XII. Pater La-Croix, qui inter recentes caſuum Moralium Collectores non ultimum occupat locum; quamquam ſæpiſſime referat pro utraque parte diſſidentes ſententias, quin ſuum ferat iudicium, ſed lectorum arbitrio opinionum delectum relinquat (quæ ſcribendi methodus viam aperit laxitati nimiæ) in hac tamen materia ſincere fatetur, multa limitatione indigere quæ paſſim apud graves Auctores reperiuntur, non ex iis qui ante, ſed etiam ex iis qui poſt damnationem propoſitionum ſcripſerunt. Admonet caute inter ceteros legendum eſſe P. Cardenas, qui lato calamo interpretatus eſt præfatas propoſitiones. Lubet referre verba ipſius P. La-Croix ex Lib. III. par. 1. cap. 11. dub. 4. §. 13. num. 295. *Secundum ante dicta debent nunc poſt damnationem propoſitionum relatarum limitari multa quæ paſſim inveniuntur apud graves Auctores, quos referunt VVilh Sandæus ad propoſit. 26. damnatam Dicaſt. ſupra Moya Tom. II. diſp. 1. quæſt. VI. qui uti & Cardenas cap. VI. caute eſt legendus, quia quædam ponunt quæ merito limita-*

Digitized by Google

mitari debent. Huic iudicio La-Croix ſubſcribo; & addo plurimos recentiores, quos inter *P. Viva* in propoſitionum damnatarum commentariis, cautiſſime legendos eſſe. Item caute legendum admoneo *P. Patritium Sporer*, qui contra pium ſincerumque monitum *P. La-Croix* lectoribus proponit *P. Cardenas* tamquam magiſtrum, & interpretem propoſitionum damnatarum. En verba Sporer tract. III. in Decalog. cap. I. ſect. 3. reſol. I. num. 106. pag. 216. *Alios caſus difficiliores in praxi lege apud famoſum P. Io. de Cardenas Societatis Ieſu in Criſi theologica Colon. impreſſ. 1692. diſſ. XIX. cap. VI. hic ſatis liberalem, & dictas propoſitiones fuſe explicantem. P. La Croix* caute legendum *Cardenas* admonet; *P. Sporer* ſuſcipiendum, ut magiſtrum famoſum, ſuadet. Illius in hac materia laxitatem vocitat liberalitatem, quam ſe ſequi gloriatur loc. cit. num. 100. *Nihilominus*, inquit, *in re maxime practica, & Confeſſariis ſcitu ſumme neceſſaria (ſalva reverentia ſanctæ Sedis) audeo tibi quod audet Io. de Cardenas in Criſi thelog. hic diſſ. XIX. & alii moderni Doctores præfatas propoſitiones*, prout iacent, *nimis laxas explicantes*. Et; quod peius eſt, non ſolum Sporer colligit ea quæ ſcribit, ex Cardenas, & aliis, qui vixerunt poſt Innocentium XI. ſed ex P. Sanchez, Leſſio, Tamburino, & aliis, qui reſtrictiones damnatas docuerunt ante dictum Pontificem. Nec tantum *P. Sporer*, ſed etiam plurimi recentes eadem via incedunt, & iiſdem principiis omnino utuntur ac utebantur Auctores ante Innocentium XI. Dicunt, ſe reiicere propoſitiones proſcriptas, *ut ſonant*, *ut iacent*; verum reipſa eaſdem docent, vocibus tantum variatis. Quare plurimos recentiores, & eos maxime qui minori, in conſpectu maioris, probabilitati adhærent, caute legendos eſſe, iterum ſuadeo in hac materia, ut mendacia, & periuria vitentur. Nam ex his quæ hucuſque dicta ſunt, evidenter conſtat, eo pertinere ſententias plurium recentiorum, ut oſtendant non eſſe mendacia ea quæ mendacia antiqui vocabant, & quæ revera ſunt; ut vel ex ipſo Caramuel ſequenti capite dicemus. Id tamen innocentiſſime præſtiterunt, quemadmodum ſentire nos convenit; ſicuti innocenter errarunt qui docuerunt reſtrictiones pure mentales.

CAPUT XVI.

P. Didacus de la Fuente Hurtado propugnat reſtrictiones PURE mentales eſſe licitas ex cauſſa honeſta, etiam poſtquam INNOCENTIUS XI. has reſtrictiones damnavit. P. Carolus Antonius Caſnedi docet reſtrictiones PURE mentales non eſſe damnatas.

I. NEminem inter Probabiliſtas legere licuit qui tam aperte reſtrictiones pure mentales damnatas ab Eccleſia propugnet, ut *P. Didacus de la Fuente Hurtado*. Contra *P. Carolus Antonius Caſnedi* non defendit reſtrictiones pure mentales ut licitas, ſed aliud paradoxon docet, nempe non eſſe ab Eccleſia damnatas. Ne conſueta puerili impoſtura clamitent Probabiliſtarum, aliqui, nos minus ſinceros eſſe in recenſendis iuniorum laxis opinationibus, verba Hurtadi, & Caſnedi tranſcribo.

II. P. Didacus de la Fuente Hurtado in ſua *Theologia Reformata diſſ.* xv. *cap.*v. in ipſo capitis titulo hæc diſcutienda proponit. *Qua ratione RESTRICTIO PURE MENTALIS adhibita ex cauſa idonea excuſari poſſit a mendacio?* Cui propoſitioni continuo reſpondet. „ Rationem excuſationis attigimus *num.* 26. inde petitam quod ex terminis vocalibus, ac mentalibus una oratio conſtrui poteſt in ſe vera; quamvis voces componentes ipſam falſæ ſint, ſi abſque ullo addito, tam interno, quam externo, & ad modum orationis integræ a loquente proferantur. " Nec veretur Auctor iſte SS. Gregorium, & Thomam in tanti erroris patrocinium allegare.

III. Poſt adductam S. Gregorii auctoritatem ſic pergit num. 42. *Unde ſic a priori diſputo. Sola falſa ſignificatio verborum non ſufficit ad mendacium abſque intentione fallendi, ut ex recepta illius definitione patet. Sed in noſtro caſu loquens falſam verbi ſignificationem non profert cum intentione fallendi: nam ſi hoc faceret, proculdubio mentiretur: ſed ſolum cum intentione proferendi quamdam ſui conceptus partem, & occultandi aliam, quam abſque præiudicio manifeſtare non poteſt. Ergo revera non mentitur coram Deo, qui eius intentionem novit, etſi hominibus qui illam ignorant, aliud videatur.* Si hæc vera ſunt, nemo in mundo mendax, illis exceptis qui, nulla urgente cauſſa, mendaciis ſunt aſſueti. Quiſque mentitur, ut veritatem, cuius manifeſtatio damnum parit, occultet. Loquens in hoc caſu falſam non profert ſignificationem cum intentione fallendi? Cur falſam profert ſignificationem, niſi ut audientem fallat? Intentio fallendi in mendacio non alia eſt niſi illa qua falſa verborum ſignificatione occultatur interrogatori veritas. Cedo: cur falſa verborum ſignificatione utitur loquens? Ut interrogator nequeat

Digitized by Google

queat veritatem aſſequi. Ergo eum fallit, decipitque loquens, qui hanc deceptionem poſtea dirigit ad veritatis occultationem. Cuiuſque mendacii finis eſt occultatio veritatis, media falſa verborum ſignificatione, qua deceptus interrogator nequit veritatem percipere. Explicat ſuam doctrinam P. Hurtado ibidem *num.* 43.

IV. *Explicatur. Qui iuſta neceſſitate coactus dicit cum reſtrictione mentali ſe non feciſſe quod fecit, non profert ea verba cum intentione negandi factum ſecundum ſe, & abſolute, nec cum intentione affirmandi ſe habere intra mentem iudicium abſolute negativum talis facti, aut perſuadendi alteri ſe illud habere, ſed ſolum cum intentione occultandi veritatem facti, negando ipſum, non utcumque, ſed cum addito reſtringente, ac verificante negationem eius. Ergo revera non loquitur, prout opus eſt ad mendacium cum intentione fallendi. Quippe vox illa,* Non feci, *quantum eſt de ſe præciſe indifferens eſt ad negandum cum addito, & abſque illo : nec mendax cenſeri poteſt, niſi conſtet abſque ullo addito prolatam eſſe. Atqui id non conſtat præciſe ex prolatione illius : nam alioqui ille qui fecit alia die id de quo loquitur, & proinde dicit veraciter,* Non feci heri, *mentiretur ſtatim, ac dicit,* Non feci : *neque ulterius eſſet ſpectandum, an quidquam aliud adiiciat, quo ſua verba reſtringantur, & ita verificentur. Deinde nec conſtat ex eo quod additum ſit occultum : nam quod eſt occultum aliis, non eſt occultum loquenti : & id ſufficit ut ipſe intendere poſſit loqui in iſto ſenſu, & non in alio. Ergo, ſive reſtrictio verificans ſit publica, ſeu PRORSUS OCCULTA, ſemper aberit intentio fallendi.*

V. Te admonet, ſe loqui de reſtrictione *prorſus occulta* mentali. Quia licet ſit *prorſus occulta* audientibus, non eſt tamen *occulta loquenti*. Eſt ne, mi Pater, aliquod mendacium occultum loquenti illud? Nec eſt quod opponas. Qui manifeſte negat ſe feciſſe id quod fecit, negatio verbalis non cadit ſupra id quod in mente retinet, ſed præciſe ſupra illud quod voce, ac verbis expreſſerat. Sed hoc modo non expreſſerat, niſi factum abſolute, non factum externum. Ergo factum abſolute negat; quod eſt proculdubio falſum. Nam licet in mente addat vocabulum iſtud *heri*, illud non reſtringit orationem prolatam; cum non ſit pars, modificatio, aut complementum eius. Siquidem illud *heri* ſubſiſtit omnino intra mentem. Ergo nequit reſtringere orationem externam.

VI. Ad hæc reſpondet his verbis num. 45. *Suadent iſta; ſed non plane perſuadent . . . quia ſacramenta etiam collocantur in genere ſigni ſenſibilis : nihilominus ex rebus ſenſibilibus, & inſenſibilibus adæquate componuntur, ut Euchariſtia ex ſpeciebus viſibilibus, & Chriſti corpore, quod nullo ſenſu ibidem poteſt percipi . . . Tum ulterius MISSA non eſt unum per meram aggregationem, ut lapides in acervo, ſed totum quoddam artificioſe compoſitum . . . . & tamen non ſolum conſtat ex vocibus intelligibiliter prolatis, ſed ex orationibus partim vocalibus, partim mentalibus, partim alta voce prolatis, & partim DICTIS SECRETE.*

VII.

Digitized by Google

VII. Inſanirem ipſe, ſi hæc refellerem. Reſcripſi, ut palam omnibus ſit, quæ mens humana excogitare valet ad eludenda manifeſtiſſima Eccleſiæ oracula. Quo autem evidenter pateat, doctrinam iſtius Theologi damnatam ab Eccleſia eſſe; ſub oculos revoca propoſitionem damnatam 26. *Si quis, vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſſa, ſive quocumque alio fine iuret ſe non feciſſe aliquid quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec eſt periurus.*

VIII. Quid ad hæc P. de la Fuente Hurtado? Reſpondet cap. VIII. num. 73. *Scopus Pontificis non fuit damnare opiniones communi Doctorum calculo poſt diligens examen ab antiquo receptas, tamquam probabiles, ſecuraſque in praxi.* Quid intelligit *communi Doctorum calculo ab antiquo receptas?* In nullo Auctore, niſi in P. Sanchez, adducta propoſitio damnata reperitur. Quæro, an Pontifices damnarint propoſitiones quas docuerunt Theologi Europæi, aut Theologi Iaponenſes, Sinenſes, Perſæ, AEgyptii. Etiam Ianſeniſtæ clamitant, non damnaſſe Eccleſiam propoſitiones quas docuit Ianſenius. Et tamen vi ratiocinii, & critices ſeveræ non minus evidens eſt in P. Sanchez, & ceteris Caſuiſtis reperiri propoſitiones damnatas ab Alexandro VII. & Innocentio XI. ac reperiantur quinque propoſitiones damnatæ ab Innocentio X. in Ianſenio. Anſam ergo porrigit P. de la Fuente Hurtado Ianſeniſtis imitandi ipſum in eludendis pontificiis decretis.

IX. Ut paucis rem expediam, P. de la Fuente non modo docet licita mendacia (reſtrictiones enim *pure* mentales, ipſo P. Viva iudice, ſunt putida mendacia) ſed has reſtrictiones *pure* mentales aperte aſſerit doceri a S. Auguſtino, a S. Thoma, a S. Gregorio. Lege eum *loc. cit. cap.* VI. *num.* 57. *pag.* 306. Defenſores mendaciorum docebant, eadem licita eſſe ad tuendam vitam, pudicitiam, ad evitandam alterius mortem; P. de la Fuente Hurtado docet diſſ. XVI. cap. II. num. II. *ſatis eſſe neceſſitatem* aſſimilem ei quæ ſufficit, & deſideratur ad iurandum honeſte, & abſque peccato veritatem exploratam. Quæ ergo cauſſa ſufficit ad iurandum, ſat eſt ad mentiendum. Si plura cupis, lege ipſum, & peiora invenies.

X. P. Carolus Antonius Caſnedi *Tom. V. diſp.* IX. *ſec.* 4. quærit, *Num PURA reſtrictio ſit ab Innocentio XI. damnata?* Reſpondet vero *num.* 75. his verbis. „ Ce-
„ lebris inter alios modos non mentiendi, ſimulque non dicendi verum, eſt *PU-*
„ *RA reſtrictio*, negando abſolute per verba, ſimulque limitando per mentis ad-
„ ditum ipſam vocalem negationem. Stetere pro licito *reſtrictionis PURAE* uſu
„ magni nominis Theologi, inter quos P. Suarez, P. Sanchez, P. Leſſius, P. Di-
„ caſtill. P. Moya, P. Raynaudus." Poſt pauca hæc adiicit *num.* 80. *& ſeqq.*

XI. „ Operæ pretium eſt modo oſtendere quod hæc Doctorum de *PURA men-*
„ *tis reſtrictione* ſententia non coincidat cum 26. damnata. Nam de eius licentia,

„ aut

„ aut non licentia *ſ. ſequenti*. Dico igitur hanc de *PURA mentis reſtrictione* ſententiam non eſſe ab Innocentio XI. damnatam. Ita expreſſe P. de la FUENTE, qui ſolide probat non eſſe damnatam, quin inſuper vult adhuc hodie licitam, quoties inſtat gravis neceſſitas; quam tamen ſecundam partem ego non approbo .... Oſtendo igitur concluſionem primo. Quia Papa damnat de periurio, & mendacio reſtrictionem limitatam clauſulis in 26. damnata adiectis. Sed nemo Doctorum, quos citavi, & citare poſsum, ſi attente legantur, & multo minus ego admitto reſtrictionem adiunctis clauſulis in 26. contentis. Ergo nec ego, nec illi, admitto damnatam. Ergo opinio de *PURA reſtrictione*, libera ab omnibus circumſtantiis in 26. damnata adiectis, non eſt damnata .... Oſtendo ſecundo. Quia æquali iure dici poteſt damnata reſtrictio non pura, ſeu ſenſibilis, ac dicitur damnata *PURA reſtrictio* ..... *Miſera ſane* (concludit num. 91.) *famoſiorum conditio Doctorum*, ſi vel tranſcriptis ex alio, non lectis in fonte, vel lectis, non tamen intellectis, iiſdem a ſuperficialibus lectoribus aſſuantur opiniones quas non tantum non docent, ſed deteſtantur."

XII. Hæc reſcribere volui, ut Ianſeniſtis ora obſtruerem. Clamant iſti, in P. Thoma Sanchez ambas damnatas propoſitiones 26. & 27. evidentius reperiri quam quinque propoſitiones damnatæ reperiantur in Ianſenio. Et, ſi auctoritas Eccleſiæ (quæ tamen cuique rationis momento prævalet) ſeiungatur, & ſola ratiocinii humani critice factum decidatur, certum eſt citatas duas propoſitiones omnibus clauſulis, nec una dempta, veſtitas reperiri in P. Thoma Sanchez luculentius quam quinque reperiantur in Ianſenio. In utroque reipſa extant. In Ianſenio quinque reperiri, declaravit Eccleſia. Quod in Sanchez reperiantur ambæ duæ damnatæ, ut iacent, definiunt oculi. Neque in P. Sanchez quidquam præcedit, aut ſequitur, quod errorem, & laxitatem propoſitionum temperet. Sciant ergo Ianſeniſtæ, hallucinationem eſſe *P. Caſnedi*, & *P. de la Fuente*, qui negare parati ſunt lucere in meridie ſolem. Quare fatemur nos, Eccleſiam damnaſſe propoſitiones quæ decerptæ fuerunt ex libris Caſuiſtarum, non illas quas nemo docuit. Dicat P. Carolus Antonius Caſnedi, nos eſſe *lectores ſuperficiales*. Eſto. Sint Auctores propoſitionum damnatarum *famoſiores Doctores*. Hæc omnia P. Caſnedi donamus. Interim dico, hoc eius practicum ſtudium ſcandalum maximum, & Ianſeniſtis potiſſimum, & ceteris omnibus ingenerare. Abrumpere ſcriptionem volui, ut poſt vices centum adhuc alia vice *P. Sanchez* legerem. Et factum reperi, ſicut alias, evidentiſſimum. Quare imponit lectoribus P. Caſnedi, & fide publica evidenter abutitur, dum negat in P. Sanchez damnatas reperiri ambas propoſitiones. Inveniat P. Caſnedi vel unum alium Auctorem, qui laudatas propoſitiones clarius, & prius quam P. Thomas Sanchez docuerit. Nec unum inveniet. Confictas ergo pro-

propoſitiones damnavit Eccleſia. Nam iſtorum Probabiliſtarum iudicio non repe-riuntur in Auctoribus, unde dicuntur excerptæ. Nullibi ergo ſunt.

XIII. En, lector chriſtiane, noſtrorum temporum calamitas. Laxæ & ſcandali plenæ cuduntur propoſitiones. Si ab Eccleſia non damnantur, Probabiliſtæ cla-mant: Non eſt proſcripta opinio: Auctores *famoſiores* illam docent: ergo pro-babilis. Si Eccleſia illam damnat, vocem extollunt: Quid? Eccleſia non damnat propoſitiones quas *famoſiores Doctores* propugnant. Incredibilia hæc videntur. At res facti eſt manifeſta. Heinc conſequitur, fideles plures doctrinis ab Eccleſia pro-ſcriptis dirigi. Quoniam, licet *P. Caſnedi* uſum non defendat reſtrictionis *pure mentalis*; hunc tamen uſum defendit *P. de la Fuente* ut licitum: atque adeo li-cita mendacia, licita periuria propugnantur, ſola verborum circuitione adiecta, qua dicunt, mendacia non eſſe mendacia, periurium non eſſe periurium. Etiam in propoſitione P. Sanchez dicitur, non mentiri, non peierare eum qui mentali reſtrictione utitur. At Pontifex, damnando eam propoſitionem, declaravit in ea-dem mendacium, & periurium reperiri. Quibus commentis eludunt has duas pro-poſitiones, iiſdem obſcurant, & in nihilum redigunt alias, ut doctrinam ſemel defenſam immunem aſſerant ab omnibus cenſuris. Plura dicenda forent, quæ præ-tereo. Te dumtaxat admoneo ut ab eiuſmodi Auctoribus tibi caveas.

CAPUT XVII.

Quæ vera nobis videtur, ſententia proponitur. Licita eſt amphibolia quæ aut vi verborum, aut vi circum-ſtantiarum duplicem patitur ſenſum, utrumque ab au-ditore intelligibilem. Non omnes veritates poſſunt ſemper amphiboliis occultari. Error recentiorum plu-rium hac de re manifeſtantur. Variæ regulæ pro ple-na quæſtionis intelligentia, & pro praxi aſſignan-tur.

I. Facillimum fuit aliorum opiniones refellere; ſed difficillimum eſt limites de-finire certos, intra quos amphibolia cohibeatur. Omnes improbare amphi-bolias, omneſque adprobare, æque ferme periculoſum eſt. Hic ergo labor, hoc opus eſt, ut extrema vitentur tum mendacii, tum violationis fidei datæ, & ut amphiboliæ externæ a reſtrictionibus mere mentalibus ſecernantur. Inter innume-ros Auctores qui hoc de argumento ſcripſerunt, pauciſſimi ſunt qui rem acu at-tigerint. Nam defenſores reſtrictionum mentalium, *Sanchez*, *Sancius*, *Tamburinus*, *Leſ-*

Digitized by Google

Leſſius, & etiam defenſores plurimi reſtrictionum quas non pure mentales vocant, eas licitas in omnibus fere vitæ civilis actionibus, in quibus aliqua cauſſa occultandæ veritatis occurrat, propugnant; ut cuilibet eoſdem legenti patebit. Alii extrema oppoſita via incedunt: omnem ſiquidem uſum amphiboliarum damnant: inter æquivoca verba, ſeu æquivocam locutionem, & reſtrictionem mentis, ſive internam ſive externam, nihil diſtinguunt; ſed omnia in unum permiſcent, & confuſionem maximam lectoribus pariunt. Utriuſque nos ſententiæ extrema devitabimus. Atque ut ſententiæ quam reputamus veram, viam ſternamus, quæ penes omnes certa ſunt, præmittamus oportet.

II. Primo extra controverſiam eſt reſtrictiones mentis quæ & abſolute, & circumſtantiis inſpectis, intra mentem ſiſtunt, nulloque modo ab audiente percipi queunt, fuiſſe ab Eccleſia proſcriptas tamquam mendacia. Et, licet quidam ſcribant, eſſe prohibitum uſum earumdem dumtaxat *a tutto paſto*, ideſt continuum; id tamen ceu falſum omnino, & proſcriptum reprobamus.

III. Secundo certum eſt aliquam locutionem eſſe falſam ſecundum ſe, veramque fieri ex circumſtantiis interrogationis. Puta, ſi Confeſſarius roget Titium confitentem peccata ſua, an fornicationem, furtum, aliaque peccata perpetraverit; & iſte reſpondeat ſe nequaquam illa peccata commiſiſſe; vera reſponſio eſt, licet aliquando illa commiſerit, & confeſſus eadem fuerit. Quia ex circumſtantia confeſſionis externæ, & realis, in qua ſola peccata commiſſa, & nondum confeſſa, panduntur, iuxta communem intelligentiam interrogatio eſt de his ſolis peccatis. Quare Titius reſpondens ſe eadem peccata non commiſiſſe poſt ultimam confeſſionem, ad mentem reſpondet Confeſſarii. Similiter, ſi Petrus interrogatus a ſervo, ſollicite per vicos & plateas dominum ſuum requirente, an illum viderit, reſpondeat, ſe non vidiſſe; quamvis heri, alioque tempore millies illum viderit; vera eſt reſponſio: quia ex circumſtantia externa ſollicitæ, & anxiæ inquiſitionis patet eius interrogationem eſſe de viſione ſui domini hic & nunc, ita ut ex reſponſione deprehendere queat ubi nunc reperiatur. Et, ſi Petrus reſponderet famulo, ſe heri vidiſſe dominum illius, famulus ſibi illudi exiſtimaret. Hæc autem vera ſunt iuxta communem omnium intelligentiam, ac proinde licita. Porro in hoc errant recentiores plurimi, quod ex his peculiaribus caſibus inferunt regulam univerſalem, ut iam iam explicabimus.

IV. Amphibologica locutio ea eſt quæ varios patitur ſenſus, quamque qui loquitur, aliter intelligit ac intelligendam proſpiciat ab illo qui audit; ea tamen intelligi ab eodem poteſt; vel certe valet alter advertere eſſe ambiguam orationem; adeoque aliis interrogationibus urgere poteſt reſpondentem ad prodendam veritatem. V. g. quando Abraham dixit, Saram ſororem eſſe ſuam: ſi Pharao advertiſſet ad illud verbum, *ſoror*, intellexiſſet eſſe verbum æquivocum, aliaſque eſſe

eſſe ſorores ex patre, alias ex fratre, vel nepote; & hac via incedere potuiſſet ad cogendum Abrahamum ut veritatem manifeſtaret, ſi manifeſtabilis fuiſſet abſque peccato.

V. Tandem certum eſt numquam licitum eſſe uti amphibolia ſine iuſta cauſſa (id omnes fatentur) quando loquens utitur oratione amphibologica in ſenſu quem non percipiendum confidit ab audiente. Si enim utatur amphibolia in eo ſenſu quem credit, & proſpicit intelligendum ab audiente; tunc non eſt proprie amphibolia, quia qui ad mentem, & iuxta intentionem interrogantis loquitur, & reſpondet: candide, & ſincere loquitur, nullaque eſſe de peccato ſuſpicio poteſt. His præmiſſis, quæ nobis videtur vera ſententia proponitur.

VI. *Licitum eſt locutione amphibologica, ſeu æquivocatione, quæ aut vi verborum, aut ratione circumſtantiarum, iuxta communem intelligentiam, plures excipit ſenſus intelligibiles ab audiente, veritatem occultare; ſed non ſemper hæc amphibolia occurrit, neque ſemper ſufficit ad occultandam veritatem, potiſſimum dum interrogans urget ut ſine æquivocatione loquamur: propterea alia via occultanda ſunt ſecreta quæ abſque peccato revelari nequeunt.*

VII. Hæc noſtra ſententia duplici conſtat membro. Primum nihil peculiare continet, nec video ab aliquo negari poſſe. Conſtat enim & exemplis allatis, & pluribus ex ipſa Scriptura adducendis, licitam eſſe illam æquivocationem quæ ſenſus plures patitur ab audiente aut vi verborum, aut circumſtantiarum ratione intelligibiles: quia reipſa talis locutio habet hos varios ſenſus, iuxta communem hominum intelligentiam; quamquam non ſemper quilibet audiens advertat ad ſenſum quem loquens intendit: quod contingit ex eiuſdem audientis oſcitantia, aut hebetudine. Quando autem vel crimen, vel ſecretum, vel quodpiam aliud factum, occultandum ex iuſtitia, aut caritate, excipiat locutionem amphibologicam, ſeu verba æquivoca, non poteſt a nobis definiri, neque certa regula præſcribi. Sed quiſque in praxi conſulere ſuam conſcientiam debet, ad veritatis regulas reſpiciendo. Ita docet Sotus Lib. de tegen. ſec. memb. III. quæſt. III. concl. 7. *Interim tamen, ſi percunctetur quis, quibus amphibologiis poterit ſe miſer tueri, non poſſumus illas ſigillatim colligere; ſed pro ſua quiſque peritia, & prudentia illas poterit excogitare.*

VIII. Secundum ſententiæ noſtræ membrum punctum præcipuum, ac quaſi dixerim, unicum præſentis quæſtionis ſpectat, atque declarat. Illud adverſatur communi doctrinæ recentiorum, qui, ut diximus ſupra, quia copulare volunt ſemper & cuſtodiam ſigilli, & conſervationem vitæ, volunt quoque ſemper, & pro quacumque veritatis alicuius momenti occultatione, adeſſe amphibologicas locutiones; quibus veritas occultetur. Neque enim ipſi ex natura ipſius peculiaris facti, quod reipſa æquivocationem ſuſcipit, inferunt licite adhiberi poſſe amphiboliam exteriorem;

Digitized by Google

rem; ſed abſolute ſtatuunt, quodcumque factum, ſeu crimen, & quamcumque veritatem non manifeſtabilem admittere æquivocationes externas, hoc ipſo quod veritas non debeat manifeſtari, & communicari. Nos contra dicimus, aliqua facta ſua natura admittere æquivocationem, ſeu verba duplicis poteſtatis, aut ſub talibus circumſtantiis interrogationes aliquando fieri quæ plures ſenſus habere poſſunt: & tunc affirmamus licitum eſſe, iuſta urgente cauſſa, occultare veritatem beneficio locutionis amphibologicæ, ab audiente, ſi advertat, intelligibilis. Exempla rem manifeſtabunt. Abraham amphibolia occultare potuit licite matrimonium: quia revera Sara ſoror illius non ex matre, ſed ex patre erat: quæ conſanguinitas apud Hebræos ſufficiebat ad ſororis veram appellationem. Quod ſi tali conſanguinitatis vinculo iuncti non fuiſſent, minime tali amphibolia celare matrimonium potuiſſet. Chriſtus dixit: *Ego autem non aſcendam ad diem feſtum iſtum*: quia revera erant plures dies feſti, & primus celebrior erat atque ſolemnior, ad quem invitabatur Chriſtus; qui ſincere reſpondit ad illam ſolemnem feſtivitatem ſe non aſcendere, quia nondum tempus ſuum advenerat; tacuit vero ſuum aſcenſum occultum poſt alios dies faciendum, quando tempus ſuum impletum iam eſſet. Dum Sacerdos qui ſimul eſt Confeſſor, interrogatur, an ſciat homicidium, aut aliud delictum perpetratum; ſincere & vere reſpondet ſe illud ignorare, quamvis illud in confeſſione audierit: quia iuxta communem intelligentiam omnium Chriſtianorum non interrogatur ut Confeſſor, ſed ut ceteri homines. Hæc omnia paucioribus verbis explicat P. Dominicus Soto, qui, ut mea præfert opinio, præ omnibus Theologis controverſiam hanc felicius verſavit, & ad Eccleſiæ mentem proximius ſua doctrina hac in materia acceſſit. Inquit ergo de teg. ſec. memb. 111. quæſt. 111. concl. 7. *Si verba non occurrunt, quibus per æquivocationem, uſu hominum receptam, citra mendacium celari poſſit crimen; mori debet, antequam mentiatur.... Dicta Sanctorum eo tendunt, ut prohibeant reſponſa per verba quæ nullum poſſunt facere verum ſenſum, ſecundum ſignificationem uſu receptam: quippe quæ non poſſent a mendacio ulla ratione excuſari.*

IX. Clarius explicatur diſcrimen quod noſtram inter & recentiorum opinionem intercedit. Recentiores, ut vidimus, non ex facti natura, neque ex circumſtantiis revera extrinſecus advenientibus, quæ veritatem ipſam, ut ſic dicam, afficiant, ſed ex cauſſis, ſeu damno quod manifeſtationem veritatis conſequitur, inferunt, reſtrictiones non eſſe pure mentales. Exempla rem manifeſtabunt. Uxor adultera vitam amittit, ſi adulterium marito, pugione diſtricto illam impetenti, fateatur. Dicunt ipſi, mulierem adulteram uti poſſe amphibolia, aut duplici ſcientia communicabili, & incommunicabili, aut verbis nihil ſignificantibus, ut mortem evadat. Noſtra ſententia cum D. Auguſtino oppoſitum aſſerit. Cauſſæ enim quæ obligant ad celandam veritatem, omnino diſparatæ ſunt ab ipſa locutione; adeoque perperam adducuntur,

tamquam circumſtantiæ externæ, vi quarum ſenſus in mente retentus fiat exterior. Si hoc namque verum eſſet, nullæ forent reſtrictiones pure mentales: quoniam Auctores illarum nonniſi ob graves cauſſas illas propugnabant; & tamen nemo illorum dixit, quod cauſſæ iſtæ conſtituant illas reſtrictiones exteriores. Hoc inventum excogitarunt Scriptores (quod magnopere advertendum eſt) poſt propoſitiones damnatas. Ut enim declinarent pontificias cenſuras, reſtrictiones mere mentales, non mere mentales, ſed exteriores appellare cœperunt. Et ſi ab illis quæras, cur appellentur exteriores; reſpondent, quia hic & nunc manifeſtatio veritatis infert grave damnum, violat vel iuſtitiam, vel caritatem. Facile autem illis eſt hanc, ceteroquin falſam, doctrinam fuco linire. Quia, ut explicando noſtram ſententiam adnotavimus, revera dantur aliquæ reſtrictiones externæ, non ob cauſſas occultandi veritatem; ſed quæ ipſam afficiunt locutionem, & factum quod ſub locutione cadit: ut patet in Confeſſario, cuius perſonalis dignitas circumſtantia vere externa eſt, quæve determinat locutionem; & in reſponſione Abrahami, & Chriſti Domini non aſcendentis ad ſolemnitatem primi diei. Et hæc eſt fere unica occaſio errandi recentioribus, qui ex uno caſu peculiari, puta Confeſſarii, cui ſimilis non datur, inferunt regulam univerſalem, qua ſtatuunt, omnes veritates ſummi momenti, omniaque ſecreta occultanda eſſe amphibologico ſermone, nulla facta conſideratione, utrum factum, ſeu crimen occultandum excipiat nec ne ſermonem amphibologicum, ſuppeditetque vocabula æquivoca; ut matrimonium occultandum ſuppeditavit Abrahamo verbum æquivocum *ſororis*. Sed unice conſiderant confectaria mala quæ manifeſtatio veritatis parit; & ex hoc principio inferunt, reſtrictiones non eſſe pure mentales. Quod eodem recidit ac ſi dicerent, in gravi, vel extrema neceſſitate mendacia non eſſe mendacia, reſtrictiones pure mentales non eſſe pure mentales. Quemadmodum ſiquidem antiqui defenſores mendaciorum excuſabant locutionem Raab negantis reperiri hoſpites in domo ſua, & filii negantis patrem extare domi, & adulteræ negantis adulterium ſe commiſiſſe, ob mortem vitandam; ſic iſti eamdem omnino locutionem abſque exteriori addito excuſant: cum hoc tamen diſcrimine, quod antiqui in mendaciorum defenſione ſinceri erant, mendacia appellantes mendacia, ſed venia digna, quia ob neceſſitatem prolata; iſti vero volunt, neceſſitatem efficere ut illa locutio non ſit mendacium, ſed amphibolia externa, eo quod interdum revera dantur locutiones amphibologicæ, ut exemplis productis conſtat. Placet quæ dicta ſunt confirmare auctoritate celeberrimi *Caramuelis*, qui Theol. fund. Tom.II. num.805. pag. mihi 182. *Eſt mihi*, inquit, *innata averſio contra reſtrictiones mentales. Si enim continentur intra terminos pietatis, & ſinceritatis, neceſſariæ non ſunt. Nam omnia quæ ipſæ præſtare poſſunt, præſtabunt conſignificantes circumſtantiæ. Quod ſi tales dicantur, ut etiam ibi admittendæ ſint, ubi deſunt circumſtantiæ ſignificantes,* [*ignoſcant mihi earumdem au-*

auctores, & propugnatores] tollunt humanam ſocietatem, & ſecuritatem, & tanquam peſtiferæ damnandæ ſunt. Quoniam ſemel admiſſæ aperiunt omni mendacio, omni periurio viam. Et tota differentia in eo erit ut quod heri vocabatur mendacium, naturam, & malitiam non mutet, ſed nomen, ita ut hodie iubeatur Reſtrictio mentalis *nominari: quod eſt virus condire ſacchaxo, & ſcelus ſpecie virtutis colorare.* Adeo hæc perſpicua ſunt, adeo luculenta, ut nulla cavillatione implicari valeant. Caramuel ipſe, qui in laxanda evangelica, & naturali lege palmam ceteris præripuit, haud potuit tam manifeſtæ veritati oculos claudere. Quæ olim mendacia, poſt reſtrictiones *pure mentales*; & quæ olim reſtrictiones pure mentales, iam *reſtrictiones externæ* appellantur.

X. Ex iis quæ diximus, variæ pro praxi eliciuntur regulæ. *Prima* eſt. Si factum quod ſub ſermone cadit, non admittit ſuapte natura verba æquivoca, quæ iuxta communem intelligentiam varios excipiant ſenſus, abſolute ab audiente intelligibiles; nullo modo licitum eſt reſpondenti ex neceſſitate occultandæ veritatis uti his locutionibus, *Neſcio illud factum, ut manifeſtabile*; *Non feci*, ſubintelligendo, *ut tibi illud revelem*; vel *Neſcio illud*, ſubintelligendo *ſcientia communicabili*; *non habeo pecunias*, ſubintelligendo *ad tibi dandas*. Hæ omnes locutiones, quas univerſaliter adhibendas ſtatuunt Probabiliſtæ ad occultandam veritatem, quæ revelata grave incommodum paſeret, ſunt abſolute reſtrictiones pure mentales ab Eccleſia damnatæ, ſeu ſunt pura putaque mendacia.

XI. *Secunda regula*. Aliquando factum ſupra quod cadit interrogatio, admittit locutionem amphibologicam, vel quia perſona reſpondens gerit munus duplicis perſonæ, ut Confeſſarius, ſecretarius Principis &c. de quibus infra, quæ ſunt circumſtantiæ revera externæ; vel quia conditio peculiaris illius facti ſubminiſtrat reſponſioni verbum æquivocum: & tunc licita eſt, gravi cauſſa impellente, amphibolia.

XII. *Tertia regula*. Locutiones amphibologicæ, licet interdum ſatis ſint ad occultandam aliquam veritatem interrogatoribus obtuſis, aut iis quorum parum refert eam ſcire; ſæpe tamen ineptæ ſunt ad occultandam veritatem magni momenti interrogatoribus vafris, & verſipellibus, qui æquivocationem deprehendere valent, atque reſpondentem ad incitas redigere, ut præciſe reſpondeat. Quid ergo tum agendum? Infra declarabo.

XIII. *Quarta regula*. Quando ſagax interrogator æquivocam, ſeu amphibologicam reſponſionem deprehendit, urgetque reſpondente mut præciſe, & candide reſpondeat, ut omittat amphibolias, & reſtrictiones omnes, non poteſt reſpondens uti amphibolia reflexa uſque in infinitum, ut docent recentiores plurimi; ſed debet repellere iniuſtum interrogatorem modo infra explicando.

XIV. *Quinta regula*. Ex præcedenti regula clariſſime conſtat, recentiores præfatos

tos reſtrictiones pure mentales, & conſequenter mendacia docere. Tantum ſiquidem abeſt ut eorum locutio amphibologica externa ſit; quin ita interna eſt, ut audiens nullo excogitabili modo poſſit vi talis locutionis deprehendere ſenſum loquentis. Hic enim ita reſtringit, & claudit intra mentem ſenſum ſuum, ut iuret ſe nulla uti æquivocatione; quemadmodum docent communiter recentes Probabiliſtæ cum Sanchez *Lib. III. cap.* VI. *num.* 45.

XV. *Sexta regula*. Quando quis utitur amphibolia in ſenſu quem confidit non perceptum iri ab audiente, quem tamen perciperet, ſi adverteret; non intendit illius deceptionem, ſed occultationem veritatis, quam cuſtodire tenetur; deceptionem vero audientis ſolum permittit.

XVI. *Septima regula*. Ut omnes cauſſas neceſſarias ad licitum uſum amphiboliæ externæ perſpectas habeas, eas ad quatuor capita redactas ob oculos pono. Prima, quod iuſta, & graviſſima cauſſa urgeat. Secunda, quod reſpondens non teneatur ex iuſtitia, aut religione, aut obedientia veritatem nude patefacere; ſed ius habeat illam celandi. Tertia, quod veritatis occultatio ita proſit loquenti, ut nulli noceat. Quarta, quod verba vi ſua, aut vi circumſtantiarum referant ſenſum loquentis, intelligibilem ab audiente, ſi advertere velit.

XVII. *Octava regula*. Ex hucuſque dictis patet non eſſe quæſtionem de nomine, dum rationes impugnantur quibus recentes defendunt amphibologicas locutiones. Nam, ſi admittatur, verba privari ſignificatione ex Reipublicæ conſenſu; aut licitum eſſe uſum notitiæ communicabilis, & incommunicabilis, qualibet gravi urgente cauſſa, reſpectu omnium perſonarum, & factorum; iam ſtatuitur regula generalis, ob grave malum vitandum ſemper licitum eſſe veritatem celare media amphibolia, ſive res quæ narratur, aut occultatur, excipiat, ſive non excipiat æquivocationem. Quod eodem recidit ac ſi dicatur, mendacia licita eſſe, cauſſa gravi urgente. Hoc vero aſſero ab Eccleſia damnatum fuiſſe. Igitur ibi tantum amphibolias admittimus ubi revera aut circumſtantia vere externa perſonæ, aut factum ipſum verba æquivoca ſubminiſtret, ipſamque locutionem ingrediatur; & amphibolia inſuper talis ſit, ut valeat ab acuto auditore deprehendi. Hoc autem non ita frequenter occurrit. Id ſolum potius de nomine eſt, num reſtrictiones mentis, quas plures etiam poſt Innocentium XI. defendunt, debeant aut mendacia, aut mentales reſtrictiones appellari. Nam reſtrictiones mentis ob graviſſimas cauſsas vitæ, honoris, rerum familiarium ſervandarum, ut mendacia, damnavit Pontifex ſummus. Videant ergo quomodo cenſuram pontificiam evadere queant illi qui ſcribunt, reſtrictiones mentis eſse prohibitas in quotidiano uſu (*a tutto paſto*) non ob graves cauſsas.

XVIII. *Nona regula*. Quoniam hæc quæſtio pluribus circumſtantiis eſt ſubiecta, non poteſt ſtatui regula generalis, & præciſa, quæ omnibus caſibus valeat accommodari.

Nos

Nos certe conati ſumus & ſententiam recentiorum ſuo in lumine collocare, & quæſtionis ſtatum exponere, & regulas, quoad fieri potuit, præciſas præſcribere. Nihilominus adhuc multa declaranda ſuperſunt, quæ ſigillatim explicabimus diſſertatione ſequenti, in qua plurimos caſus reſolvemus ad hanc materiam attinentes.

CAPUT XVIII.

Sacræ Scripturæ textus quos antiqui pro tuendis mendaciis, & recentes pro defendendis mentis reſtrictionibus opponunt, exponuntur.

I. OMnes Scripturæ textus quos antiqui in mendaciorum favorem producebant, afferunt quoque recentiores, ut mentales propugnent reſtrictiones. Qui ſcripſerunt ante Innocentium XI. eoſdem omnino textus pro reſtrictionibus *pure* mentalibus allegabant quos nunc pro reſtrictionibus *non pure* mentalibus laudant poſtremi Scriptores; quod ſatis eſſe deberet ad demonſtrandum, ex præfatis textibus nihil neque in mendaciorum, neque in reſtrictionum mentalium favorem elici poſſe. Plurimos Scripturæ textus refert Caramuel in Libro qui inſcribitur *Hapoletes*. Eos tantum nos recenſebimus qui negotium faceſſere poſſunt.

II. Obiiciunt itaque I. Abraham *Gen.* XII. & XX. vocavit Saram ſororem ſuam: *Soror mea eſt*: quæ tamen erat illius uxor. II. Idem Abraham cum ad montem pergeret, ut immolaret, ſicut mandatum acceperat a Deo, filium ſuum Iſaac, dixit ad pueros ſuos Gen. XXII. *Expectate hic cum aſino: ego, & puer illuc uſque properantes, poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos*. III. Mentitus quoque videtur Iacob, cum ſe Eſau ſimulavit, ut paternam aſſequeretur benedictionem Gen. XXVII. *Ego ſum primogenitus tuus Eſau*. IV. Mentitæ ſunt obſtetrices AEgyptiæ, dum Pharaoni conquerenti, quod Hebræorum mares, ut ipſe iuſſerat, non interfeciſſent, reſponderunt: *Non ſunt Hebrææ, ſicut AEgyptiæ mulieres: ipſæ enim obſtetricandi habent ſcientiam, & priuſquam veniamus ad eas, pariunt. Bene ergo fecit Deus obſtetricibus ... & quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificavit eis domos*. Exod. I. V. Mentitus videtur Angelus Tobiam alloquens his verbis: *Ego ſum Azarias, Ananiæ magni filius*. Tob. V.

III. Antequam ad ſingula reſpondeamus, cum D. Auguſtino advertimus, plurima in ſacra Scriptura haberi quæ mendacia abſolute videntur; attamen, ut inquit Auguſtinus, mendacia non ſunt, ſed myſteria; aut, ſi mendacia, imitanda minime ſunt. En verba D. Auguſtini *Lib. cont. mend. cap.* XV. adverſus Priſcillianiſtas. *Ad te igitur pertinet, ſectam deteſtabilem cum refellis, ſic accipienda monſtrare iſta-*

Digitized by Google

teſtimonia Scripturarum, ut vel doceas non eſſe quæ putantur mendacia, ſi eo modo intelligantur quo intelligenda ſunt; vel imitanda non eſſe quæ manifeſtum eſt eſſe mendacia... Ad oſtendenda ergo, quæ putantur in Scripturis eſſe mendacia, non ea eſſe quæ putantur, ſi recte intelligantur, non tibi parum adverſus iſtos valere videatur quod non de apoſtolicis, ſed de propheticis litteris inveniunt velut exempla mentiendi. Illa enim quæ nominatim commemorant, ubi ſit unuſquiſque mentitus, in iis libris leguntur in quibus non ſolum dicta, verum etiam facta multa figurata conſcripta ſunt, quia figurate geſta ſunt. Hæc Auguſtini doctrina ſatis eſſet ad ſolvendas omnes difficultates quæ ex S. Scriptura opponi ſolent. Nihilominus tamen in maiorem veritatis confirmationem ad ſingula reſponſum dabimus.

IV. Reſp. Ad primum reſpondet D. Auguſtinus *Lib. cont. mend. cap.* x. his verbis. *Qui aſſerunt, aliquando eſſe mentiendum, non convenienter commemorant Abraham hoc feciſſe de Sara, quam ſororem ſuam dixit. Non enim dixit, Non eſt uxor mea; ſed dixit,* Soror mea eſt: *quod erat revera tam propinqua genere, ut ſoror non mendaciter diceretur. Quod & poſtea iam ſibi ab illo qui abduxerat, ea reddita, confirmavit, reſpondens illi, & dicens:* Eſt vere ſoror mea de patre, non de matre, *hoc eſt de paterno genere, non de materno. Aliquid vero veri tacuit, non falſi aliquid dixit, quando tacuit uxorem, dixit ſororem. Hoc & filius eius fecit Iſaac. Nam & ipſum novimus propinquam ſuam coniugem fuiſſe ſortitum. Non eſt ergo mendacium, quum ſilendo abſconditur verum, ſed quum loquendo promitur falſum.*

V. Ad ſecundum reſpondet idem Auguſtinus, nequaquam Abraham mentitum fuiſſe, ſed prophetaſſe: certiſſime namque ſperabat Deum, qui paullo ante illi dixerat, *In Iſaac vocabitur tibi ſemen*, eumdem Iſaac mortuum ſuſcitaturum, ut ipſe D. Paulus declarat ad Heb. xi. *Fide obtulit Abraham Iſaac, cum tentaretur, & unigenitum offerebat, qui ſuſceperat repromiſſiones: ad quem dictum eſt: Quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen: arbitrans quia & a mortuis ſuſcitare potens eſt Deus.* Quam interpretationem declarat Auguſtinus Lib. VI. de Civ. Dei cap. xxxii. *Non dubitavit quod ſibi reddi poterat immolatus qui dari potuit non ſperatus.*

VI. Ad tertium idem Auguſtinus reſpondet Lib. cont. mend. cap. x. *Iacob, quod matre fecit auctore, ut patrem fallere videretur, ſi diligenter, & fideliter attendatur, non eſt mendacium, ſed myſterium: quæ ſi mendacia dixerimus, omnes etiam parabolæ, ac figuræ ſignificandarum quarumcumque rerum, quæ non ad proprietatem accipiendæ ſunt, ſed in eis aliud ex alio intelligendum, dicentur eſſe mendacia: quod abſit omnino. Nam qui hoc putat, tropicis etiam tam multis locutionibus omnibus poteſt hanc importare calumniam; ita ut hæc ipſa quæ appellatur metaphora, hoc eſt de re propria ad rem non propriam verbi alicuius uſurpata translatio, poſſit iſta ratione mendacium nuncupari. Cum enim dicimus fluctuare ſegetes, gemmare vites, floridam iuventutem, nivem caniciem; proculdubio fluctus, gemmas, florem, nivem, quia in*

his

bis rebus non invenimus in quas hæc verba aliunde tranſtulimus, ab iſtis mendacia putabuntur . . . Si autem non eſt mendacium, quando ad intelligentiam veritatis aliud ex alio ſignificantia referuntur; profecto non ſolum id quod fecit, aut dixit Iacob patri, ut benediceretur, ſed neque illud quod Ioſeph velut illudendis locutus eſt fratribus, nec quod David ſimulavit inſaniam, nec cetera huiuſmodi, mendacia iudicanda ſunt; ſed locutiones, actioneſque propheticæ, ad ea quæ vera ſunt, intelligenda referendæ: quæ propterea figuratis velut amictibus obteguntur, ut ſenſum pie quærentis exerceant, & ne nuda, ac prompta vileſcant. Item Lib. de Civ. Dei XVI. cap. XXXVII. *Quis eſt in iſta benedictione percipienda dolus hominis ſine dolo? Quis eſt dolus ſimplicis, quæ fictio non mentientis, niſi profundum myſterium veritatis?* Multi tum ex antiquis, tum ex recentibus Scriptoribus docent, Iacob fuiſſe mentitum; ſed ſimul docent, qui catholici ſunt, mendacium illud non eſſe imitandum.

VII. Ad quartum reſpondet Auguſtinus Lib. cont. mend. cap. XV. *Sed quod ſcriptum eſt bene Deum feciſſe cum Ægyptiis obſtetricibus, & Raab Hierichuntina meretrice, non ideo factum eſt, quia mentitæ ſunt, ſed quia in homines Dei miſericordes fuerunt. Non eſt itaque in eis remunerata fallacia, ſed benevolentia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis.*

VIII. Ad quintum reſpondeo, Angelum Raphaelem hominis perſonam repræſentaſſe, & humano more locutum fuiſſe: neque enim Tobias, eum alloquens, Angelum, ſed hominem reputabat. *Ignorans quod Angelus Dei eſſet, ſalutavit eum.* Tob. V. verſ. 6. Conſequenter Raphael Tobiæ ſeniori interroganti: *Indica mihi de qua domo, aut de qua tribu es tu*: reſpondit: *Ego ſum Azarias Ananiæ magni filius*. Quoniam, ſicut perſonam præferebat humanam, ita quoque & ſtirpem Iſraeliticam, & genus paternum ex illuſtri proſapia magni Azariæ abſque mendacio referebat. Ananiæ autem potius quam alterius filium ſe dixit, quia Ananias hebraice eſt, ut inquit Sanctes Pagninus, *donum, & miſeratio, & glorificatio Dei*. Porro omnes Angeli ſunt filii Dei. Ideo, more humano loquens patrem allegavit, qui ſimul & Tobiæ innoteſceret, & cæleſtem ſuam originem clauderet. Quare eius locutio fuit, ut cum Auguſtino loquamur, *non mendacium, ſed myſterium*. Quemadmodum enim Confeſſarius & hominis, & Dei perſonam gerit; ſic & Angelus qui Dei legatione fungitur ſub ſpecie hominis. Et ſicut Confeſſarius ſine mendacio quædam proferre poteſt ut homo, & quædam ut Dei miniſter; ſic & Angelus in humano commercio more humano loqui poteſt ſine mendacio. Plurimos alios Scripturæ textus, quos expendit Auguſtinus, miſſos facio. Nam ſi quis etiam obfirmate contenderet, aliquem ex ſanctis Patriarchis mentitum fuiſſe; non ob id quidquam concluderet adverſus noſtram, & communem Catholicorum ſententiam: quoniam tunc mendacium reiiceremus, tamquam imitatione indignum. Lubet tranſcribere verba Auguſtini ex Lib. cont. mend. cap. IX. *Unde conſtat*

ſtat quod non omnia quæ a ſanctis vel iuſtis viris legimus facta, transferre debeamus in mores; ſed etiam hinc diſcere quam late pateat, & quouſque perveniat quod Apoſtolus ait Galat. VI. Fratres, etſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, inſtruite huiuſmodi in ſpiritu lenitatis, intendens te ipſum, ne & tu tenteris. . . . *In omnibus autem actibus noſtris maxime etiam bonos turbant compenſativa peccata, ita ut nec peccata exiſtimentur, ſi habeant tales cauſſas propter quas fiant, & in quibus videatur peccari potius, ſi non fiant.*

CAPUT XIX.

Aliqui textus evangelici adducuntur, qui afferri ſolent in favorem reſtrictionum mentalium, & explicantur.

I. Non modo ex veteri teſtamento, ſed etiam ex Evangelio aliqui obiiciuntur textus in favorem reſtrictionum mentalium. Tres celebriores referam. Primus habetur Ioan. VII. verſ. 8. *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc, ego autem non aſcendo ad diem feſtum iſtum: quia meum tempus nondum impletum eſt. Hæc cum dixiſſet, ipſe manſit in Galilæa. Ut autem aſcenderunt fratres eius, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum, non manifeſte, ſed quaſi in occulto.* Alium textum opponunt ex Matth. XXIV. & Marc. XIII. verſ. 32. *De die autem illo, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cælo, neque Filius, niſi Pater.* Alium denique ex Luca cap. XXIV. verſ. 28. *Et ipſe ſe finxit longius ire.*

II. Antequam ad ſingulos textus reſponſum præbeam, cum D. Auguſtino animadverto, Chriſtum Dominum plurima in Evangelio figurate, & ſub parabolarum tegumentis locutum fuiſſe. Quæ vero imperitis mendacia videntur, myſteria ſunt, figurat æque locutiones. Sed Auguſtinum audiamus Lib. de mend. cap. XXI. *Elucet itaque, diſcuſſis omnibus, nihil aliud illa teſtimonia Scripturarum monere, niſi numquam eſſe omnino mentiendum. Quandoquidem nec ulla exempla mendaciorum imitatione digna in moribus, factiſque Sanctorum inveniuntur, quod ad eas attinet Scripturas quæ ad nullam figuratam ſignificationem referuntur, ſicut ſunt res geſtæ in Actibus Apoſtolorum. NAM DOMINI OMNIA IN EVANGELIO, QUAE IMPERITIORIBUS MENDACIA VIDENTUR, FIGURATAE SIGNIFICATIONES SUNT.*

III. Nonne omnes fatemur, Scripturæ textus plures excipere ſenſus, quorum alii clariores, alii obſcuriores ſunt, alii ſpirituales, alii litterales? Hinc eſt quod Deus, ut confuſionem tolleret, ſtatuit Eccleſiam ſuam eſſe ſupremum iudicem, nulli errori obnoxium, qui decernat, definiatque legitimum, & genuinum ſenſum a fal-

a falſo. Quia vero extra hanc unicam Eccleſiam quiſque ſibi ius uſurpat interpretandi Scripturas, quiſque etiam propriam profitetur religionem, inter quos nullus ordo, nulla unitas, nulla Eccleſia, ſed confuſio, & maxima perturbatio. Porro, ſi in noſtris ſermonibus licitum foret ſacros Scriptores imitari in uſu figurarum, troporum, & allegoriarum, humanum commercium abrumperetur; omniaque confuſa, & perturbata evaderent; & Reſpublica humana eligere ſupremum iudicem, ſeu interpretem noſtrarum locutionum deberet; ſicuti Deus pro Scripturæ ſanctæ interpretatione deſignavit Eccleſiam. Verum, ut his incommodis occurreret, nobis in ſuo Evangelio formam locutionis in reſponſionibus adhibendam præſcripſit his verbis: *Sit ſermo veſter: Eſt eſt, non non*. His præmiſſis, ad ſingulos textus reſpondeo.

IV. Primus qui opponitur textus nullam præfert difficultatem, ſi integer conſideretur. Nec opus eſt ut ad textum græcum recurramus, in quo, loco *Non* legitur, *Nondum aſcendo*, ut obſervat Ianſenius Gandavenſis in ſua *Concord. cap.* LXXIII. & Eraſmus ipſe fatetur, exemplaria a ſe viſa pro *non* habere *nondum*. Sed his non indigemus: quia ſenſus illius narrationis clarus, & obvius eſt. Siquidem Chriſtus ſciebat, tempus paſſionis ſuæ nondum adveniſſe; prævidebatque fratres ſuos, ſeu conſanguineos evulgaturos eius iter in Iudæam, ſi illud illis manifeſtaſſet; ac proinde Iudæos ipſum ad mortem quæſituros. Hæc omnia ex textu prævio patent. *Dixerunt autem ad eum fratres eius: Tranſi hinc, & vade in Iudæam, ut & diſcipuli tui videant opera tua.* Quid primum reſpondit Chriſtus? *Tempus meum nondum advenit*: verſ. 7. Porro addit verſ. 8. *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc: ego autem non* [vel ſecundum græcum textum, qui primæ reſponſioni optime cohæret, *nondum*] *aſcendo ad diem feſtum iſtum*. Dixit ergo Chriſtus, *Non aſcendo*, ut occultaretur; addidit *iſtum*, ne mentiretur. Hæc interpretatio tota eſt Auguſtini ſerm. CLXXII. nov. edir. num. 7. *Hoc ergo ne illi prævenirent, & eum venturum eſſe nuntiarent, & præpararentur inſidiæ*, Non aſcendo, *inquit*, ad diem feſtum iſtum. *Dixit*, Non aſcendo, *ut occultaretur*; *addidit* iſtum, *ne mentiretur*. *Aliquid intulit, aliquid diſtulit; nihil tamen falſi dixit.*

V. Hæc interpretatio adhuc clarior evadet, ſi & rationem quam Chriſtus allegat, & verba quibus ſuum iter in Hieruſalem narrat, conſideraverimus. Porro hæc eſt ratio cur Chriſtus non aſcendit. *Quia meum tempus*, inquit, *nondum advenit*. Ecce quomodo ex verbis ipſius Chriſti manifeſte colligitur, ipſum non negaſſe abſolute, ſe profecturum in Hieruſalem; ſed ſolum dixiſſe, ſe cum ſuis fratribus, & publico ſtipatum comitatu, nolle aſcendere. Bis ſiquidem repetit, tempus ſuum *nondum* adveniſſe, ſeu *nondum* impletum eſſe: & relate ad hanc reſponſionis formam intelliguntur alia verba, *non aſcendo*: quia nondum venit hora mea. Nonne ex hac reſponſione quilibet prudens colligit: Ergo aſcendet, cum

ipſe iudicabit tempus ſuum adveniſſe ? Hæc omnia, non vi alicuius reſtrictionis internæ, ſed vi verborum manifeſta ſunt. Atque confirmantur, ſi advertamus feſtum Scenopegiæ, de quo nunc eſt ſermo, pluribus diebus conſtaſſe, quarum prima ſolemnior erat. Negavit ergo Chriſtus ad primam, vel ſecundam diem, ad quam ibant eius fratres, ſe aſcenſurum: & ideo dixit, *Nondum advenit* &c. Aſcendit autem poſtea, nempe tertia, aut quarta die, *non manifeſte, ſed quaſi in occulto*: quæ verba non eum ſenſum produnt, ut Chriſtus in mente retinuerit illud *manifeſte*; & quod illius reſponſio vera ſit, attenta eiuſmodi reſtrictione mentali, ſicuti contendebant olim Auctores reſtrictionum *pure* mentalium, & nunc contendunt Auctores reſtrictionum earumdem, quas tamen *non pure* mentales oretenus aliqui vocant. Hæc falſiſſima interpretatio opponi ad ſummum poſſet, ſi eadem ipſa die aſcendiſſet in templum Chriſtus; aut niſi verbis externis declaraſſet ſe reipſa non aſcenſurum ad feſtum illud ad quod fratres ſui aſcendebant Immo, inquit Auguſtinus, non temere dixit, Vos aſcendite *ad hunc*, ego non aſcendo *ad iſtum*; ſed addit *iſtum*, ne mentiretur, indicans quod mentitus fuiſſet, ſi adverbium illud *manifeſte* in mente retinuiſſet, nihil exterius addendo: & propterea addidit *iſtum*, ne mentiretur. Hæc omnia iterum evidenter confirmat Auguſtinus *tract.* XXVIII. *in Ioannem*. „ *Non ad hunc*, ideſt ad quem vos vultis, „ primum, vel ſecundum diem. Aſcendit autem poſtea, ut Evangelium loquitur, „ *mediato die feſto*, ideſt quum iam illius diei feſti *tot dies præteriiſſent* quam re„ manſiſſent. Ipſam enim feſtivitatem, quantum intelligendum eſt, diebus pluri„ bus celebrabant. " Hæc eſt unica, & germana interpretatio, quæ naturaliter ex ſenſu litterali profluit. Quoniam Chriſtus reſpondit iuxta mentem petentium, qui poſcebant ut aſcenderet ſecum palam. *Tranſi hinc, & vade in Iudæam, ut & diſcipuli tui videant opera tua quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipſe palam eſſe. Si hæc facis, manifeſta te ipſum mundo.* In ſenſu ergo interrogantium reſpondit Chriſtus ſe non aſcendere: ſicuti ſi dixiſſent, *Veni nobiſcum*; & ipſe reſpondiſſet, *Nolo venire*.

VI. Ad ſecundum textum, qui difficilior eſt, multiplex eſt Patrum reſponſio; nulla tamen favet reſtrictionibus mentalibus. In primis D. Ambroſius *Lib. V. de fide cap.* VII. cum pluribus aliis dubitavit, num illa particula *neque Filius* ad textum pertineat, an ab Arianis ſubdole addita ſit. Textus enim evangelicus Matthæi ſic habet: *De die autem illa, & hora nemo ſcit, neque Angeli cælorum, niſi ſolus Pater*. Hieronymus vero in hunc locum Matthæi ſcribit ſuo tempore in quibuſdam latinis codicibus eiuſdem Matthæi additam fuiſſe particulam *neque Filius*; quæ tamen in græcis, & maxime *Adamantii*, & *Pierii*, exemplaribus non habebatur. *Sed*, inquit Hieronymus, *quia in nonnullis legitur, diſſerendum videtur . . . Igitur quia probavimus non ignorare Filium conſummationis diem, cauſa* red-

reddenda eſt cur ignorare dicatur . . . Poſt reſurrectionem interrogatus ab Apoſtolis de die, manifeſtius reſpondit : Non eſt veſtrum ſcire tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. *Quando dicit*, Non eſt veſtrum ſcire, *oſtendit quod ipſe ſciat ; ſed non expediat noſſe Apoſtolis . . . denique & conſequens Evangeli ſermo idipſum cogit intelligi. Dicens quoque Patrem ſolum noſſe, in Patre compreihendit & Filium. Omnis enim Pater Filii nomen eſt.*

VII. P. Dominicus Soto *in IV. Sentent. diſt.* xliii. *quæſt.* ii. *art.* 2. de laudato textu ſcribens inquit : *Nihilominus nefas eſſet, & hæreſis dubitare, ut quidam hæſitant, illam apud Marcum vocem exiſtere, propterea quod non ſit apud Matthæum.* Et poſt Concilium Tridentinum nemo Catholicorum hac de re quæſtionem movet. Soto loco laudato comparat Chriſtum Confeſſario : ſicut enim Confeſſarius multa ſcit ut Dei miniſter, quæ ignorat ut homo eſt in humano commercio; ita & Chriſtus, ut legatus Patris æterni, multa habebat ſub ſigillo quæ, prout magiſtrum exercebat Apoſtolorum, ſe neſcire dicebat.

VIII. D. Auguſtinus pluribus in locis explicat laudatum textum. Ennar. in Pſalm. vi. *Ubi erit ergo quod nec Filius hoc novit ? Quod utique ideo dictum eſt, quia per Filium homines hoc non diſcunt, non quod apud ſe ipſe non noverit, ſed ſecundum illam locutionem*, Tentat vos Dominus Deus veſter, ut ſciat : *Deuter.* xiii. *ideſt ſcire faciat vos : & :* Exurge Domine ; *ideſt, fac nos exurgere. Cum ergo ita dicatur neſcire Filium hunc diem, non quod neſciat, ſed quod neſcire eos faciat quibus hoc non expedit ſcire, ideſt non eis hoc oſtendat* &c. Similia ſcribit Auguſtinus Lib. I. de Trinit. cap. xii. *Hoc enim neſcit quod neſcientes facit ; ideſt quod non ita ſciebat, ut tunc diſcipulis indicaret ; ſicut dictum eſt ad Abraham :* Nunc cognovi quod timeas Deum : *Gen.* xxii. *ideſt nunc feci ut cognoſceres : quia & ipſe ſibi in illa tentatione probatus innotuit. Nam & illud utique dicturus erat diſcipulis tempore opportuno: de quo futuro, tamquam præterito, loquens ait :* Iam non dicam vos ſervos, ſed amicos. Servus enim neſcit voluntatem Domini ſui. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. *Ioan.* xv. *Quod nondum fecerat ; ſed quia certo facturus erat, quaſi iam feciſſet, locutus eſt : ipſis enim ait :* Multa vobis habeo dicere, ſed non poteſtis illa portare modo : *Ioan.* xvi. *Inter quæ intelligitur & de die, & hora.*

IX. Si omnia quæ in Evangelio a Chriſto dicta referuntur, litteraliter explicare velimus, multa & pugnantia, & mendacia imperitis apparebunt ; ſed peritis myſteria ſunt, & propheticæ locutiones. Chriſtus, inquit Auguſtinus, non raro pro futuro præteritum, & contra, uſurpat. Numquid & nobis licita erit eiuſmodi locutio ? Sæpe etiam Deus verbum *ſcio* uſurpat pro approbatione, & *neſcio* pro reprobatione, ut docet Auguſtinus Lib. lxxxiii. quæſtionum, quæſt. lx. *Sic-*

ut

Digitized by Google

ut ſcire Deus dicitur, etiam cum ſcientem facit; ſicut ſcriptum eſt: Tentat vos Dominus Deus veſter, ut ſciat ſi diligatis eum. *Non enim ſic dictum eſt hœc, quaſi neſciat Deus, ſed ut ipſi ſciant, quantum in Domini dilectione profecerint; quod niſi tentationibus, quæ accidunt, non plene ab hominibus agnoſcitur. Et ipſum* tentat *pro eo poſitum eſt quod tentari ſinit. Sic & cum dicitur neſcire, aut pro eo dicitur quod non approbat, ideſt in diſciplina, & doctrina ſua non agnoſcit, ſicut dictum eſt,* Neſcio vos; *aut pro eo, quod utiliter neſcientes facit, id quod ſcire inutile eſt. Ideo bene accipitur id quod dictum eſt, ſolum ſcire Patrem, ſic dictum eſſe, quia facit Filium ſcire: & quod dictum eſt, neſcire Filium, ſic dictum eſſe, quia facit neſcire homines, ideſt non prodit eis quod inutiliter ſcirent.*

X. Alii Patres, ut Cyrillus *Lib. IX. Theſaur. cap.* IV. & *Lib. II. de fide ad Regin.* Athanaſius *ſerm.* IV. *contra Arianos*, Origenes *hom.* XXX. *in Matth.* Gregorius Nazianzenus *orat.* XXXVI. *num.* 60. citatum locum interpretantur de Chriſto ſecundum humanitatem: non quod Chriſtus ut homo diem illum ignoraverit; ſed quod illum diem vi humanitatis neſcierit, quamvis illum ſcientia infuſa ſciverit. Huic interpretationi accedit quoque S. Baſilius *epiſt.* I. *ad Amphiloc.* Damaſcenus *Lib. III. de fide cap.* XXI. Quare, dum aliqui Patres dicunt, Verbum neſcire illum diem ut hominem, bene vero ut Deum, intelligendi ſunt, dixiſſe Chriſtum, ut hominem, ideſt ex conditione naturæ humanæ, ſeu vi, & merito ipſius humanæ naturæ illum diem ignoraſſe; licet ſcientia infuſa ut homo etiam diem illum manifeſtum habuerit. Hæretici Agnoitæ, quos refert Gregorius *Lib. VIII. regiſ. epiſ.* XLII. Chriſto ut homini ignorantiam tribuebant: quem errorem omnes Catholici damnant.

XI. D. Thomas *III. Par. quæſt.* X. *art.* 2. *ad* 1. confutata interpretatione Arianorum, & Eunomianorum, alias Patrum interpretationes recenſet. Origenes loco citato textum exponit de Chriſto ſecundum corpus eius, quod eſt Eccleſia. Alii interpretantur de filio adoptivo, non naturali. Sic enim inquit Angelicus. *Origenes tamen hoc exponit de Chriſto ſecundum corpus eius, quod eſt Eccleſia, quæ hoc tempus ignorat. Quidam autem dicunt, hoc eſſe intelligendum de filio Dei adoptivo, non naturali.*

XII. Chryſoſtomus *hom.* III. *de Trinit.* Epiphanius *in Ancorato*, & D. Bernardus *Lib. de gradibus humilitatis*, exponunt, Chriſtum locutum fuiſſe de ſcientia practica, quæ executionem ſecum defert: & quia nondum iudicium univerſale exercuerat, ideo dixit, ſe practice neſtire illum diem.

XIII. Omnes iſtas varias interpretationes recenſere congruum duxi, ut hinc lector colligat, quam infirmum ſit argumentum illud quod ex laudato textu obiiciunt defenſores reſtrictionum mentalium. Nam iuxta omnes Patres figurata locu-

Digitized by Google

cutione ibi Chriſtus uſus eſt; quamvis variis modis eam explicent locutionem. Expoſitionem Auguſtini, quæ præ aliis detorqueri poſſet in favorem reſtrictionis mentalis, ex dictis conſtat non modo non favere, ſed aperte eaſdem reſtrictiones oppugnare. Et in primis, ſi laudatus textus faveret reſtrictionibus mentis, ſane faveret reſtrictionibus *pure* mentalibus: & reipſa iſtarum Auctores textum illum ut ſibi faventem afferebant. Hæc namque locutio abſolute prolata, *Neſcio hunc diem*, retento in mente hoc addito, *ad dicendum*, eſt reſtrictio pure mentalis; niſi aliqua circumſtantia exterior, quæ afficiat, & moderetur ipſam locutionem, illam reſtrictionem exteriorem conſtituat. Finis autem utilitatis, vel incommodi eſt quid omnino diſparatum ab ipſa locutione. Hæc ſiquidem utilitas, vel inutilitas communicandi ſcientiam, vel neceſſitas occultandæ veritatis eſt quid univerſale reſpectu cuiuſque locutionis, qua veritas obtegitur: &, cum variæ ſint locutiones, quibus veritas occultatur, non poteſt dictus finis extrinſecus unam præ alia ad peculiarem determinare ſignificationem.

XIV. Secundo verba laudata Chriſti Domini nullo modo detorqueri poſſunt ad defenſionem reſtrictionum mentalium quas homines in civili commercio adhibere illicite ſolent. Nam ea locutio quæ in Chriſti ore vera eſt, in hominibus falſa eſſe poteſt; ſicuti illa reſponſio quæ ore Confeſſarii prolata vera eſt, ore alterius hominis falſa evadit. Quia ſicuti Confeſſarius hominis, & Dei perſonam gerit; & in civili commercio loquitur ut homo, non ut Dei miniſter, qua de re infra: ita ſublimiori modo Chriſtus Dominus, & divinæ legationis, & populorum magiſtri officia exercebat, Deus & homo, legatus æterni Patris & generis humani Doctor reipſa erat. Ratione harum dignitatum plura proferre poterat ut vera, quæ in privato homine eſſent falſa. Plura proferebat ad mentem interrogantium, quæ illi nota erat. Plures eſſe potuerunt circumſtantiæ ipſam reſponſionem afficientes, quæ reſponſionem illam diſcipulis petentibus intelligibilem reddere potuerunt. Quæ omnia nobis cum ſint ignota; & cum nullus homo Chriſti dignitates varias, & infinitas poſſideat: conſequitur, nullum hominem arrogare ſibi poſſe omnes formulas loquendi quibus Chriſtus utebatur; quemadmodum nec Confeſſarii locutiones omnes ceteri homines licite adhibere valent.

XV. Tandem concludo cum D. Auguſtino Lib. de mend. cap. XXI. *Domini omnia in Evangelio, quæ imperitioribus mendacia videntur, figuratæ ſignificationes ſunt*. Quare iure ac merito Clerus Gallicanus anno 1700. damnavit ſequentem propoſitionem: *Patriarchæ, Prophetæ, Angeli, ipſe Chriſtus æquivocationibus, ſive amphibologiis, & reſtrictionibus uſi ſunt*. Hanc, inquam, propoſitionem his cenſuris perſtrinxerunt doctiſſimi illi Patres. *Hæc propoſitio ſcandaloſa eſt, temeraria: myſtice, prophetice, parabolice, ſive œconomice ad inſinuandam alterius veritatem dicta, vel tacita cum vulgaribus geſtis confundit: Sanctorum acta ludis*

dibrio vertit: ipſis etiam Angelis iniurioſa: erga Chriſtum contumelioſa, & impia.

XVI. Impia ſane eſt præfata propoſitio: quia peccatum Chriſto Domino tribuit. Omnes namque Doctores, vel ipſi reſtrictionum defenſores, fatentur peccatum eſſe uti reſtrictionibus mentis, ſeu amphiboliis abſque neceſſitate. Porro nulla neceſſitas excogitari in Chriſto poteſt quæ illum ad violandam ſinceritatem adegerit; cum innumeris modis potuiſſet ſua infinita ſapientia & celare quæ celanda erant, & manifeſtare manifeſtanda. Reliquum ergo eſt ut Prophetarum, & potiſſimum Chriſti Domini, reſponſa, & oracula, tamquam myſteria, & figuratas locutiones, profundo obſequio veneremur; & illam formulam in locutionibus noſtris adhibeamus quam ille nobis præſcripſit: *Sit ſermo veſter, Eſt eſt, non non.*

XVII. Ad ultimum reſpondet Auguſtinus Lib. cont. mendac. cap. XIII. *Hinc eſt etiam illud quod commemoraſti, eos dicere, Dominum Ieſum, poſteaquam reſurrexit, ambulaſſe in itinere cum duobus diſcipulis, & propinquantibus eis caſtello, quo ibant, illum longius ſe ire finxiſſe. Ubi Evangeliſta dicens*, Ipſe autem ſe finxit longius ire, *etiam ipſum verbum poſuit quo mendaces nimium delectantur, ut impune mentiantur, quaſi mendacium ſit omne quod fingitur; cum veraciter aliud ex alio ſignificandi gratia tam multa fingantur. Si ergo nihil aliud ſignificaſſet Ieſus in eo quod longius ire ſe finxit, merito iudicaretur eſſe mendacium. Porro autem, ſi bene intelligatur, & ad id quod voluit ſignificare, referatur, invenitur eſse myſterium.* En quomodo ſemper Auguſtinus, ut geſta, & dicta Redemptoris noſtri a mendacio, vel amphibolia immunia oſtendat, ad *myſteria*, ſeu ad myſticas, figurataſque ſignificationes confugit. *Hæc dixi*, ſubdit Auguſtinus, *propter id quod ſcriptum eſt de Ieſu .... ne quiſquam ex hoc verbo, ſicut Priſcillianiſtæ, licitum volens habere mendacium, inſuper etiam Chriſtum contendat fuiſse mentitum.* Porro hunc textum evangelicum, alioſque relatos, quos in mendaciorum præſidium Priſcillianiſtæ detorquebant, recentiores non pauci in reſtrictionum mentalium favorem inflectunt: nullumque mihi videtur, ut ſæpius dixi, diſcrimen aliud, niſi quod eamdem locutionem ob eumdem finem prolatam, antiqui mendaciorum defenſores (exceptis Priſcillianiſtis, qui etiam in religionis negotio mentiebantur) mendacium appellabant; recentes vero reſtrictionem alii pure mentalem, alii non pure mentalem vocant. Sed de his pluſquam ſatis.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XX.

Aliquæ obiectiones tum a ratione, tum ab exemplis, & doctrina Sanctorum, potiſſimum S. Raymundi, & ex opere Annibaldi vulgo adſcripto D. Thomæ petitæ, reſolvuntur.

I. PAucas tantum obiectiones hic proponam: quoniam diſſertatione ſequenti, in qua omnes caſus quos proponere Auctores reſtrictionum mentalium ſolent, verſabimus, etiam plurimas difficultates quæ occurrere poſſunt, explicaturi ſumus. Hic aliqua dumtaxat prælibabimus, quæ principia univerſalia ſpectant, quæve adverſus ea quæ capitibus præcedentibus docuimus, opponi ſolent.

II. Obiicies 1. Reſtrictiones *pure* mentales ideo damnatæ fuerunt, quia non ob ſolam, & præciſam neceſſitatem illarum Auctores illas ut licitas defendebant; ſed etiam ob utilitatem. Qui ergo illas in ſolo neceſſitatis extremæ, & gravis eventu adhibuerit, non erit cenſuris pontificiis obnoxius. Reſp. Reſtrictiones *pure* mentales ſunt prohibitæ ab Eccleſia, ut vera, putidaque mendacia. Mendacia etiam in extremæ neceſſitatis caſu ſunt vetita, ut omnes docent. Ergo etiam reſtrictiones pure mentales. Utilitas, aut neceſſitas non conſtituunt locutionem veram, aut falſam ſeu mendacem; ſed eam veram, aut falſam ſupponunt. Hæ ſunt argutationes PP. de la Fuente Hurtado, Caſnedi, & aliorum.

III. Obiicies 2. Niſi admittamus reſtrictiones mentales licitas in gravi neceſſitate, aliqua Dei præcepta evadunt impoſſibilia: quandoquidem mentiri ſemper eſt peccatum: violatio ſigilli ſacramentalis ſemper eſt peccatum. Cum immanis tyrannus ad ſigilli violationem cogit, quid tum agendum? Si dicatur, alterutrum neceſſe eſſe, nempe aut mentiri, aut revelare ſigillum; iam conceditur, aliquod Dei præceptum eſſe impoſſibile: quæ hæreſis eſt ab Eccleſia damnata. Remanet itaque via evadendi tranſgreſſionem utriuſque præcepti, quæ alia eſſe nequit, niſi via reſtrictionum mentalium: ſive hæc reſtrictio fiat uſu verborum nihil ſignificantium; ſive uſu duplicis ſcientiæ, communicabilis, & incommunicabilis.

IV. Reſpondetur, obiectionem hanc eſſe purum putumque ſophiſma. Quid reſpondere debeat Confeſſarius tyranno, infra explicabimus. Nunc breviter dicimus, numquam aliquod Dei præceptum obſervatu eſſe impoſſibile; ſicuti numquam præceptum, ſive naturale, ſive divinum, iubet nos cuſtodire ſigillum medio aliquo illicito, puta mendacio, ſeu reſtrictione mentali; ſed ſolum præceptum obſtringit ad illius occultationem vel ſilentio, vel iniuſti interrogatoris repulſu; etiamſi vita

cum

Digitized by Google

cum morte commutanda eſſet. At, quia adverſarii vitam veritati præferunt, ideo neſciunt utriuſque præcepti obſervantiam conciliare: quod Auguſtinus mendaciorum Auctoribus improperat Lib. de mend. cap. xx. *Si quiſquam proponeret ſibi ſic amandam veritatem, non tantum quæ in contemplando eſt, ſed etiam in vero enuntiando, quod in ſuo quoque genere verum eſt, & non aliter proferendam ore corporis ſententiam quam in animo concepta, atque conſpecta eſt; ut fidei veridicam pulchritudinem non ſolum auro, & argento, & gemmis, & amœnis prædiis, ſed & ipſi univerſæ temporali vitæ, omnique corporis bono præponeret: neſcio, utrum ſapienter a quoquam errare diceretur. Et, ſi hoc ſuis omnibus talibus rebus recte anteferret, pluriſque penderet; recte etiam temporalibus rebus aliorum hominum, quos innocentia, benevolentiaque ſua ſervare, atque adiuvare deberet*. Plurima hic habet Auguſtinus quæ ad noſtrum propoſitum pertinent, quæque miſſa facio brevitatis gratia. Id ſolum addimus cum eodem Auguſtino, quod ſi, poſtquam ea omnia quæ licita ſunt, adhibuit homo, quibus ſecretum cuſtodiret, contingeret veritatem quoquo modo manifeſtari abſque culpa ipſius hominis; tunc minime violaretur præceptum ſigilli, ad cuius occultationem nemo obligatur niſi mediis licitis, & honeſtis. Nec enim mendacia dicenda ſunt, ut ſigilla occultentur. Nec neceſſitas occultandi ſigilli tollit quin quod abſolute mendacium eſt, in tali eventu mendacium ſit, quidquid adverſarii dicant. Denique cum Auguſtino ſubdimus, tales contingere eventus poſſe in quibus, omni adhibita diligentia pro veritatis occultatione, nil aliud ſuperſit niſi confugium ad divinam providentiam. Legatur integrum *caput* XVII. *Lib. cont. mend.* ubi, poſtquam oſtendit, debuiſſe mulierem Hierichuntinam reſpondere, *Scio ubi ſint; ſed Deum timeo, non eos prodo*, ad divinæ providentiæ aſylum ſe ſe recipit. *Et ubi ponimus*, inquit, *voluntatem, & poteſtatem Dei? An forte non poterat & illam, nec civibus ſuis mentientem, nec homines Dei prodentem, & illos ſuos ab omni pernicie cuſtodire?*

V. Obiicies 3. Nemo tenetur ad manifeſtandos omnes ſuos mentis conceptus; ſed poteſt occultare unum, alium revelare. Reſp. Iam ſupra hæc obiectio ſoluta fuit. Liberum homini eſt ſuos conceptus inadæquate prodere, ſed debet uti verbis quæ reipſa diſiunctim, & ſeparatim unum præ alio conceptum referant. Si enim verbis utatur quæ univerſe omnes conceptus negent, non poteſt tunc conceptum unum præ alio occultare: puta, ſi dicis, *Non comedi carnes*, hæc verba univerſe negant quarumcumque carnium comeſtionem. Non potes ergo abſque mendacio in mente retinere conceptum carnis humanæ, quando comediſti carnes ſive bovinas, ſive vitulinas &c. quia præfata verba non reſtringuntur ad negandam comeſtionem carnis ſive humanæ, ſive animalis.

VI. Obiicies 4. S. Raymundus de Pennafort in ſua Summa *Lib. I. tit. x. de mendacio, & adul.* proponit ſibi hunc caſum. *Solet dubitari, quid agendum ſit ei a*

quo

quo quæritur aliquis occidendus, quem ipſe ſcit in domo ſua latitare, vel etiam in alio loco. Nam videtur iſte perplexus. Si manifeſtat eum, timet crimen perditionis, & homicidii, cui videbitur dediſse cauſam, oſtendendo perſonam; timet etiam peccatum illorum qui occident eum; & ſic gravius morientur in anima: quod etiam timet in latitante, ſi forte eſt in mortali, & moriatur impœnitens. Si vero non manifeſtat, formidat ipſum mendacium; ſuper quo videtur nullum poſse adhibere remedium.

VII. Reſp. D. Raymundum quodammodo turbaſſe peccata quæ Auguſtinus vocat *compenſativa*, ex hoc textu manifeſte apparet. Tres ſiquidem vias aperit & occultandi innocentem quæſitum ad mortem, & vitandi mendacium. *Ego credo*, inquit, *ſalvo meliori iudicio, quod talis debet eſſe proceſſus*. *Primo debet tacere*. Si autem ſilentium ipſum proderet latentem; *tunc transferat ſe in aliam materiam, quaſi interrogando eum de aliquo facto, vel ſimile*. Quod ſi neque hoc ſatis ſit, utatur verbo æquivoco: *Vel reſpondeat verbum aliquod æquivocum, ut puta, Non eſt hic, ideſt non comedit hic, vel ſimile aliquod*. Verbis æquivocis licitum eſſe uti ad eludendam malitiam iniuſti interrogatoris in cauſſa ſummæ neceſſitatis, fatetur & ipſe ſanctus Raymundus. Debent tamen hæc verba æquivoca duplicem habere ſenſum iuxta communem intelligentiam, quemadmodum habet verbum *eſt* in lingua latina. Qui ergo alio idiomate loquuntur, oportet ut adhibeant verbum quod ſimiliter duplici ſignificatione fruatur in communi exiſtimatione. Ultimo tandem concludit Raymundus. *Vel dic ſimpliciter, quod debet negare, & aſſerere eum non eſſe ibi. Si tamen ſua conſcientia dictat ſibi, quod ita debeat dicere; tunc non dicet contra conſcientiam, immo ſequetur eam, & nullo modo peccabit: nec contradicit in aliquo iſtis Auguſtinus, quia hic non mentietur, ideſt non ibit contra mentem*. Hæc ultima Raymundi reſponſio, non abſoluta, ſed hypothetica eſt. Dicit enim, quod, admiſſa hypotheſi, in qua quis iudicet ſe obligatum eſſe ad negandum, in domo ſua extare hominem quæſitum ad necem, tunc non peccabit. Cur? Quia, ſi conſcientiæ ſuæ dictamen repræſentet, imperetque illi, in tali eventu dicendam eſſe falſitatem ſeu mendacium pro ſalvanda hominis vita, & anima ſimul, nullo modo peccat, quia ſequitur regulam conſcientiæ ſuæ. In talibus enim circumſtantiis dari poſſe ignorantiam invincibilem malitiæ talis mendacii in aliquo homine, concedere videtur Raymundus. Licet enim mendacii abſolute accepti nulla detur ignorantia innocens; nihilominus, quando mendacium talibus graviſſimis circumſtantiis implicatur, videlicet cum profertur pro ſalvanda hominis anima, vitaque ſimul; non eſt adeo evidens, neminem poſſe invincibiliter reputare licitum mendacium. Perpendenda ſunt illa ultima Raymundi verba: *Quia hic non mentietur, ideſt non ibit contra mentem*. Mentem hic ſumit Raymundus pro conſcientia, ut animadvertit etiam Ioannes

de

Digitized by Google

de Friburgo in commentariis ad hunc locum. Quando ergo dicitur, *Mentiri eſt contra mentem ire*, hic mens ſumitur pro ſcientia, ſeu notitia in mente extante: cui notitiæ & cognitioni mendacium formaliter acceptum adverſatur. Ceterum, ſi conſcientia iudicet, dicendum eſſe mendacium pro hominis vita; tunc mendacium illud non erit contra mentem, ſumptam pro conſcientia; licet ſit contra mentem, acceptam pro ſcientia, ſeu notitia, quæ in mente reperitur. Illud autem mendacium eſt contra mentem acceptam tum pro ſcientia, tum pro conſcientia, quod, non animo occultandi veritatem, ſed libidine fallendi fit, inquit Auguſtinus Lib. de mend. cap. XIV. *Quartum, quod fit ſola mentiendi, fallendique libidine, quod merum mendacium eſt . . . . Sextum genus, quod & nulli obeſt, & prodeſt alicui; velut ſi quiſpiam pecuniam alicuius iniuſte tollendam, ſciens ubi ſit, neſcire ſe mentiatur, quocumque interrogante. Septimum, quod nulli obeſt, & prodeſt alicui; veluti ſi nolens hominem ad mortem quæſitum prodere, mentiatur, non ſolum iuſtum atque innocentem, ſed & reum, quia chriſtianæ diſciplinæ ſit ut neque de cuiuſquam correctione deſperetur, neque cuiquam pœnitendi aditus intercludatur. De quibus duobus generibus, quæ ſolent habere magnam controverſiam, ſatis tractavimus, & quid nobis placeret, oſtendimus, ut ſuſcipiendis incommoditatibus, quæ honeſte, & fortiter tolerantur, hæc quoque genera devitentur a fortibus, & fidelibus, & veracibus viris, ac feminis.* Auguſtinus ergo ſtatuit, fortes, fideleſque viros neque pro hominis ſalute, ſive temporali, ſive æterna, mentiri umquam debere. Raymundus vero aſſerit, quod, ſi homo reperiatur tam imbecillis, cui eius conſcientia ſuadeat, in hac difficillima controverſia licitum eſſe proferre mendacium, tunc non peccabit, nec mentietur libidine fallendi, nec ibit contra mentem, ideſt conſcientiam. Hæc eſt germana Raymundi mens.

VIII. Obiicies 4. Annibaldus in III. Sent. diſt. XII. art. 3. ad 2. *Dicendum, quod mendacem orationem proferre potuit* (Chriſtus) *materialiter; non tamen ſignificative, & ideo mendax eſſe non potuit.* Ut reſponſio hæc intelligatur, referenda eſt obiectio. *Si dixero, quod non novi &c.* Ioan. VIII. *Sed hoc dicere potuit. Ergo mendax eſſe potuit.* Clare nunc colligitur, Annibaldum non aliud docere, niſi quod Chriſtus potuit narrare mendacem locutionem Iudæorum, ſeu proferre mendacium materialiter, non ſignificative, ſeu adfirmanter; eo modo quo nos cum Pſalmiſta canimus: *Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus*: quæ ſane verba materialiter, ſeu hiſtorice a nobis enuntiantur. Id clarius evadet, ſi integer evangelicus textus, quem in obiectione Auctor indicat, tranſcribatur. *Et, ſi dixero, quia non ſcio eum, ero ſimilis vobis mendax. Sed ſcio eum, & ſermonem eius ſervo.* Nonne hinc evidentiſſime patet, hiſtorice tantum, ſeu materialiter protuliſſe Chriſtum præfata verba, *Si dixero* &c.? Porro aliud longe diverſum eſt adhibere verba ad exprimendos proprios conceptus materialiter, ſeu ſpoliata omni ſignificatione; quod

quod abſque mendacio fieri nequit. In primo caſu, qui illa profert, non iis utitur, ut ſuos conceptus promat, ſed ut aliena ſenſa narret. Qui vero verba uſurpat, ut ſua ſecreta aliis communicet, iam ordinem pervertit naturæ, ſicuti ſuo loco probavimus, niſi ut ſigna repræſentantia ſenſus internos illa adhiberet.

FINIS TOMI TERTII.

Digitized by Google

INDEX

RERUM, ET VERBORUM

Quæ in hoc Tomo continentur.

A

Adoratio eſt actus quo quis ſe alteri ſubiicit in eiuſdem excellentiæ teſtimonium. *p.* 2. *n.* 1. Alia eſt latriæ, alia duliæ, alia hyperduliæ. *ibid.* Alia interna, alia externa. *ibid. n.* 2. Alia abſoluta, alia reſpectiva. *ibid. n.* 3. Alia quæ creaturis exhibetur ob naturales dotes, & dignitates. *p.* 3. *n.* 4. Datur præceptum naturale & divinum colendi Deum actibus internis, & externis. *ibid. n.* 5. Illud, ut negans, obligat ſemper, & pro ſemper: ut affirmans, ſtatis temporibus. *p.* 4. *n.* 6. Laxa Tamburini, & Recentiorum quorumdam doctrina reiicitur. *ibid.* Cultus latriæ ſoli Deo uni trinoque debetur. *p.* 5. *n.* 1. & *ſeq.* Chriſtus Dominus ut homo adorari poteſt adoratione latriæ. *ibid. n.* 3. Chriſti vero humanitas ut a Verbo divino abſtracta non eſt adoranda adoratione latriæ. *p.* 6. *n.* 4. Practice adorare licet humanitatem Chriſti adoratione duliæ ob ſuas creatas perfectiones. *ibid. n.* 5. Corpus Chriſti in triduo mortis adorandum erat cultu latriæ. *ibid. n.* 6. Hoſtiam a Sacerdote in Miſſa elevatam abſolute adorare licet. *p.* 7. *n.* 7. Caro, vel ſanguis, qui interdum in hoſtia conſecrata per miraculum apparet, adorandus eſt cultu latriæ. *ibid. n.* 8. Crux Chriſti adoranda eſt cultu latriæ. *p.* 8. *n.* 1. Sicut etiam cetera paſſionis Chriſti inſtrumenta. *ibid. n.* 2. Solvuntur obiecta. *p.* 9. *n.* 3. & *ſeqq.* B. Virgo cultu hyperduliæ, Angeli vero, & Sancti duliæ cultu colendi ſunt. *p.* 10. & *ſeq. n.* 1. & *ſeq.* Heterodoxorum obiecta, & calumniæ exſufflantur. *p.* 11. & *ſeqq. n.* 3. & *ſeqq.* Viri, vel feminæ cum ſanctitatis fama demortuæ, nondum tamen beatificatæ, aut canonizatæ, coli non poſſunt cultu publico, ſed ſolum privato. *p.* 14. *n.* 11. Licitus piuſque eſt uſus imaginum Trinitatis, Chriſti Domini, & Sanctorum. *p.* 16. & *ſeq. n.* 1. & *ſeqq.* Licita quoque piaque eſt earumdem adoratio, quidquid hæretici blaterent. *p.* 18. & *ſeq. n.* 4. & *ſeqq.* Reſpectu communitatis fidelium datur præceptum uſus ſacrarum imaginum, quod per accidens ſingulos urgere valet. *p.* 20. *n.* 9. Idem eſt de earumdem adoratione. *ibid. n.* 10. Sanctorum reliquiæ dignæ ſunt adoratione. *p.* 21. & *ſeq. n.* 1. & *ſeqq.* Eadem nimirum qua coluntur perſonæ quorum ſunt. *p.* 22. *n.* 4. Quæ ſint huiuſmodi reliquiæ indicatur. *ibid. n.* 5. Vermes in quos Sanctorum corpora reſolvuntur, adorare non licet. *ibid. n.* 6. & *ſeq.* Requiritur, & ſufficit certitudo moralis, ut reliquiæ colantur tamquam particulæ alicuius Sancti. *p.* 23. *n.* 9. Ut publico cultui exponantur, Epiſcopus approbare ſolum poteſt reliquias alicuius Beati, aut Sancti canonizati. *p.* 24. *n.* 10. Licet authenticas reliquias collo ſuſpenſas ſecum deferre. *ibid. n.* 11. In hoc omnis irreverentia vitanda eſt. *ibid.* Qui a Catholico reliquias furatur, furtum ſacrilegum patrat. *ibid. n.* 12. Ne in bello quidem iuſto licet Principi ex urbibus a ſe expugnatis reliquias extrahere, & alio transferre. *p.* 25. *n.* 13. Reliquiarum venditio, & emptio li-

cita non eſt. *ibid. n.* 14. Poſſunt illæ tamen ab infidelibus comparari ſoluto pretio. *ibid.* Exponens videndas ſacras reliquias principaliter ut inde largiores eleemoſynæ offerantur, graviter peccat. *ibid.* & *p. 26. n.* 5. & *ſeq.* Reliquiarum fures eas extrahentes a quibuſvis ſacris locis, puniuntur pœna excommunicationis. *ibid. n.* 17. Cereos agnos venerari licet. *p.* 27. *n.* 18. Eos coloribus minioque depingentes excommunicantur. *ibid. n.* 19. Pro eorum materia pretium accipere licet. *ibid.* Etiam a laicis devote tangi, & oſculari poſſunt. *ibid.* Veſtibus ſacerdotalibus, vaſis ſacris, & templis veneratio debetur. *p.* 28. *n.* 20. Calices conſecrati non poſſunt a laicis, niſi Religioſorum Ordinum privilegia habentium, tangi citra veniale. *ibid. n.* 21. Eorumdem Ordinum laicis licet quoque corporalia & purificatoria tangere, dum ſacriſtiæ inſerviunt. *p.* 29. *n.* 22. Res ſacræ uſquedum retinent ſuam formam, in uſus profanos converti nequeunt. *ibid. n.* 23. Laxa de veſtimentis ſacris P. Dicaſtillo ſententia reiicitur. *ibid. n.* 24. Illæ etiam poſt formam deperditam in profanos uſus converti nequeunt. *p.* 30. *n.* 25. Vaſa ſacra poſtquam fracta ſunt, vendi poſſunt, ſi in iis nihil niſi auri argentique communis materia appareat. *ibid. n.* 36. Res profanæ ad debitam formam redactæ in uſum ſacrum converti poſſunt. *p.* 31. *n.* 27.

AEquivocatio. *V. Mendacium.*

Amphibologia. *V. Mendacium.*

Annibaldus in opere vulgo adſcripto D. Thomæ nullo modo favet mendacio. *p.* 546. *n.* 8.

Aſtrologia iudiciaria qua quis futura contingentia ex ſtellarum motu, plantarum aſpectu &c. terræ ſterilitatem, hominum morbos &c. divinat ut probabiliter ſecuturos, non eſt ſuperſtitioſa. *p.* 47. *n.* 2. Genethliaca, electionum, & imaginum fabricatarum ſuperſtitioſa eſt, & vetita a Sixto V. *p.* 48. *n.* 3. Futura libera hariolari, licet non certo, ſed tantum probabiliter, ſuperſtitioſum eſt. *ibid. n.* 4. Prædictio tantum coniecturalis non eſt a ſuperſtitione immunis. *ibid. n.* 5. & *ſeqq.* Aſtrologi licite prædicere nequeunt ex ſigno nativitatis temperamentum, inclinationem, & corporis proprietates. *p.* 50. *n.* 8. & *ſeq.* Qui conſulunt Aſtrologos, ut ſibi occultum aliquod delictum revelent, graviſſime peccant. *p.* 51. *n.* 10. Licitum eſt petere ut aquæ ſubterraneæ, non tamen ut theſauri, vel cadavera ſub ſarcophagis latentia a divinatoribus manifeſtentur. *ibid. n.* 11. Aſtrologi, ſeu divinatores ea prædicentes quæ naturalem cognitionem effugiunt, reſtituere tenentur pretium pro divinatione acceptum. *ibid. n.* 12. Laxa & monſtroſa P. Sanchez doctrina refertur, & improbatur. *ibid. n.* 13. & *ſeq.* *V. Divinatio.*

S. Auguſtinus mira naturæ portenta recenſet. *p.* 70. *n.* 5.

B

Bauni (P. Stephanus) male docet vocare Deum in teſtem mendacii levis eſſe peccatum ſolum leve. *p.* 408. *n.* 2. Damnatur hæc propoſitio ab Innocentio XI. *ibid.*

BENEDICTUS XIV. laudatur ob immortale ſuum Opus de Beatificatione & Canonizatione ſervorum Dei. *p.* 15. *n.* 11.

Blaſphemia eſt derogatio divinæ bonitatis vel affingendo Deo quod non habet, nec habere poteſt, vel ab eo id removendo quo carere nequit. *p.* 99. *n.* 1. Ea tripliciter divinæ bonitati derogari poteſt. *ibid. n.* 2. Alia eſt hæreticalis, alia ſimplex. *p.* 100. *n.* 3. Alia eſt in Deum, alia in Sanctos. *ibid. n.* 4. Quæ eſt in Deum, probabilius ſpecie differt ab ea quæ eſt in Sanctos. *ibid. n.* 5. & *ſeq.* In Confeſſione explicandum eſt, fueritne ea in Deum, in Virginem, vel in Sanctos. *p.* 101. *n.* 7. Ea ex genere ſuo eſt peccatum mortale. *ibid. n.* 1. & *ſeq.* Blaſphemia perfecta ſcelus eſt omnium maximum. *p.* 102. *n.* 3. & *ſeq.* Peccant qui ex inveterata conſuetudine, & pravo habitu

bitu

bitu blaſphemant. *p.* 103. *n.* 4. & *ſeq.* Tamburini laxiſſima opinio improbatur. *ibid.* Reus eſt blaſphemiæ qui ex habitu per pœnitentiam non retractato verba blaſphema profert etiam inconſiderate. *ibid.* & *p.* 104. *n.* 7. & *ſeqq.* Blaſphemia ex ioco prolata eſt peccatum mortale. *ibid.* *n.* 10. & *ſeq.* Leandri laxitas imponentis D. Thomæ, & Navarro improbatur. *p.* 105. *n.* 12. Referuntur variæ blaſphemandi formulæ in Deum, & Sanctos. *ibid.* & *p.* 106. *n.* 1. & *ſeq.* Blaſphemiæ ſunt hæ locutiones: *Non credo Deum*, *Nego Deum*, *Crucem*, *Evangelia*, *Sacramenta*, *ſi ita non eſt*. *ibid.* *n.* 3. Dicere, *Pereat Deus*, *ſi ita non eſt*, blaſphemia eſt. *ibid.* Non tamen dicere: *Per vitam Dei ſic eſt : Vivit Deus*. *ibid.* Probabilius blaſphemia eſt dicere: *Hoc eſt ita verum ſicut Evangelium*, *ſicut Chriſtus natus eſt ex Virgine*. *p.* 107. *n.* 3. Blaſphemiæ hæreticales ſunt iſtæ: *Per corpus Dei Patris : Per eius barbam : Per alas Spiritus ſancti*. *ibid.* Qui falſum iurat, non eſt blaſphemus. *ibid.* *n.* 4. Qui eodem impetu iracundiæ identidem advertens plures profert blaſphemias, multiplex peccatum committit. *ibid.* *n.* 5. Lex vetus, ius civile, & canonicum plures in blaſphemos pœnas conſtituerunt. *ibid.* *n.* 1. Qui blaſphemantes audit, eos ad iudicem deferre debet. *p.* 108. *n.* 2. Blaſphemiæ ſimplices, niſi ab aliquo Epiſcopo reſervatæ, poſſunt a ſimplici Confeſſario abſolvi. *ibid.* *n.* 3. Sicut etiam blaſphemia ſolum exterius hæreticalis, a Confeſſario Regulari. *p.* 109. *n.* 6. Blaſphemis graviſſimam pœnitentiam iniungere debet Confeſſarius ex decreto Concilii Lateranenſis. *ibid.* *num.* 7. Laxitas Probabiliſtarum recentiorum aientium decretum illud obſoleviſſe, improbatur. *ibid.* Conſuetudinariis blaſphemis differenda eſt abſolutio, donec remedia impleverint a Confeſſario præſcripta. *ibid.* & *p.* 110. *num.* 6. Leandri, & recentium Probabiliſtarum laxitas improbatur. *ibid.* Pœnitentiæ iiſdem a P. Comitolo rectæ impoſitæ laudantur. *ibid.* *num.* 7.

Bonacina laxas docet propoſitiones de mendacio. *p.* 471. *n.* 17.

C

Cabala. *V. Divinatio*.

Caramuel ſcite, atque optimis de cauſſis reſtrictiones mentales averſatur. *p.* 530. *n.* 9.

Cardenas (P. Ioannes de) caute eſt legendus in iis quæ habet de nonnullis ab Innoc. XI. damnatis propoſitionibus. *p.* 520. *n.* 12.

Carnedi (P. Carolus Antonius) propugnat reſtrictiones pure mentales non eſſe damnatas. *p.* 524. & *ſeqq.* *n.* 10. & *ſeqq.* Favet Ianſeniſtis. *p.* 525. *num.* 12.

Caſtropalaus (P. Ferdinandus) male defendit valere votum in gratiarum actionem emiſſum ob rem iniuſtam. *p.* 161. *n.* 27. Impugnatur, ſimulque oſtenditur male ab eo pro ſe allegari Suarez. *p.* 162. *n.* 28. & *ſeqq.* Laxe excuſat a mortali eum qui poſt votum abſtinendi a vino tantum vini non bibit, quantum homo temperatus bibere ſolet in uno prandio. *p.* 227. *n.* 4. Laxas docet propoſitiones de iuramento. *p.* 382. *n.* 7. & *p.* 410. *n.* 5.

Caſuiſtæ. Horum clamor quo buccinant minus ſincere ſuorum ſociorum verba referri quæ horrorem ingerunt laxitatis, in eoſdem regeritur. *p.* 497. & *ſeq.* *n.* 14. *V. Propoſitiones damnatæ. Propoſitiones laxæ*.

Cattaneus (P. Ambroſius) doctrinam amplectitur de locutionibus materialibus. *p.* 476. *n.* 9. & *ſeq.* Hanc ſufficere ait ad omnes difficultates convellendas. *ibid.* Sed improbabilem & falſam eſſe oſtenditur. *p.* 485. & *ſeqq.* *n.* 1. & *ſeqq.* Eius opinio comparans mendacium furto in extrema neceſſitate commiſſo, adverſatur doctrinæ Eccleſiæ. *p.* 492. & *ſeqq.* *n.* 1. & *ſeqq.* Male defenditur a ſocio Anonymo, textu D. Thomæ obtruncato. *p.* 497. & *ſeq.* *n.* 13. & *ſeq.* Sicut & falſis interpretationibus damnatarum propoſitio-

 num.

num . *p.* 518. & *ſeqq. num.* 8. & *ſeq.*

Celladei. *V. Elizalde.*

Cerei Agni. *V. Adoratio.*

Certitudo moralis omnem prudentem dubitationem excludere debet. *p.* 412. *n.* 7. Male ea certitudo a Caſuiſtis Probabiliſtis explicatur . *p.* 410. *n.* 5. & *p.* 412. *n.* 8.

Cicero cauſſas aſſignat cur dormientes divinent. *p.* 63. *n.* 12.

Clerus Gallicanus propoſitionem damnavit, qua aſſerebatur Patriarchas, Prophetas, Angelos, ipſumque Chriſtum æquivocationibus, ſive amphibologiis, & reſtrictionibus uſos fuiſſe . *p.* 541. *n.* 15.

Columbier (P. de la) pietas laudatur . *p.* 174. *n.* 57.

Comitolus (P. Paulus) recte prudenterque blaſphemis conſuetudinariis pœnitentias iniungebat. *p.* 110. *n.* 7.

Commutatio voti eſt unius ſubſtitutio pro alio. *p.* 344. *n.* 1. Qui poſſunt diſpenſare, poſſunt etiam vota commutare. *ibid. n.* 2. Vovens votum ne in evidenter quidem melius propria auctoritate commutare poteſt. *p.* 346. & *ſeqq. n.* 5. & *ſeqq.* Reſpondetur obiectis. *ibid.* Qui in minus, ſive in æquale bonum ſuum votum propria auctoritate commutaret, peccaret mortaliter . *p.* 350. *n.* 16. Vovens unam ingredi Religionem, non poteſt propria auctoritate aliam æque bonam intrare. *ibid. n.* 17. In rebus quæ uſu conſumuntur, non poteſt una pro alia voto promiſſa ſubſtitui, niſi ſit intra eamdem ſpeciem. *p.* 351. *n.* 18. Multo minus loquendo de rebus quæ uſu non conſumuntur . *ibid.* Vovens tradere filium determinatum Religioni, non poteſt alium propria auctoritate ſubſtituere. *ibid. n.* 19. Nec laicus, nec Clericus coniugatus capax eſt iuriſdictionis commutandi vota, niſi ex Papæ diſpenſatione . *ibid. n.* 20. Vota probabilius commutanda ſunt in æqualem moraliter materiam. *p.* 352. *n.* 3. & *ſeq.* Laxa Sporer ſententia improbatur. *p.* 353. *n.* 5. Cum dubia eſt æqualitas, locum habet commutatio. *p.* 354. *n.* 6. Commutatio in materiam minorem, & abſque debita æqualitate, non vacat culpa mortali . *ibid. n.* 7. Commutatio in evidenter melius facta a Prælato poteſtate prædito nullam cauſſam requirit . *ibid. n.* 9. Sicut etiam in evidenter æquale, & ſimul probabiliter melius. *ibid. n.* 10 Eam facere non poteſt Prælatus in rem æqualem, niſi cum aliqua cauſſa . *ibid. n.* 11. Si commutatio fiat virtute iubilæi , bullæ cruciatæ , aut alterius pontificii privilegii, ſatis eſt abſque cauſſa executio operum in eo præſcriptorum. *p.* 355. *n.* 12. Ut commutatio fiat in æquale bonum ſola voventis petitio non ſufficit . *ibid. n.* 13. Sed requiritur quod adſit cauſſa ſaltem levis . *ibid. n.* 14. Alias commutatio licet valida, eſſet tamen illicita . *ibid. n.* 15. Si vero fiat in minus bonum abſque rationabili cauſſa, nulla eſt. *p.* 356. *n.* 18. & *ſeq.* Multo magis ſi fiat propria auctoritate. *p.* 357. *n.* 20. Commutans votum in minus, aut æquale bonum abſque rationabili cauſſa, ſolum venialiter peccat, niſi notabilis ſit diminutio rei voto ſubrogatæ. *ibid. n.* 21. Qui ſic tamen ſibi ipſi votum commutaret, peccaret mortaliter. *ibid.* Cum commutatio apparet illegitima , utpote manifeſte in rem minorem, præſumendum non eſt commutationem diſpenſationi permixtam eſſe. *ibid. n.* 22. Amplior eſt commutatio in iubilæo quam in bulla Cruciatæ. *p.* 358. *n.* 1. Vota caſtitatis & religionis excepta tum in ea bulla, tum in iubilæo, ſunt vota perfecta & abſoluta . *ibid. n.* 2. Commutatio tam intra, quam extra Confeſſionem fieri poteſt. *p.* 359. *n.* 3. Non tamen in minus. *ibid. num.* 4. Commutari non poſſunt vota Religionis, & caſtitatis vi iubilæi , aut bullæ etiam neceſſitate urgente . *ibid. n.* 5. Sicut nec votum & iuramentum erogandi eleemoſynam Eccleſiæ, aut pauperi determinato poſt illius acceptationem. *ibid. n.* 6. Qui ſemel lucratus eſt iubilæum , poteſt poſt illud commutationem votorum obtinere . *p.* 360. *n.* 7. Commutatio initio iubi-

lxi

læi obtenta, conſiſtit etiam omiſſis ſubinde ex negligentia operibus iniunctis. *ibid. n.* 8. Peccat tamen mortaliter ea culpabiliter omittens. *ibid.* Confeſſarius poſtulatus tempore iubilæi vota commutare renuens ſine iuſta cauſſa peccat. *p.* 361. *n.* 9. Commutato voto in aliam materiam non extinguitur, ſed mutatur prior obligatio. *ibid. n.* 1. Facta voti commutatione non tenetur vovens exequi priorem materiam, ſi materia ſubſtituta facta ſit impoſſibilis. *ibid. n.* 2. Ad illud tamen tenetur etiam elapſo tempore definito, ſi poſſit impleri. *ibid.* Poſt commutationem factam in melius, & acceptatam non poteſt vovens ad priſtinam redire materiam. *p.* 362. *n.* 6. Idem eſt poſt commutationem factam in rem æqualem. *p.* 364. *n.* 7. In voti commutatione ſola materia voto promiſſa ſpectanda eſt; ſed in diſpenſatione etiam vinculum promiſſionis. *p.* 365. *n.* 2. Explicatur. *ibid.* Maior aut minor materiæ dignitas & ab excellentia virtutis cuius eſt fructus, & a circumſtantiis eſt inſpicienda. *ibid. n.* 3. Explicatur. *ibid.* In quolibet voto inſpiciendus eſt potiſſimum finis, qualitas, & dignitas. *p.* 366. *n.* 4. Exequendi voti difficultas etiam ex eo conſideranda eſt quod difficultas huiuſmodi meritum auget. *ibid. n.* 5. Explicatur. *ibid.* Licet congruum ſit, non eſt tamen neceſſe ut votum perſonale in perſonale, & reale in reale commutetur. *p.* 367. *n.* 6. In votorum conditionalium commutatione conſiderandum eſt quam contingens ſit eventus conditionis, dum illa in abſoluta ſunt commutanda. *ibid. n.* 7. Explicatur. *ibid.* In qualibet votorum commutatione ſemper ſpectanda voventis fragilitas, cavendumque eſt ne nimis gravetur, aut peccandi periculo expoſitus maneat. *p.* 368. *n.* 8. Explicatur, & exemplificatur. *ibid.* & *n.* 9. In peregrinatione conſiderandum, utrum iter pedeſtre ſit, nec ne. *ibid. n.* 10. Modus commutandi votum ingrediendi Religionem Dominicanam aſſignatur ex Medina. *ibid. n.* 11. Sicut non ineundi matrimonium, & ſacerdotii ſuſcipiendi. *p.* 369. *n.* 12. & *ſeq.*

D

Daniel (P. Gabriel) male contendit Innocentium XI. damnaſſe propoſitiones ut iacent, non ut ſunt in Auctorum, unde excerptæ ſunt, libris. *p.* 472. *n.* 1. Hoc pacto favet doctrinæ Ianſeniſtarum de quinque propoſitionibus. *ibid.*

Dicaſtillus (P. Ioannes) laxe docet ſacris veſtimentis uti licere intra Eccleſiam pro comœdiis honeſtis. *p.* 29. & *ſeq. n.* 24.

Diſpenſatio in voto ab Eccleſia concedi poteſt. *p.* 313. *n.* 1. Huiuſmodi facultas reſidet penes Eccleſiæ Prælatos. *p.* 314. *n.* 3. Et eſt ſpiritualis, & iuriſdictionis, non ordinis. *ibid. n.* 4. Eſt ablatio vinculi voti, facta nomine Dei ab habente iuriſdictionem ſpiritualem in foro externo ex rationabili cauſſa. *ibid. n.* 5. Recte huiuſmodi ablatio explicatur a D. Thoma. *ibid. n.* 7. Qui diſpenſare poteſt, probabilius poteſt & commutare. *p.* 315. *n.* 9. Poteſtas hæc delegari poteſt omnibus Sacerdotibus & Clericis tonſura initiatis, dummodo coniugati non ſint. *p.* 316. *n.* 2. Non tamen coniugatis, niſi ab ipſo ſummo Pontifice delegetur. *ibid.* Recenſentur ii quibus iure ordinario poteſtas hæc competit. *ibid. n.* 3. Vota edita a communitate ob cauſſam diſpenſari poſſunt ab Epiſcopo: ſucceſſores vero communitatis vi voti non tenentur, ſed præcepto Epiſcopi, qui eos diſpenſare poteſt. *ibid. n.* 4. Qui valet diſpenſationem a voto concedere, hoc privilegium ſibi probabilius applicare nequit, ſed pro ea debet ad ſuos ſuperiores recurrere. *p.* 317. *n.* 6. Prælati Regulares diſpenſare valent in ſubditorum votis, emiſſis cum licentia Prælatorum maiorum. *p.* 318. *n.* 2. Sicut & cum ſuis Novitiis. *ibid. n.* 3. Non tamen cum ſuis ſubditis in voto tranſeundi ad arctiorem Religionem, ſi ſint in laxiora, ideſt collapſa a regulari diſciplina

in

in ſubſtantialibus. *ibid.* *n.* 4. & *p.* 319. *n.* 5. Neque in votis ſolemnibus, & quæ ſtatum propriæ Religionis afficiunt. *ibid.* *n.* 6. Privilegia multa, quæ a multis allegantur ad probandam facultatem Regularium diſpenſandi in omnibus votis ſæcularium non reſervatis ſummo Pontifici, non ſubſiſtunt. *p.* 320. & *ſeqq.* *n.* 2. & *ſeqq.* Recenſentur, & impugnantur. *ibid.* Falſa eſt omnino ſententia huiuſmodi privilegia Regularibus concedens. *p.* 325. & *ſeqq.* *n.* 16. & *ſeqq.* Oſtenditur. *ibid.* Falſo quoque Salmanticenſes docent poſſe Regulares diſpenſare in quibuſcumque votis cum Religioſis etiam alterius Ordinis vi privilegiorum Eugenii IV. & Sixti IV. *p.* 327. *n.* 24. Quinque tantum ſunt vota Pontifici reſervata; nempe vota, perpetuæ caſtitatis & Religionis, & triplicis peregrinationis, Hieroſolymitanæ, Romanæ, & Compoſtellanæ. *p.* 328. *n.* 1. & *ſeqq.* Solvuntur obiecta ex D. Thoma deprompta. *p.* 329. *n.* 4. & *ſeq.* Iuramenta de his Deo facta, æque ac vota probabilius Pontifici reſervantur. *p.* 330. *n.* 6. Epiſcopi & Prælati habentes iuriſdictionem quaſi epiſcopalem neceſſitate urgente valent in quinque præfatis votis diſpenſare. *ibid.* *n.* 7. Declaratur. *ibid.* Male Salmanticenſes, & Crouſers idem privilegium Prælatis omnibus adſcribunt. *ibid.* *n.* 8. In caſibus in quibus Epiſcopi diſpenſare poſſunt, non debet diſpenſatio excedere neceſſitatis limites. *p.* 331. *n.* 9. Poſſunt illi ut ſupra diſpenſare, etiamſi Legatus aut Nuncius pontificius eſſet in provincia, niſi iſti ſpecialem ſuper dictis votis a Pontifice delegatam poteſtatem haberent. *ibid.* *n.* 10. Votorum reſervatio ſtricte eſt interpretanda. *ibid.* *n.* 11. Utque vota ſint reſervata, debent eſſe abſoluta, certa, expreſſa, & perfecta. *ibid.* Non eſſent Pontifici reſervata vota ad quæ quis intenderet ſe obligare tantum ſub veniali. *ibid.* *n.* 12. Aut ſi eſſent edita ex metu etiam levi. *p.* 332. *n.* 13. Si dubium ſit aliquod huiuſmodi votum, vel eius reſervatio, indicandum eſt pro non reſervatione. *ibid.* *n.* 14. Votum non contrahendi matrimonium non eſt reſervatum. *ibid.* *n.* 15. Poteſt Epiſcopus vi conſuetudinis facultatem concedere petendi debitum coniugale ei qui voto caſtitatis devictus matrimonium contraxit. *ibid.* *n.* 16. Votum caſtitatis coniugalis non eſt reſervatum. *ibid.* *n.* 17. Neque votum Religionis non approbatæ. *p.* 333. *n.* 18. Vota triplicis peregrinationis tunc ſunt reſervata quando edita fuerunt ob devotionem non abſolute, ſed erga præfata loca. *ibid.* *n.* 19. Reſervatum quoque eſt emiſſum cum aliqua circumſtantia votum, quod ea omiſſa integrum manet. *ibid.* *n.* 20. Votum diſiunctivum re integra manente non eſt reſervatum. *ibid.* *n.* 21. Secus ſelecta poſtmodum a vovente parte reſervata. *ibid.* Votum ingrediendi Religionem, ſi pater obierit, reſervatum eſt. *p.* 334. *n.* 22. Vota vere conditionalia etiam pœnalia impleta conditione ſunt reſervata. *p.* 335. *n.* 24. Pium opus in quod commutatur votum reſervatum, non eſt reſervatum. *p.* 336. *n.* 25. Quando ex aliquo capite prædicta vota non ſunt reſervata, poſſunt ea Prælati Regulares commutare. *ibid.* *n.* 26. Qui recipit facultatem per bullam, aut iubilæum diſpenſandi, aut commutandi omnia vota, non poteſt relaxare etiam reſervata, niſi ſuper his facultas exprimatur. *ibid.* *n.* 27. Ad validam licitamque diſpenſationem cauſſa rationabilis neceſſaria eſt. *ibid.* *n.* 1. & *p.* 337. & *ſeq.* *n.* 2. & *ſeqq.* In dubio de exiſtentia cauſſæ diſpenſandi, Prælatus diſpenſare nequit. *p.* 338. *n* 6. Si cauſa ſit certa, & dubium ſit an ſufficiens, ſatius erit votum commutare. *ibid.* Diſpenſatio data bona fide tam ex parte poſtulantis, quam ex parte concedentis ob cauſſam poſtea deprehenſam falſam ac nullam, probabilius nulla eſt. *p.* 339. *n.* 8. Ut diſpenſatio legitime impertiatur, tria requiruntur; ut nempe liceat ſecundum æquitatem; ut deceat ſecundum honeſtatem; ut expediat ſecundum utilitatem. *p.* 340. *n.* 9. Ex cauſſis peculiaribus occurrentibus Epiſcopus diſpenſare

re

re valet. *p.*341. *n.*10. Recenſentur. *ibid.* Sola imperfecta deliberatio voventis cauſsa ſufficiens non eſt ad diſpenſationem ei concedendam. *p.* 341. *n.* 11. Etiamſi oriatur ex timore mortis, naufragii, alteriuſve gravis periculi. *p.* 342. *n.* 12. Gravis difficultas exequendi votum non præviſa ante votum ſufficit pro concedenda illius diſpenſatione. *ibid. n.* 13. Si autem præviſa fuerit, regulariter non ſufficit. *ibid.* & *p.* 343. *n.* 14. In dubio negativo de voto emiſſo iuſta eſt cauſa diſpenſandi; non tamen ſi adſint rationes probabiliores pro voto. *ibid. n.*15. Ob boni communis incrementum, aut damnum eiuſdem vitandum, diſpenſatio concedi poteſt. *ibid. n.* 16. Raro cauſsa adæquata occurrit diſpenſandi abſolute in voto. *p.* 344. *n.* 17.

Divinatio quid ſit exponitur, illiuſque ſpecies indicantur. *p.*41. *n.* 1. & *ſeq.* Dæmones ea futura prædicere poſſunt quæ a cauſſis naturalibus omnino pendent. *ibid. n.* 3. Multipliciter dæmones divinos ſuos docent. *p.* 42. *n.* 4. Divinatores interdum expreſſo, interdum tacito pacto dæmonum opem invocant. *ibid.* & *p.* 43. *n.* 5. & *ſeqq.* Explicatur. *ibid.* Divinatio cum pacto expreſſo cum dæmone non differt morali ſpecie ab ea quæ tacito pacto peragitur. *p.* 44. *n.* 11. Ob aggravantem tamen circumſtantiam, & quia hoc peccatum alia communiter comitatur, explicanda eſt in confeſſione. *ibid.* & *p.* 45. *n.* 12. Ea mortale crimen eſt, ſive ſit cum pacto expreſſo, ſive cum tacito. *p.* 46. *n.*13. Qui ioci cauſſa ſæpiuſcule cabala utuntur, graviter peccant. *ibid.* Divinatio naturalis per aſtra, etſi plerumque vana, tamen licita eſt. *p.* 47. *n.* 1. Per ſomnia a Deo immiſſa licet divinare futura. *p.* 54. *n.* 4. Ea ſintne a Deo, vel a dæmone immiſſa, difficile eſt cognoſcere. *ibid.* Prudenti Confeſſario ſunt manifeſtanda. *ibid.* Naturalium ſomniorum obſervatio licita eſt. *ibid. n.* 5. Grave ſcelus eſt ex ſomniis futura libera divinare. *ibid. n.* 6. Qui ſomniorum occaſione mores ſuos, & negotia prudenter moderatur, non peccat. *p.* 55. *n.* 7. Explicatur. *ibid.* Etiamſi ſomnia eventibus comprobentur, obſervanda non ſunt. *ibid. n.*8. Ex cantu, volatu, motuque avium licet portendere futura, quæ a cauſſis naturalibus pendent. *p.* 56. *n.* 2. Non vero contingentia libera. *p.* 57. *n.* 3. Neque futura ex vocibus humanis caſu prolatis, aut ex aliis fortuitis eventis. *ibid. n.* 4. Phyſiognomia naturalis licita eſt. *ibid.* & *p.* 58. *n.* 5. Sed ex phyſiognomia aſtrologica futura contingentia libera divinare ſuperſtitioſum eſt. *ibid.* AEgyptios, vulgò Cingaros, ſerio conſulentes, ut ex manuum oſtenſione bonam, aut malam ſortem ſibi annuntient, letaliter peccant. *p.* 58. *n.* 6. Divinatio quæ fit ſortium uſu, alia eſt diviſoria, alia conſultoria, alia divinatoria. *p.* 58. & *ſeq. n.* 1. Explicatur. *ibid.* Sortes diviſoriæ licitæ ſunt. *p.*59. *n.*2. In electione ad dignitates ſæculares uti licet ſortibus diviſoriis. *ibid. n.* 3. Non tamen in electione ad eccleſiaſtica beneficia. *ibid.* & *p.* 60. *n.* 4. Electio ad eadem beneficia ſortitione peracta illicita eſt, non tamen nulla. *ibid. n.*5. Licita eſt ſortitio ad dirimendas lites ſuper rebus, & beneficiis eccleſiaſticis, ſi fiat auctoritate publica, ſecus ſi privata. *ibid.* & *p.* 61. *n.* 6. & *ſeq.* Sortitio conſultoria, in qua effectus expectatur a dæmone, ſuperſtitioſa eſt. *p.* 62. *n.* 8. Licita vero, quando cognitio eventus futuri imploratur a Deo. *ibid. n.*9. Quatuor conditiones ad hoc requiſitæ recenſentur. *ibid.* Divinatio quæ fit uſu duellorum, ferri candentis, & aquæ ferventis, illicita eſt. *ibid. n.* 11. Dormientes præ vigilantibus divinant. *p.*63. *n.*12. Aſſignantur cauſsæ. *ibid.* Fatui, & ſtupidi facilius divinant quam ſana mente præditi. *ibid. n.* 13. Aſſignantur cauſsæ. *ibid.* Homines morti proximi futura divinant. *p.* 64. *n.* 14. Sicut ex S. Auguſtino febri ardenti furentes. *ibid. n.* 15. Ars notoria, obſervantia ſanitatum, ſicut & futurorum eventuum illicita eſt. *p.* 55. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Explicatur, & oſtenditur. *ibid. V. Aſtrologia.*

Eli-

E

Elizalde (P. Michael, vulgo Celladei) diſtinctionem Caſuiſtarum inter doctrinam Patrum docentium in ſcholis, & eam qua concionantur in templis, ait eſſe potiſſimam præſentis laxitatis originem. *p.* 480. *n.* 7.

F

Faſcinatio. *V. Magia.*

Francolinus (P. Balthaſſar) falſo ſcribit noſtros Caſuiſtas ſcribere ex doctrina Patrum, ubi Patres præivere, & ex doctrina non contraria Patribus, ubi Patres non præivere. *p.* 479. & *ſeq. n.* 7. Diſtinctionem quam collocat inter Patres docentes in ſcholis, & eoſdem e ſuggeſtu concionantes, eſt laxitatis origo. *ibid.* Ea diſtinctio Patrum auctoritatem elevat, favetque Lutheranis, & Calviniſtis. *ibid.*

Fuente Hurtado (P. Didacus de la) propugnat reſtrictiones pure mentales etiam poſt illarum damnationem. *p.* 522. & *ſeqq.* Refertur, & improbatur eius doctrina. *ibid.* Anſam porrigit Ianſeniſtis eludendi pontificia decreta. *p.* 524. *n.* 8. Temere doctrinam reſtrictionum pure mentalium SS. Auguſtino, Thomæ, & Gregorio attribuit. *ibid. n.* 9.

G

Gobat (P. Georgius) laxam de voto propoſitionem docet. *p.* 170. *n.* 47.

Grotius (Hugo) male contendit licitum non eſſe iuramentum promiſſorium. *p.* 419. *n.* 1.

H

Heres an teneatur ad vota teſtatoris ſolvenda. *V. Votum.*

Heſſelius (Ioannes) Lovanienſis male contendit minime licere maleficii ſigna deſtruere. *p.* 80. *n.* 9.

I

Idololatria eſt peculiaris ſuperſtitionis ſpecies, & grave flagitium. *p.* 38. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.*

Imagines ſacræ. *V. Adoratio.*

Irritatio voti eſt eiuſdem ablatio ab eo qui poteſtate dominante pollet, facta. *p.* 287. *n.* 1. Irritatio huiuſmodi ut valida ſit, requiritur aliqua cauſa. *ibid. n.* 3. Ut vero licita ſit, duplex eſt ſententia, utraque vera in ſuo ſenſu. *ibid.* & *p.* 288. *n.* 4. & *ſeq.* Facultas irritandi vota probabilius eſt iuris naturalis. *p.* 289. *n.* 7. & *ſeq.* Summus Pontifex non poteſt irritare quæcumque vota, quæ poteſt pater, tutor, prælatus, atque dominus. *p.* 290. *n.* 10. Epiſcopi irritare valent vota Monialium ſibi ſubiectarum, non tamen non ſubiectarum, nec Regularium exemptorum, nec Clericorum non ſuorum, multoque minus laicorum. *p.* 291. *n.* 11. Illi tantum directe vota irritare poſſunt qui habent poteſtatem dominativam in perſonas ſibi ſubditas. *ibid. n.* 12. Exemplificatur. *ibid.* Ut prudenter agat, tenetur ſuperior vota irritanda in ſpecie cognoſcere. *ibid. n.* 13. Poteſt ea irritare, etiam ſubditis repugnantibus. *ibid. n.* 14. Etiam vota interna Regularium, quæ regimen nullo modo perturbant, nec Religionis obſervantiam, irritari poſſunt a Prælatis earumdem. *p.* 292. & *ſeq. n.* 3. Reſpondetur obiectis. *p.* 293. *n.* 4. Excipiuntur ea vota quæ ſtatum conſtituunt, & votum tranſeundi ad arctiorem Religionem. *p.* 294. *n.* 5. Enumerantur Prælati ſubditorum Regularium vota irritare valentes. *ibid. n.* 6. Nec Legati a latere, nec Congregationes Cardinalium vota Religioſorum irritare valent. *ibid. n.* 7. Præſentibus Prælatis primariis, ſecundarii ius non habent vota irritandi. *ibid. n.* 8. Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ ſuarum Monialium vota irritare poſſunt. *p.* 295. *n.* 9. Novitiorum vota Prælati Regulares irritare nequeunt. *ibid. n.* 10. Parentes irritare poſſunt vota filiorum impuberum. *p.* 297. *n.* 2. Non ta-

Digitized by Google

tamen vota perſonalia filiorum qui pubertatem ſunt aſſecuti, ſi ea domeſticæ gubernationi non officiant; ſecus poteſt. *ibid. n.* 3. Vota a filiis pupillis edita, & ab ipſis confirmata in pubertate irritari non poſſunt, niſi ut ſupra. *p.* 298. *n.* 4. Vota impuberum ſemel confirmata a patre, probabilius non poſſunt ab eo deinceps irritari. *ibid. n.* 6. Vota emiſſa a filiis ſpuriis & illegitimis, poſſunt irritari a patre, niſi ſub tutore, aut curatore ſint conſtituti. *p.* 299. *n.* 7. Vota realia filiorum puberum poſſunt irritari a patre. *ibid. n.* 8. Non tamen ſi ea vota ſint de bonis caſtrenſibus. *ibid. n.* 9. Aut de adventitiis, quorum illi habeant adminiſtrationem. *p.* 300. *n.* 10. Sicut neque votum eundi Romam, ſi eo ire neceſſe ſit pro obtinenda abſolutione ab excommunicatione. *ibid. n.* 11. Tutores, & Curatores impuberum, & minorum vota, quemadmodum patres, irritare poſſunt. *ibid. n.* 13. Curator datus maiori ob culpam prodigalitatis, eiuſdem vota realia irritare poteſt. *p.* 301. *n.* 15. Mater præſente, vel vivente marito filiorum vota irritare nequit. *p.* 302. *n.* 19. Et neque eo mortuo aut procul diſtante, ſi avus, tutor, aut curator exiſtat filiorum. *ibid. n.* 20. Poteſt illa tamen his omnibus deficientibus. *p.* 303. *n.* 21. Non tamen vota realia filiorum puberum. *ibid. n.* 22. Deficientibus parentibus avus & avia ea vota irritare poſſunt quæ poteſt mater. *ibid. n.* 23. Magiſtri diſcipulorum, domini ſervorum, heri ſamulorum vota perſonalia in impubertate emiſſa irritare nequeunt. *p.* 304. *n.* 25. Maritus probabilius ea ſolum vota uxoris matrimonio contracto emiſſa irritare poteſt quæ matrimonium, filiorum educationem, bonorum adminiſtrationem, & familiæ regimen ſpectant. *ibid. n.* 1. & *p.* 305 & *ſeq. n.* 2. & *ſeqq.* Non poteſt vota, & iuramenta uxoris de operibus præceptis irritare. *p.* 307. *n.* 7. Nec probabilius poteſt irritare votum non petendi debitum abſque ſuo conſenſu ab uxore editum. *ibid. n.* 8. Nec votum caſtitatis quod uxor ex illius conſenſu emiſit. *ibid. n.* 9. Aut quod uterque mutuo conſenſu edit. *ibid. n.* 10. Etiamſi ſubinde rei coniugali ſacrilegam navaverint operam. *ibid. n.* 11. Secus eſſet, ſi licentiam tantum ſibi mutuo concederent coniuges ad vovendum non explicato genere voti. *p.* 308. *n.* 12. Quando uterque coniux mutuo conſenſu Religionem vovet, non poteſt alter tantum, aut uterque conſenſu mutuo votum illud irritare. *ibid. n.* 13. Vota quæ uxor ante contractum matrimonium emiſit, implenda tamen matrimonio inito, maritus irritare nequit, ſed ſolum ſuſpendere, quatenus officio maritali ſint incommoda. *ibid. n.* 14. Vota quæ implenda poſt diſſolutum matrimonium uxor edit, probabilius maritus irritare non poteſt. *ibid. n.* 15. Uxor ea vota mariti irritare poteſt quæ iuri matrimoniali repugnant. *p.* 309. *n.* 16. Votum emiſſum a marito non petendi debitum uxor irritare non poteſt. *ibid. n.* 17. Plerumque, & fere ſemper illicitum foret tale votum. *ibid. n.* 18. Poteſt uxor irritare votum quod maritus emiſit ferendi habitum Eremitæ, vel alicuius Religionis. *p.* 310. *n.* 19. Non tamen votum erogandi amplas eleemoſynas, & prolixas preces fundendi. *ibid. n.* 20. Votum crebra ieiunia peragendi quæ maritum debito reddendo inhabilem facerent, irritare poteſt. *ibid.* Sicut etiam votum longæ peregrinationis. *ibid. n.* 21. Non tamen irritare poteſt vota mariti ante matrimonium emiſſa, ſed ſolum ſuſpendere. *p.* 311. *n.* 22. Domini famulorum vota irritare nequeunt, ſed ſolum ſuſpendere, quatenus ea debitum ſibi ſervitium impediunt. *p.* 312. *n.* 1. Si famuli ſint vere ſervi, vota debitum ſibi ſervitium impedientia irritare domini poſſunt; ſecus non. *ibid. n.* 4. Non tamen vota caſtitatis, & huiuſmodi. *ibid. n.* 6. Idem dicendum de filiisfamilias qui ſervos habent ceu bona ſpectantia ad peculium caſtrenſe. *p.* 313. *n.* 7.

Iuramentum tamquam illicitum damnarunt plures hæretici. *p.* 375. *n.* 1. Id-

que Scripturæ, & rationi innixi. *p.* 374. *n.* 2. Sed veritas fidei eſt non omne iuramentum prohibitum, vel illicitum eſſe Chriſtianis. *ibid. n.* 3. & *ſeq.* Reſpondetur argumentis hæreticorum. *p.* 375. & *ſeq. n.* 5. & *ſeqq.* Iuramentum eſt invocatio divini nominis ad fidem faciendam, aut promiſſionem firmandam. *p.* 383. *n.* 1. Explicatur. *ibid. n.* 3. & *ſeqq.* Variæ iurandi formulæ ad tres claſſes reducuntur. *p.* 384. *n.* 7. Explicantur, & exemplis pluribus earum vis detegitur. *p.* 385. & *ſeqq. n.* 8. & *ſeqq.* Varii modi dicendi idem ſonantes ac *Per Deum* recenſentur; & præcipue contra Sporer, & Tamburinum vere iuramenta eſſe oſtenditur. *p.* 389. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Qui paſſim nomen Dei aſſumunt in vanum, licet nihil affirment, vel negent, graviter peccant. *p.* 391. *n.* 4. Hæ formulæ, *Per animam meam*, *In anima mea*, iuramentum important, non vero iſtæ, *Per meam conſcientiam*, *In mea conſcientia*. *p.* 391. *n.* 5. Iurat qui dicit: *Iuro per meam conſcientiam*. *p.* 392. *n.* 6. Sicut & qui dicit: *Iuro per vitam huius equi*, aur per conſervationem rei inanimatæ. *ibid. n.* 7. Sic interrogatus: *Iuras mihi per Deum rem ita ſe habere*; iurat, ſi reſpondeat: *Ita res ſe habet*. *p.* 393. *n.* 8. Iurat qui utitur expreſſionibus iuxta communem exiſtimationem pro iuramento acceptis. *ibid. n.* 9. In re ambigua intentio proferentis attendenda eſt. *ibid. n.* 10. Iurare per falſos deos non licet; nec obligat tale iuramentum. *p.* 394. *n.* 11. Recenſentur nonnullæ formulæ iuramentum execratorium continentes. *p.* 395. *n.* 12. Expendendæ illæ ſunt ut communiter proferuntur. *ibid. n.* 13. In iuramento attendenda eſt mens & intentio iurantis. *ibid. n.* 15. Sed ſi formula verborum ſuapte natura iuramentum exprimat, iuramentum eſt, etiam deficiente intentione iurandi. *ibid.* Ad iuramentum non requiritur verbum *iuro*, ſed ſatis eſt divini teſtimonii invocatio expreſſa. *p.* 396. *n.* 16. Verba quæ in duplici ſenſu uſurpari poſſunt, interpretanda ſunt habito reſpectu ad illos qui ea pronuntiant. *ibid. n.* 17. Ita quoque verba ambigua; ſicut etiam ex circumſtantiis interpretanda ſunt. *p.* 397. *n.* 18. Explicatur divina illa regula: *Sit autem ſermo veſter Eſt eſt*, *Non non* &c. *ibid. n.* 19. Iuramentorum diviſio petenda eſt ex parte rei iuratæ, & ex modo iurandi. *p.* 398. *n.* 1. Ex parte materiæ dividitur iuramentum in aſſertorium & promiſſorium. *ibid. n.* 2. Aſſertorium eſt quo Deus in confirmationem veritatis vel præſentis, vel præteritæ invocatur. *ibid.* Promiſſorium eſt quo quis rei futuræ promiſſionem firmat, ut alterum ſecuriorem reddat. *ibid.* Explicatur utrumque. *ibid.* Promiſſorium dividitur in abſolutum, & in confirmatorium, quod etiam vocatur votum iuratum. *ibid.* Qui votum Deo iuratum violat, peccat & contra votum, & contra iuramentum. *ibid.* Ex parte modi iurandi dividitur iuramentum in conteſtatorium, & execratorium. *p.* 399. *n.* 3. Explicatur exemplis. *ibid.* Iuramentum aliud ſimplex eſt, aliud ſolemne. *p.* 400. *n.* 4. Referuntur plures ritus Iudæorum pro iuramenti uſu. *ibid.* Varii ritus pro iuramentis ſolemnibus præſcribuntur in iure civili, & canonico. *ibid. n.* 5. Solemne iuramentum aliud eſt verbale, quod fit ſolis verbis, aliud iudiciale, quod in iudiciis præſtatur. *ibid. n.* 6. & *p.* 401. *n.* 7. Iudiciale aliud eſt calumniæ. *ibid. n.* 7. Aliud malitiæ. *p.* 402. *n.* 8. Aliud ſuppletorium. *ibid.* Aliud in litem, aliud neceſſarium, aliud voluntarium. *ibid. n.* 9. & *ſeqq.* Suppletorium reo, non actori in cauſa dubia deferendum eſt. *p.* 403. *n.* 12. Er quidem nonniſi in graviſſima neceſſitate. *ibid. n.* 13. Suppletorio iuramento locus non eſt in criminalibus, in quibus pœna corporalis reo eſt infligenda. *ibid. n.* 14. Iuramenta prædicta ſunt omnia eiuſdem ſpeciei. *p.* 404. *n.* 16. Non raro tamen etiam aliam malitiam continent, ut blaſphemiæ &c. *ibid. n.* 19. Ut licitum ſit iuramentum tres conditiones requiruntur; veritas nempe, iuſtitia, & iudicium. *p.* 405.

Digitized by Google

p. 405. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Explicatur. *ibid.* Sex caſus aſſignantur, in quibus iuramentum non ſolum a culpa eſt immune, ſed etiam habet virtutis meritum. *p.* 407. *n.* 4. Veritas in iuramento aſſertorio requiſita non eſt neceſſe ut talis ſit in re, ſed ſufficit ut talis exiſtimetur. *p.* 408. *n.* 1. In re leviſſima falſum iurans peccat mortaliter. *ibid. n.* 2. Oppoſita propoſitio P. Bauni damnatur ab Innocentio XI. *ibid.* Qui rem dubiam ut certam, aut contra iurat, peccat mortaliter. *p.* 409. *n.* 3. Qui per hyperbolem aliquid iurat, quod, ut ſonat, verum non eſt, illicite iurat. *ibid. n.* 4. Non eſt licitum iurare rem quam probabiliter tantum iudicas eſſe veram. *p.* 410. & *ſeq. n.* 5. Laxæ Leandri, Sanchez, & aliorum ſententiæ improbantur. *ibid.* Ut quis licite iurare poſſit, neceſſaria eſt certitudo moralis, quæ omnem prudentem dubitationem excludit. *p.* 412. *n.* 7. Male a Caſuiſtis certitudo moralis explicatur. *ibid. n.* 8. Nemo ſive in iudicio, ſive extra poteſt iurare rem ut abſolute veram, quam audivit ſolum ab unico teſte fide digno. *p.* 413. *n.* 9. Norma diligentiæ requiſitæ in inquirenda veritate neceſſaria ad iuramentum, eſſe non debet rei iuratæ natura, ſed ſumma gravitas, & dignitas iuramenti. *p.* 414. *n.* 10. Qui notabiliter negligens eſt in inquirenda veritate rei quam iurat, peccat mortaliter, etſi contingat eam eſſe veram. *ibid. n.* 11. Ut Scholaſtici licite iurare poſſint aliquem ſocium ad ſcholas acceſſiſſe tempore requiſito ab univerſitate, ſatis eſt illos ſcire eum communiter audiviſſe lectiones. *p.* 415. *n.* 12. Implexa Tamburini ex Hurtado doctrina improbatur. *ibid.* Non licet perſuadere alicui, ut iuret veritatem quam ipſe ignorat. *ibid. n.* 13. Defectus iuſtitiæ in iuramento aſſertorio probabilius eſt peccatum mortale, quando iurantis aſſertio peccatum mortale eſt; ſecus non. *p.* 416. *n.* 3. Defectus vero iudicii leve, ſi ſit ſolum in expendenda neceſſitate iurandi. *p.* 418. *n.* 5. Si vero ſit in inquiſitione veritatis, gravis erit, vel levis, pro ut gravis, vel levis fuerit negligentia. *ibid.* Iuramentum promiſſorium licitum non eſſe male contendit Grotius. *p.* 419. *n.* 1. Etiam in eo requiritur veritas, iudicium, & iuſtitia. *ibid.* In iuramento promiſſorio defectus veritatis præſentis ſemper eſt peccatum mortale. *ibid. n.* 2. Qui rem promiſſam iuramento firmatam in materia gravi non implet, peccat mortaliter. *p.* 420. *n.* 3. Idem etiam eſt, etiamſi materia ſit levis. *p.* 421. & *ſeqq. n.* 5. & *ſeqq.* Defectus executionis talis iuramenti inducit falſitatem non materialem, ſed formalem. *p.* 423. *n.* 9. Reſpondetur adverſariorum obiectis. *p.* 425. & *ſeq. n.* 12. & *ſeqq.* Qui ſub iuramento rem promitteret animo dubio illam implendi, peccat mortaliter. *p.* 427. *n.* 16. Iuramenta quibus communiter homines iurant aliquid ſe facturos, vel non, interpretanda ſunt iuxta communem ſenſum, in quo accipiuntur. *ibid. n.* 17. Qui iurat ſe fornicaturum, vel aliquid grave delictum patraturum, peccat mortaliter contra religionem. *p.* 428 *n.* 2. Probabilius quoque ſic peccat, ſi delictum ſit leve. *ibid. n.* 4. & *ſeq.* Qui iurat aliquid ſe facturum contra conſilia evangelica, ſolum peccat venialiter. *p.* 429. *n.* 6. Materia iuramenti debet eſſe licita, poſſibilis, & bona. *p.* 430. *n.* 1. Explicatur. *ibid. n.* 2. & *ſeqq.* Si materia iurata indifferens iuretur propter finem honeſtum, vel proximi utilitatem, iuramentum obligat. *p.* 431. *n.* 6. In promiſſione liberali, & iurata contrahendi matrimonium, ſemper includitur conditio, *niſi meliorem ſtatum elegero*. *p.* 432. *n.* 8. Iuramentum de re illicita relaxatione non indiget. *ibid. n.* 9. Reſpondetur duobus obiectis ex iure canonico petitis. *ibid.* Abſolute loquendo maior eſt obligatio voti quam iuramenti. *p.* 434. *n.* 6. Non eſt licitum iurare ſine animo iurandi. *p.* 436. & *ſeq. n.* 9. & *ſeq.* Improbatur doctrina P. Tamburini ceu doctrina damnata; & eiuſdem explicatio, quam exhibet P. Vi-

va. *ibid.* Qui iurat falſum in materia gravi ſine animo iurandi, peccat mortaliter. *p.* 437. *n.* 11. Sicut & in materia levi. *ibid. n.* 12. & *ſeq.* Male oppoſitum ceu probabile defendere videtur P. Viva. *ibid.* Qui iurat verum ſine animo iurandi, peccat mortaliter, etiamſi iuret in materia levi. *p.* 439. *n.* 16. Qui deliberate iurat ex. gr. *Per Deum ita eſt*, verum profert iuramentum, etiamſi animum habeat non iurandi. *ibid. n.* 17. Satisfit obiecto. *p.* 440. *n.* 18. Qui falſum iurat ex lapſu linguæ, non eſt reus periurii, nec peccat mortaliter; ſecus ſi ex pravo habitu. *p.* 441. *n.* 19. Qui iurat ſine animo ſe obligandi, probabilius reipſa obligatur. *p.* 442. *n.* 21.

L

La Croix (P. Claudius) laxam docet propoſitionem de voto. *p.* 117. *n.* 8. Et alias laxas de eodem. *p.* 170. & *ſeq. n.* 47. & *ſeqq.* Laxe docet omittentem integrum Roſarium voto promiſſum ſolum leviter peccare. *p.* 183. *n.* 13. Laxe docet voventem abſtinentiam a vino ad vitandam ebrietatem, poſſe ſumere alios quoſcumque potus aptos ad inebriandum. *p.* 226. *n.* 3. Eius, & P. Cattanei doctrina comparans mendacium furto in extrema neceſſitate commiſſo, adverſatur doctrinæ Eccleſiæ. *p.* 492. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Eius doctrina de reſtrictionibus mentalibus in eam recidit quæ docet periculum perdendi vitam eſſe cauſſam quæ valet reſtrictionem pure mentalem reddere non pure mentalem. *p.* 504. *n.* 14. Et in eam quæ docet mendacium in gravi neceſſitate non eſſe mendacium, adeoque licere. *p.* 505. *n.* 15. Eius interpretatio de damnatis amphibologiis refertur, & improbatur. *p.* 517. & *ſeq. n.* 7. & *ſeqq.* Eius ſcribendi methodus viam aperit nimiæ laxitati. *p.* 520. *n.* 12.

Leander a SS. Sacramento laxiſſime docet blaſphemantem ex inveterata conſuetudine non peccare. *p.* 103. *n.* 6. Alia eiuſdem de hoc horrenda laxitas. *ibid. n.* 7. Male in ſuæ laxitatis præſidium patronum ſibi advocat S. Auguſtinum. *ibid. n.* 8. Alia eiuſdem laxitas, quam falſo Navarro, & D. Thomæ imponit, improbatur. *p.* 105. *n.* 12. Laudat Amadæum Guimenium, laxitatibus, erroribus, impoſturiſque plenum. *p.* 107. *n.* 5. Alia eiuſdem, & recentium Probabiliſtarum laxitas de ſtatim abſolvendis blaſphemis conſuetudinariis improbatur. *p.* 109. & *ſeq. n.* 6. Aliæ eiuſdem laxæ propoſitiones de voto. *p.* 116. & *ſeq. n.* 3. & 5. & *p.* 136. & *ſeq. n.* 17. & *ſeqq.* Et de iuramento. *p.* 379. & *ſeq. n.* 3. & 8. & *p.* 410. *n.* 5.

M

Magia naturalis qua mira quædam, & inſolita fiunt, licita eſt. *pag.* 68. *n.* 1. & *ſeq.* Naturalis, & ſuperſtitioſa tribus ſignis ſecerni poteſt. *p.* 69. *n.* 3. Recenſentur. *ibid.* In dubio an effectus procedat a cauſſa naturali, vel arte ſuperſtitioſa, abſtinendum eſt ab eo procurando. *ibid.* & *p.* 70. *n.* 4. & *ſeq.* AEquivocatio Salmanticenſium D. Thomæ doctrinam quæſtioni male aptantium detegitur. *ibid.* Salutatores, ſic nuncupati, qui non virtute naturali, ſed gratia gratis a Deo data morbos ſanant, probabilius eſt non dari. *p.* 71. & *ſeq. n.* 6. & *ſeqq.* Pluribus ſignis eorum ſuperſtitio dignoſci poteſt. *p.* 73. *n.* 10. Recenſentur. *ibid.* Enſalmus invocativus licitus eſt, non autem conſtitutivus. *ibid. n.* 11. Explicatur uterque. *ibid.* Faſcinatio alia eſt vulgaris, alia phyſica, ſeu naturalis. *p.* 74. *n.* 12. Dari naturalem probabilius eſt. *ibid. n.* 14. Vulgaris ſuperſtitioſa eſt. *p.* 75. *n.* 15.

Maleficium aliud veneficum eſt, aliud amatorium. *p.* 76. *n.* 1. Ad hæc expellenda Eccleſia remedia proponit. *p.* 77. *n.* 2. Remedia propoſita a Philoſophis adverſus amatoria vana ſunt, & ſuperſtitionis plena. *ibid.* Utilis tamen eſt naturalium remediornm uſus. *ibid.* Diſſolutionem maleficii petere non licet a malefico, licet parato ad

id

Digitized by Google

id præſtandum. *ibid. n.* 3. Satisfit obiectis. *p.* 78. *n.* 4. Licitum eſt petere a malefico ut maleficium auferat, ſi conſtat id illum poſſe mediis licitis. *ibid.* & *p.* 79. *n.* 5. & *ſeqq.* Maleficii ſigna deſtruere licet. *p.* 80. *n.* 8. Oppoſita Heſſelii ſententia improbatur. *ibid. n.* 9. Maleficus qui dæmoni chirographum proprio ſanguine ſubſcriptum tradidit, non tenetur illum redimere, ut veram pœnitentiam peragat. *p.* 81. *n.* 10. Pecuniæ ſive veræ, ſive adulteratæ ſint, arte dæmonis conquiſitæ, omnino ſunt proiiciendæ. *ibid.* Maleficæ mulieres, aliæ lamiæ, aliæ ſagæ, aliæ ſtriges vocantur. *p.* 81. *n.* 1. Explicatur. *ibid.* Feminæ præ viris pluribus de cauſſis maleficiis ſunt deditæ. *ibid. n.* 2. Recenſentur hæ cauſſæ. *ibid.* Duæ rationes aſſignantur, cur vetulæ præ iunioribus feminis præſtigiis maleficiiſque dent operam, *p.* 83. *n.* 3. Solida ratio, cur Deus permittat ut lamiæ, ſeu ſtriges infantibus & iuvenibus potius quam adultis noceant. *ibid. n.* 4. Striges reapſe de loco ad locum ope dæmonis transferri poſſunt. *ibid.* & *p.* 84. *n.* 5. Raro id accidit. *ibid.* Raro quoque mulieribus in his fides eſt adhibenda. *ibid. n.* 6. Lutherus & ſequaces male Catholicos arguunt, quod nonnullis huiuſmodi translationibus fidem adhibeant. *p.* 85. *n.* 7. Eis non favet Concilium Ancyranum. *ibid.* Mulieres ſagæ, ſeu viri nequaquam a dæmone in felem, muſtelam, leporem, aliaſque beſtias mutari poſſunt. *ibid.* & *p.* 86. *n.* 8. & *ſeq.* Ab eo ſolum immutari poſſunt ſenſus videntium, & ſagarum. *ibid. n.* 10. Non poſſunt dæmones ianuis clauſis introducere ſagas in domos, & cubicula dilectorum. *ibid. n.* 11. Aſſignatur locus, in quo conventus ſagarum cum dæmonibus celebratur, quidque in huiuſmodi conventiculis peragant. *ibid. n.* 12. Commixtio dæmonum cum mulieribus reipſa accidit. *p.* 87. & *ſeq. n.* 13. Opponi ſolita ab adverſariis diluuntur. *p.* 88. *n.* 14. Humanæ & divinæ leges puniendos maleficos ſtatuunt. *p.* 89. *n.* 1. Reipſa excommunicantur a iure. *ibid. n.* 2. Inquiſitoribus ſunt denuntiandi. *ibid.*

Marin (P. Ioannes) laxam docet propoſitionem de voto. *p.* 117. *n.* 7. Laxe docet voventem virginitatem non teneri ad caſtitatem. *p.* 234. *n.* 22.

Martinez de Prado [Ioannes] laxam docet propoſitionem de voto. *p.* 116. *n.* 4. Et aliam. *p.* 153. *n.* 11. & *ſeq.*

Mendacium licitum eſſe urgente graviſſima cauſſa docuerunt Plato, & nonnulli Eccleſiæ Patres. *p.* 445. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Referuntur eorum teſtimonia. *ibid.* Chryſoſtomus ab hoc errore immunis non fuit. *p.* 446. *n.* 5. Huiuſmodi ſententia tempore S. Auguſtini communis fuit. *p.* 448. *n.* 8. Male hinc probatur ab hæreticis Patres nullius eſſe auctoritatis. *ibid. n.* 9. Ante, vel circa tempora Auguſtini plures Auctores mendacio bellum indixerunt. *p.* 449. & *ſeq. n.* 1. & *ſeqq.* Recenſentur. *ibid.* Quæ de mendacio S. Auguſtinus ſcribit, omnia compendioſe narrantur. *p.* 451. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Compendioſe item narrantur omnia quæ idem S. Doctor ſcripſit ad Conſentium contra mendacium. *p.* 458. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* In eo libro mendacia omnia ex profeſſo profligantur. *ibid.* Auguſtiniana doctrina opportuniſſima eſt ad controverſiam de iuramento doloſo dirimendam adverſus plurium recentiorum doctrinam in materia æquivocationum, & reſtrictionum mentalium. *p.* 464. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Illorum doctrina aut eadem eſt, aut peior ea quam improbavit D. Auguſtinus. *ibid.* Hiſtorice narratur doctrina plurium recentiorum ad occultandam veritatem excogitata. *p.* 467. *n.* 1. Exhibetur ſynopſis huius doctrinæ, variis Thomæ Sanchez, & Tamburini laxis propoſitionibus contentæ. *p.* 468. & *ſeqq. n.* 2. & *ſeqq.* Principia præfatarum propoſitionum damnavit Innocentius XI. damnatis reſtrictionibus mentalibus. *p.* 472. *n.* 1. Eum Pontificem damnaſſe ſolum propoſitiones ut iacent, non ut ſunt in Auctorum, unde excerptæ

ſunt

Digitized by Google

ſunt, libris, male aſſerit P. Gabriel Daniel. *ibid.* Poſt damnatas reſtrictiones mentales plures recentiores ad diſtinctionem conſugerunt reſtrictionum pure, & non pure mentalium, ſicut & ad verba amphibologica, & æquivoca. *p.* 473. *n.* 3. & *ſeq.* Explicatur. *ibid.* Alii non pauci ad ſcientiam communicabilem, & incommunicabilem. *p.* 474. *n.* 5. Alii tandem ad locutiones materialiter adhibitas, cum intentione nempe nihil ſignificandi. *ibid.* *n.* 6. Explicatur doctrina P. Tanneri, & P. Stoz. *p.* 475. *n.* 7. Et doctrina P. La Croix, præſertim reſpectu Confeſſarii interrogati de re quam habet ſub ſigillo. *ibid.* *n.* 8. Hanc doctrinam P. Ambroſius Cattaneus extendit ad caſus non ſolum graves, ſed ad quodcumque notabile incommodum declinandum. *p.* 476. *n.* 9. & *ſeq.* Doctrina tamen eorum recentiorum eadem eſt ac doctrina Caſſiani volentis in extrema neceſſitate licita eſſe mendacia. *p.* 477. *n.* 1. & *ſeqq.* Adverſaturque doctrinæ D. Auguſtini in omni eventu mendacia damnantis. *ibid.* Oſtenditur facta collatione caſuum ab eodem Auguſtino, & recentioribus propoſitorum, & contraria doctrina reſolutorum. *ibid.* Doctrina recentiorum de reſtrictionibus pure mentalibus falſa eſt, & iure ab Eccleſia damnata. *p.* 481. & *ſeqq.* *n.* 1. & *ſeqq.* Reſpondetur obiectis. *p.* 483. & *ſeq.* *n.* 6. & *ſeqq.* Improbabile & falſum eſt verba ex communi Reipublicæ lege nihil ſignificare, ſi adhibeantur ad occultandam veritatem quæ ſine gravi damno manifeſtari nequit. *p.* 485. & *ſeqq.* *n.* 1. & *ſeqq.* Lex iſta fuit incognita omnibus antiquis. *ibid.* *n.* 2. Opinio Tamburini aientis hominem ad libitum poſſe proferre verba materialiter, laxior eſt ipſa propoſitione damnata de reſtrictionibus mentalibus. *p.* 489. & *ſeqq.* *n.* 1. & *ſeqq.* Opinio P. Cattanei, & P. La Croix, aliorumque comparantium mendacium furto in extrema neceſſitate commiſſo, adverſatur doctrinæ Eccleſiæ. *p.* 492. & *ſeqq.* *n.* 1. & *ſeqq.* Communis plurium recentiorum opinio; quæ reſtrictiones non pure mentales defendit beneficio notitiæ communicabilis, & incommunicabilis, utilis, & non utilis ad dicendum, ſub examen inducitur. *p.* 499. & *ſeqq.* *n.* 1. & *ſeqq.* Oſtenditur eam non differre a ſententia propugnantium reſtrictiones pure mentales. *ibid.* Impugnantur quæ de ea ediſſerit P. Viva. *ibid.* Eiuſdem doctrina recidit in propoſitionem damnatam. *p.* 502. & *ſeq.* *n.* 9. & *ſeqq.* Recenſentur cauſſæ, cur recentiores plurimi reipſa defendant reſtrictiones pure mentales proſcriptas. *p.* 506. & *ſeq.* *n.* 1. & *ſeq.* Referuntur doctrinæ P. Sanchez, & improbantur una cum vindiciis quas de eo exhibet P. Viva. *ibid.* & *p.* 508. & *ſeqq.* *n.* 5. & *ſeqq.* Recentiores plurimi reipſa docent reſtrictiones mentales, quia male vitam veritati anteponunt. *p.* 515. *n.* 1. Reiecto ut illicito uſu reſtrictionis mentalis, male infertur aliqua Dei præcepta eſſe impoſſibilia. *ibid.* *n.* 2. Oſtenditur S. Auguſtini doctrina. *p.* 516. *n.* 3. & *ſeq.* Male unicus & peculiaris Confeſſariis caſus cum aliis caſibus confunditur. *ibid.* *n.* 5. & *ſeq.* Falſum eſt damnatas propoſitiones damnatas non eſſe ut ſunt in Auctoribus. *p.* 517. *n.* 7. Prædictis propoſitionibus perperam ſenſus extraordinarii affinguntur, in quibus contenditur illas damnatas fuiſſe. *ibid.* & *p.* 518. & *ſeqq.* *n.* 8. & *ſeqq.* Referuntur, & improbantur ſenſus iidem attributi a P. La Croix, & Anonymo defenſore P. Cattanei. *ibid.* P. Moya, P. Cardenas, Sporer, aliique plurimi recentiores ob id caute legendi ſunt. *p.* 520. & *ſeq.* *n.* 12. Reſtrictiones pure mentales neque ex cauſſa honeſta licitæ ſunt, ſed ſunt pura mendacia. *p.* 522. & *ſeqq.* *n.* 1. & *ſeqq.* Illas, poſt damnatas ab Innoc. XI. propoſitiones, propugnat P. Didacus de la Fuente Hurtado, & P. Caſnedi docet non eſſe damnatas. *ibid.* Referuntur horum doctrinæ, & improbantur. *ibid.* Amphibologia quæ aut vi verborum, aut circumſtantiarum duplicem patitur ſenſum, utrumque ab auditore intel-

Digitized by Google

telligibilem, non eſt mendacium, ſed licita eſt. *p.* 526. & *ſeqq.* *n.* 1. & *ſeqq.* Non ſemper hæc amphibologia occurrit, aut ſufficit ad occultandam veritatem, potiſſimum interrogante urgente, ut ſine æquivocatione loquamur. *p.* 528. & *ſeqq.* *n.* 8. & *ſeqq.* Alia proinde via occultanda ſunt ſecreta quæ abſque peccato revelari nequeunt. *ibid.* Aſſignantur novem regulæ obſervandæ. *p.* 531. & *ſeq.* *n.* 10. & *ſeqq.* Exponuntur Scripturæ textus, quos antiqui pro tuendis mendaciis, & recentiores pro defendendis mentis reſtrictionibus opponunt. *p.* 533. & *ſeqq.* *n.* 1. & *ſeqq.* Perperam in favorem reſtrictionum mentalium afferuntur aliqui textus evangelici. *p.* 536. & *ſeqq.* *n.* 1. & *ſeqq.* Oſtenditur illorum omnium explicatione. *ibid.* Itemque ſolutione obiectionum tum a ratione, tum ab exemplis, & doctrina Sanctorum petitarum. *p.* 543. & *ſeqq.* *n.* 1. & *ſeqq.*

Molinos (Michael) duos de voto errores docuit, damnatos ſubinde ab Innocentio XI. *p.* 115. *n.* 1.

Moya (P. Matthæus) qui ſub larva Amadæi Guimenii laxas opiniones primum vulgavit, eas deinde ſub ſplendido probabilitatis colore recudit. *p.* 145 *n.* 30. Inani diſtinctione contendit, non ſemper voventem virginitatem teneri ad caſtitatem. *p.* 234. *n.* 22. Laxam docet propoſitionem de iuramento. *p.* 380. *n.* 10. Caute eſſe legendum bene monet P. La Croix. *p.* 520. *num.* 12.

O

Opinio. *V. Propoſitiones damnatæ. Propoſitiones laxæ.*

Orſi (P. Ioſeph Auguſtini) opera laudantur. *p.* 444. & *p.* 497. *n.* 13.

P

Probabiliſtæ, ſive Eccleſia damnet, ſive non damnet propoſitiones laxas, & ſcandali plenas, effugia habent, quibus illas tueantur. *p.* 526. *n.* 13.

Probabilitas quælibet non facit certitudinem moralem, ut male contendit Leander. *p.* 410. *n.* 5. Non ſufficit probabilitas ad iurandum. *ibid.*

Propoſitiones damnatæ in hoc opere contentæ. De conſuetudinario. *p.* 110. *n.* 6. De voto. *p.* 115. *n.* 1. De iuramento. *p.* 373. *n.* 1. & *p.* 377. *n.* 1. & *p.* 408. *n.* 2. & *p.* 410. *n.* 5. & *p.* 436. *n.* 9.

Propoſitiones laxæ in hoc opere contentæ de voto. *p.* 116. & *ſeq.* *n.* 2. & *ſeqq.* De his, & aliis laxis propoſitionibus. *V. Bauny. Bonacina. Caſnedi. Cattanei. Caſtropalaus. Daniel. Dicaſtillus. Francolinus. Fuente Hurtado. Gobat. La Croix. Leander. Marin. Martinez de Prado. Moya. Sanchez. Sporer. Tamburinus. Torrecilla. Viva.*

Puente (P. de la) votum numquam peccandi venialiter deliberate fuit ex ſpeciali ductu Spiritus ſancti. *p.* 174. *num.* 57.

R

S. Raymundus de Pennafort in ſua Summa non favet mendacio. *p.* 545. *n.* 7. Verba hæc, *Ire contra mentem*, ſumuntur ab eo pro his aliis, *Ire contra conſcientiam.* *ibid.*

Religio, ſeu religioſus ſtatus quem quis profitetur, res eſt laudabilis, meritique plena. *p.* 251. *n.* 1. Eam vovens omnem adhibere debet diligentiam ut eam ingrediatur. *ibid.* *n.* 2. Sic vovens, ſi ſperet voti ſui manifeſtatione in eam recipiendum eſſe, illud Prælato manifeſtare tenetur. *ibid.* Explicatur hoc votum: *Promitto me ingreſſurum Religionem, niſi aliter Deus de me ſtatuerit.* *p.* 253. *n.* 1. Et hoc aliud: *Voveo me ingreſſurum hanc Religionem, ſi quam intravero.* *ibid.* *n.* 2. Votum quo quis nullam perſonam ſibi obſtaculo futuram vovet, quominus Religionem ingrediatur, validum eſt. *p.* 254. *n.* 3. An teneatur ad Religionis ingreſſum qui votum emiſit volendi Religionis ingreſſum, pendet ab intentione voventis. *ibid.* *n.* 4. Votum moriendi in Religione voto Religionis æquivalet. *p.* 255. *n.* 5. Votum vitæ eremiticæ, & ſo-

Digitized by Google

ſolitariæ obligationem inducit. *ibid. n.* 6. Religionem abſolute vovens, votum non implet, ſi aſſumat habitum Equitum D. Iacobi, Calatravæ, Alcantaræ, & Monteiæ, & D. Ioannis. *ibid. n.* 1. & *p.* 256. *n.* 2. Impleret per ingreſſum in Religionem Clericorum ordinum militarium. *ibid. n.* 3. Non impleret, ſi ingrederetur Religionem relaxatam. *ibid. n.* 4. Religio relaxata eſt quæ in ſubſtantialibus deficit. *ibid. n.* 5. Explicatur. *ibid.* & *p.* 257. *n.* 6. & *ſeq.* Vovens ingredi Religionem ſtrictiorem non ſatisfacit laxiorem ingrediendo. *ibid. n.* 8. Nec licite in laxiori perſeverare poteſt, ſi in hac fuerit profeſſus. *p.* 258. *n.* 9. Nulla Religio in ſubſtantialibus collapſa privilegium habet recipiendi eos qui voverunt ſtrictiorem. *p.* 259. *n.* 10. Aſſignatur quid præſtare debeat qui indefinite Religionem vovit. *ibid. n.* 11. Qui vovens ingredi hunc determinate Conventum repulſam ferat, tenetur alia adire Cœnobia, niſi ſpeciali ratione motus fuerit ad ſic vovendum. *p.* 260. *n.* 12. In perpetuum repulſus, ſi a Religione denuo invitetur, probabilius liber eſt a voto. *p.* 261. *n.* 14. Non eſt ab eo liber, ſi facta petitione Religio quærat tempus ad deliberandum. *ibid.* Voto ligatus eadem facilitate ac non ligatus repelli poteſt a regulari Prælato. *ibid. n.* 15. Qui vovit Religionem, ut in ea Clericus eſſet, liber eſt a voto, ſi Religio nolit eum admittere niſi ut laicum. *ibid. n.* 16. Spurius, qui ignorans conſtitutionem Sixti V. qua ſpurii a gradibus & dignitatibus repelluntur, vovet Religionem, videtur ad votum teneri cognita conſtitutione. *p.* 262. *n.* 17. Qui vovit Religionem in ſtatu ſacerdotali, tenetur grammaticam addiſcere, ut in eam admittatur. *ibid. n.* 18. Qui voto Religionis emiſſo contrahit matrimonium, adhuc poteſt & debet abſtinere per bimeſtre a petendo & reddendo debito, & Religionem ingredi. *ibid. n.* 19. Conſummato matrimonio reddere & petere poteſt. *ibid.* Si tale votum ſubſequatur matrimonium, poteſt reddere, & petere. *ibid.* Votum Religionis non impletur ſuſceptione Epiſcopatus. *p.* 264. *n.* 20. Voto non ſatisfacit intrans Religionem animo exeundi. *ibid. n.* 2. Etiamſi ſimul intraret cum propoſito Deum orandi, ut illius cor immutaret. *p.* 265. *n.* 3. Votum eam ingrediendi, & ſtatim ab ea exeundi nullum eſt. *ibid. n.* 4. Vovens eam ingredi cum libertate a iure Novitiis conceſſa, facta experientia egredi valet. *ibid.* Non tamen ſatisfacit voto, ſi facto experimento abſque ulla cauſſa egrediatur. *p.* 266. *n.* 5. & *ſeq.* Recenſentur iuſtæ cauſæ a Religione reſiliendi. *p.* 267. *n.* 7. Qui ultra Religionem vovet quoque in ea perſeverantiam, non poteſt ab ea egredi niſi ob evidentem impotentiam ad profitendum, aut ob ſuam a Religione expulſionem. *ibid. n.* 8. Si tamen ſecus egrediatur, non tenetur ad caſtitatem in ſæculo ſervandam, niſi hanc quoque ſimul, & principaliter voviſſet. *p.* 268. *n.* 9. Vovens Religionis ingreſſum tenetur, quamprimum commode poteſt, eam ingredi. *ibid. n.* 1. Si data opportunitate id differat ultra dimidium anni, peccat mortaliter. *p.* 269. *n.* 2. Si hoc votum præfinito ſibi tempore implere nequeat, idque prævideat, non tenetur prævenire illud tempus. *ibid. n.* 3. Niſi tempus definitum latitudinem excipiat. *p.* 270. *n.* 4. Si excurrat tempus deſignatum, adhuc eo elapſo tenetur. *ibid. n.* 5. Secus eſſet de voto ieiunandi diei affixo. *ibid.* Si finis voti Religionis fuerit tota, & unica cauſſa eam vovendi, eo ceſſante, non teneris voto; ſecus teneris. *p.* 271. *n.* 6. Idem eſt de conditione ſub qua votum fuit emiſſum. *ibid.* Qui ſponte impedimenta apponit, ne eveniat conditio, ſub qua Religionem vovit, non eximitur ab implendo voto. *ibid.* & *p.* 272. *n.* 7. & *ſeqq.* Vota Religioſorum emiſſa ſine Prælati licentia de materia honeſta, quæ nec iuriſdictionem, nec Religionem perturbant, valida ſunt. *p.* 275. & *ſeq. n.* 4. Secus ſi eſſent de rebus ſive a Regula, ſive a Superiorum præcepto

Digitized by Google

cepto vetitis. *p.* 277. *n.* 5. Votum editum a Prælatis Regularium elargiendi eleemoſynam, validum eſt. *ibid. n.*6. Valida tamen non ſunt vota ſubditorum Regularium edita ſine licentia Prælatorum elargiendi in eleemoſynam quidquam de bonis ipſis ad uſum conceſſis. *p.*278. *n.* 7. & *ſeq.* Religioſus profeſſione emiſſa liber non evadit a voti vinculo ob ius quod acquirit ad regiam coronam. *p.* 286. *n.* 11. *V. Irritatio voti.*

Reliquiæ Sanctorum. *V. Adoratio.*

Reſervatio votorum. *V. Diſpenſatio in voto.*

Reſtrictiones mentales. *V. Mendacium.*

S

Sacrilegium eſt rei ſacræ violatio. *p.* 95. *n.* 1. Triplex eſt, aliud quo perſona ſacra, aliud quo locus ſacer, aliud quo res ſacræ violantur. *ibid. n.* 2. Partitio hæc ex D. Thoma eſt in ſpecies infimas, ſive atomas. *p.* 96. *n.* 3. Recenſentur ſacrilegia, quæ violatione perſonarum ſacrarum continentur. *ibid. n.* 4. Item ea quæ continentur violatione loci ſacri. *ibid. n.* 5. Qui extra locum ſacrum habet voluntatem occidendi in loco ſacro, contrahit malitiam ſacrilegii. *p.* 97. *n.* 6. Non vero qui in loco ſacro deliberat ex. gr. fornicari in loco non ſacro. *ibid.* Res ſacræ in quatuor gradus dividuntur. *ibid. n.* 7. Abuti verbis ſacræ Scripturæ ſacrilegium eſt. *p.* 98. *n.* 8. Decretum Tridentini in hunc abuſum refertur. *ibid.* Etiam omiſſione ſacrilegium patrari poteſt. *ibid. n.* 9. Explicatur exemplis. *ibid.* Omiſſio receptionis, vel adminiſtrationis ſacramentorum tempore debito probabilius non eſt ſacrilega. *ibid. n.*10. Sacrilegium ex genere ſuo letale eſt. *p.* 99. *n.* 11. Ob materiæ parvitatem, aut ob inconſiderantiam leve eſſe poteſt. *ibid. n.* 11. Pœnæ in ſacrilegos conſtitutæ aliæ ſunt pecuniariæ, aliæ ſpirituales. *ibid. n.* 12.

Salmanticenſes dubio de honeſtate actionis male aliam D. Thomæ doctrinam adaptant. *p.* 69. & *ſeq. n.* 4. Male S. Antoninum, & Sylveſtrum allegant. *p.* 129. *n.* 2.

Sanchez (P. Thomas) laxe & monſtroſe docet pro divinatione receptum non eſſe reſtituendum, modo divinans uſus ſit arte diaboli. *p.* 51. *n.* 13. & *ſeq.* Laxe docet iurari poſſe ut vera quæ cognoſcimus coniectura tantum probabili. *p.* 410. & *ſeq. n.* 5. Docet multas propoſitiones laxas, & nonnullas damnatas de æquivocationibus, & reſtrictionibus mentalibus. *p.* 468. & *ſeqq. n.* 2. & *ſeqq.* Recenſentur. *ibid.* & *p.* 509. & *ſeqq. n.* 9. & *ſeqq.* Iuſta de cauſa P. Sanchez auctor eſſe probatur propoſitionum 27. & 28. damnatarum ab Innocentio XI. *p.* 512. & *ſeq. n.* 15. & *ſeq.*

Somnia. Horum varia genera, & quatuor cauſſæ. *p.* 53. *n.* 1. & *ſeq. V. Divinatio.*

Sortes. *V. Divinatio.*

Sporer (P. Patritius) laxam docet propoſitionem de voto. *p.* 116. *n.* 2. Et aliam de obſervatione voti. *p.*135. *n.*2. Item aliam. *p.* 183. *n.* 13. Laxe excuſat a mortali voventem abſtinentiam a vino, niſi tantum vini bibat, quantum homo temperatus bibere ſolet in uno prandio. *p.* 227. *n.* 4. In hoc ſibi expreſſe contradicit. *ibid.* Laxam docet propoſitionem de commutatione voti. *p.* 353. *n.* 5. Et de iuramento. *p.* 378. & *ſeqq. n.* 1. 11. & 15. Et aliam. *p.* 389. *n.* 2. Caute eſt legendus ob damnatas quas in aliis laudat, & ab illis exſcribit doctrinas. *p.* 521. *n.* 12.

Status Religioſus. *V. Religio.*

Superſtitio quid ſit, eiuſque diviſio exponitur. *p.* 32. & *ſeq. n.* 1. & *ſeqq.* Ex modo indebito colendi Deum eſt peccatum grave. *p.* 34. *n.* 5. Profana & turpia divino officio immiſcere peccatum grave eſt: leve vero, ſi tantum vana. *ibid. n.* 6. Graviter peccat falſas reliquias adorandas proponens, aut falſa miracula prædicans. *ibid. n.* 7. Ieiunans die dominico eo tantum fine ut carnem, ſenſuſque cohibeat, non peccat. *ibid. n.* 8. Referuntur plures obvii caſus in quibus latitat ſuperſti-

Digitized by Google

tio. *p.35.* & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq. V. Divinatio.*

T

Tamburinus laxe docet præceptum adorandi Deum per ſe & directe numquam obligare. *p.4.n.6.* Laxiſſime docet blaſphemantem ex inveterata conſuetudine non peccare. *p.* 103. *n.* 5. & *ſeq.* Laxe docet omittentem integrum Roſarium voto promiſſum peccare ſolum leviter. *p.* 183. *n.* 13. Et familiaris eſt defectus diligentiæ in referendis Auctorum ſententiis. *p.* 342. *n.* 12. Laxas docet propoſitiones de iuramento. *p.* 379. & *ſeqq. n.* 2. 4. & 14. Et aliam. *p.* 390. *n.* 2. Et aliam ex Hurtado. *p.*415. *n.* 12. Et aliam damnatam de iurante ſine animo iurandi. *p.*436. *n.* 9. Et alias laxas pariter de iuramento. *p.*470. & *ſeq. n.*15. & *ſeq.* Laxe docet hominem ad libitum poſſe proferre verba materialiter, nempe ſpoliata omni ſignificatione. *p.* 489. *n.* 1. Hæc doctrina laxior eſt damnata de reſtrictionibus mentalibus. *ibid. n.*2. & *ſeqq.*

Tentatio Dei eſt experimentum inordinatum alicuius divinæ perfectionis verbis, vel factis. *p.* 9. *n.* 1. Alia eſt expreſſa, alia tacita. *ibid. n.*2. Ex genere ſuo peccatum grave eſt. *p.* 92. *n.* 3. Tentare Deum, etiam cum materia levis eſt, probabilius eſt mortale. *ibid. n.*4. Tentat Deum qui probatione ferri candentis, aut aquæ ferventis ſuam innocentiam manifeſtare contendit. *p.* 93. *n.* 5. Reſpondetur exemplis adduci ſolitis. *ibid.* Qui, ut hæreticum convertat, miraculum a Deo patrandum in confirmationem veritatis catholicæ offert, tentat Deum. *p.* 94. *n.* 6. Tentatio Dei expreſſa, & tacita non ſunt duo peccata diſtincta. *ibid. n.* 7. In confeſſione aperiendum eſt fueritne expreſſa, vel tacita tentatio Dei. *ibid.*

Torrecilla laxas docet propoſitiones de iuramento. *p.* 382. & *ſeq. num.* 24. & *ſeqq.*

V

VVicleffus male aſſerit iuramenta illicita eſſe quæ ſiunt ad corroborandos humanos contractus, & commercia civilia. *p.* 373. *n.* 1. Damnatur hæc propoſitio in Concilio Conſtantienſi. *ibid.*

Viva (P. Dominicus) laxas docet propoſitiones de iuramento. *p.* 381. & *ſeq. n.* 16. & 23. Male Tamburino abiudicat propoſitionem damnatam de iurante ſine animo iurandi. *p.*436. *n.* 9. Caute legendus eſt in expoſitione damnatarum propoſitionum. *ibid.* Non recedit a ſenſu propoſitionis 25. damnatæ ab Innocentio XI. *ibid.* Iurare falſum in materia levi ſine animo iurandi, male ut probabiliter licitum defendere videtur. *p.* 437. *n.* 12. Reſtrictionem non pure mentalem defendit uſu duplicis ſcientiæ communicabilis, & incommunicabilis. *p.* 500. *n.* 4. Extenditque ad omnes homines gravi cauſſa urgente. *p.* 501. & *ſeq. n.* 5. & *ſeqq.* Et ad ruſticos, quando commoda non occurrit reſtrictio externa. *ibid.* Doctrina huiuſmodi recidit in ipſam propoſitionem proſcriptam. *p.*502. *n.*9. Male contendit propoſitiones damnatas de reſtrictionibus mentalibus damnatas eſſe ſolum in earum obvio ſenſu, non vero ut ſunt in earum Auctoribus. *p.*506. *n.*2. Hæc doctrina favet Ianſeniſmo, & falſa eſſe oſtenditur. *p.*507. & *ſeqq. n.*3. & *ſeqq.* Eiuſdem commentaria in propoſitiones damnatas caute ſunt legenda. *p.* 520. & *ſeq. n.* 12.

VVolfius (Chriſtianus) Lutheranus male negat iuramentum novam producere obligationem præſtandi aliquid ei cui iuratur. *p.* 433. & *ſeq. n.* 3.

Votum damnarunt Lamperiani, VVicleffus, Lutherus, & Calvinus. *p.* 112. *n.* 1. Votum abſtinendi a vino non ideo a nobis fit, quaſi aliquid ſanctimoniæ vino ſubſit, ut calumniatur Calvinus. *ibid. n.*2. Alia Calvini de voto deliria referuntur, & in eumdem intorquentur. *p.* 113. *n.* 3. & *ſeq.* Votum tam ad tempus definitum, quam in perpetuum recte emitti poteſt. *p.* 114.

Digitized by Google

114. *n.* 5. Oſtenditur ex Scripturis, & rationibus contra Calvinum, & Lutherum. *p.* 114. *num.* 5. Propoſitiones damnatæ, & nonnullæ laxæ de voto recenſentur. *p.* 115. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Votum eſt deliberata promiſſio facta Deo de re meliori. *p.* 118. *n.* 2. *ibid.* & *n. ſeqq.* Ad votum neceſſaria eſt plena perfectaque deliberatio. *p.* 119. *n.* 5. Si hæc adſint, vota etiam repentina impleri debent. *ibid. n.* 6. Qui præcipitanter votum magni momenti edit, peccat venialiter. *p.* 120. *n.* 7. & *ſeq.* Impugnantur Salmanticenſes. *ibid.* Votum deliberate, licet præcipitanter, editum valet. *ibid.* Ad nullum votum, licet in materia leviſſima, ſufficit ſemiplena deliberatio. *pag.* 121. *num.* 9. Ad votum ſufficit deliberatio, ſeu libertas virtualis. *ibid. numer.* 10. Propoſitum, etſi firmum, votum non eſt, nullamque inducit obligationem. *pag.* 122. *num.* 1. Sæpe Patres votum pro propoſito uſurpant. *ibid.* In promiſſione voti natura ſita eſt. *pag.* 123. *num.* 1. Explicatur quomodo differat a propoſito. *ibid.* Diverſimode propoſitum voventis conſiderari poteſt. *ibid. n.* 13. Qui vovet animo vovendi, & ſe obligandi, tenetur voto, licet ſimul voluntatem habeat non exequendi promiſſum. *p.* 124. *n.* 15. Idem eſt, licet ſimul non haberet animum ſe obligandi. *p.* 125. *n.* 18. Vota in Sanctorum honorem facta valida ſunt. *p.* 126. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeq.* Explicatur, ſimulque Eraſmus, Lutherus, & Calvinus impugnantur. *ibid.* Vota quæ Sanctis nuncupamus, proprie ſoli Deo fiunt. *p.* 128. *n.* 6. Ea omnia quæ lege divina, ſeu eccleſiaſtica præcipiuntur, poſſunt eſſe materia voti. *p.* 129. *n.* 2. & *ſeq.* Promiſſio quæ fit in batiſmatis ſuſceptione renuntiandi diabolo, & pompis eius, non eſt votum niſi in amplo ſenſu. *p.* 130. *n.* 4. Ut votum ſit de meliori bono, ſufficit quod tale ſit comparate ad contrariam omiſſionem eiuſdem voti. *ibid. n.* 5. Quæ conſiliis evangelicis oppoſita ſunt, non ſunt apta votorum materia. *p.* 131. *n.* 6. In aliquibus circumſtantiis opus quod abſolute loquendo opponitur iiſdem, reipſa non opponitur. *ibid.* Votum contrahendi matrimonium, per ſe loquendo validum non eſt. *p.* 132. *n.* 7. Explicatur. *ibid.* Qui concupiſcentiæ ſtimulis agitatus vovet matrimonium ut fornicationes, alioſque libidinis actus vitet, probabilius valide non vovet. *ibid.* & *p.* 133. *n.* 8. & *ſeqq.* Solvuntur contrariæ ſententiæ argumenta. *p.* 134. *n.* 11. Coniugatus impeditus a petitione debiti ob votum (ſicut ob inceſtum, aut cognationem ſpiritualem) non poteſt debitum petere, etiamſi vehementibus carnis ſtimulis agitetur, ne in gravia peccata luxuriæ labatur. *p.* 135. *n.* 12. & *ſeq.* Impugnatur oppoſita Sporer laxa ſententia, ſicut & alia eiuſdem fere ſimilis. *ibid.* & *p.* 136. *n.* 15. & *ſeq.* Vota caſtitatis, religionis, vel non nubendi ab iis emiſſa quibus ſalubrius eſt ob incontinentiam matrimonium inire, valida ſunt, & obligant etiam poſt ſupervenientes libidinis vexationes. *ibid.* & *p.* 137. & *ſeqq. n.* 17. & *ſeqq.* Oppoſita Leandri, Moyæ, & P. La Croix aliorumque ſententia excutitur, & impugnatur. *ibid.* Libidinis vexationes aliis mediis præter matrimonium vinci optime poſſunt. *ibid.* Votum de non vovendo invalidum eſt. *p.* 146. *n.* 32. Votum non petendi diſpenſationem, commutationem, aut irritationem validum eſt; non obligat tamen, quando eas petere utilius eſt animæ. *p.* 147. *n.* 34. Voventes non petere commutationem, an poſſint petere diſpenſationem, aut irritationem, ex intentione voventis eſt colligendum. *p.* 148. *n.* 35. Res indifferentes non ſunt voti materia. *p.* 149. *n.* 1. Votum alicuius rei cuius executio peccatum eſt, invalidum eſt. *ibid.* & *p.* 150. & *ſeqq.* Obiecto ex voto Iephtæ petito, ſicut & aliis obiectis reſpondetur. *ibid.* Votum agitandi tauros in honorem alicuius Sancti, validum non eſt. *p.* 153. *n.* 11. & *ſeqq.* Oppoſita Martinez de Prado improbabilis, & falſa ſententia reiicitur. *ibid.* Vo-

tum mulierum non pectendi capillos tali, aut tali die, ſicut & ſimilia vota invalida ſunt. *p.* 154. *n.* 14. Validum eſt votum nocturnarum vigiliarum; non tamen illud non ingrediendi mare. *ibid.* *n.* 15. Votum editum propter finem pravum, ſeu ob finis pravi conſecutionem, ſemper malum, & irritum eſt. *p.* 156. & *ſeq.* *n.* 18. & *ſeqq.* Soti doctrina explicatur. *p.* 157. *n.* 23. Votum offerendi Deo munus bonum pro effectu futuro conditioni turpi annexo, invalidum eſt. *p.* 159. & *ſeq.* *n.* 25. Votum pro actu turpi iam facto in gratiarum actionem Deo nuncupatum invalidum eſt. *p.* 160. *n.* 26. Sicut etiam votum factum in gratiarum actionem ob victoriam ex bello iniuſto, & ob lucrum ex ludo iniuſto. *p.* 161. *n.* 27. & *ſeqq.* Refellitur laxa ſententia Caſtropalai, male pro ſe Suarez citantis. *ibid.* Valet votum factum pro filio ex concubina ſuſcepto, ſicut & pro incolumitate ex duello reportata. *p.* 163. *n.* 31. Sicut etiam votum puniendi proprium flagitium. *ibid.* *n.* 32. Et etiam votum ob finem indifferentem, ſi tamen in gratiarum actionem Deo fiat. *ibid.* *n.* 33. Nullum eſt votum ob finem aſſequendi res temporales, ſi vovens in illis ſiſtat. *ibid.* *n.* 34. Valet, ſi dirigatur ad conſequenda bona temporalia a Dei liberalitate, ut communiter fit. *ibid.* Vovens Deo quod malum eſt, modo graviter, modo leviter peccat. *p.* 164. *n.* 35. Votum faciens peccandi mortaliter etiam ſine animo illud implendi, peccat mortaliter. *ibid.* *n.* 36. Voti materia non ſolum phyſice, ſed etiam moraliter poſſibilis eſſe debet. *p.* 165. *n.* 37. Votum partim de re poſſibili, partim impoſſibili, valet in parte poſſibili, niſi vovens intenderit utriuſque coniunctionem. *ibid.* *n.* 38. Votum de re dividua impleri debet in parte quæ impleri poteſt. *ibid.* Qui vovet ædificare Eccleſiam, nec poteſt totam, tenetur partem, niſi pars inutilis ſit: aut ſi hoc, tenetur in alia Eccleſia ædificare capellam, ſive quid aliud in Dei cultum. *p.* 166. & *ſeq.* *n.* 40. & *ſeq.* Reſpondetur obiectis Salmanticenſium. *p.* 167. *n.* 42. Votum de materia partim bona, partim mala, impleri debet in parte bona, niſi aliter vovens intenderit. *p.* 168. *n.* 43. Edens diſiunctive votum, cuius una pars apta, altera inepta eſt, in praxi duplex votum edit, alterum validum, alterum irritum. *ibid.* *n.* 44. Votum eundi Romam nudum, obligat ad eius ſubſtantiam, licet non ad modum. *p.* 169. *n.* 45. Votum non ludendi validum eſt. *ibid.* *n.* 46. Votum non ludendi excludit etiam luſum moderatum, & luſum etiam factum per alium. *p.* 170. *n.* 47. & *ſeqq.* Oppoſita Gobat, La Croix & aliorum laxa ſententia impugnatur. *ibid.* Valet votum numquam pecandi mortaliter, non tamen vitandi collective omnia venialia. *p.* 171. *n.* 50. In praxi voventes vitare omnia mortalia, & venialia, id intelligunt quoad permiſerit humana fragilitas. *ibid.* *num.* 51. Votum de vitandis omnibus peccatis diviſive aut mortalibus, aut venialibus nullum eſt. *p.* 172. *num.* 52. Votum vitandi aliquod genus peccati venialis validum eſt. *ibid.* *n.* 53. Non tamen vitandi omnia peccata venialia etiam diviſive. *ibid.* *n.* 54. Rationes oppoſitæ ſententiæ referuntur. *p.* 173. *n.* 55. Et refelluntur. *ibid.* *n.* 56. Votum S. Thereſiæ numquam peccandi venialiter, fuit ex inſtinctu divino. *p.* 174. *n.* 57. Sicut etiam votum P. de la Colombier, & P. Ludovici da Ponte. *ibid.* Votum matris filiam innuptam gravidam agnoſcentis, promittentiſque B. Virgini 1000. nummos, ſi ea ob infamiam vitandam ante partum moriatur, impium eſt. *ibid.* *n.* 58. Votum filiæ non alium ducendi in matrimonium, niſi illi nubat a quo compreſſa fuit, cuique ante commixtionem corporum matrimonium promiſerat, validum eſt. *ibid.* Votum dividitur in abſolutum, conditionatum, & pœnale. *p.* 175. *n.* 1. Referuntur nonnullæ conditiones votis apponi ſolitæ. *ibid.* *n.* 3. Hoc votum: Promitto ingredi Religionem, ſi frater maior na-

tu habuerit filios, non eſt conditiona-
tum, ut volunt Salmanticenſes, ſed
abſolutum. *ibid.* & *p.* 176. *n.* 4. Vo-
tum dividitur in ſolemne, & ſimplex,
neceſſarium, commune, particulare,
reale, & perpetuum. *p.* 177. *num.* 5.
& *ſeqq.* Aliud eſt reſervatum, aliud
non, aliud expreſſum, aliud implici-
tum, aliud publicum, & aliud occul-
tum. *p.* 178. *n.* 10. Votum obligatio-
nem inducere veritas fidei eſt. *p.* 179.
n. 1. Voti obligatio pertinet ad virtu-
tem fidelitatis, ſeu religionis, non ve-
ro ad illam virtutem ad quam atti-
net materia promiſſa. *p.* 180. & *ſeq.*
n. 2. & *ſeqq.* Oſtenditur, & ſatisfit ob-
iecto. *ibid.* Maioris meriti eſt opus
aliquod voti lege ſibi exequendum ſu-
mere, quam ſine voto. *p.* 182. *n.* 8.
& *ſeqq.* Voti obligatio ſuapte natura
gravis eſt. *p.* 183. *n.* 12. Omittens im-
plere partem levem materiei promiſ-
ſæ voto, venialiter peccat. *ibid. n.* 13.
Non eſſet levis materia integrum
Rotarium omittere, ut laxe docent
La Croix, Tamburinus, & Sporer.
ibid. Tranſgreſſio voti cuius tota ma-
teria, quæ ſit abſolute parva, omit-
titur, ſolum venialis eſt. *p.* 185. *n.* 15.
& *ſeq.* In praxi tamen, ratione præ-
ſertim finium voventis, vix accidit
abſque mortali. *ibid.* Vovens non po-
teſt ſe graviter obligare in materia
levi. *p.* 186. *n.* 17. Et probabilius ne-
que leviter in materia gravi. *ibid.* &
p. 187. *n.* 18. & *ſeq.* Refelluntur ra-
tiones oppoſitæ. *ibid.* & *p.* 188. & *ſeqq.*
n. 20. & *ſeqq.* Votum vitandi pecca-
tum veniale obligat ſub mortali.
p. 190. *n.* 25. Qui eodem die violat
plura vota in materia levi, peccat
mortaliter. *p.* 190. & *ſeqq.* *n.* 26. &
ſeqq. Oppoſitæ P. La Croix, & Ca-
ſtropalai laxæ ſententiæ refelluntur.
ibid. Qui vovit recitare per plures an-
nos quotidie unum *Pater*, & *Ave*,
peccat mortaliter, ſi per plures annos
quotidie omittat talem precem. *p.* 193.
& *ſeq.* *n.* 31. & *ſeq.* Aſſignatur, quan-
do reipſa votum diem afficiat, vel
non. *p.* 194. *n.* 32. Vota parentum,
filios non obligant. *p.* 195. *n.* 2. Vo-
vens non tenetur, nec poteſt implere
per alium votum ſuum perſonale,
quod ipſe implere nequit. *p.* 196. *n.* 3.
Vovens factus ſua culpa impotens ad
obſervandum votum perſonale, non
tenetur per alium implere. *ibid. n.* 5.
Sicut neque qui ante votum certus
erat fore ut numquam poſſet imple-
re. *p.* 197. *n.* 6. Vota realia impleri
poſſunt per alium, etiam inſcio, non
tamen invito vovente. *p.* 197. *n.* 7.
Vovens factus pauper, non tenetur
ab amicis pecunias petere, ut votum
impleat. *p.* 198. *n.* 8. Qui rem pro-
miſſam dat alteri, omittenti ſubinde
rem acceptam offerre cui debet, vo-
to ſatisfacit, ſi omnem moralem dili-
gentiam adhibuerit, ut eam viro pro-
bo daret. *ibid. n.* 9. Votum mixtum,
conſtans ex perſonali & reali, non
quatenus perſonale, ſed quatenus rea-
le, impleri poteſt per alium. *p.* 199.
n. 10. Factus impotens abſque culpa
ad votnm ſolvendum, non tenetur
adhibere compenſationem. *ibid. n.* 11.
Heredes non tenentur ad vota per-
ſonalia teſtatorum. *ibid. n.* 12. Heres
tenetur ad ſolvenda vota perſonalia
defuncti, poſito quod teſtator id ei
præcipiat, ſi ſit heres voluntarius,
non tamen ſi neceſſarius. *ibid. n.* 13.
Uterque heres cogi poteſt ſub pœna
privationis hereditatis, & excommu-
nicationis ad ſolvenda vota realia te-
ſtatoris. *p.* 200. *n.* 14. Ea vota ſolven-
da ſunt, etiam non impoſito heredi
hoc onere a teſtatore; vel hoc no-
lente heredem ſuum ad illa obligare.
p. 201. *n.* 15. Non tamen ante aditam
hereditatem, neque in foro interno
ultra vires hereditatis, licet ad id
heres ob omiſſum inventarium con-
demnetur a iudice. *ibid. n.* 26. Du-
plex eſt lex præſumptioni innixa.
p. 202. *n.* 17. Omiſſio tamen inventa-
rii debuit eſſe abſque culpa apta in-
iuſtitiam parere. *p.* 203. *n.* 18. Heres
cum detrimento ſuæ legitimæ non te-
netur ſolvere vota realia, nec ulla
debita teſtatoris. *ibid. n.* 20. Heres ſi
non poteſt per ſe, poteſt, & debet
per alium vota realia teſtatoris im-
ple-

plere. *p.* 204. *n.* 21. Ea commutari non poſſunt a Confeſſario. *ibid.* Monaſterium conſtitutum heres per profeſſionem voventis, tenetur ad vota realia voventis profeſſi. *p.* 205. *n.* 24. Item, quando vovens ante profeſſionem voluit ut ea implerentur a Monaſterio herede relicto. *ibid.* *n.* 25. Prius vota realia quam legata ſolvenda ſunt. *p.* 206. *n.* 26. Vota maioris momenti præferenda ſunt aliis, ſi hereditas omnibus ſolvendis ſit impar. *p.* 207. *n.* 27. Si vota ſint plura, & non conſtet quodnam prius emiſſum fuerit, heres eligere poteſt quæ magis ſibi placuerint. *ibid.* *n.* 28. Si plures ſint heredes, quiſque teſtatoris vota ſolvere tenetur, quatenus eſt heres. *p.* 208. *n.* 29. Donatarius in rigore non tenetur vota donantis exequi. *ibid.* *n.* 30. Ea tamen exequi debet ex religione. *ibid.* Legatarius tenetur implere vota realia legantis. *p.* 209. *n.* 31. Princeps, ſeu fiſcus vota realia voventis ſolvere tenetur. *p.* 210. *n.* 32. Vovens, quamprimum commode poteſt, votum implere debet. *ibid.* *n.* 33. Explicatur. *p.* 211. *n.* 3. & *ſeq.* Votum non impletum tempore deſignato, implere teneris, niſi tempori illigatum fuerit. *ibid.* *n.* 5. Traditur regula cognoſcendi, quandonam ſic fuerit illigatum. *p.* 212. *n.* 6. In dubio, utrum fuerit ſic illigatum, adhuc elapſo tempore implendum eſt. *p.* 213. *n.* 7. In votis realibus tempus ponitur ad ſollicitandam voti executionem. *ibid.* *n.* 8. Vovens non tenetur prævenire tempus deſignatum. *ibid.* *n.* 9. Explicatur. *ibid.* Qui ſua malitia rem Deo voto promiſſam ſubtrahit, vix eſt abſolvendus niſi cum debito tantumdem ſubſtituendi, ſi poſſit. *ibid.* Vovens tenetur implere votum de cuius emiſſione dubitat. *p.* 216. *n.* 4. Reiicitur oppoſita reſponſio de dubio practico, & ſpeculativo. *p.* 217. *n.* 6. Non obſtat regula: *Melior eſt conditio poſſidentis.* *ibid.* *n.* 7. Reiicitur laxitas Salmanticenſium liberantium ab implendo voto etiam dubitantem qui magis in favorem voti propendeat. *ibid.* *n.* 8. & *ſeq.* Certus de voto, dubiuſque de executione, tenetur ad executionem. *p.* 228. *num.* 10. Dubitans an voto promiſerit quinquaginta, an centum, tenetur ad centum. *p.* 219. *n.* 12. Qui vovit dare Eccleſiæ calicem, dubitat vero an argenteum, aureum, aut alterius materiæ, dare debet argenteum, aut aureum, excluſo ære, aut cupro. *p.* 119. *n.* 13. Qui vovit ſe non acceſſurum ad feminam, dubitat vero de acceſſu fornicario, an coniugali, tenetur ſolum abſtinere a fornicario. *p.* 210. *n.* 14. Qui dubitat utrum votum emiſerit ante ſeptennium, tenetur votum ſervare. *ibid.* *n.* 15. Sicut tenetur qui certus de promiſſione, dubitat an habuerit animum ſe obligandi. *ibid.* *n.* 16. Qui votum metu extortum emiſit, in dubio præſumi debet habuiſſe intentionem ſe obligandi. *ibid.* *n.* 17. Teneturque ſervare votum, etſi dubitet an in præfato caſu uſus fuerit amphibologia, aut mentis reſtrictione. *p.* 221. *n.* 18. Dubitans an votum in ſomno, aut ebrietate emiſerit, præſumere debet emiſiſſe tempore ſanæ mentis. *ibid.* *n.* 19. Iratus, vel perturbatus emittens votum, etſi ſedata ira ipſum voti pœnituerit, adhuc voto tenetur. *p.* 222. *n.* 20. Sicut etiam tenetur dum quis dubitat materiam voti eſſe inhoneſtam, vel malam. *ibid.* *n.* 21. Si non conſtet de intentione voventis votum interpretandum eſt in benigniorem partem. *p.* 223. *n.* 2. Explicatur. *ibid.* Votum indefinitum tum quoad quantitatem, tum quoad qualitatem validum eſt. *p.* 224. *n.* 3. & *ſeq.* Votum reſtringendum eſt iuxta naturam actus, vel contractus ſupra quem cadit. *ibid.* *n.* 5. Votum obligat, ſicut & iuramentum, dum res promiſſæ in eodem ſtatu permanent. *p.* 225. *n.* 6. Votum, aut iuramentum cedens in alterius detrimentum, reſtringendum eſt, ut alteri damnum non inferat. *ibid.* *n.* 7. Qui vovit abſtinentiam a vino, ut ſe privaret tali delectatione, non tenetur abſtinere a cerviſia; tenetur tamen, ſi id voverit ad vitandam ebrietatem. *p.* 226. *n.* 3.

n. 3. Laxa P. La Croix ſententia improbatur. *ibid.* Vovens abſtinentiam a vino ob finem temperantiæ, ut peccet mortaliter non eſt neceſſe ut tantum vini bibat, quantum homo temperatus ſolet in uno prandio. *p.* 227. *n.* 4. & *ſeq.* Laxa Caſtropalai, & Sporer ſibi expreſſe contradicentis ſententia refertur. *ibid.* Sicut & La Croix. *ibid. n.* 5. Impugnatur horum ſententia. *p.* 228. *n.* 6. In eo voto datur parvitas materiæ, cuius limites aſſignare periculoſum eſt. *ibid. n.* 7. Qui vovit ieiunare, tenetur abſtinere a lacticiniis, ſaltem in quadrageſima. *p.* 229. *n.* 9. Vovens ieiunare nullo præfinito dierum numero, ſatisfacit voto ieiunando unico die. *p.* 230. *n.* 10. Qui vovit plura ieiunia, præſumendum eſt ea voviſſe ultra numerum binarium. *ibid. n.* 11. Qui vovit ieiunare per menſem integrum, probabilius non tenetur ieiunare diebus dominicis. *ibid. n.* 12. Si quis voveret ieiunare die dominico ad domandam carnem ſuam, & concupiſcentiam, valet votum. *ibid. n.* 13. Qui vovet ieiunium in pane & aqua, votum violat ſemel bibendo vinum. *p.* 231. *n.* 14. Eo ſic violato, non poteſt iterum ac ſæpius vinum bibere per diem ieiunii. *ibid.* Qui vovet ut ſupra, non poteſt comedere paſtillos vulgo maccharones, & vermicellos. *ibid. n.* 15. Qui vovet ut ſupra, nec poteſt votum ſervare, illud frangat, minus tamen ac poteſt. *p.* 232. *n.* 16. Qui vovit ieiunare omnibus ſextis feriis, aut ſabbatis per annum, tenetur etiam iei nare, quando his diebus feſtum recurrit Nativitatis Domini. *ibid. n.* 17. Qui facit duo vota contraria, ſervare debet quod melius, gratiuſque Deo eſt. *p.* 233. *n.* 18. Qui vovit recitare Roſarium, ſatisfacit, ſi recitat tertiam illius partem, niſi aliud conſtet de eius intentione. *ibid. n.* 19. Non tamen ſatisfacit illud tantum mentaliter recitando. *ibid.* Qui vovit audire Miſſam quotidie, ſatisfacit diebus ſacris unam audiendo. *ibid. n.* 20. Puella quæ vovit virginitatem, tenetur eam ſervare poſt perpetratum primum actum turpem, niſi expreſſe intenderit hunc tantum vitare. *p.* 234. *n.* 21. Vovens virginitatem tenetur ad caſtitatem, quidquid laxe dicant P. Marin, & P. Moya. *ibid. n.* 22. Qui vovit peregrinationem abſolute, ſatisfacit peregrinatione equeſtri. *p.* 235. *n.* 23. Etiamſi mercede conductus, vel timore coactus, aut alterius negotii cauſſa peregrinationem ſuſcipiat. *ibid. n.* 24. Qui vovet Religionem, aut ſuſcipere ſacros ordines, vi talis voti non tenetur ad caſtitatem. *ibid. n.* 25. Qui vovit eleemoſynam non determinando quantitatem, quantitas metiri debet ex circumſtantiis. *p.* 236. *n.* 26. Qui vovit vinum pro Miſſis celebrandis, tenetur dare vinum qualitatis ſaltem mediocriter bonæ. *ibid. n.* 27. Qui vinum ex ſuis vaſis argenteis, vel ſervis, vel animalibus Deo vovit, poteſt eligere quod ipſe maluerit. *ibid. n.* 28. Si unica ex his rebus ante impletionem voti ſuperſit, danda eſt ea quæ ſupereſt. *ibid.* & *p.* 237. *n.* 29. & 30. Si promiſeris rem determinatam uni ex duabus Eccleſiis, ignores vero cui promiſeris, dare potes cui malueris. *ibid. n.* 31. Tutius tamen erit rem pro rata dubii utrique Eccleſiæ dividere. *ibid. n.* 32. Error circa ſubſtantiam voti reddit votum invalidum. *p.* 238. *n.* 2. Si voviſti quamdam Religionem, exiſtimans in ea carnium cibum licitum eſſe, cum reapſe non eſt, adhuc teneris illam, aut ſaltem aliam ingredi. *ibid.* & *p.* 239. *n.* 3. Error circa finem voti reddit votum invalidum. *ibid. n.* 4. Intellige ſi ſit circa finem intrinſecum, non autem voto extrinſecum, aut circa cauſſam occaſionalem voti. *ibid.* & *p.* 240. *n.* 5. Aſſignatur regula ad dignoſcendum utrum circumſtantiæ ſpectent nec ne ad ſubſtantiam voti. *ibid. n.* 6. Si, an ſic ſpectent, omnibus inſpectis ſit dubium, ſtandum eſt pro voto. *ibid. n.* 7. Votum metu extortum ſive ab intrinſeco, ſeu ab extrinſeco etiam ad votum extorquendum illato, validum eſt. *p.* 241. & *ſeq. n.* 8. & *ſeq.* Et quidem etiam iure eccleſiaſtico, excepto voto ſo-

Digitized by Google

ſolemni. *p.* 242. & *ſeq. n.* 10. & *ſeqq.* Aſſignantur conditiones generales voti abſoluti, & particulares votum efficientes conditionatum. *p.* 244. *n.* 2. Non ſemper particula *ſi* votum efficit conditionatum. *ibid. n.* 3. Conditio turpis contra ſubſtantiam voti, illud irritat. *p.* 245. *n.* 5. Votum ſub conditione obligat tota ea impleta. *p.* 246. *num.* 6. Voto emiſſo adiici nequit ulla conditio. *ibid.* Ut votum obliget ſatis eſt eius conditiones impleri æquivalenter. *ibid. n.* 7. & *ſeq.* Impediens ſui voti conditionem a ſe non pendentem, peccat contra votum. *p.* 247. *n.* 9. Vovens expectare tenetur talis conditionis eventum; nec eum vi, dolo, aut precibus impedire poteſt. *ibid.* Quod ſi impediat, adhuc voto tenetur. *p.* 248. & *ſeq. n.* 10. & *ſeq.* Votum pœnale validum eſt. *p.* 249. *n.* 12. Tranſgreſſio voti pœnalis ex invincibili ignorantia culpa vacat; nec ob eam ulla ſubeunda eſt pœna. *p.* 250. *n.* 13. Mortale peccatum committens contra votum non obligatur ad pœnam, ſi invincibiliter, ſecus ſi vincibiliter voti ſit immemor. *ibid. n.* 14. Si quis abſolvitur a voto duplici pœnali, abſolvitur quoque a pœna, quam nondum incurrit. *ibid. n.* 15. Secus ſi iam eam incurrerit. *ibid. n.* 16. In petitione diſpenſationis explicandum eſt utrumque votum. *ibid.* Qui vovit vitare ex. gr. ludum ſub tali pœna, ludendo eam incurrit ſemel tantum. *p.* 251. *n.* 17. Votum edi non poteſt niſi a ratione prædito, & de iis quæ cadunt ſub dominio voventis. *p.* 274. *n.* 1. & *ſeq.* Eccleſia poteſt ferre leges quibus aliquæ perſonæ ad vovendum inhabiles reddantur. *p.* 279. *n.* 9. Epiſcopi vovere non poſſunt abdicationem Epiſcopatus, vel ingreſſum Religionis, ſummo Pontifice inconſulto. *ibid. n.* 10. Nec eo pariter inconſulto peregrinationem ultra tempus quo poſſunt a ſuis Eccleſiis abeſſe. *p.* 28?. *n.* 11. Parochi, vel beneficiati reſidentiæ vinculo adſtricti Religionem vovere poſſunt, eamque ingredi Epiſcopo inconſulto. *p.* 281. *n.* 12. Deus vovere non poteſt. *ibid. n.* 13. Chriſtus Dominus, & Angeli viatores vota edere potuerunt. *ibid.* Votum ceſſat obligare, ceſſante tota cauſſa proxima movente. *p.* 282. *n.* 2. Cauſſa finalis movens alia eſt proxima, alia remota; & proxima alia eſt motiva, alia impulſiva. *ibid. n.* 3. Ceſſat votum ceſſante cauſſa finali movente proxima ob culpam voventis. *p.* 283. *n.* 4. Sed videtur æquivalenter voto ſatisfaciendum. *ibid.* Voti vinculum ſolvitur notabili rerum mutatione. *p.* 285. *n.* 5. Explicatur quæ mutatio dicenda ſit notabilis. *ibid. n.* 6. Voti vinculum probabilius non tollit rei promiſſæ mutatio, quam ſi vovens tempore voti editi cognoviſſet, a voto abſtinuiſſet. *p.* 285. *n.* 8. *V. Commutatio, voti. Diſpenſatio in voto. Irritatio voti. Religio*, ſeu *Religioſus ſtatus*.

F I N I S.

Digitized by Google

Google

Digitized by Google